UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentiis Jesu Christi Dei-Hominis

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723

VD18 80217931

urn:nbn:de:hbz:466:1-45509

Visual Library

Th. 2583.

J 17
14

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CONSULTATIONES THEOLOGICÆ ET SPIRITUALES

Verè devoti, verè fidelis Christiani

DE EXCELLENTIIS JESU CHRISTI DEI-HOMINIS,

Gallico idiomate primùm edita, & sæpiùs jam typo vulgata

Collog. Soc. Jesu Per Paderb: An 1728

R.P. LUDOVICUM FRANCISCUM, Argentanienſem, Capucinum, Normandiæ Provincialem,

Jam verò maximo cæterarum Nationum commodo Latinitate donatæ

A

P.F. ISAACO OXOVIENSI, ejusdem inſtituti Definitore, Guardiano ac Concionatore.

Opus prorsùs inſigne, rariſſimâ & gratiſſimâ methodô digeſtum, quale ipſîs Gallîs atteſtantibûs hucusque Gallia non vidit, facilitate maximâ ſummas Theologiæ difficultates ad cujuscunque etiam illiterati captum ſolidè explanans, quòd legi non poſſit, quin legentis intellectum JESU CHRISTI cognitione plurimùm illuminet, ac voluntatem ejusdem amore vehementiſſimè accendat, non tantùm Aſcetis pro fovenda devotione, ſed etiam Eccleſiaſticis & Concionatoribus pro declamando DEI verbo utiliſſimum, tum rerum & verborum, tum materiarum Concionibus applicabilium indice locupletatum.

Pars Altera.

Cum Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ,

Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD, Viduæ & Hæredum,

ANNO MDCCXXIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

JESU CHRISTO.

MAgnæ obnoxium me crederem injuſtitiæ, ſi alteri id offerrem, quàm Tibi ſoli, quod nonniſi ad Te ſolum pertinet, ô amabiliſſime mi & adorandiſſime JESU! Quid enim habemus in hoc mundo, niſi quod accepimus à Te? & quid ſperamus in æternitate, niſi quod à Te ſumus accepturi? Si omnia noſtra ſunt, Tuo ſic aſſerente Apoſtolo, hæc nonniſi gratuita meriſſimæ liberalitatis Tuæ ſunt munera: Tu namque includis omnia in theſauris tuis; omnia bona æternitatis Tua ſunt, jure generationis Tuæ æternæ; & omnia bona temporalia Tua quoque ſunt, jure nativitatis Tuæ temporalis; ita, ut ſi nihil acciperemus à Te, aliud nihil haberemus, niſi ſolum nihilum. Sed Tu Temetipſum dediſti nobis ex tam incomprehenſibilis bonitatis Tuæ abundantia, ut bonorum famulorum Tuorum quispiam amicè Tibi exprobrare, ſibi haud probro duxerit; Te ipſum Tui ipſius eſſe prodigum; nósque Te unicum poſſidendô dicere poſſimus, quòd noſtra ſint omnia. Verum eſt, magnam eſſe noſtram Guarr. Abbas.

noſtram felicitatem, quòd noſter ſis; ſed felicitatis hujus faſtigium & culmen eſt, quòd nos quoque ſimus Tui.

Tu es, ô Verbum æternum, quod Tuam extendiſti vocem usque ad profundas abyſſos nihili, ut indè me extraheres, ſeparandô me ab infinitis aliis creaturis poſſibilibus, quas ibidem reliquiſti, meque eligeres inter omnes, & ad Tui cognitionem Tuíque amorem vocares in tempore, & poſthæc ad Tui poſſeſſionem in æternitate. O Bonitas ineffabilis, quid ad hoc te impulit, niſi quòd plùs me amaveris, quàm infinitas creaturas alias? Et quare me ita amâſti, niſi quòd infinitâ ratione bonus ſis? Ah! quantùm pro his obſtrictum me tenes!

Tu ipſe, ô Verbum adorandum, unigenite Fili Dei vivi, egredi voluiſti è delicioſo ſinu divini Patris Tui, & in Perſona deſcendere in terram, omnes meas in Te ſuſcipere miſerias humanas, ut ab iis me liberares, & inſuper aperire mihi omnes inexhauſtos divinarum excellentiarum Tuarum theſauros, ut iis locupletares me. Tu quaſi amoris abreptus, & in extaſin actus abundantiâ, in mea dilabi voluiſti brachia, tradens & conſignans te totum mihi, ut faciam Tecum quidquid voluero. Et cùm probè ſcires, Te intra manus meas victimam fore crudelitatis plurimorum & enormium criminum meorum, conſenſiſti in id, & tradidiſti Te voluntariè morti pro me. Quid ad hoc obſtrinxit Te, Majeſtas infinita, niſi quòd ratione quâdam me plùs amaveris, quàm Temetipſum? Sed quare me ita amâſti, cùm nonniſi odiô Tuô, & ſuppliciis

Tuis

Tuis dignus essem, nisi quia infinitâ ratione bonus es? O amantissime Deus, quantus Tibi quoque pro hoc sum debitor?

Tu tandem, ô ineffabile Verbum, Splendor gloriæ Patris æterni, promisisti mihi post hanc vitam possessionem regni gloriæ Tuæ, quódque potare eodem torrente me velis, è quo Tu ipsemet omnes Tuas æternas hauris delicias. Quis obstrinxit Te ad formandum ejusmodi super me consilium; super me, qui nonnisi miserâbile sum nihilum ex natura, & ipso miserabilius nihilo, ob tanta, quæ contra divinam Majestatem Tuam, commisi peccata? hujus aliam, nisi quòd ames me, ignoro rationem. Verùm latet me, quid obstringere Te possit ad amandum eòusque me, nisi quia infinitâ ratione es bonus. Integra æternitas an sufficiat ad comprehendendum; quantum tibi pro hoc debeam?

Post tanta tum bonitatis, tum amoris indicia, solis ipsius luce clariora, nonnè ex intimo cordis mei agnoscam, & universo mundo annuntiem, me omnia debere Tibi, cùm omnia acceperim à Te, nec quidquam mihi, nisi à Te solo, esse sperandúm? & cùm fatear, me omnia debere Tibi, cui ergò omnia reddere, omnia referre, omnia devovere debeam, nisi Tibi soli?

O! si meæ subderentur dispositioni omnium hominum voluntates, ab Adamo usque ad ultimum; & non solùm omnia, quæ fecerunt, sed quæ facere unquam poterunt, ipsorum opera, quantum cordi meo foret so-

latium, illa omnia devovere Tibi; sed devovere Tibi illa tam absolutè, ut nec minima illorum foret particula, quæ gloriæ Tuæ non consecraretur tota! & ex illis tot canoras conficerem tubas, ad divulgandum Tuas ubivis locorum excellentias.

An omnes omninò homines, omnia à Te recipiant bona, ò clementissime JESU, & plerique eorum non reddant Tibi, nisi mala, offensas, contemptus, obliviones, ingratitudines? An Tu illis devoveas Te totum, pro ipsorum salute propriam Tuam consecrandô vitam, & illi tam parùm id habeant acceptum, ut ne ullam quidem de ipso admittant cogitationem? An Tuos nunquam non super ipsos Tu figes oculos, invigilandô & providendô cunctis ipsorum necessitatibus, & ipsi aspiciant Te nunquam, quasi nihil spectarent ad Te? An Tuas semper protensas in ipsos habeas manus, ut Tuis ipsos accumules & obruas beneficiis, & ipsi tam parvam horum teneant memoriam, ut, quasi non nôssent Te, habeant se erga Te? An denique, ut complectar paucis, infinita Bonitas, pro qua cuncta hominum creata sunt corda, tam parùm agnoscaris, tam modicum ameris? Nonnè hoc cunctas animas summo afficiat dolore, quibus curæ est gloria Christi JESU?

Haud levi demulceor gaudio, dum mente revolvo affectus eximios magni Raymundi Lulli, postquàm repudiato mundo se unicè Tuo consecravit servitio, o divine JEsu! omnes creaturæ tuæ erant ipsi tot specula, in quibus nihil nisi Te videbat, loquebatur cum illis de pulchritudine Tua

& de

& de bonitate Tua: requirebat ab illis nova de Te: recenſebat illis Tua beneficia, omnésque, quas continuò recipiebat à Te, amoris notas ac ſpecimina: efflagitabat illas, ut adjuvarent ſe, ad dilatandum ubivis locorum Tuam gloriam: verba de hoc faciebat mari, lapidibus, avibus, floribus, aſtris, animantibus, cunctis creaturis, illásque exhortabatur ad amandum Te, cùm non amarent Te homines: centenîs ſeſe conficiebat itineribûs toto decurſu vitæ ſuæ, excurrens in Franciam, Hiſpaniam, Orientem, Occidentem & usque in Judæam, cùm nullibi conſiſtere poſſet velut ebrius amore, & ardentiſſimo abreptus deſiderio Tuam ubivis implantandi cognitionem, & cuncta Tibi lucrandi corda, comparandi omnium affectus & animos. O animam verè Chriſtianam! ſed eccur non omnes Chriſtiani eodem flagrant & æſtuant ardore?

Nonnè maximæ nobis ſit confuſionis argumentum, o Verbum æternum, noſſe, Te nunquam non loqui de nobis DEO Patri Tuo, abs eo, quòd taceas unquam; & tacere nos de Te, abs eo, quòd de Te loquamur unquam fratribus noſtris? Dicere, quòd, cùm exiſtas Lumen & Verbum divini Patris tui, quòd oſtendat illi omnia, quòd dicat illi omnia, colloquens ſolus ipſi modo tam ſuavi, ut is quaſi ex eo in æternam, unde nunquam redeat in ſe, rapiatur extaſin; deſcendere volueris homo ad hominem, ut eorundem ipſum redderes participem luminum, ad loquendum cum ipſo de iisdem veritatibus, & easdem oſtendendum ipſi pulchritudines, quæ æternam ipſius

DEI

DEI constituunt felicitatem? & homo tantæ adhuc sit cœcitatis, ut Te non videat, surditatis tantæ, ut Te non audiat, tantæ stupiditatis, ut Tuis non flectatur, nec rapiatur illecebris?

O magne Sol æternitatis, Splendor gloriæ Patris, cùm esse volueris Lumen mundi, eo fine nostræ conscendens horizontem terræ, ut indè expelleres tenebras ignorantiæ, infidelitatis, & oblivionis Dei, quibus involvebatur: eccur tanta adhuc, támque universali obvolvimur cœcitatis caligine, ut cùm proximus sis nobis, non videamus Te? Tu natus es in tenebris noctis, & in tenebris diei es mortuus, & inter duos hos tam absconditos vitæ Tuæ terminos, ipsam quasi totam transegisti in tenebris altissimæ solitudinis. O quàm verum est, Te DEUM esse absconditum!

Isaiæ 45. v. 15. Sed mandâsti nobis Domine, ut, quod in tenebris dixisti nobis, diceremus in lumine, & quod in aure audivimus, prædicaremus super tecta; quasi, cùm lumen sis hominum, desiderares, ut homines reciprocè essent lumen Tuum; & cùm ipsos eduxeris è tenebris, ipsi non paterentur Te in tenebris delitescere incognitum.

O quàm verum est, ipsum indignum esse nomine Christiani, qui non contendit, ut extendat gloriam sancti Nominis Tui pro viribus suis! siquidem, cùm nec unica sit creatura, quæ suam non habeat vocem ad annuntiandam gloriam Creatoris sui; nonnè nec unicus deberet esse Christianus, qui suâ careat voce ad evulgandum, pro modulo & capacitate sua, gloriam sui Redemptoris? Si

quis-

quispiam excusare se vellet ex eo, quòd magnas non possideat dotes ingenii, meminerit, illum, qui nonnisi unicum talentum acceperat, fuisse condemnatum, quòd illud sepelierit in terra. Eheu! quàm sufficientia nobis semper forent talenta, si sufficiens nobis foret amor, sufficiens nobis zelus pro gloria Christi JEsu! Ingeniosus namque est amor, & magnas habet vires zelus, & uterque, absque talentorum consideratione, animat ad moliendum omnia, sibíque persuadet, se facilè posse, quidquid voluerit.

Verùm, sivè parum, sivè multum, sufficit, si fecerimus, quod potuimus; sic enim nec vivimus, nec morimur cum hac exprobratione conscientiæ nostræ; feciſse nos nihil ad dilatandam gloriam ejus, qui tantum fecit pro gloria nostra, quam acquisivit nobis æternam sui pretiô sanguinis. Nimìs quàm sæpè nostræ invigilamus incremento gloriæ, quæ negligere nos facit gloriam ipsius: *Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ JEsu Christi*; & procul abest, ut exponamus nos omnibus pro ipso, sicut ipse exposuit se pro nobis, attentare nil ausi, quia metuimus, ne nihil honoris indè metamus, sed potiùs accrescat nobis vituperium & leve probrum, non attendendô illud æternæ veritatis oraculum, quod in sacris litteris expressit nobis: *Quicunque honorificaverit me, glorificabo illum; qui autem contemnunt me, ignobiles erunt.* Ad Philip. 2. v. 21. 1. Reg. 2. v. 30.

Non timeo Domine id, quod imminet mihi probrum, nec id, quod manet me dedecus, quòd munus assùmere præsumpserim, mihi de Tuis scribendi excellentiis, eás-

 que

que divulgandi ubivis, faciendô id modô à dignitate objecti tam alienô. Dicitur, prærogativam fuisse nonnisi eximiis concessam pictoribus, efformandi effigiem Alexandri Magni, aliósque commissuros fuisse velut læsæ Majestatis crimen, si id moliri præsumpsissent. Verum est, provinciam hanc assumere sibi debuisse tersissimos ac excultissimos quosque mundi Scriptores, qui Tuas divulgarent ubivis excellentias. Ast si acerrima quæque ingenia, & exquisitissimæ quævis pennæ suas potiùs vanitati, quàm veritati volunt consecrare dotes, vestiendô ac induendô mendacium, pulchrorum avidísque auribus blandientium verborum, ad imbecilles seducendas animas, insensibiliter transferendo illas, sicut Tuus effatur Apostolus, ad aliud quoddam Evangelium, quàm Tuum! an alii omnes, qui potiùs invigilant, ut bonas proponant & annuntient veritates, quàm pulchra declament, aut exarent verba, digitum apponant ori, & omninò sileant?

Ad Galat. 1. v. 6.

Non audeant illi loqui de Te, ne fortè vituperentur, quòd non sat tersis, sat excultis fuerint de Te locuti verbis? præcipuè dum vident, sacros Tuos Scriptores, qui nobis exarârunt Evangelium, non tantùm non exquisîsse, nec speciosa ordinâsse verba, quod facillimum fuisset ipsis, si ita tulisset stylus Spiritûs sancti, quo impellente loquebantur, sed potiùs plurimùm abhorruisse ab illis, non utendo unquam nisi apertis & simplicibûs verbis; quasi condemnando eminùs omnium fraudes hæreticorum, qui omnem suam in illis collocârunt industriam, imitando em-

do empiricos illos deceptores medicos, qui sæpiùs lethalissimum virus pulcherrimis & auro obductis includunt capsulis.

Non credo, absque mysterio factum esse, ô adorandissime mi Salvator, quòd, cùm paulò ante passionem Tuam intrares publicè in civitatem Jerosolymam, maximi, sapientissimi, & facundissimi quique totius civitatis, digni haud fuerint, vel unicum adjicere verbum ad applaudendum triumpho Tuo; nonnisi cum plebe pueri Tuas decantabant laudes, quibus & silentium imponere volebant superbi hi Thrasones. Sed præclarè respondisti illis: *Si* hi tacuerint, lapides clamabunt, nobis per hoc declarando, quòd majori perfundaris voluptate, dum balbutientes Tuos percipis & audis filios, dum modicum id, quod ad Tuam dicunt gloriam, ex intimo ipsorum procedit animo, quàm dum speciosa facundissimorum in Tuis auribus tinniunt verba, quando nonnisi labiis Te honorant, quódque etiam confusa alicujus petræ & scopuli vox, quamvis nonnisi imperfectum, ad honorandum Te, conficeret discursum, Tibi haud displiceret.

Ecce Tibi, Domine, voces quasdam valdè obtusas, & verba quædam valdè rudia! Ecce Tibi lumina valdè obscura, & sensa immodicè languida, quæ prodeunt è deserto novissimi & abjectissimi servi Tui, quasi discursus & sermo informis, qui è quadam prodiret & erumperet caverna! Nihil hîc est, quod Tuis sit dignum præsentari conspectibus; sed quia pueris & infantibus, ac ipsis etiam

lapidibus permisisti loqui de Te; si in imbelli hac opella videris simplicitatem alicujus infantis, & duritiem alicujus lapidis, spero, eas ab infinita bonitate Tua non fore repellendas, eòquòd ipsemet volueris tu illas.

Nosti, amabilissime mi Salvator, quâ ratione obstrinxeris me ad scribendum de Excellentiis Tuis. Tu id nôsti, & sufficit. Certus igitur sum, parvum hoc Opus, Tuum esse, quia venit à Te, quia loquitur de Te, & quia tendit ad Te; sternitur ad pedes Tuos, benedic illi; mitte illud, sicut Tuos misisti Apostolos; & postquàm Tuum super id effudisti Spiritum, ad tribuendum ipsi vitam quamdam divinam, quam absque Te non habet, dic illi, sicut dixisti ipsis: Ito, prædica Evangelium omni creaturæ, manifesta me universo mundo, illique persuade, ut amet me. Qui crediderit Tibi, salvus erit.

Si loquitur in omnibus juxta mentem Tuam, Domine, id approbo, idque confirmo, si unicum proponeret verbum, quod conforme non foret sancto Tuo Evangelio, & vel tantillum recederet à Catholicæ Tuæ, Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ judicio, cor meum condemnat hoc verbum, quod sancta Tua non approbat sponsa, & semper ad illud eradendum expedita erit manus mea.

PRÆFA-

PRÆFATIO
Complectens intentionem & seriem hujus Operis.

MAgna est utilitas scribenti vel loquenti, quando proponit talia, quæ populus tantâ excipit benevolentiâ, quantâ is ipsi offert, & exhibet illa. Audiunt libenter boni subditi, quando fit sermo de Excellentia Principis à se amati: avidîs hauriunt, & usurpant auribûs filii, dum percipiunt laudes & encomia Patris à se dilecti; & universim omnes homines demulcentur solatiô, quando ipsis ea, quam desiderant, felicitas declaratur.

Ingens mihi igitur affulget spes, Christianos omnes benevolè accepturos illa, quæ ipsis hîc proponam de Excellentiis Christi JESU, cùm is sit optimus ipsorum Princeps, qui licèt sit omnipotens, ipsos tamen nonnisi per leges regit amoris: qui, quamvis hi ipsi debeant omnia, nihil tamen ex illorum accipit bonis; sed potiùs sua largitur illis; quique se solum onerare voluit omnium suorum subditorum miseriîs, ut ipsos redderet beatos. Confido, avidîs ipsos usurpaturos auribûs ea, quæ loquar de Christo JEsu, cùm hic amantissimus sit ipsorum Pater, qui postquàm ipsos genuit glorioſa insignitos dote Filiorum Dei, & hæredum regni sui æterni, propriâ suâ in terris ipsos nutrit substantiâ, exspectans, quoad vivere illos faciat propriâ suâ in cœlis gloriâ. Et tandem, cùm is solus sit perfecta ipsorum beatitudo, cúmque probè nôrint, beatitudinem suam tunc complendam fore in cœlis, quando clarè videbunt, & perfectè amabunt

ipsum, delineant jam illa in terris, quando operam navant in cognoscendo & amando illo; ipsorúmque jam incipit beatitudo in mediis præsentis vitæ calamitatibus ac miseriis.

Hæc omnia spem mihi ingerunt, solum nomen Excellentiarum Christi JESU generaturum in animis omnium verorum Christianorum sanctam quamdam aviditatem, qua trahantur ad intuendum & contemplandum ipsas. Benevolentia, qua omnes exceperunt CHRISTIANUM INTERIOREM, & *Christiani interioris Exercitia*, atque recentissimè *Consultationes* Theologicas & Spirituales de Excellentiis Dei, haud inanem mihi porrigit fiduciam, has quoque præsentes de Excellentiis JESU CHRISTI Dei-Hominis, non minori excipiendas fore benignitate, cùm hæ consideranda non solùm proponant ea, quæ sunt interiora Christi JESU, sed etiam, quæ exteriora illius sunt, non solùm ipsius Divinitatem, sed etiam Humanitatem ejus, & jucundum Lectori exhibentes spectaculum in Christo (quem sancti Patres nuncupant prodigium cunctorum sæculorum, omniúmque æternitatum) depingant ipsum velut ingens quoddam ambulacrum, quod repræsentet Christum in omnibus statibus, & in omnibus mysteriis vitæ suæ tum divinæ, tum humanæ, postquàm è sinu Patris sui descendit in terras, quoad è terris reversus est in sinum Patris sui.

Quævis Consultatio magnam quamdam refert imaginem, quæ suam habeat formam, suámque figuram, totam diversam ab aliis, ut intellectus, quem facilè tædiô longa afficit lectio, nisi quamdam, qua oblectetur, offendat varietatem, inveniat, quô sese inter laborandum relaxet, nunquam non reperiens aliquid, quod ipsi sit novum. Videbit quamvis Consultationem suis exponere oculis jucundissimas veritates, quas sacra Scriptura & sancti Patres, illuminati à Spiritu Dei, observârunt in omnibus mysteriis vitæ Domini nostri, quásque exhibet ipsa modô valdè facilî, ne forsitan captum transcendat magìs simplicium. Siquidem hoc semper fit per modum Consultationis, ubi plures diversæ personæ, juxta contingen-

tiarum

tiarum diversitatem, sibi invicem colloquuntur, & sinè pigmentis, ut faciliùs intelligantur, sermonem miscent, sicut in honesta quadam fieret conversatione.

Verùm quia familiaritas, quæ materias ex se maximè sublimes, reddere studet intelligibiles, ingeniis minùs acutis & excultis, non solùm attendere debet, ne tollat ipsis Majestatem illam, quam sibi habent connaturalem, & sinè qua cognoscibiles ampliùs non essent; sed etiam curare, ut tantâ deprimat ipsas cum veneratione ac reverentia, ut indigna ratione non tractet, nec nimiùm dejiciat illas: conatus fui depingere ea omnia, quæ proferre in lucem volui, eâ colorum vivacitate ac commixtione eorundem jucunda, ut extollerem in omnibus Excellentias Verbi incarnati, ratione tali, quæ displicere non posset ulli, vel parùm prædito ratione.

Id, quod ardentissimè haberem in votis, esset, ut hic splendor, quem adjicere conabor, non solùm afferret oculis lumen, ad exponendum cognitioni Christum JEsum, sed etiam in omnium cordibus maximum accenderet ignem, ad excitandum ipsius amorem. Ad obtinendum felicem hunc effectum non sufficit, speciosas valdè in medium proferre veritates, illásque clarîs admodùm & luculentîs explanare verbîs: sed requiritur certa quædam unctio, certus sapor, & gustus quidam omninò divinus, qui specialis Spiritûs sancti favor est, & singulariſſimum à luminum Patre privilegium, nonnisi pauciſſimis concessum. Sæpiùs non invenitur hæc unctio, nec gustus omninò divinus in iis, qui scribunt, eòquòd non proferant, nisi ea, quæ traxerunt ipsimet è proprio suo intellectu, per studium quoddam naturale, pro eo, quòd dare deberent nonnisi illa, quæ accepissent à Spiritu Dei in oratione. Et sæpiùs etiam illi, qui legunt, divinam illam in libris non inveniunt unctionem, quam vis hanc non modicam hi complectantur, eòquòd non legant illos, ut ibi deguſtent Deum, sed ut suæ solummodò satisfaciant curiositati.

Sanctus Ignatius Martyr nobis asserit, se sanctum legisse Evangelium eadem cum reverentia, & iisdem cum dispositionibus, quas af- S. Ignat. Mart.

ferebat

ferebat ad recipiendum ſacratiſſimum Corpus Chriſti JEſu: *Ad Evangelium tanquam ad Corpus Chriſti confugio*; hinc & verum eſt, guſtâſſe ipſum non minùs divinum hunc ſaporem in Verbo, quàm in auguſtiſſimo Sacramento ipſius. Non auderem dicere, legendas eſſe has Conſultationes eâ diſpoſitione, quâ legere ſanctum oportet Evangelium; verum tamen eſt contineri in his aliquam velut umbram illud aliquatenùs repræſentantem oculis, vel quamdam velut echo, quæ vocem illius allabi & loqui faciat auribus, cùm nihil, vel ferè nihil habeant, quod à ſancto Evangelio non acceperint, vel immediatè, vel mediantibûs ſanctîs Patribûs, qui illud expoſuerunt. Sic firmiter confido bonitati Dei, quòd, qui lecturus eſt illas bonâ intentione quærendi in illis Chriſtum JEſum, ipſum infallibiliter hîc ſit inventurus, magna cum animæ ſuæ conſolatione.

Jam ut videas in Synopſi, & uno velut intuitu omnia, quæ tibi videnda occurrent juxta debitam ſuam latitudinem in toto hoc opere: apponam tibi hîc illius delineationem, ſicut in gypſo fieri aſſolet parva quædam graphis magni cujusdam ædificii, quæ licèt parva ſit, oſtendere non intermittit illius magnitudinem, diſpoſitionem, conclavia, ſituationem, & totam Oeconomiam.

Sed cùm propoſuerim exhibere tibi *Chriſtum JEſum* in omnibus his Conſultationibus, tibíque oſtendere, ipſum verum eſſe Deum, & verum hominem, proprium Dei Filium, conſubſtantialem Patri, & Salvatorem omnium peccatorum: ſupponendum, eſſe peccata noſtra, & non noſtra bona opera, quæ traxerunt ipſum è cœlis in terram, ſicut dicit ſanctus Auguſtinus; ipsúmque veniſſe ad obtinendam ſalutem omnibus hominibus, qui perierant per peccatum Adami. Quamobrem

S. Auguſtin.

I. Conſultatio. Propono ab initio hominem, qui nullius rei habeat cognitionem, niſi ejus, quod diſcere potuit ipſemet ex ſola ſua ratione naturali, & ſuorum experientia ſenſuum. Experitur is in ſeipſo tantas contrarietates, tantas excellentias, tantásque vilitates, tot bonas tótque malas inclinationes, ut ſeipſum capere non poſſit, ignarus, unde

unde veniat, tot bona tótque mala in ſua uniri Perſona. Ipſi, qui primâ vice convenerunt & invenerunt illum hâc occupatum curâ, oſtendunt ei, omnia, quæ in ſe habet bona, eſſe opus Creatoris ſui; & omnia, quæ experitur mala, effectum eſſe peccati inſinuantis ſe in hominem, ut corrumpat opus Dei. Et ex hoc haud difficulter is concipit veritatem peccati originalis, quod fons eſt & origo omnium noſtrarum miſeriarum; & dum hoc videt, lamentabilem conditionis noſtræ humanæ deplorat ſtatum, cujus neſcit adhuc remedium. Ecce tibi argumentum Conſultationis primæ!

Secunda loquitur de incomprehenſibili conſilio, quo decrevit DEUS ipſemet in Perſona venire in mundum, ad afferendum remedium efficax omnibus noſtris malis, per myſterium Incarnationis, & hoc tanta cum oſtenſione bonitatis, ut is homo totus exin perfunderetur voluptate. Sed bonitatis hujus conſiderans abundantiam, nec capiens, ipſam incredibilem & quaſi impoſſibilem cenſet. 2. Conſult.

Ecce! quare tertia Conſultatio, è fundamento agat de poſſibilitate & veritate myſterii Incarnationis, confundens omnia falſa rationis humanæ lumina, per demonſtrationes luculentas, & evidentiſſimas. 3. Conſult.

Quarta conatur ipſum edocere, quâ ratione adimpletum ſit Incarnationis myſterium, per deſcenſum unigeniti Filii DEI in terras, & per elevationem naturæ noſtræ humanæ usque in ſinum DEI; ubi ſit ſermo de ſacro hoc vinculo, uniente duas naturas, divinam & humanam in ſola Perſona Verbi, quod vinculum nuncupatur Unio hypoſtatica. 4. Conſult.

Quinta inquirit rationes, ob quas Filius Dei potiùs incarnatus ſit, quàm Pater aut Spiritus ſanctus? & has invenit admodùm pulchras. Quærit inſuper, & problematicè diſputat, an incarnatus is fuiſſet, ſi Adam totam naturam humanam peccatô ſuô non infeciſſet? ex utraque parte proponit argumenta luculenta, quæ oſtendunt infinitam obligationem, quâ obſtringimur DEO, quòd ex amore erga nos fuerit incarnatus. 5. Conſult.

)( )( )(In

6.Consult. In sexta ex occursu certorum Rabinorum disputatur è fundamento doctè & acriter contra Judæos, de Incarnatione Verbi, & adventu Messiæ, ubi maxima gentis Judaicæ cœcitas demonstratur, quòd ipsum adhuc exspectent, quasi nondum venisset.

7.Consult. Et septima affert solatium Christiano, dum ipsi clarè demonstrat, neminem esse in mundo, cuicunque adhæreat sectæ, qui tam certus esse possit, sicut ipse, circa veritatem Religionis suæ, ubi occasionaliter fit sermo de secta Mahometi.

8.Consult. Post primas has Consultationes, quæ serviunt velut dispositiones, quibûs præparantur homines ad recipiendum Christum JEsum velut verum Messiam: Octava agit de ingressu ipsius in mundum, qui parùm quidem videtur conveniens Majestati ipsius, sed reipsâ vel maximè idoneus est ad exequenda consilia adventûs ipsius in mundum.

9.Consult. Nona repræsentat plures Reges, paulò post ingressum ipsius in mundum, adventantes sua præstitum homagia: hos pedibus ipsius advolutos, ad honorandum illum, sicut sunt Magi; alios sub pedibus ipsius, velut adversarios & hostes devictos, uti Herodes; alios circa Thronum ipsius, velut victoriosos, quos ipse coronat, postquàm fortiter pro se decertârunt, sicut sancti Innocentes, quos Ecclesia nuncupat flores Martyrum.

10. Consult. Decima Consultatio est de infantia & prima educatione Christi JESU, de fuga in Ægyptum, de perditione ipsius in templo, de ejus solitudine in Nazareth, & actionibus illius humilibus & abjectis, quibus primos vitæ suæ annos consecravit, vivendo velut simplex opifex in taberna alicujus fabri lignarii.

11. Consult. Tota Cosultatio undecima non loquitur, nisi de altissimis occupationibus vitæ absconditæ Christi JEsu, cui triginta consecravit annos, quibûs solus ageret cum solo DEO Patre suo, cùm nonnisi tres dederit, quibûs ageret cum hominibus: ubi sermo texitur de solitudine, de silentio, de oratione, de vita interiori, & de felicitate animæ, quæ abscondita vivit mundo & tota absorpta in DEO.

Relicta

Relictâ tam diuturnâ & profundâ solitudine, iniit commercium cum mundo, ut inciperet Opus magnum salutis hominum. Incepit à Baptismo, quem recepit è manibus sancti Joannis, Præcursoris sui; & exin à jejunio quadraginta dierum in deserto, & hoc est argumentum duodecimæ Consultationis. 12. Consult.

Tertia decima considerat ipsum velut solem in aurora sua, qui, cùm diffundere inciperet primos cognitionis suæ radios supra mundi tenebras per primas Conciones suas, offudit caligine oculos Judæorum debiles & assuetos tenebris figurarum suarum; cujus lumen cùm sufferre non possent, crudeliter persecuti sunt ipsum. 13. Consult.

Sed ostenditur, quomodò immutet illos, in decima quarta, resplendere faciens oculis totius mundi doctrinam tam admirabilem, ut maximè obcœcatorum demonstraret oculis, se esse Sapientiam infinitam, verum Filium DEI, & verum Messiam in lege promissum. 14. Consult.

Decima quinta considerat media, quibûs usus est Christus JEsus ad stabiliendam Religionem suam in mundo, quæ adeò sunt mirabilia, ut nihil evidentiùs demonstraret, ipsum verum esse Filium Dei, cùm omnia illa ad amussim fecerit, quæ facere debebat, penes judicium sapientiæ humanæ, ad impediendum successum operis propositi, quod moliebatur. Et quindecim hæ Consultationes constituent primum tomum hujus operis. 15. Consult.

Secundus incipiet à decima sexta, ubi Christus JEsus confirmans doctrinam suam multitudine & magnitudine miraculorum suorum, exhibet argumenta Divinitatis suæ tam clara, ut dubitari de illa non possit: ubi latè agitur de veris & falsis miraculis, ad demonstrandam veritatem & excellentiam miraculorum Domini nostri JESU Christi. 16. Consult.

Decima septima tota occupatur considerando falsa miracula Anti-Christi, quæ sanè, si attendatur species, quæ decipiet oculos, majora erunt, magisque prodigiosa, quàm illa Christi JEsu; sed illorum fraus detegitur; ubi plura occurrunt admodùm curiosa & scitu digna, deprompta è sanctis Patribus, circa Anti-Christum. 17. Consult.

18. Consult. Decima octava explanat divitias inexhaustas thesauri gratiarum, quæ includuntur in Christo JEsu, nonnisi respicientes sanctitatem ipsius personalem; ubi consideratur multitudo & abundantia gratiarum, quas Sanctus hic Sanctorum, & verus hic Filius DEI possidere debuit in seipso & pro seipso.

19. Consult. Et decima nona agit de liberali effusione gratiarum ipsius super omnes peccatores, ardentîque, quod habet, desideriô salutis nostræ, & quòd maximæ cœcitatis & pervicaciæ sit argumentum, si quis clarè non videat & confiteatur, ipsum salvare velle omnes homines, gratiámque ipsius nulli deesse.

20. Consult. Et quia medium universale, quo JEsus Christus est usus, ad elargiendas gratias suas mundo, pro conversione peccatorum, est divinum ipsius verbum; fit sermo de ipso in Consultatione vigesima, ubi Concionatores addiscent concionari divinè, si velint, exemplo Christi JEsu.

21. Consult. Vigesima prima considerare pergit pulchritudinem luminum divinorum, quæ Christus JEsus effudit in hunc mundum: Quòd ipse sit Sol veritatis æternæ, qui semper illuminavit mundum ab instanti, quo exivit è nihilo, & ipsum illuminabit usque ad finem sæculorum: quódque is, qui non ambulat in ipsius lumine, ambulare non possit, nisi in tenebris.

22. Consult. Post præstitam oculis delectationem intuitu jucundissimorum luminum Christi JEsu, quæ velut inauratos referunt radios, prodeuntes ex inappretiabili gratiarum ipsius thesauro: vigesima secunda Consultatio aperit thesaurum meritorum ipsius, & inæstimabilem ejusdem ponderat valorem, ac ostendit, quòd, cùm opus non habuerit mereri pro se, omnia mereri voluerit pro nobis. Ubi clarîs & evidentibûs argumentîs demonstrat, quòd meritus fuerit pro omnibus peccatoribus, quódque salvare voluerit omnes.

23. Consult. Vigesima tertia Consultatio docet, quâ ratione incessanter haurire possimus è thesauro meritorum Christi JEsu, nósque locupletare abundantissimè: ubi utilissimæ & optimæ afferuntur praxes ad replendam

plendam totam vitam ſuam ſanctitate & abundantiâ meritorum, quibûs plurimi privantur, eòquòd ignorent illas.

Et quia JEſus Chriſtus non ſolùm venit in hunc mundum, ut nobis mereretur vitam æternam, ſed etiam, ut ſatisfaceret juſtitiæ DEI pro pœnis peccatorum noſtrorum, quæ reos nos faciebant mortis æternæ. Viſitatur theſaurus divinarum ipſius ſatisfactionum in Conſultatione vigeſima quarta, ubi invenitur, quòd inexhauſtus ſit, quódque nec infernus nec purgatorium ſit pro nobis, ſi appropriare nobis velimus divinas ipſius ſatisfactiones. 24. Conſult.

Conſideratur in vigeſima quinta jus, quod JEſus Chriſtus obtinuit æquiſſimè ſupra nos ex officio Redemptoris, quódque tam divinè exercuit; & agnoſcitur, ipſum eſſe verum Patrem noſtrum, ſupremum Dominum & Monarcham noſtrum, Paſtorem noſtrum, Medicum noſtrum, perfectum amicum noſtrum, & unico verbo, quòd ſit nobis omnia. 25. Conſult.

Vigeſima ſexta Conſultatio incipit conſiderare magnum ſpectaculum JEſu Chriſti patientis & morientis ex amore ergà nos in monte Calvariæ; ubi anima invenit cauſas gaudii ad dilatandum cor ſuum, efficacia motiva ad inflammandum ſe amore ipſius, & egregia documenta pro directione ſui. 26. Conſult.

Vigeſima ſeptima contemplari pergit adorandam hanc victimam, immolatam rigori juſtitiæ DEI Patris ſui, ut ab eo nos cuſtodiat: ubi clarè videtur infinitum odium, quo Deus fertur in peccatum. 27. Conſult.

Et vigeſima octava abſolvit per admirationem, qua abripi debeant omnes animæ, attentè conſiderantes tres magnos exceſſus, humiliationum, dolorum, & amoris, quibûs Chriſtus JEſus abreptus eſt in paſſione ſua, ad oppugnandos tres exceſſus, quò noſtræ nos abripiunt concupiſcentiæ, nempè ſuperbiam, voluptatem, & amorem noſtri ipſius & utilitatis noſtræ. 28. Conſult.

Vigeſima nona proponit gloriam Reſurrectionis JEſu Chriſti, quæ eripit ipſum è profunda abyſſo annihilationis, cui immerſus & velut abſorptus fuerat in paſſione ſua, quæque magnifica reparatio eſt ho- 29. Conſult.

est honoris pro omnibus, quas perpessus est, injuriis: ubi ostenditur, quàm proficua sit nobis firma fides Resurrectionis.

30. Consult. Tandem trigesima describit triumphum admirabilis ipsius Ascensionis in cœlos; ubi videre est carmina exultationis & gaudii, magnificentiam divitum spoliorum, quæ reportavit è terra, omnes inimicos gloriæ ipsius & salutis nostræ devictos, quos vinctos & captivos trahit in curru suo triumphali. Et postquàm deduximus ipsum cum maximo cordis nostri jubilo usque ad Thronum DEI Patris sui, ubi sedet ad dexteram illius, relinquimus ibi ipsum, ut ibi regnet in æternum in gloria sua, exspectantes à misericordia ipsius, ut trahat nos post se, nunquam ampliùs, ab eo separandos.

Ecce! tibi in synopsi, quod diffusè videre poteris in toto hoc opere, quódque in summa tractatus est de Incarnatione, unus è pulcherrimis, uberrimis, & maximè consolatoriis, quos habemus in universa Theologia: ubi in nullo amplexus methodum scholasticorum, secutus sum in omnibus doctrinam magis Catholicam, magisque certam, quam docent in scholis: & abs eo, quòd inhæserim pluribus quæstionibus magis subtilibus quàm necessariis, magisque idoneis ad torquendum intellectum, implicando illum pluribus dubiis veritatem obscurantibus, sicut nubes abscondunt solem, quàm delectandum illum, clarè proponendo illi ipsius pulchritudinem; curavi, ut nihil intermitterem ex eo, quod necessarium est, ad imbuendum Christianum exacta cognitione Christi JEsu.

Et quia cognitiones, quas habemus de DEO, nobis parùm proficiunt, nisi deducant nos ad amorem ipsius; cúmque lumina, quæ recipimus è Theologia scholastica, quamvis sublimia sint & splendida, communiter non producant hunc bonum effectum, eòquòd hæc proponat illa modo quodam sicco & sterili; hinc conatus fui illa hîc exponere majori cum luce, quæ idonea sit eodem tempore afferre intellectui cognitionem DEI, & voluntati amorem ipsius. Hinc ubique invenies considerationes vel affectus excellentes, qui propi-

propinabunt cordi bonitatem veritatum, quarum pulchritudo lucrata fuerit intellectum: Invenies sæpiùs sanctas praxes deducendi in usum, quod didiceris bonum; invenies motiva efficacia, quæ repleant te magnâ æstimatione, & ardenti desiderio DEI.

Cumprimis, quia Christus datus nobis est è cœlo, velut divinum exemplar, juxta quod formare & reformare nos debeamus, unicum nobis necessarium, & occupatio continua, vel saltem frequentissima & maximè seria esse debet toto decursu vitæ nostræ, ut ipsum semper habeamus ante oculos, omnes ipsius rimemur actiones, omnia ipsius ponderemus verba, benè ipsius gustemus Spiritum, firmiter credamus veritatem ipsius dogmatum, vivere assuescamus penès ipsius modum, amemus omnia, quæ amat, contemnamus omnia, quæ contemnit, simus semper ejusdem cum ipso sententiæ, amplectamur semper eadem cum ipso vota ac placita; unico verbo, transformemus nos ita in ipsum, ut non alia formet intellectus noster judicia quàm sua, nec alios concipiat voluntas nostra affectus, quàm suos: insuper persuasi simus, nos non magis fore Christianos, quàm progressi fuerimus, magis aut minùs in fideli hoc exercitio. Verum est, malam dispositionem intellectûs nostri naturalis illud non approbaturam, sed unctio divina de illo nos informabit.

Non est hic liber cursim devorandus aut evolvendus, velut narratio quædam ficta, aut fabula, quamvis verum sit, nullam esse fabulam, quæ tanta demulceat voluptate intellectum, nonnisi vanitate se pascentem, quantâ hæc lectio demulcebit animas, nonnisi veritatis indagandæ studiosas. Sed cohibere parùm oportet curiositatem intellectûs, ut relinquatur cordi otium, degustandi jucundas veritates cœli, quibûs tangetur: legere semper parùm & considerare semper multùm; claudere quandoque oculos libro, & aperire interim cor suum DEO, qui nobis in hac loquitur Scriptura.

Eheu!

PRÆFATIO.

Eheu! an igitur in vanum erit, quòd Filius unigenitus, qui eſt ſplendor gloriæ DEI Patris ſui, eo duntaxat nomine deſcenderit è cœlo in terras, ut divinas ſuas pùlchritudines noſtris exponeret oculis, ad inducendum nos, ut ipſas amemus, & ſeparandum corda noſtra à terra? an verum ſit, nos illis non delectari? an dicatur, ipſum non veniſſe alio fine, ſicut ipſemet declarat, quàm ut accendat ignem cœli in terra, ingénsque ipſius eſſe deſiderium, ut adurat, ut inflammet omnia noſtra corda; & ipſo invito manere nos ſemper in noſtro frigore, in noſtra mentis glacie? Adhuc adnitendum nobis eſt, ut calafiamus. Accipe hunc librum, & lege vero cum deſiderio cognoſcendi & amandi *Chriſtum JEſum*, hunc enim in finem datus eſt tibi. Tolle, lege; tolle, lege.

Nos

Nos Fr. Michaël Angelus à Raguſio Miniſter Generalis FFrum Min. S. Franc. Capucin. nuncupatorum L. J.

Cùm Tomus ſecundus Conſultationum Theologico-Spiritualium Gallicè olim compoſitus, & nunc in linguam Latinam à R. P. Iſaaco Oxovienſi Provinciæ noſtræ Bavaricæ olim Definitore translatus, careat omni periculo erroris tum quoad fidem & bonos mores, tum etiam quoad genuinam interpretationem primitivi ſenſûs, ſecundum cenſuram duorum Theologorum Ord. noſtri ad hunc effectum deputatorum; ideò harum virtute licentiam impertimur, ut in lucem publicam poſſit prodire, ſervatis de more ac jure ſervandis. In quorum fidem &c.

Dat. Romæ 25. Maji 1719.

F. Mich. Ang. qui ſupra.

)( )( )( )(Cenſura

Censura & Approbatio Theologorum Ordinis.

EX commissione Rmi P. Michaëlis Angeli à Ragusa, F.F. Min. Capucinorum p.t. Generalis dignissimi, per A. R. P. Gorgonium Mospurgensem Bavariæ Ministrum Provincialem nobis insinuata & injuncta, nos infrà scripti volumen secundum Consultationum Theologico-Spiritualium, à R. P. Isaaco Oxovienſi Provinciæ nostræ olim Diffinitore ex Gallico idiomate in Latinum clara ac grata methodo conversatum, accuratæ disquisitioni subjecimus. Non est hic primo libro Latinitate jam donato utilitate, scientiâ & labore secundus, sed nobilissimus æquè partus felicis ingenii, Theologicô profundus sensu, & omnigenæ eruditionis refertus eloquiô, qui de Excellentiis Dei Hominis conformiter agit & excellenter, deambulans quidem humiliter cum eo super terram, sed mentem in simul erigens ad altissima, quæ latent in Christo, perscrutanda mysteria, lectorémque suis discursibûs opportunè deducens ad captanda sanctioris vitæ documenta, ità, ut ambiguum valdè sit, an tantopere illustratus Auctor, qui miscuit utile dulci, intelligentiæ satisfaciat magis, an pietati? Cùm igitur Opus hoc adeò præclarum, & excellens, omnibusque absolutum numeris, nil contra fidem Orthodoxam ac bonos mores contineat, immò dignissimum à nobis repertum sit, ut non solum à Præceptoribus & Magistris ob insertas subtilissimas quæstiones studiosè pervolvatur, verùm etiam ob pinguedinem Spiritûs à ferventioribus Ecclesiasticis ad morem Prophetæ Ezechielis integrum comedatur, hinc Latinæ illius editioni libentissimè subscribimus, quatenus ea mediante spiritualissimæ istæ atque arcanissimæ Consultationes ad imbuenda ubique & succendenda corda hominum quàm celerrimè trans Gangem avolent, quæ non absque summa admiratione jam in lingua sua vernacula per plures orbis partes diffusæ sunt, applaudentibûs nobîscum doctissimo Vincentio Lyrinensi lib. adverſ. hæres. c. 27. per te posteritas intellectum gratuletur, quod anteà vetustas non intellectum venerabatur. Ita uno ore ac calamo censemus ambo.

Monachii 6. Martii Anno 1719.

F. Beatus Monac. Capucin. Diffinit. ac Guardianus ind.

F. Bonagratia Monac. Capucin. Concionat. & antehac SS. Theol. Lector indig.

INDEX

INDEX

Consultationum Theologicarum & Spiritualium de Excellentiis JESU Christi DEI-Hominis.

CONSULTATIO I.

Status infelix, in quem prolapsus est homo per peccatum Originale. pag. 1

Articulus I. Quid homo possit cognoscere ex seipso circa miserias conditionis suæ humanæ? 3

Artic. II. In quo statu primus homo fuerit creatus? 8

Artic. III. Quòd felicitas primi hominis constituerit felicitatem totius Universi. 12

Artic. IV. Quomodo primus homo, dum ex innocente se reddidit obnoxium peccato, confestim è felici factus sit miser. 16

Artic. V. De transfusione peccati originalis in omnes homines. 21

Artic. VI. In quo consistat peccatum originale, quod nascendo nobiscum afferimus? 25

Artic. VII. Quando, & qua ratione infans contrahat peccatum originale? 29

Artic. VIII. Quis fructus hauriri possit ex hac Consultatione. 32

CONSULTATIO II.

De incomprehensibili DEI consilio pro reparatione hominis per mysterium Incarnationis. 36

Articulus I. Visio admiranda circa modum, quo DEUS præstare hominibus voluit beneficium Redemptionis. 39

Artic. II. Explicatio hujus visionis, quæ ostendit abundantiam misericordiæ DEI, quam homines imaginari sibi non potuissent. pag. 43
Artic. III. Qua ratione Filius DEI missus sit à Patre suo in terram, ad conficiendum Opus nostræ Reconciliationis. 47
Artic. IV. DEUS dedit Filium suum unigenitum hominibus, quia erant ipso indigni: ex quo desumitur maxima ingratitudo hominum. 51
Artic. V. Quo apparatu Rex gloriæ venerit ad nos, ut esset nobis Legatus Pacis & Reconciliationis cum DEO Patre suo. 55
Artic. VI. Admirabilis modus, quo Christus JEsus est usus ad tractandam Reconciliationem nostram cum DEO Patre suo. 59
Artic. VII. Quòd videatur, amabilem nostrum Redemptorem tenere adhuc obligatum se nobis, quando nos plurimum locupletavit. 64

CONSULTATIO III.

Certitudo, quam habemus de veritate mysterii Incarnationis. 67
Artic. I. Mysterium Incarnationis impossibile videtur rationi humanæ, sed facile est amori DEI. 69
Art. II. Quomodo videre possimus hodie indubitatam veritatem Incarnationis Filii DEI? 74
Art. III. Continuatio ejusdem materiæ, quæ ostendit, impossibile esse, quòd veritas mysterii Incarnationis ignoretur ab aliquo homine. 80
Art. IV. Nunquam meliùs resplenduerunt Excellentiæ DEI, quàm in mysterio Incarnationis, ubi velatæ & obtectæ videntur. 87
Art. V. Reconciliatio ac consensus justitiæ & misericordiæ DEI in mysterio Incarnationis. 94
Art. VI. Qui contemplatur Christum JEsum in terra, invenit hîc suam beatitudinem, sicut Sancti aspiciendo essentiam DEI in cœlo. 99

CON-

CONSULTATIO IV.

Quâ ratione adimpletum sit mysterium Incarnationis, ubi & sermo fit de Prodigiis Unionis Hypostaticæ. pag. 104

Artic. I. Filius DEI missus à Patre, & descendens de cœlo in terram. 106

Art. II. Duplicis generis sunt missiones in divinis Personis, aliæ visibiles, aliæ invisibiles. 111

Art. III. Quomodo facta sit unio Personalis duarum naturarum, divinæ & humanæ in Christo JESU. 116

Art. IV. Consideratio moralis & spiritualis circa id, quòd JESUS Christus non sit Persona humana. 119

Art. V. Qua ratione formatum sit adorandum Corpus JESU Cstristi in Virginali sinu Matris suæ. 123

Art. VI. Quid sit hoc vinculum sacrum uniens duas naturas in Christo JESU, quodque nuncupatur Unio Hypostatica. 127

CONSULTATIO V.

Quare Filius potiùs incarnatus sit, quàm Pater, vel Spiritus Sanctus, & an venisset in mundum, si Adam non peccâsset? 132

Artic. I. Quam ob causam solus Filius DEI incarnatus sit, & non aliæ Personæ? 133

Art. II. Filius DEI potiùs est incarnatus, quàm alia Persona, quia ipsa est infinita Sapientia DEI Patris sui. 135

Art. III. Filius DEI potius incarnatus est, quàm Pater aut Spiritus Sanctus, eòquòd ipse sit imago pulchritudinis DEI. 139

Art. IV. Convenientiùs erat Filium DEI venire in terras, quàm aliam Personam, eòquòd ipse sit Verbum Patris æterni. 143

Art. V. An probabile sit, quòd Filius DEI non fuisset incarnatus, si Adam non peccâsset? 147

Art. VI. Quòd probabilius sit, Filium DEI incarnandum fuisse, quamvis Adam non peccâsset. 151

Art. VII. Prima ratio, quæ probat Filium DEI incarnandum fuisse, quamvis Adam non peccâsset. 154

Art. VIII. Secunda ratio, quæ probat, Filium DEI incarnandum fuiſſe, quamvis Adam non peccâſſet. pag. 157
Art. IX. Tertia ratio, quæ probat, Filium DEI incarnandum fuiſſe, quamvis Adam non peccâſſet. 160
Art. X. Quarta ratio, quæ probat, Filium DEI incarnandum fuiſſe, quamvis Adam non peccâſſet. 164

CONSULTATIO VI.

De cœcitate Judæorum, & omnium eorum, qui non credunt adventum CHRISTI JESU. 167

Artic. I. Quòd ſtatus miſerabilis Judæorum argumentum ſit evidens, quòd Meſſias advenerit. 170
Art. II. Quòd Judæi convinci debeant de Adventu Meſſiæ è Scripturis veteris Teſtamenti. 176
Art. III. Argumenta efficaciſſima probantia veritatem Scripturarum veteris Teſtamenti. 183
Art. IV. Efficaces demonſtrationes veritatis Scripturarum novi Teſtamenti. 189
Art. V. Quòd Judæus & Chriſtianus conveniant, ſi ſe invicem benè intelligant, quodq; ambo eandem profiteanturReligionem. 193
Art. VI. Divina lumina, quæ Chriſtus JESUS attulit in mundum, clarè cunctis hominibus oſtendunt, ipſum eſſe Meſſiam. 197
Art. VII. Scientia practica Chriſtianorum efficaciter probat cunctis hominibus in mundo, JEſumChriſtum verum eſſe Meſſiam. 202

CONSULTATIO VII.

De Conſolatione illorum, qui profitentur ReligionemChriſtianam. 207

Artic. I. Quòd apparentes Scripturæ contradictiones pulcherrimè conveniant ad oſtendendum nobis Chriſtum JESUM verum eſſe Meſſiam. 209
Art. II. Quòd ſi JEſus Chriſtus non eſſet verus Meſſias, & proprius Filius DEI, ſequeretur exin Deum nullum eſſe. 213
Art. III. Triumphus JESU Chriſti ſuper omnem creatam potentiam, probat ipſum verum eſſe Meſſiam, & Filium DEI. 218

Art. IV. Quòd Secta Mahometi plurimum conferat ad probandam Divinitatem JESU Christi. pag. 222
Art. V. Quòd nemo hominum in terra magis sit certus, quàm Christianus, Religionem suam esse veram. 226

CONSULTATIO VIII.

De ingressu JESU CHRISTI in mundum, qui abjectus quidem videtur, sed clarè ostendit ipsius Divinitatem. 231
Artic. I. Tubæ & victoriosa vexilla, quæ præcesserunt introitum JESU Christi in mundum, enuntiant ipsius Divinitatem. 234
Art. II. Introitus JEsu Christi in mundum comites habet circumstantias, quæ clarè annuntiant Divinitatem illius. 240
Art. III. JESUS Christus usus est supremo Monarcha in terris regnante, quando mundum suo consecravit introitu, velut suo cæremoniario, ad manifestandum nobis, quòd DEUS sit. 243
Art. IV. Plura prodigia, quæ conspecta sunt, intrante in mundum JEsu Christo, quæ manifestè probant, ipsum esse DEum. 247
Art. V. Pauper status, in quo JEsus Christus nascens apparuit, evidenter probat ipsius Divinitatem. 250
Art. VI. Unde veniat, quòd plerique Christiani ambulent viâ tam oppositâ viæ & vitæ JESU Christi ?

CONSULTATIO IX.

JESUS CHRISTUS imperans Regibus ab incunabulis Nativitatis suæ, demonstrat se esse DEUM. 264
Artic. I. Infans JESUS adoratus à Regibus terræ in suo stabulo, declarat nobis, esse se Regem cœli. 266
Art. II. Pulchrum spectaculum videre introitum Regum Magorum, adorantium Christum JESUM. 271
Art. III. Admiranda cœli facula, quæ deduxit Reges in stabulum Bethlehemiticum, ad adorandum ibi JEsum Christum. 274
Art. IV. Stella Regum Magorum, immutata in solem respectu nostri. 280
Art. V. Rex Herodes timore perculsus homagium, præstat Majestati JESU CHRISTI. 287

Art. VI. Peculiare & proprium ipsius commodum est solus tyrannus, qui submittere se renuit potentiæ JESU Christi. pag. 291
Art. VII. Innocentes occisi ab Herode, insigni comitatu aulico stipabant Christum JEsum nascentem, composito è parvis regulis coronatis gloriâ. 297
Art. VIII. Infelicitas Herodis, & felicitas Sanctorum innocentium, pari ratione annuntiant Divinitatem & Excellentias Christi JESU. 303

CONSULTATIO X.

De Infantia & vita abscondita CHRISTI JESU. 310
Artic. I. Infans JESUS nutritus & educatus est juxta apparentiam, more aliorum infantium. 312
Art. II. Animadversiones quædam particulares circa excellentias Infantis JESU. 317
Art. III. JESUS in Ægypto, quid ibi fecerit, & quando ex illa redierit. 322
Art. IV. Infans JESUS perditus, & exin post dies tres in templo inventus, ubi loqui videtur aliquantò severius Matri suæ. 328
Art. V. Quid fecerit JEsus Christus post reditum suum in Nazareth usque ad ætatem triginta annorum? 335

CONSULTATIO XI.

De occupationibus & vita solitaria JESU CHRISTI. 339
Artic. I. Silentium Verbi. 342
Art. II. Obedientia supremi Monarchæ. 346
Art. III. Humilitas summi ac supremi Entis. 351
Art. IV. Annihilatio ipsius, qui est omnia. 356
Art. V. Quies contemplationis. 360
Art. VI. Contemplatio quietis. 365
Art. VII. Otium sanctum. 369
Art. VIII. Patientia exercita. 373

CON-

CONSULTATIO XII.

De Baptismo & Jejunio JESU CHRISTI. pag. 379
Artic. I. Maxima gloria sancti Joannis Baptistæ est, baptizâsse JESUM CHRISTUM. 382
Art. II. Cur & quomodo JESUS Christus baptizari voluerit? 387
Art. III. Quod spectaculum Baptismatis JESU Christi mirificè nos doceat, quomodo nosmetipsos baptizare debeamus. 392
Art. IV. JESUS Christus mox à Baptismo suo secessit in desertum, suumque inchoavit jejunium. 396
Art. V. JESUS Christus continuum suum jejunium nutrit oratione continuâ in deserto. 402
Art. VI. JESUS Christus pugnat & vincit diabolum in tribus aggressibus & oppugnationibus ipsi factis in deserto. 405
Art. VII. Quòd Baptismus & Jejunium JESU Christi non debeant separari in memoria Christiani. 411

CONSULTATIO XIII.

JESUS Christus incipit se manifestare mundo ratione quadam, quæ evidenter demonstrat, ipsum esse DEUM. 413
Artic. I. Quanta fuerit mundi admiratio, quando visus est Christus JESUS prima vice conscendere cathedram. 416
Art. II. Vehemens oppositio, qua reluctati sunt ipsi Presbyteri, Pontifices & Legis Doctores. 421
Art. III. JESUS Christus remittit Scribas & Pharisæos ad Scripturam, ut addiscant ex illa, se verum esse Messiam. 425
Art. IV. JESUS Christus clarè demonstrat Judæis, se à Patre suo æterno missum esse. 431
Art. V. JESUS Christus pergit dare Judæis argumenta luculenta Divinitatis suæ. 435

CONSULTATIO XIV.

De Doctrina admirabili JESU Christi, quæ ostendit nobis, ipsum esse Sapientiam infinitam DEI Patris sui. 439
Artic. I. Differentia doctrinæ veteris & novi Testamenti. 441

)()()()(Art.

Art. II. In Christo JESU comprehenduntur omnes thesauri scientiæ & Sapientiæ DEI. pag. 447
§. I. De Scientia beatifica JESU Christi. 449
§. II. De Scientia infusa Christi JESU. 455
§. III. De Scientia acquisita JESU Christi. 460
§. IV. De Scientia experimentali JESU Christi. 463
Art. III. Scientia JESU Christi est excellentissima, quæ esse possit in mundo ex parte principii, unde procedit. 465
Art. IV. Doctrina JEsu Christi sola est, quæ nullum habeat errorem, nullúmque defectum. 469
Art. V. Doctrina JESU Christi sanctificat animas, ipsasque reddit beatas. 474

CONSULTATIO XV.

Modus admirabilis, quo JESUS Christus usus est ad stabiliendam Ecclesiam suam in mundo, clarè demonstrat ipsum esse DEum. 479
Artic. I. JESUS Christus stabiliit Religionem suam & Imperium suum in universo orbe absque armis. 481
Art. II. JESUS Christus stabilivit Regnum suum in terra absque divitiis. 486
Art. III. JESUS Christus nullis usus est Oratoribus ad stabiliendum Regnum suum in mundo vi ac robore eloquentiæ humanæ. 493
Art. IV. JESUS Christus non stabiliit Regnum suum in terra, obsequendo inclinationibus suorum subditorum. 499
Art. V. JESUS Christus stabiliit Imperium suum in mundo, quando non ampliùs visibilis erat mundo. 507

CONSULTATIO XVI.

Miracula, quæ JESUS Christus operatus est ad confirmandam suam doctrinam, clarè ostendunt ipsius Divinitatem. 513
Artic. I. Quid æstimari possit verum miraculum, & quomodo discernantur vera à falsis. 515
Art. II. Quem ob finem DEus operetur miracula. 519

Art.

Art. III. De magnitudine & multitudine miraculorum JESU Christi. pag. 523
Art. IV. Dispositio, Ordo, & Tempus miraculorum JEsu Christi. 529
Art. V. Nullus homo est excusabilis, nisi agnoscat JEsum Christum, ipsumque adoret post tot patrata ab ipso miracula, ad probandam Divinitatem suam. 538

CONSULTATIO XVII.

De falsis miraculis Anti-Christi. 544
Artic. I. Quis futurus sit Anti-Christus, unde venturus, & qualis ipsius nativitas. 546
Art. II. Quænam futuræ sint qualitates, quive mores Anti-Christi, & unde is obtenturus sit suam potentiam. 552
Art. III. Quibus mediis Anti-Christus usurus sit ad reddendum se velut omnipotentem in mundo. 557
Art. IV. Anti-Christus patrabit miracula tam prodigiosa, ut nunquam quidquam simile fuerit conspectum. 562
Art. V. Ob quam causam permissurus sit DEUS omnes fermè homines seduci ab Anti-Christo. 567
Art. VI. Anti-Christus oppugnabitur à parvo numero servorum JESU Christi: duratio Regni ipsius erit brevis, & infelix finis ipsius. 573

CONSULTATIO XVIII.

Thesaurus inexhaustus omnium gratiarum inclusus in Persona Christi JEsu manifestat Divinitatem ipsius. 579
Artic. I. Qua ratione JEsus Christus bis sit Filius DEI per naturam & per gratiam. 581
Art. II. Quid opus habeat JEsus Christus gratiis, cum ipse DEus sit, & fons omnium gratiarum. 590
Art. III. Quales gratiarum & Sanctitatis thesauri inclusi sint in JESU Christo. 597

Art. IV. An gratiæ JESU Christi habeant aliquam mensuram, vel an sint infinita. pag. 601
Art. V. Quòd JESUS Christus incluserit in thesauro suo dona Spiritûs Sancti, & gratias gratuitas in gradu excellenti. 607

CONSULTATIO XIX.

JESUS CHRISTUS sanctificans animas abundantia gratiarum suarum, suam glorificat Divinitatem. 613
Artic. I. Quòd JESUS Christus sit magnus gratiarum Oceanus, ex quo omnes haurire possint homines, nemine excepto, eòquòd mortuus sit pro omnibus. 617
Artic. II. Quòd JESUS Christus non solùm præparaverit thesaurum infinitarum gratiarum pro omnibus hominibus, sed etiam velit, ut omnes ex eo proficiant, eòquòd veram habeat voluntatem, ut omnes salvi fiant. 625
Art. III. Ardens zelus, quem JEsus Christus ostendit erga salutem nostram, demònstrat evidenter, salvare ipsum velle omnes homines. 632
Art. IV. Continuatio præcedentis materiæ, in qua probatur, quòd amor ardens JEsu Christi obstinatissimos quosque convincere debeat, ut agnoscant, & fateantur ipsum salvare velle omnes, & mortuum esse pro omnibus. 638
Art. V. Opus splendidum ac magnificum gratiæ JEsu Christi. 644

CONSULTATIO XX.

JESUS CHRISTUS prædicans, Divina sua lumina diffundit in mundo, quæ ipsius demonstrant Divinitatem. 653
Artic. I. Origo & progressus Verbi DEI. 657
Art. II. Qua ratione JEsus Christus prædicaverit Verbum DEI. 663
Art. III. Puriſſima doctrina JESU Christi compendiosè tradita in sermone supra montem facto. 670
Art. IV. Quid acciderit cum tribus Prædicatoribus. 677

CON-

CONSULTATIO XXI.

Continuatio ejusdem materiæ: JESUS CHRISTUS est sola vera lux mundi; qui non videt per ipsum cœcus est. pag. 686

Artic. I. Quòd JESUS Christus semper fuerit sola vera lux mundi, à creatione usque ad finem sæculi. 688

Art. II. JESUS Christus illuminat, & convertit Ninivitas per Prophetam Jonam. 695

Art. III. Magnus zelus, quem JEsus Christus ostendit pro conversione Judæorum. 701

Art. IV. JEsus Christus dicit: Ego sum lux mundi. Qui videt per ipsum, admirandas invenit pulchritudines in doctrina ipsius, quos alii non percipiunt. 709

Art. V. Modus excellens fructuosè audiendi Verbum DEI. 719

CONSULTATIO XXII.

De Thesauro infinito meritorum JESU CHRISTI. 726

Artic. I. Verbum æternum eo incarnatur nomine, ut acquirat statum merendi pro nobis. 729

Art. II. JEsus Christus, qui non erat liber ad peccandum erat liber ad merendum. 735

Art. III. Quinam sint, pro quibus JEsus Christus voluerit mereri. 743

Art. IV. Eadem veritas probatur ratione. 749

Art. V. Quinam sint in statu, ut participes fieri possint meritorum JEsu Christi. 755

CONSULTATIO XXIII.

Quomodo incessanter haurire possimus è thesauris meritorum JESU Christi. 760

Artic. I. Abundanter participare possumus ex meritis JEsu Christi per bona nostra opera. 763

Art. II. Locupletare nos possumus meritis JEsu Christi per cruces & afflictiones nostras. 772

Art. III. Possumus haurire continuò & abundanter è thesauro meritorum JEsu Christi per orationem. 779

Art IV. Efficax medium, quod JEsus Christus nobis largitur, hauriendi abundanter è thesauris meritorum suorum per bonum Sacramentorum usum. pag. 785
Art. V. Quodnam sit verisimiliter verum obstaculum impediens effectum Sacramenti. 791

CONSULTATIO XXIV.

De Thesauro inexhausto Satisfactionum JESU CHRISTI. 796
Artic. I. Infinita ratione obstricti eramus justitiæ DEI, & JEsus Christus satisfecit pro omnibus nostris debitis. 799
Art. II. Qua ratione JEsus Christus satisfecerit pro debitis nostris, & pro cunctis peccatis nostris. 806
Art. III. Qua ratione necessarium sit, ut satisfaciamus ipsimet cum JEsu Christo & per JEsum Christum pœnæ peccatis nostris debitæ. 812
Art. IV. In quo consistat cooperatio, quæ necessaria est ex parte nostra ad operandam salutem nostram per merita, & satisfactiones JEsu Christi. 818
Art. V. Per quid dimetienda magnitudo nostrarum satisfactionum: an ipsæ communicari possint aliis: ad quid sint Indulgentiæ & Purgatorium. 824

CONSULTATIO XXV.

De Jure quod JEsus Christus acquisivit super nos, déque diversis titulis, quos gerit respectu nostri. 829
Artic. I. JEsus Christus est Pater noster & Frater noster. Maximus honor, quem recipimus è divina ipsius cognatione. 833
Art. II. JEsus Christus est nostra hæreditas, & nobis utilior est ipse solus, quàm si totum possideremus mundum. 841
Art. III. JEsus Christus est supremus noster Monarcha, noster Pastor, nostra Lux, noster Dux, perfectus noster amicus. 849
§. I. JEsus Christus est noster bonus Pastor. 852
§. II. JEsus Christus est nostra lux, & verus noster Dux. 856

§. III.

§. III. JEsus Christus est perfectus noster amicus. pag. 860
Art. IV. JEsus Christus est noster Medicus & noster Advocatus. 863

CONSULTATIO XXVI.

Christianus omnem suam collocare debet consolationem in meditatione Passionis JESU CHRISTI. 869
Artic. I. Anima Christiana maximas invenit causas gaudii considerando Passionem JEsu Christi. 872
Art. II. Consideratio Passionis Domini emollit corda durissima, dat robur maximè infirmis, & accendit zelô plurimùm negligentes. 881
Art. III. Passio JEsu Christi est ingens liber, in quo anima Christiana addiscere potest omnes suas obligationes. 888
Art. IV. Passio Christi JEsu est Armamentarium, unde desumimus omnia arma necessaria ad superandos inimicos salutis nostræ. 896

CONSULTATIO XXVII.

Executio Consiliorum æternorum DEI in Passione JESU Christi. 902
Artic. I. Terribilis rigor justitiæ DEI erga JEsum Christum ob peccata, quæ non commisit. 903
Art. II. JEsus Christus crucifixus in medio latronum est Judex sublatus in thronum suum, ubi pronuntiat sententias æternas salutis in hos, & damnationis in alios. 911
Art. III. Bonus usus & malus usus Crucis Domini nostri in exemplo boni & mali latronis. 917
Art. IV. Ambæ æternitates, felix & infelix, id est, omnes damnati, & omnes salvati aspiciunt JEsum Christum in cruce, sed modô valde diversô. 925

CONSULTATIO XXVIII.

De summo excessu amoris & misericordiæ quem JESUS Christus ostendit nobis, patiendo & moriendo pro nobis in cruce. 933
Artic. I. Excessus opprobriorum & humiliationum in Passione JEsu Christi. 934

Art.

Art. II. Quales affectus conciliare in nobis debeant Exceſſus humiliationum Filii DEI in Paſſione ſua. pag. 943
Art. III. Exceſſus dolorum, quos JEſus Chriſtus pro nobis in Paſſione ſua ſuſtinuit. 950
Art. IV. Quos affectus trahere debeamus è doloribus, quos JEſus Chriſtus pertulit pro nobis in Paſſione ſua. 959
Art. V. Exceſſus amoris, quem JEſus Chriſtus oſtendit nobis in Paſſione ſua. 964
Art. VI. De Teſtamento & Morte JEſu Chriſti. 970

CONSULTATIO XXIX.

De Triumphali Reſurrectione JESU Chriſti. 973
Artic. I. Angeli è cœlo annuntiant primi mulieribus devotis Reſurrectionem JEſu Chriſti. 976
Art. II. Omnes Apoſtoli oculati fuerunt teſtes Reſurrectionis JEſu Chriſti. 983
Art. III. Reſurrectio JEſu Chriſti eſt eximia reparatio honoris omnium ignominiarum, quas perpeſſus eſt in monte Calvariæ. 988
Art. IV. Firma Fides Reſurrectionis robur addit animo contra omnes moleſtias vitæ humanæ. 993
Art. V. Contemplari ſæpè veritatem Reſurrectionis eſt fons divinarum conſolationum, & ingens ſtimulus ad omnis generis virtutes. 1001

CONSULTATIO XXX.

De admirabili Aſcenſione JESU CHRISTI in cœlos. 1008
Artic. I. Quando & quomodo JEſus Chriſtus aſcenderit in cœlum. 1011
Art. II. Quid præceſſerit JEſum Chriſtum in triumpho Aſcenſionis ſuæ. 1014
Art. III. Quanta ſit magnificentia & gloria Triumphatoris. 1017
Art. IV. Exſpoliati & captivi, quos JEſus Chriſtus traxit poſt ſe in magnifico ſuo triumpho. 1022
Art. V. Ubi divinus noſter eſt theſaurus, ibi ſit cor noſtrum, & divites ſumus in æternum. 1030

CONSUL-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CONSULTATIONES THEOLOGICÆ

ET

Spirituales verè devoti, verè fidelis Christiani de Excellentiis JESU CHRISTI Dei-Hominis.

CONSULTATIO I.

Status infelix, in quem prolapsus est homo per peccatum originale.

ATtigimus tandem parvam quandam Insulam, in qua non invenimus nisi unicum solum hominem, qui prodiisse videbatur è sinu terræ, vel delapsus è cœlo in Insulam istam; tam parùm noverat de reliquo Universo. Nunquam enim is aliquem viderat hominem, nec aliud esse sciebat in mundo, quàm parvam istam portionem terræ, amplâ circumfusam aquarum copiâ, qua velut carcere stringebatur; cúmque judicaret juxtà oculorum intuitum, videndô, quòd horizon istarum aquarum omni ex parte attingeret cœlum, credebat id, quod suum terminabat aspectum, constituere quoque terminum Universi.

Ubi primùm aspexit nos tres suam ingredi Insulam, bonum aliquem Ecclesiasticum, quendam Medicum, & me, qui arctis-

simâ conjuncti eramus amicitiâ, potiùs pro commodis cœli, quàm illis terræ comparandis; (agebant enim ambo bonos DEI famulos) hærebat attonitus ob rei novitatem, cùm recordari non posset, se unquam vidisse hominem. Nihilominus curiositas & sympathia naturalis, quæ afficit ejusdem speciei creaturas, invitârunt ipsum, ut subsisteret, nosque exspectaret; similiter & nos haud levî tenebamur desideriô ipsum conveniendi, quamvis non sine aliquo horrore, cùm adhuc lateret nos, an verus esset homo, aut spectrum aliquod humanâ indutum formâ?

Cùm propiùs accederemus, visus est nobis homo sylvestris, & credidimus, ipsum alia haud præditum cognitione, quàm illa bestiarum, nec alia ratione ipsum loqui nobiscum posse, quàm gestibûs, aut voce quadam confusa nec articulata: nihilominus invenimus ipsum hominem boni admodùm judicii, qui discurrebat prudenter, & nostro quidem idiomate. Dicere, qua ratione id sciverit, fuit prodigium nos rapiens in stuporem, quòdque videbatur miraculum vel naturæ, vel gratiæ.

An videlicet fuerit effectus quidam Sympathiæ naturalis, quæ facit, quòd cuncta animalia ejusdem speciei, cùm eadem habeant sensa & easdem inclinationes, se benè invicem intelligant idiomate sibi proprio omnibúsque communi; quódque natura, quæ non magis ingrata est homini animantium nobilissimo, quàm sit cæteris omnibus, ut deneget ipsi medium ad faciendum se intelligi, & etiam intelligendum alios sibi similes, dederit huic, qui nondum habebat imaginationem alio idiomate præoccupatam, facilitatem, qua sibi promptè imprimi promitteret idioma nostrum. Fortassis, quòd, cùm lumina naturalia sint eadem in omnibus mentibus ratione præditis, ipsis sit facile se invicem familiariter uti, ac reciprocam sui inter se conciliare cognitionem, sub vocibus sensibilibus, quas lingua naturaliter profert, ad producendum extra cogitationes animi internas; cùm organum corporis semper dispositum sit ad serviendum naturæ spiritali verum cognoscenti.

Homo, q[illegible] nunquam [illegible] dicerat [illegible] quod idio[illegible] loquitur id[illegible] ma primo[illegible] secum lo[illegible] quentium,

Ea prorsùs ratione, qua in Musica datur verum aliquod harmonicum, quod omnes homines intelligunt & approbant naturaliter: parùm refert, qua voce enuntietur hoc verum, sive instrumentô, sive voce humana. Sufficit, quòd nunquam id appareat, quin anima id intelligat, approbet, ac ratum habeat, abs eo, quòd sciamus, vel dicere possimus aliud, nisi quòd sit quoddam verum, quoddam pulchrum,

Verum harmonicum intelligitur æqualiter ab omnibus.

chrum, nescientes, qua ratione intraverit in mentem, vel quare nobis afferat, & conciliet voluptatem: siquidem plerique, qui id audiunt non intelligunt hoc idioma, id est, non callent regulas Musices. Non est etiam id suavitas vocum, è quibus sæpè non distinguitur una sola in particulari, & etiam una sola in particulari non facit totam harmoniam; sed est certa quædam veritas abscondita sub omnibus vocibus, quæ delectationem affert animæ.

Fortassis etiam hic homo intelligebat, & percipiebat naturaliter veritatem absconditam sub vocibus, quas nunquam intellexerat; & natura quoque suppeditabat ipsi similes, quibus intelligi se faceret, cùm nullas adhuc alias ipsius impressisset animo: sed hæc Philosophia est, quæ complectitur forsan plùs imaginationis, quàm veritatis: hinc immorari ulteriùs nolens.

Malo credere, fuisse id miraculum gratiæ, & providentiam Patris cœlestis, quæ nunquam deest necessitati suarum creaturarum; cúmque ipsa nos huc deduxerit pro bono hujus hominis, utique dedit ipsi quoque modum nos intelligendi, & faciendi, ut intelligeremus ipsum.

Sed non dubito, quin hìc intercurrerit quid supernaturale, videns, hominem illum discurrisse velut peritum Philosophum, quandoque etiam velut facundum Oratorem, séque declarâsse valdè benè in idiomate, quod nunquam didicerat. Fatendum est, id fuisse rarum ingenium, & continuisse in se haud parvum prodigium.

Ecclesiasticus, qui primus ad ipsum pervenerat, proposuit ipsi omnes interrogationes, quæ proponi possunt homini, de quo nihil unquam scivimus, & de quo omnia scire & addiscere volumus. Interrogavit ipsum, quisnam esset, quis ipsum huc collocârit, quid speraret, secum futurum? & ecce tibi omnia, quæ potuit nobis dicere.

ARGUMENTUM.

Quid homo possit cognoscere ex seipso circa miserias conditionis suæ humanæ.

Articulus I.

NEscio, quis sim, nec quis me huc collocârit; nescio, quare hîc sim, nec quid futurum sit mecum; nescio quid desiderandum sit mihi, nec quid faciendum, ut mihi faciam satis; nescio, an aliud quid sit præter ea, quæ video; & ex omnibus his nihil est, quod me delectet.

Homo scit naturaliter, omnes creaturas, quas videt, minores esse se,

Considero omnes creaturas, quæ sunt circà me, & nec ullam ex illis video, quæ ratione polleat, quæ discurrere nôrit, quæ docere me possit quidquam ex iis, quæ scire vellem. Nonnullæ relinquunt me hic, quasi incuriæ mei, nihilque spectantes ad me; aliæ me timent, méque fugiunt velut inimicum suum; aliæ me persequuntur, mihique inferunt malum, velut hostes mei; & horum omnium me latet ratio.

Homo cognoscit ex se ipso, quòd compositus sit è corpore & spiritu.

Meipsum sine intermissione considero, jàmque à longo tempore memetipsum observo, omni conatu adnitens, ut cognoscam me; sed quantò considero me magis, tantò cognosco me minùs. Interrogo quandoque meipsum, an aliud nihil sum, quàm corpus animatum & sensitivum, cæterorum more animantium? sed intellectus mihi est, qui discurrat, quique se attollat supra corpus; prærogativam hanc non possident ipsa. An igitur spiritus sum, unde nobilioris reddar conditionis, quàm reliqua animalia? sed corpus habeo animale, subjectum doloribus, quod indigeat potu, cibô, somnô, sicut cætera omnia. An ergo sum monstrum compositum à partibus diversæ naturæ, non solùm sibi dissimilibus, sed magnam habentibus inter se oppositionem & pugnam continuam?

Contraria, quæ homo experitur à seipso.

Invenio in me plura, quæ mihi videntur incomprehensibilia; volo, quod nolo, sentio me ferri eò, quò nolo ferri. Experior quandoque vehementia desideria rerum, quas amplecti abhorrebam, quasi divisus essem à meipso, & una pars colluctans adversùs aliam, crudele ipsi movet ac ciet bellum. Nescio, quid excitet in me seditionem hanc domesticam cujus invitus tolerare cogor rebelliones ac violentias, abs eo, quòd in mea sit potestate, vel eas prævenire, ut impediam; vel sat fortiter reprimere, ut illas, dum volo, pacificem; & quando hasce in meipso sentio contrarietates adeò stupendas, dubitarem quandoque, an plures sim, an unicus duntaxat homo?

Sentio in me, nescio quid magni, quod interdùm attollat me supra meipsum, insatiabili quodam rerum magnarum abreptum appetitu, quo urgeor ad immensa concipienda desideria. Et mox experior aliquid tam vile, támque abjectum, ut me deprimat infra me ipsum, méque impellat ad concipienda vota ac sensa tam probrosa, ut illorum me pudeat, illáque me ipso censeam indigna: horrore percellor, dum nasci intueor in animo meo cogitationes, quas aspicere non auderem, tam mihi videntur abominandæ; & non video, qua ratio-

ratione concordare unquam paſſim meipſum cum meipſo.

Homo habet naturaliter confuſam aliquam cognitionem DEI.

Qando enim oculorum aciem intendo in omnes partes, videor mihil videre nihil, quod dignum ſit me. Teneo meis ſub pedibus tarram, & omnia, quæ geſtat ac nutrit in ſinu ſuo, inferiora ſunt me: vellem evolare ſuper aſtra, niſi corporis mei pondus invitum me retineret in terra, cognoſcens aliquid majus omni eo, quod cadit ſub ſenſus; percipio quoque, aliquid inveniri majus meo intellectu; nam quantò magis ſe nititur attollere, altiúsque in ſublime vibrare, ut illud pertingat, magis invenit, magnitudinem quandam eſſe ſe longè majorem, quam probè conſpicit, ſe nunquam, quidquid fecerit, aſſecuturum; figurat ſibi confusè aliquid ſuper ſe, quod nequeat comprehendere; & conjicit tantummodò, id eſſe magnitudinem quandam, bonitatem quandam, pulchritudinem quandam, potentiam quandam, eſſe quoddam immenſum, quandam abyſſum, ubi ſe perdat. Interrogo ipſum: Quo vadis intellectus mi? quid quæris, quídve vis? Neſcio, cur tam ſublimè evoles ſupra te ipſum, in vaſtam quandam amplitudinem, nullis aretatam limitibûs, ubi benè vides, te nihil inventurum?

Nihilominus eſt aliquid, ſed neſcio, quid ſit. Invenio ſatisfactionem, dum attollens oculos in cœlum, alloquor meipſum: Aſpice, amica mea, circumſpice ubique, invenies nihil, quod te ſatiet, quod te repleat; an igitur plùs es, his omnibûs? Dicendum omnino eſt, te rei cujusdam majoris eſſe capacem, cùm attollas te ſuper omnia, formésque tibi majoris cujusdam, nobiliorísque idæas boni. Qua ratione enim imaginationes tuæ ſe extenderent longiùs, quàm veritas? quæ veriſimilitudo, non dare in rei veritate ens quoddam perfectiùs, quàm tu concipias, cùm ipſemet capias benè, eſſe aliquid ſuper omne id, quod cogitare potuiſti? Et deindè, nonnè quandoque ſentis ſtimulari cor tuum, neſcio, quo affectu, quo raperis ad amandum & deſiderandum illud bonum, quod non cognoſcis niſi confuſiſſimè, quin aliquam de ipſo formare poſſis idæam? Ecce tibi, quò me interdum ſentiam abreptum, dicere neſcirem, qua ratione: & exin è mea conſideratione reverſus, mei admiror excurſum & impetum animi, & concipio in me ipſo aliquod principium ſtupendæ magnitudinis, quod non comprehendo.

Quandoque cadere mihi videor in abyſſum tam profundam, ut viliorem & abjectiorem me inveniam beſtiis ipsis. Timeo ſcorpionem, fugio ab

aspectu serpentis, tremore me concutit subitaneus quidam tumultus; invideo piscibus natantibus in aquis, & volucribus cum delectatione volitantibus in amplitudine aëris: video, me in hoc superari ab illis, & facere me non posse, quod faciunt ipsi. Dum me ita affixum terræ considero, alloquor meipsum: Deprime in terram oculos, & aspice bestias, quarum es socius: tu habes corpus & sensus, sicut illæ; tu bibis & comedis, sicut illa; tu cubas in terra & dormis, sicut illæ: quanta vilitas, quanta abjectio conditionis tuæ naturalis! Sed experior in meipso aliquid deterius hîs omnibûs; sentio affectus tam indignos, inclinationes tam probrosas, cogitationes tam abominandas, ut horrore percellar, videns enasci illas ex meipso, & præ pudore vix non moriar, dum illas me animo fovere intueor, fateórque libenter, debere in me esse aliquod principium tantæ vilitatis, tantæque abjectionis, quam capere non valeam.

Homo expertur in seipso magnas imbecillitates.

Dum ratione hac in comparationem adduco elevationem meam tam sublimem, cum humiliatione tam profunda, fateor, me hîc comprehendere nihil. Quomodo est possibile, quòd sentiat se homo ferri ad extremitates sibi adeò oppositas? sumne ego ipse, qui ita elevor? sumne ego ipse, qui ita deprimor? quomodo esse mihi possunt desideria tam glorioſa, tamque nobilia, conjuncta cum inclinationibus tam probrosis, támque contemptibilibus? ago ne ego duos pro uno homine solo, quem credo me esse? quale parodoxum, quale sum monstrum, qui tantos in meipso includo contrarietates? & quare sum natus tam beatus, támque miser. Dum ita is discurrebat, inquiebam prorsus submisse Medico, an manifesta cernis argumenta corruptæ nostræ naturæ per peccatum originale? valdè benè cognoscit ipse ejusdem effectus, cùm sentiat illius miserias; causam tamen illius ignorat, quam ipsi explanare oportet.

Homo videri potest species cujusdam monstri.

Sed adhuc (interpellat ipsum Ecclesiasticus, attonitus aspectu tot luminum, tótque cognitionum in homine, qui non imbutus erat nisi eo, quod sana mens ipsi poterat suppeditare) quid putas, quis produxit te, quísque formavit te hac ratione? Nescio, respondit. Certum est, quòd memetipsum non fecerim: nunquam enim composuissem me ex partibus non tantùm ita diversis. Sed ita oppositis, quæ traherent post se inclinationes tam incompabtibiles, ut essem mihi ipsi contrarius, mei ipsius inimicus. Voluissem habere nonnisi affectus nobiles, lumina in meo

Homo benè cognoscit, quod seipsum talem non fecerit, qualis est.

meo intellectu omninò pura, quæ me deduxiſſent in cognitionem veni, & deſideria in corde meo omninò innoxia, quæ exſtimulâſſent me ad amandum bonum; & præcipuè vivere voluiſſem in pace mecumipſo. Certè enim, dum ſine intermiſſione ſentio me utrinque trahi; & ex una quidem parte à lege inſculpta cordi meo, quæ præcipit mihi, quod æquum eſt, quæque me dirigeret ad vivendum more hominis ratione præditi; ex altera autem parte à lege intra memetipſum prorſùs contraria, quæ me compelleret ad vivendum more beſtiæ, & committendum ea, quæ indigna ſunt homine; hoc ingens mihi videtur ſupplicium, ansámque præberet mihi conquerendi adversùs eum, qui in hunc redegit me ſtatum & conditionem.

Nonnè credis, repoſuit Eccleſiaſticus, eum, qui tuus eſt Auctor, eſſe bonitatem quandam & ſapientiam infinitam, eò quòd tibi contulerit mentem & intellectum tam nobilem, atque etiam collocârit in te principium magnitudinis & excellentiæ tam ſublimis, ut ipſummet te admireris? Fateor, reſpondit homo ille, & infinita ratione ipſi hac ex parte obſtringor. Sed quare contulit mihi quoque aliud iſtud principium vilitatis & inclinationis tam probroſæ, quæ magno mihi eſt tormento? an opus hoc ſit bonitatis & ſapientiæ infinitæ?

Non eſt ipſe, repoſuit Eccleſiaſticus. Siquidem ex principio infinita ratione bono proficiſci non poteſt aliquod malum. Si talis eſſes, qualis è divinis ipſis manibus in creatione prodiit homo, talis non eſſes, qualis es. Benè judicare potes, quòd, cùm infinitè bonus ſit, in hominem non contulerit, niſi quod bonum eſt; cùm infinitè ſit ſapiens, ipſi non dederit, niſi quod perfectum eſt. Sed, alius quispiam deſtruxit opus ipſius, illúdque redegit in ſtatum miſerabilem, in quo id conſpicis, infeliciter in illud introductô malorum omnium principiô! Vah! quis? interrogavit aſperè hic homo, totus indignabundus in hunc felicitatis conditionis noſtræ humanæ everſorem. Audi me, inquit Eccleſiaſticus, dicam id tibi; & facile cognoſces originem ingentium harum contrarietatum, quas experiris in te ipſo, quarúmque tibi cauſa eſt incognita.

Ratio acquirendi cognitionem peccati originalis.

ARGU-

ARGUMENTUM.

In quo Statu primus homo fuerit creatus.

Articulus II.

NE mireris, quòd experiaris in te ipso tam fortem inclinationem ad sublimitatem & magnitudinem: hoc oritur ex eo, quòd creatus eo nomine fuerit homo, ut elevaretur ad magnitudinem quandam infinitam, nempe ad participationem magnitudinis DEI ipsius. Nôsse enim debes, quòd supremus Creator magni hujus mundi, ædificaverit hunc ab initio, velut augustum quoddam palatium, quod præparabat pro habitatione hominis; & quando omnia ad ipsum recipiendum fuerant expedita, formavit ipsum omnium ultimum, ipsius consignavit possessionem palatûs tam magnifici, tradens & potestatem imperandi omnibus creaturis, velut inquilinis domus suæ, quæ non nisi ad ipsi famulandum fuerant conditæ.

Primus homo incluſit in se Creatorem & creaturam.

Hinc est, quòd formare ipsum voluerit perfectiorem omnibûs creaturîs, non solùm in hoc, quod ipse sit solus totius mundi Epitome, quódque nec unica sit perfectio in creaturis, quam & quas omnes non habeat in se unitas: habet namque esse cum elementis, vivere cum plantis, sentire cum animantibus, intelligere cum Angelis: sed voluit ipsum unicum plùs esse, quàm universum mundum simul, dum largitus est ipsi spiritum immortalem, qui attolleret ipsum supra ordinem omnium rerum corruptibilium; spiritum tam amplum in sua latitudine, ut latiùs se extendat, quàm totus hic mundus magnus; spiritum tam nobilem in dignitate sua, ut ipsum circumferre faceret gloriosam similitudinem Creatoris sui. Scriptum est, DEum inspirâsse ipsi hunc spiritum anhelitû oris sui, & producendô ipsum dixisse: *Faciamus hominem ad imaginem nostram;* ita ut homo potiatur honore includendi in personâ suâ & veritatem omnium creaturarum, & similitudinem Creatoris sui. Et hinc est, quòd hæ ipsum simul ament & timeant: amant in ipso esse suum; timent in ipso imaginem & majestatem Creatoris sui. Gen. 1

In hoc statu tam honorifico, támque sublimi non habebat homo, nisi DEum solum supra se, videns cætera omnia suis subjecta pedibus: omnia obediebant ipsi, & ipse non obediebat nisi DEO; non erat servitium, quod ipsi ex ordinatione DEI non

non exhibebant omnes creaturæ; & solum servitium, quod exigebat ab ipso in tesseram gratitudinis, erat, contemplari suas excellentias, amare infinitam suam bonitatem, cantare suas laudes, & pro omnibus suis beneficiis rependere sibi grates. Nonnè videtur tibi, beatum hunc ac felicem fuisse statum? Verùm nonnisi initium hoc est; audi, quod altius tuum attollet animum, si id probè considerabis.

DEus, qui cætera omnia entia fecerat pro homine, non fecit hominem nisi pro se solo: Ecce tibi, quare dederit illi animam tam magnam, támque amplam in latitudine sua, ut omne, quod minus est DEO, capax non sit ad replendum & satiandum illam. Quando DEus ipsi dedisset non solùm omnes creaturas, quas habebat in plena sua dispositione, sed tot alios mundos, quot hic mundus continet & complectitur creaturas, totum hoc idoneum' & sufficiens non fuisset ad satisfaciendum illi: Et quando DEus impendere & intendere voluisset omnem fortitudinem omnipotentis brachii sui, ad subministrandum illi omnia bona creata, & illa excellentissima quæque, quæ producere poterat; hæc anima tam nobilis, non accepisset suam ex illis satisfactionem. Res stupenda, quæque denotat magnam animæ excellentiam, transcendens omne id, quod dici posses, quod nempe non sit in facultate DEI ipsius, plenè satisfacere omnibus desideriis magnæ hujus animæ, quam dedit homini, nisi donandô se ipsum totum ac integrum illi: Et ratio est evidens, eò quòd ipsa non sit facta, nisi pro DEO solo, & omne id, quod minus est DEô, non sit dignum illâ.

Anima hominis non potest satiari, nisi sola possessione DEI.

Nescio, an capias omnes has infinitas obligationes, quibûs teneris Creatori tuo: quando non alium tibi exhibuisset favorem, quàm quòd creaverit te nobilissimam ex omnibus creaturis, solam ab aliis independentem, solum fruentem libertate suâ ad faciendum, quidquid voluerit, & omnes alias ad tuum destinatas servitium: Nonnè credis favorem hunc esse, quem nunquam gratô satis animô agnoscere possis? & nihilominus hic nihil est, respectu illius, qui non minoris, quàm ipsa potestas DEI, est amplitudinis, nempe infinitæ. Quòd fecerit te pro seipso, hoc est, ad possidendum seipsum in omnem æternitatem ad fruendum suâmet gloriâ, ad vivendum suâmet vitâ, ut esses æternùm felix propriæ divinitatis suæ possessione. O excessum bonitatis DEI ergà creaturam è nihilo extractam! O prodigiosam felicitatem hominis, dum conditum se aspicit ad finem tam nobilem,

Magna gloria hominis, quòd DEUS creaverit ipsum pro se solo.

ut, quando per impossibile DEUS producere deberet se ipsum ad aliquem finem, nobiliorem illo eligere non posset pro seipso.

Intellectus, qui nihil adhuc novit, quique natus est ad cognoscendum veritatem, sicut oculus ad videndum lumen, velut famelicus quidam maxima cum aviditate & delectatione incredibili primas recipit communicatas sibi veritates & cognitiones. Homo noster, qui summâ profundebatur voluptate è verbis boni hujus Ecclesiastici, cohibere se non poterat, quin interpellaret ipsum, altúmque exclamaret: O Domine, quàm grandia enarras mihi, quæ meum obruunt animum, meúmque effugiunt captum! An verum sit, me tantis accumulatum fuisse favoribûs à DEO, sicut inquis? quòd mihi dederit esse nobilius, quàm cæteris creaturis ratione privatis, probè intelligo; quòd autem illas omnes condiderit, ut mihi obediant, mihíque serviant, non video: vix enim est ulla, quæ me non persequatur, aut me non fugiat.

In statu peccati homo non cognoscit felicitatem suam.

Quòd nulla satiare me possit ex omnibus creaturis, abundè satis experior, sed quòd exspectandum mihi sit, quò ad plenè satier aliquando, ac beatus evadam possessione DEI, vivámque propriâ ipsius vitâ, quódque me eo creaverit nomine, ut proprias suas in omnem æternitatem mihi communicaret delicias, id capere nequeo: nimiùm abjectus sum, quàm ut prensem tam sublimia, nimiísque oppressum me invenio miserís, quàm ut persuadere mihi possim, me tantæ assecuturum unquam gradum felicitatis. Nihilominùs fateor, sentire me aliquid, quod blandiatur cordi meo, meque advertere probè, id natum esse pro aliquo, quod majus sit omni eo, quod hucusq; cognoscere potui.

In statu innocentiæ cognovit hoc felicitatem suam.

Nequis judicare benè, reponit Ecclesiasticus, de hoc ex eo, quod ipsemet experiris in statu, quem modò tenes. Erat is talis in statu beato primæ innocentiæ suæ, & in sublimi hac perfectione, quam habebat, quando prodiit è manibus DEI, velut exquisitissimum cunctipotentiæ suæ opus: cognoscebat is benè propriô suô experimentô; inprimis, quòd Creator suus nobiliorem se fecerit omnibûs rebûs creatis: secundò, quòd omnes aliæ creaturæ factæ fuerint pro se, id est, ad obediendum & serviendum sibi: Tertiò, quòd ipse conditus fuerit pro DEO solo, quòd nonnisi ipsi famulandum sibi esset, nonnisi aspirandum ad ipsum, nonnisi tendendum ad ipsum velut ultimum finem, pro cujus possessione creatus fuerat: Erat de hoc tam certus, ut contrarium credere non potuerit.

Ratio

Omnia habent pondus ſuum, quo feruntur ad beatitudinem ſuam.

Ratio eſt, quia ſentiebat in ſe ipſo pondus, quo continuò ferebatur ad DEum: videbat, divinam Creatoris ſapientiam, quæ tam pulchra diſpoſitione ordinaverat omnes partes Univerſum hoc componentes, ut quælibet haberet locum ſuum ſibi proprium, ſuúmque centrum, in quo inveniret requiem ſuam & beatitudinem ſuam; dediſſe unicuique inclinationem aliquam, amorem quendam, qui eſt pondus perpetuò ipſam urgens & impellens ad centrum ſuum. Sic lapis tendit deorsùm ex omnibus viribus ſuis, quia centrum ipſius eſt ibi, & amor ipſius inceſſanter eò fert illum, nec unquam contentus erit, quoad illuc pervenerit: ſic ignis ex adverſo aſcendit in altum ex omnibus viribus ſuis, quia ibi eſt centrum ipſius, & amor ipſius eſt pondus, quo tanta cum vi rapitur illuc, ut potiùs ſubverteret montes, quàm ſibi non ſterneret viam ad inquirendum quietem ſuam & beatitudinem ſuam.

Videbat omnes alias creaturas, & quamlibet ex illis habere ſic inclinationes ſuas, amorem ſuum, pondus ſuum, quibûs raperentur versùs centra ſua. Flumina noctes diésque devolvunt ſe versùs mare, volucres attollunt ſe in aërem, piſces immittunt ſe in aquas: & ſic de omnibus aliis creaturis. Et homo, qui omnia hæc aſpiciebat, ſentiebat probè in ſeipſo: Hæ meæ non ſunt inclinationes, non meus huc amor, qui pondus eſt cordis mei, rapit me; aliud nobilius mihi centrum eſt; nullum video locum, nihil inter omnes res creatas, in quo promittere mihi poſſim, inventurum me quietem meam, veram beatitudinem meam.

Videns igitur divitias bonitatis DEI erga hominem: non voluit illi aliud aſſignare centrum, niſi ſeipſum; & ut obſtringeret ipſum, quatenus ſemper tenderet ad divinum hoc centrum, majori cum impetu, quàm lapis tendat deorsùm, & ignis aſcendat ſursùm, dedit ipſi pondus longè nobilius, & ſine comparatione fortius, quàm dederit cæteris omnibus creaturis: *Amor meus, pondus meum;* pondus ipſius erat amor ipſius. O quàm jucundum erat, intueri magnam hanc animam, totam amore Dei ſui repletam, & deſiderio divini hujus centri, versùs quod tendebat perpetuò, & extra quod invenire non poterat ullam veram quietem ſibi ſatisfacientem! S. Auguſt. in Confeſſ.

An pondus amoris, quo ferebatur in DEum, fuerit ipſi naturale, an ſupernaturale.

Verum quidem eſt, amorem hunc fuiſſe ſupernaturalem, cùm pretioſus theſaurus fuerit ſtatûs innocentiæ, qui reddebat hominem non ſolùm perfectum, ſed etiam ſanctum, quique reddidiſſet eum beatum pro tempore &

æternitate, si conservâsset ipsum. Nihilominus dici potest, amorem hunc divinum & supernaturalem, cùm dominatus fuerit ipsius animæ, verè fuisse pondus ipsius naturale, quo ferebatur in DEum cum facilitate, cum voluptate, cum fortitudine, & continuo cum desiderio illum inveniendi, ad requiescendum in ipso. Erat hoc cum facilitate, quia nihil inveniebat in eo, quod esset ipsi obstaculo, sed econtrà omnia juvabant ipsum, ut raperetur in DEum, velut in centrum quietis suæ: Erat hoc cum voluptate, quia inveniebat ibi satisfactionem omnium suarum ardentissimarum inclinationum: Erat cum fortitudine, quia amor ipsius erat tam purus, tam perfectus, támque unicus in DEUM suum, ut non experiretur in se ullos alios affectus, quæ dividere possent vires suas? Erat hoc denique cum desiderio continuo jungendi se illi, quia non indigebat deliberatione voluntatis suæ ad agendum se in divinum hoc centrum, non magis, quàm res naturales tendere non cessant ad suum cum impetu, qui nec interruptionem, nec relaxationem noverat ullam.

Non poterat ergò, abs eo, quòd sibi vim inferret, tendere aliò, quàm ad DEum, nec velle aliud, quàm DEum, aut pro Deo: omni ex parte redibat in ipsum, nec invenire poterat quietem aut satisfactionem, nisi in illo. Quid beatius videri potest homine in hoc statu? sed beatitudo ipsius non stringebatur solummodò, nec terminabatur in persona sua, sed extendebat se quodammodò in omnes creaturas. Audi, qua ratione.

ARGUMENTUM.

Quòd felicitas primi hominis constituerit felicitatem totius Universi.

Articulus III.

QUando omnia in bono sunt ordine, sunt omnia in pace, & consequenter in perfectione sua, & in omni felicitate, cujus capacitatem habent, cùm pax aliud non sit juxtà effatum sancti Augustini, quàm tranquillitas ordinis: *Pax est tranquillitas ordinis.* Quamdiu homo permansit in ordine & gradu, in quo fuerat à Creatore suo collocatus, volo dicere; quamdiu affixus permansit amabili centro suo, quamdiu anima ipsius perfectissimè se subjecit divinæ ipsius voluntati, fruebatur profunda pace, in seipso & extra seipsum, & consequenter felicitate

S. Augustinus.

omo tam- iu manſit in ace, quam iu manſit in rdine.

tate perfectâ : Eò quòd obedientia, quam exhibuit Creatori ſuo, attraxit ipſi obedientiam inferiorum ſuorum. Omnes facultates animæ & corporis ſui obtemperabant exactiſſimè voluntati ſuæ, quia voluntas ſua fideliter obediebat, voluntati DEI : & paſſiones, quæ hodiè ita tumultuantur, adeò ſe ſubdebant rationi, ut evigilare & in lucem prodire non auderent, niſi acceſſiſſet, & ipſi accepiſſent imperium voluntatis.

Hæc pax domûs ſuæ extendebat ſe in totam ditionem ipſius; & DEus poſtquàm ipſum confirmâſſet velut Monarcham totius hujus magni Univerſi, voluit, ut famularentur & obtemperarent ipſi, absque reſiſtentia omnes creaturæ, quoad is reverentiam ac obedientiam præſtaret Creatori ſuo. Unica ſola obedientia, quam ipſe exhibebat, recompenſabatur illicò innumeris obedientiis, quas recipiebat ab omnibus creaturis : Subditi ſequebantur exemplum ſuperioris ſui ; & quoad viderunt, ipſum collocare felicitatem ſuam in fideli ſubjectione præſtita Creatori ſuo, & ipſi collocabant ſuam in obedientia præſtanda ipſi, ut conſervarent ſe, ſicut ipſe, in ordine, quem acceperunt à Creatore ſuo. Et tandem omnes creaturæ erant in pace, quia omnes contentæ manebant in tranquillitate ordinis, quem acceperunt à primo & ſupremo Ente. *Pax eſt tranquillitas ordinis.* Sic felicitas primi hominis conſtituebat illam totius univerſi.

Obedientia, quam homo exhibuit DEO, fecit ipſum Dominum mundi.

Videmus etiam, quòd DEus poſuerit ipſum in loco voluptatis, qui appellabatur paradiſus terreſtris, ubi dedit illi poteſtatem imperandi omnibus, in morem ſupremi Domini : *Dominamini ;* communicare ipſi volens, ſicut delicias, ita dominium ſuum, ut haberet ipſe paradiſum ſuum in terris, ſicut ille habebat ſuum in cœlis; ísque eſſet DEus viſibilis mundi hujus inferioris, ſicut ipſe DEus inviſibilis eſt totius univerſi. Eò usque, aſſerente ſancto Chryſoſtomo, attollere ſupremus Creator voluit gloriam & felicitatem hominis : *Quod eſt DEus in cœlo, hoc eſt homo in terra, ſecundùm principatum dico.* Et ut mitteret ipſum in poſſeſſionem ingentium harum prærogativarum, ab ipſo die, quo intrare eum voluit in regnum ſuum, præſtari mandavit illi prima horologia ab omnibus ſuis ſubditis, quas omnes ante ipſum comparere voluit, ut acciperent ex me ejus nomen, quale hic eis voluerat aſſignare.

Primus homo erat viſibilis DEus mundi hujus inferioris.

S. Chryſoſt. hom. 2. in epiſt. S. Pauli ad Hebræos.

Quod non ſolùm fuit velut juramentum fidelitatis, quo ſe omnes creaturæ illi obſtrinxerunt, & promiſſio inviolabilem

obedientiam præstandi ipsi: sed fuit glorioſa quædam participatio, quam DEus attribuere ei voluit, poteſtatis ſuæ ſuper illas, juxtà mentem ſancti Baſilii Seleuccienſis; eò quòd ille, qui imponit infanti nomen, acquirat in ipſum aliquod genus imperii, quod aſſimilatur quodammodò imperio proprii patris, qui dedit illi eſſe; & hinc appellantur compatres, id eſt, velut cum patre patris. DEus, qui dederat eſſe omnibus creaturis, non impoſuit ipſemet illis ſua nomina, ſed reſervavit homini honorem ac poteſtatem imponendi nomina omnibus, quæ produxerat, operibus, ut, poſtquam receperunt eſſe ab omnipotentia DEI ſui inviſibilis, & nomen à ſapientia DEI ſui viſibilis, recognoſcerent ſe dependentes ab utroque, & obſtrictos ad præſtandam utrique obedientiam: *Me agnoſcant artificem naturæ lege, te intelligant Dominum appellationis nomine.*

S. Baſil. Seleuccienſ. Orat. 2.

Quare DEus voluerit, ut homo nomina daret omnibus creaturis,

O jucundum ſpectaculum! videre hominem formatum ad ſimilitudinem DEI, ut teneat locum ejus, & ſit velut prorex & adminiſtrator ipſis in toto hoc mundo inferiori; portabat is ſuper frontem ſuam, neſcio, qualem Majeſtatis adeò divinæ radium, ut animantium nullum aſpicere ipſum auderet absque timore & reverentia in illum: tam imperioſam non absque dulcedinis temperie efformabat ex ore ſuo vocem, ut omnes beſtiæ ipſum audientes cohibere ſe non poſſent, quin illum amarent, quin ipſi obedirent: Erat ei' corpus prorsùs erectum, ut nonnisi pedum ſuorum plantis contingeret terram: oculos gerebat versùs cœlum elatos, ut tum illius, tum totius univerſi aſpiceret pulchritudines, innoxia cum voluptate, quæ inceſſanter exſtimularet ipſum ad amorem DEI: Sanitate potiebatur perfecta, quæ nunquam alterata fuiſſet morbis, nec morte deſtructa.

Pulchra diſpoſitio hominis in ſtatu innocentiæ.

Intellectus ipſius ita ſcientiarum naturalium omni genere excultus erat, ut nihil ita arcanum complecterentur omnes res creatæ, quod non ipſe cognoſceret perfectiſſimè. Sed quod perfectam ejus conſtituebat felicitatem, eſt, quòd poſſederit ſcientiam ſalutis pro qua accepit fidem tam vivam, tam illuminatam, tamque amplam, ut habuerit omnem cognitionem Myſteriorum divinorum, quæ neceſſaria erant ad efficiendum ipſum primum omnium Sanctorum, ſicut primus erat omnium hominum: voluntas illius tam erat recta, ut formare non poſſet affectus, niſi eos, qui tenderent in rerum bonum, nec aberrare à via juſtitiæ, ſive ex debilitate, ſive ex ignorantia, ſed duntaxat ex mero abuſu libertatis

Vita hominis in ſtatu innocentiæ.

tis suæ, abusu, quem facillimè semper poterat evitare, si voluisset: ipsius memoriâ fideliter ei suppeditabat statutô temporis momentô omnes cogitationes, quibus facultas erat reddendi ipsum felicem, consolatum ac beatum: & denique omnes animæ & corporis potentiæ obediebant voluntati ipsius, sicut hæc obediebat voluntati DEI. Manda, Domine, obedietur tibi exactissimè ab homine, quia ipse omnem suam in hoc collocat felicitatem, ut obediat unicè divinæ voluntati tuæ: manda etiam, ô homo omnibus creaturis te inferioribus, obedietur tibi fidelissimè ab eis, quia suam ipsæ attemperabunt obedientiam juxta illam, quam tu præstiteris DEO. Sic pax erit universalis in toto mundo, quia bonus ordo à lege æterna DEI præfixus observabitur in omnibus creaturis. *Lex æterna ordinem naturalem servari jubens.*

S. Aug. lib. 21. contra Faustum c. 27.

Sed perfecta felicitas primi hominis limitata non fuerat ad solam ipsius personam; filii hæreditâssent bona patris sui, ita, ut omnes ingressi fuissemus mundum pleni gratiâ & virtute, pleni scientiâ & sanctitate. Et ut verbô dicam, incepissemus hic in terris vitam beatam, in tota perfectissima possessione DEI, cujus homo est capax in terris. Contemplatio divinitatis, quam cognovissemus clariùs, quàm quidvis aliud, fuisset usitata animorum nostrorum voluptas; & perfectus summi boni amor, nostras omnes constituisset delicias. Et, quod omnia transcendit, post exacta aliquot in statu tam beato sæcula, transiissemus à vita temporali ad æternam, à terris in cœlum, & à contemplatione DEI ad claram visionem ejusdem, quin fuissemus experti sævitiem mortis, aut concomitantes eandem morborum dolores.

Felicitas filiorum Adam, si pater permansisset in statu innocentiæ.

Haud facile esset enarrare diversos motus in animo viri hujus exortos, dum audiebat hæc omnia, omninò sibi nova, non sine frequentibus in cœlum emissis tum suspiriis, tum obtutibus. Ex una parte probè experiebatur latere hic quidpiam veri, eò quòd ipsemet confusam quandam concepisset illius idæam; quódque ipsa natura suum attolleret cor ad desiderium, nescio, cujus magnæ, sibíque incognitæ felicitatis; ea ferè ratione, quâ illi in statu olim fortunato positi, & ab eo delapsi, aliquas semper illius conservant reliquias, quæ nonnisi difficillimè delentur. Ex alia parte sentiebat imbecillitates, timores ignorantias, contrarietates, & ingentem miseriarum numerum, procul remotus à statu felici, quem sibi depingi audiebat; quod ipsi persuasit

suasit, omnia, quæ dicta sunt, meras esse imaginationes.

Quomodò vultis, ut vobis credam? dixit nobis: si enim verum est, primum hominem potitum fuisse possessione tam ingentis felicitatis, qua ratione dilabi potuit indè? an privavit hâc illum ipsemet DEus? sed inconstans ipse non est, ut tantîs charissimam sibi creaturam afficiat bonis, & postea seipso absque ulla causa, his denuò exspoliet ipsam. An homo tantam sufferre non potuit felicitatem, hácque exuit semetipsum, ut miserum se redderet ac infelicem? sed esse non poterat inimicus eò usque sibimetipsi; nemo enim miser esse velit, si valeat esse beatus. An ergò quisquam alius, ipso reluctante, & reluctantibûs ipsîs DEI consiliis, illâ deprædatus est eum? sed quis potentior esse possit DEO, quisque prævalere valeat huic homini, quem depinxisti subjectum nulli, nisi soli DEO?

Mirum est, quòd homo cecederit è statu innocentiæ.

Hic discursus, qui satis aptus videbatur in homine, qui non nisi sola adhuc habebat lumina naturæ, fidem faciebat instructori illius, sufficientis ipsum fore capacitatis comprehendendi sublimissimas Religionis veritates: animabatur ex hoc, ad explanandum ipsi unum è Mysteriis maximè à cognitione nostra naturali remotis, nempe illud de peccato originali, commisso à primo parente nostro, ex eo, quòd id voluerit; & communicato omnibus ipsius filiis, ab eo, quòd voluerint illud. Fatendum est, pauca esse in Religione nostra, quæ magis adversentur rationi nostræ humanæ, quàm dicere, quòd rei nascamur alicujus peccati, quod non commisimus; quódque nobis imputetur aliquis error, ex quo tam parùm participamus, ut commissus is fuerit plùs quàm sex mille annîs antè, quàm nasceremur. Et nihilominus hæc una est præcipuarum & fundamentalium veritatum Religionis nostræ Christianæ, sine qua cætera nostra mysteria nobis forent incomprehensibilia. Ecce igitur, quomodò pius hic & sapiens Ecclesiasticus ipsi hanc explanaverit veritatem?

ARGUMENTUM.

Quomodò primus homo, dum ex innocente se reddidit obnoxium peccato, confestim è felici factus sit miser.

Articulus IV.

OPtimè discurristi, dum dixisti, difficile esse captû, quòd primus homo deciderit è statu tam beato primæ suæ innocentiæ,

Primus homo debebat & poterat permanere in statu beato.

tiæ, quódque non videatur, ex qua parte infelicitas hæc suum traxerit ortum: siquidem DEus ex sua parte non potuit illam velle, eò quòd formaverit decretum æternum de felicitate hominis, & decreta divinæ ipsius providentiæ sint invariabilia. Homo ex parte sua non debuit illam velle: is námque tam absolutè determinatus est ad volendum bonum suum, ut æquali ratione sit illi impossibile, nolle esse beatum, & velle esse miserum. Et denique omnis alius quàm homo non habebat potestatem detrudendi ipsum, invito se, à felicitate sua, eò quòd libertatem haberet conservandi illam, si vellet, ísque à nemine dependeret, nisi à summa potestate Creatoris sui. Sed ecce tibi mali originem!

Quamvìs homo beatissimus fuerit, capax tamen erat felicitatis majoris illâ, quam possidebat; aspirabat ad divinitatem, in cujus fruitione noverat, se inventurum perfectam felicitatem suam: erat hæc omnium inclinationum suarum pulcherrima, æquissima, & sanctissima. Dum nutriebat in corde suo absque ulla diffidentia nobiles hos effectus, malignus quidam dæmon, invidus ipsius felicitati, malitiosè hâc utebatur ad seducendam fœminam, quam DEus ei dederat uxorem, & hâc utebatur ad ipsum seducendum: promittit illi, quòd non solùm juxtà vota sua fruiturus esset Deô, sed quòd futurus esset sicut DEus ipse, modò continere se vellet à solita ergà ipsum subjectione, & unicum duntaxat ab ipso sibi impositum excutere mandatum, de non comedendo certo quodam fructu, cujus sibi interdixerat usum, ne fortè, si ex eo comederet, fieret DEus sicut ipse: *Eritis sicut Dii.* Gen. 3.

Prima origo infelicitatis humanæ.

Summa voluptas, quam in sua experiebatur anima, ex hac sibi facta propositione, & sola imaginatio de possidenda divinitate, eò usque, ut esset sicut DEus, ita abripuit ipsum, ut induxerit illi oblivionem cæterorum omnium: comedit de fructu contrà prohibitionem DEI, & in ipso instanti, quo peccavit contra ipsius legem, tam procul ab eo, ut elevaretur, sicuti sperabat, usque ad divinitatem, depressum se vidit usque ad conditionem & ordinem bestiarum; dici etiam potest, ipsîs bestiîs illum factum deteriorem: cùm enim contempserit verum Deum, ut ex seipso Deum faceret, factus est falsus Deus, & verum idolum: habebat oculos, & non videbat; habebat pedes, & non ambulabat; habebat os, & non loquebatur; habebat manus, & non palpabat, nihílque agebat.

Homo volens fieri DEus, factus est idolum.

Volo dicere, perdidisse ipsum omnia lumina & cognitiones intelle-

teflectûs sui, qui profundissimîs sepultus erat tenebris: nonnè hoc est habere oculos, & non videre? volo dicere, perdidisse ipsum gratiam sanctificantem, & sanctam charitatem, quæ erat amabilis pondus voluntatis ipsius, quo ferebatur ad DEum, velut ad unicum perfectæ felicitatis suæ centrum; & cùm amor proprius occupaverit locum amoris DEI in corde ipsius, non tetendisse illum ampliùs, nisi ad semetipsum, nec potuisse vel unicum formare gressum tendentem ad DEum; nonnè hoc est habere pedes, & ambulare non posse velut idola? dicere volo, turbâsse ipsum totam harmoniam laudum, quas recipiebat ab eo Creator ipsius, & mediante illo ab omnibus creaturis manuum suarum, eò quòd unicum peccatum, quod commiserat, quódque trahebat post se contemptum Majestatis infinitæ, intulerit ipsi plus injuriæ, quàm honoris recipere poterat à centies millenis mundis, sicque non reddidisse ampliùs gloriam, quam debebat DEO; nonnè hoc erat habere os, & non loqui? dicere denique volo, omnes facultates animæ ipsius molestâ percussas fuisse paralysi, ita, ut ampliùs perficere non possent vel unicam solam actionem supernaturalem, quæ promoveret ipsum ad finem suum ultimum: nonnè hoç erat habere manus, & agere non posse plus quàm idola?

Sed multò magìs adhuc excrevit malum: voluit enim DEus rebellionem ipsius contrà legem supremi sui Monarchæ puniri suppliciô consimilî: quo nimirum inferior pars rebellaret contrà partem animæ superiorem: quo passiones animi obedientiam denegarent rationi, & seditionem cierent contrà ipsam, hácq; ratione hominis torquerent animum: quo contrariæ qualitates temperamentum ipsius componentes, quarúmque harmonia illius constituebat sanitatem, redigerentur in perturbationem, seque invicem violarent, sicque corpus ipsius afficerent supplicio per dolores ac infirmitates, ac demùm conciliarent ruinam compositi totius, quod ampliùs vivere non merebatur. Voluit, ut duæ principales partes, corpus nimirum & anima, irreconciliabile sibi inferrent bellum, ubi corpus suam oppugnans animam, illam libenter vellet subjugare, & subjugandô cogere ad sequendum inclinationes suas animales; & econtrà anima obligata quoque est, ad accipiendum malè suum corpus illúdque cogendum, ut renuntians sensuum desideriis, sequatur leges & directionem spiritûs. Quàm bellum

Omnia po
turbata su
in homi
post inob
dientiam
exhibitam

Miseria
sonalis
minis
peccatu

Ro

bellum hoc inteſtinum ſævum eſt & crudele.

O juſtiſſimum, quantumvis ſeveriſſimum ſupplicium DEI, quod traxit poſt ſe peccatum primi parentis noſtri! ô infelix conditio hominis! A funeſto hoc momento, poſtquam homo rupit pacem cum DEO ſuo, non potuit illam ampliùs habere ſecum ipſo, nimiùm ſe amandô: hoſtiliter ſe perſequendô: amat ſe, & odit ſe, ſed hoc nonniſi admodùm ignavè: non ſatis odit ſe, ut conſentiat in ſeparationem duarum partium ſe componentium, quarúmque diviſio totalem ſuam conciliaret ruinam: ſed nec ſatis amat ſe, ut ſibi aliquem concedat quietem, aut aliquas ſibi ipſi indulgeat inducias: hic infelix ille ſtatus eſt, qui trahebat ſuſpiria è corde, & querimonias ex ore maximorum Sanctorum; hic eſt, qui ipſum ſanctum Paulum ingemiſcentem fateri cogebat, quòd ſentiret in membris ſuis aliam legem opponentem ſe legi DEI, quam circumferebat in mente ſua, quæque invitum trahebat ipſum in malum, quod agere nolebat: Rom. 7. *Quod nolo malum, hoc ago:* verumtamen clarè proteſtatur, ſe non eſſe, qui ageret hoc malum, quod nolebat, ſed habitans in ſe peccatum, quod neutiquam approbabat. *Non ego, ſed quod habitat in me peccatum:* baptizans ita nomine peccati concupiſcentiam hanc naturalem, moleſtámque inclinationem ad malum, quæ relicta eſt nobis à peccato protoparentis noſtri, quæque certò peccatum non eſt; ſed quia oritur à peccato, nósque ad peccatum ſine intermiſſione ſolicitat, benè inſigniri meretur infami nomine peccati.

Miſeria perſonalis hominis poſt peccatum.

Non ſufficiebat adhuc domeſticum hoc bellum, quod peccatum excitaverat in homine, ad caſtigandam rebellionem ipſius contra ſupremam Majeſtatem DEI; ſed ſeditio tranſiit quantocyùs ab ipſius perſona in totam ditionem ipſius. Omnes creaturæ, quæ ex natura ipſi erant ſubjectæ, juſtæ ſeſe animârunt indignatione, ad vindicandam injuriam Creatoris ſui, adversùs perſonam ſupremi ſui principis: Omnia animantia cæperunt ipſum ignorare, ipſi reſiſtere, imò etiam ipſum perſequi; & pro eo quòd, dum circumferebat innocentiam fronti ſuæ inſculptam, imperiô abſolutô præciperet ipſis velut Dominus, illísque velut ſuis uteretur mancipiis: poſtquam faciei ſuæ deformavit pulchritudinem tam vecordis inobedientiæ dedecore, ex eo tractari ſe vidit ab illis tanta cum averſione, tantâ cum ſævitie, ut coactus fuerit ad præſentiam illorum vel ſe abſcondere ut timidum, vel ab ipſorum approxi-

Omnes creaturæ rebellâruut contra hominem, quando is rebellavit contra DEum.

mationè se subtrahere ut fugitivum. Ita probrum ipsius detegit S. Joan. Chrysostomus:

Chrysost. hom in Psal. 3. *Adam, quamdiu vultum purum servavit, factum ad imaginem DEI, bestiæ ei tanquam servæ parebant: quando autem vultum fœdavit inobedientiâ, tanquam alienum eum odiô habebant.*

Ita, ut criminosus & reus hic uno eodémque tempore obrutum se viderit omni genere miseriarum: in corpore suo innumerabilî numerô morborum, dolorum, infirmitatum, deformitatum imbecillitatum; & tandem mors ex eo sibi fecerit spolium, post parvum miserabilium annorum numerum. In anima autem ejus videre erat nonnisi ignorantias stupendas, affectus inordinatos, inclinationes probrosas, passiones tumultuantes, inquietudines, timores, ambiguitates, & tandem terrores severissimi judicii DEI, ubi comparendum est, quin sciatur, quænam æternitatis suæ futura sit decisio, an beata, an infelix? & denique extrà ipsum videtur, totum universum adversùs ipsius conspirâsse personam, innumeris accumulandam miseriis: invitus namque tolerare debet omnes temporum injurias, calorem, frigus, lassitudinem, laborem, bella, famem, incommoditates subjectionis & paupertatis: tanta enumerares velocitate omnes aquæ guttas tempore magnæ tempestatis è cœlo deciduas, qua enarrares mala omnia, quæ obruerunt hominem in pœnam peccati sui.

An modò vides, ô homo, quàm immensum funestarum calamitatum numerum post se trahat unicum solum peccatum, quod nonnisi paucîs perduravit momentîs? an benè vides, neminem evadere beatum, qui submissioni se subducat, qua obstringitur DEO suo? an benè vides, quòd dum ipsius amittis gratiam, irreparabilem facias jacturam? diuturna hæc pœna, quæ cuncta hucusque flagellavit sæcula, quámque hodiedùm tu toleras pro unico peccato, quod minore quàm unius horæ morâ commissum fuit, nonnè tonitrui cujusdam vox est, quæ incessanter tuis acclamet auribus, téque admoneat? ô homo mortalis, contremisce præ timore sub omnipotenti brachio DEI, quem adoras! vide, qua ratione puniat per omnia sæcula in filiis unicum peccatum protoparentis sui, cui nullum ipsi præstiterunt assensum; Et cognosce ex hoc justitiam illius in omnem æternitatem punituram unicum unius momenti peccatum, si committere id fueris ausus ex propria voluntate tua.

Fateor equidem, dicebat hic homo, totus attonitus ex eo, quod audiebat, æquum omninò esse,

Pulchra c
sideratio
pœnam
turnam q
DEus in
unico pe
to Adami

Quare p
derimus
iam inn
iæ in
mo?

Justum
hos pa
cinorof
vari ho
intuitu
sui.

esse, ut puniatur reus ob crimina, quæ commisit ipse: sed quæ æquitas, puniri nos ob peccatum, cui nullum unquam præbuimus annutum? nonnè sanæ adversatur menti, & omnis juris naturalis subvertit regulas, asserere, peccatum primi hominis tot personas reddisse eidem obnoxias, quæ illius nullam habere potuerint partem, eò quòd id nunquam cognoverint, imò nec unquam in mundum venerint, nisi pluribûs, quàm quinquaginta sæculîs jam revolutîs, postquam illud exinde prodiit? verum est, respondet Ecclesiasticus, hoc est mysterium, quod sola fides pro certo docet, ratio tamen humana aliquantisper ex eo cognoscere potest: auscultа me benè, & videbis.

ARGUMENTUM.

De transfusione peccati originalis in omnes homines.

Articulus V.

Quare perdiderimus gratiam innocentiæ in Adamo?

OMnes prærogativæ, quas concesserat DEus homini in statu gratiæ & justitiæ originalis, erant dona supernaturalia & favores gratuiti, qui nullatenùs debebantur conditioni ipsius naturali. Ecce! quare non acceperat illas velut necessarias suæque annexas essentiæ, & velut dona irrevocabilia: sed DEus largitus est illas cum hac conditione, ut, si fidelis permanserit in obedientia, quam debet legi Creatoris sui, conservaret omnes hos parvos thesauros tum pro seipso, tum pro suis filiis.

Justum est, si filios patris facinorosi privari honore, intuitu patris sui.

Educaverat Princeps quidam hominem è fæce populi, nobilitaverat ipsum, eligens sibi ipsum velut familiarem ac intimum, accumulaverat illum honoribûs, dignitatibus, divitiîs, potentiîs, & omnis generis favoribûs: ingratum se is exhibet eò usque, ut rebellet, & arma capessat adversùs suum supremum Principem & benefactorem: exuitur ergò nobilitate, honoribûs, potentiâ, & omnibûs, quibûs locupletatus fuerat, dignitatibûs, exspoliatur bonîs suîs, læsæ majestatis declaratur reus, & tandem infamis ac proscriptus denuntiatur. Nonnè justum hoc sit & consentaneum æquitati, filii ipsius incurrunt quoque calamitatem patris, spoliantur & ipsi honore, nobilitate, bonîs, favore principis, eò quòd hæc omnia perdant in persona patris sui: pœna hæc, quæ extendit se à patre facinoroso usque ad filios, qui facinoris rei non sunt, nonnè conformis sit justitiæ? & si pater ipsorum fieret

mancipium, illíque, qui nascerentur ex eo, juxtà exigentiam conditionis naturalis, suâ privarentur libertate, & velut mancipia tractarentur, an meritò de hoc possent conqueri? jam sic se habet: DEus est princeps, qui postquam extraxit primum hominem è fundo nihili, quod quasi fæx est populi, volens ipsum sibi facere familiarem ac intimum, omnibûs eum ditavit favoribûs, locupletavit muneribûs, quæ perfectam ipsius in statu innocentiæ constituere poterant felicitatem: rebellionem cieret ingratissimus adversùs Creatorem suum, benefactorem suum; & in instanti exspoliatur omnibûs suîs honoribûs, exuitur omnibûs suîs divitiîs, ac facultatibûs. Quis dicere audeat, pœnam hanc non fore æquissimam? & nos, qui miserandi sumus filii miserabilissimi hujus patris, pessimâ ipsius involvimur sorte, id exigente conditione nativitatis nostræ, & denudati gratiâ ingredimur mundum.

Tolerandum, reposuit prudenter admodùm hic homo, tolerandum est, quòd exspoliemur gratiâ principis, & bonîs exuamur, quibûs favor ipsius & benignitas locupletaverat patrem: sed saltem filii non censendi sunt rei læsæ majestatis, sicut pater ipsorum, teneantur quidem miseriâ, sed non ejusdem crimine, útque involvantur pœnâ, implicandi non sunt facinore patris; dicitur autem nobis, non solùm privari nos omnibûs gratiîs, & omnibûs favoribûs supernaturalibûs, sed nasci nos quoque reos læsæ majestatis divinæ, eò quòd nati simus ex Adam filii: an igitur rei sumus omnium criminum, quæ in tota sua commiserat vita?

Quare participes fiamus non solùm miseriæ, sed etiam culpæ Adami?

Non, respondit Ecclesiasticus, rei duntaxat sumus primæ ipsius inobedientiæ, & non omnium aliarum, quas committere potuit toto decursu vitæ suæ. Ratio est, quòd magna facienda sit differentia inter Adamum adhuc constitutum in gloria primæ suæ innocentiæ, & eundem post turpem ipsius in culpam lapsum; in primo suo statu erat homo velut universalis, & procurator totius naturæ humanæ, DEus autem, qui aspiciebat in primo hoc homine omnes filios ex ipso nascituros, imposuerat ipsis omnibus legem, qua prohibuit illis, ne manducarent è certo quodam fructu; insuper decreverat, quòd id, quod unus is fecerit, æstimandum sit factum in ipso ab omnibus cæteris; eramus námque virtualiter omnes in ipsius persona, sicut omnia frumenta camporum inclusa sunt in virtute alicujus grani; cùm DEus voluerit, ut tota hominum species egrederetur ex primo hoc homine:

Act. 7. ne: *Fecit ex uno omne genus humanum habitare super terram:* sic eramus omnes inclusi in ipso, & rebelles fuimus omnes DEO in persona ipsius; contigit igitur, ut tota natura humana in ipso solo unita, corrumperetur, & in ipsius persona evaderet rea, & crimini obnoxia. An mirandum ergò sit, si cum tractu sæculorum omnibus hominibus communicata, cum ipsa etiam corruptione sua, & cum crimine suo se extendat ad illos? sicut est substantia ipsius, quam nos recipimus, & ille ipse est, qui se reproducit, quique vivit in nobis; sic ipse etiam est, qui peccat in nobis, eò quòd nos rei & criminosi non simus, nisi quia nascimur ex illo, velut ex prima origine totius naturæ humanæ.

Quare non anticipemus, nisi primum tantaxat peccatum Adæ.

Sed post primum suum in culpam lapsum, alium amplexatus est statum; non amplius aspiciendus est, nisi homo particularis, actiones ipsius sunt personales, & omnia alia peccata, quæ committebat post hæc, non imputabantur nisi ipsi soli; filii ipsius non erant illis obnoxii, sed complices solummodò reputantur peccati primi, quod ipse commisit tum pro se, tum pro illis.

Res stupenda, quòd ira DEI tam constanti semper odiô prosequatur primum hoc peccatum, ut non cesset adhuc continuò punire illud in omnem sæculorum defluxum. Quando sacra Scriptura nobis asserit, nasci nos omnes filios iræ, idem est, ac nos naci filios Adam, quasi primus hic peccator semper esset objectum iræ DEI: ipsum nunquam non divina justitia castigat in nobis: quid enim nos fecimus ex propria nostra voluntate, & de quo rei ac culpabiles sumus in particulari nostra persona, dum prodimus è sinu matrum nostrarum? sed DEUS aspicit adhuc prævaricatorem patrem in persona filii sui, qui est imago ipsius; & ut ulciscatur se semper de Archetypo in suo ectypo, condemnat id semper ad mortem ab ipso instanti, quo incipit vivere: Morte morieris. Vel si ipsi concedit aliquos dies vitæ super terram, hoc non est, nisi ea ratione, qua justitia humana concedit facinorosis aliquantulâ morâ vitam, & differt per aliquot horas mortem, ut diuturniora tolerare illos faciat tormenta,

Semper est Adam, quem castigat DEus in filiis suis.

O si quis videret unico solo intuitu omnes calamitates præparatas alicui filio Adæ, ipsi omninò inevitabiles! Infelix illius patris fili, qui rebellare aliquando es ausus contra Creatorem tuum, quid agis? quid pateris in vita humana? jam detineris captivus, manus pedesque ligatus in obscurissimo ergastulo, antequam scias, an sis vel non sis:

Horrendæ calamitates, quibus DEus punit eos, qui nascuntur filii Adæ.

sis: egrederis indè lachrymantibûs oculis & ore plangente; quamprimùm ingrederis mundum, obvios jam habes dolores, tristitias, infirmitates, exspectantes te, ut affligant te, & fermè tot persecutores, quot numerat orbis creaturas. Quid fecisti, ut habearis ita? quodnam est scelus tuum? nisi quòd natus sis filius Adæ.

Tolerabis famem & sitim, frigus & calorem, ignorantiam, timorem, miserias paupertatis; plerisque subjectus eris creaturis, quibuscum non pro tuo dispones arbitrio; sed à quibus, quod non volueris, sufferre cogeris; millies millenæ cruces tibi sunt præparatæ, quas, invito te, invenies ubique: haud aliter, quàm si reus fugitivus ad omnem passum incurreret in satellites, quos suus in omnem terram emisisset judex ad se torquendum.

Eris ipse tibi maximus tuus inimicus, circûmferes in ipso sinu tuo persecutores tuos, qui non relinquent tibi pacem tecumipso; experieris inclinationem quasi continuam ad malum; importunam hanc concupiscentiam, quæ plurimorum origo est criminum, quæ mala sunt infinita, quorúmque unicum solum, si id committas, majus est malum, quod conciliabis tibi ipsi, quàm cætera omnia mala, quibûs afficere te possunt omnes simul creaturæ.

Quàm infelix & misera est tua conditio! nam postquam natus es reùs peccati, quod non commisisti, reum adhuc te reddes criminum multorum, quæ ipsemet committes; ulcisci debebis hæc de te ipso rigidîs pœnitentiæ operibûs; & his omnibûs à te & in te abundè toleratîs, securus non eris de obtenta eorundem indulgentia: morieris tandem velut reus in tormentis vel doloribus morbi cujusdam naturalis, aut mortis violentæ: & post hæc omnia certus non es, quid cum tua futurum sit anima; nisi quòd probè noveris, ipsam, cùm sit immortalis, exspectare æternitatem post hanc vitam: sed nescis, an futura hæc sit æternitas beata; vel an toleratura sit in æternum infelicis tormenta æternitatis. O deplorandam conditionem filiorum Adæ! quando hic foret quispiam princeps, & omnium nobilissimus hominum, omnes hasce miserias, inseparabiles nativitatis suæ nanciscetur comites.

Homo noster, totus in stuporem actus, audiendo longam hanc calamitatum seriem, quibus haud difficulter adhibebat fidem, eò quòd plerásque illarum in seipso jam fuerat expertus, benè cognovit, effectus tam malos oriri non posse, nisi à causa pessima, necessarióque fatendum esse, participare nos omnes ex pecca-

peccato protoparentis noſtri. Sed non comprehendebat, quid eſſe poſſit peccatum hoc originale, nec quâ ratione tranſeat à patre in filios? hinc propoſuit nobis deſuper plures quæſtiones ſat curioſus, quibus doctus & pius Eccleſiaſticus plenè ſatisfecit, uti percipies.

ARGUMENTUM.

In quo conſiſtat peccatum originale, quod naſcendo nobiscum afferimus.

Articulus VI.

Peccatum originale non eſt forma quadam ſubſtantialis.

DIc ergò mihi, petiit hic homo, cujus naturæ ſit hoc peccatum, quod nos non fecimus, ſed quod factum in nobis comperimus, abs eo, quòd de ipſo cogitaverimus unquam? eſtne forma ſubſtantialis, quæ penetret, vel quaſi circumcingat noſtram animam, ad deformandam ipſam, vel inducendum ipſi abominandam ſimilitudinem diaboli, poſtquam Deus Creator noſter nos efformaverat ad pulchritudinem ſimilitudinis ſuæ divinæ, ut, cùm anteà fuerimus objectum amoris ipſius, jam objectum fiamus ipſius odii? non, reſpondit Eccleſiaſticus, peccatum originale non eſt forma quædam ſubſtantialis, licèt effectus ſit deformitatis cujusdam realis, quæ plurimùm immutet in anima noſtra pulchritudinem ſimilitudinis DEI; ſed non eſt niſi defectus quidam, inordinatio & privatio, ac purum nihilum, cui involvimur, dum naſcimur, pejus, quàm nihilum entis, è quo Creator nos traxit, dum naſci nos fecit: ita, ut, dum pater meus cœleſtis me trahit è nihilo, pater meus terreſtris me immergat in aliud; & ab ipſo inſtanti, quo eſſe incipio, incipiam eſſe nihil.

Et quid, reponit alter? eſtne ergò peccatum originale importuna hæc concupiſcentia, naturalis hæc inclinatio ad peccatum, quam experimur in nobis ipſis, quæque ſemper conſtringit nos in certa quadam diſpoſitione ita oppoſita DEO, ut nonniſi factâ nobis vi feramur ad bonum, dum tam facilè nos rapi permittimus ad malum ab inclinatione? non, dicit Eccleſiaſticus, peccatum originale non eſt ipſa concupiſcentia: dici quidem poteſt, ipſam eſſe funeſtum quendam effectum, & deplorandam conſequentiam; ſed non ipſummet peccatum: & ratio hujus eſt evidens; ſiquidem peccatum originale tollitur à nobis per ſacrum Baptiſma, cùm tamen vi-

Similiter non eſt concupiſcentia.

deamus etiam post Baptisma remanere in nobis concupiscentiam.

Quid igitur est peccatum originale? prosequitur alter. Estne morbus quidam animæ, quo infecta est, eò quòd pestilentem respiraverit aërem à maligno dæmone, eúmque attraxerit ad se, dum audivit sibilum tentationis ipsius, séque seduci permisit, malens recipere in se spiritum dæmonis, quàm conservare in se Spiritum DEI? estne infirmitas, quam ipsa contraxit, eò quòd comederit fructum, quem prohibitio DEI quasi infecerat venenô, annectendô illi mortem, ne extenderet forsan ad ipsum manus? non, respondet Ecclesiasticus. Quamvis enim verum sit, totam naturam infirmam mansisse ex peccato originali; illámque more eorum, qui deglutiêre virus, nonnisi languere & tendere ad mortem; unde & sanctus Augustinus primum hoc peccatum appellat, *morbidum quendam affectum carnis*: nihilominùs hic morbus esse non potest peccatum originale duplici ex ratione. Prima est, quòd hic morbus permaneat in nobis, postquàm peccatum originale ampliùs non est in anima nostra: secunda, eò quòd peccatum originale æqualiter contrahatur ab omnibus animabus, hic autem naturæ humanæ morbus valdè videatur inæqualis. Videmus enim hunc esse nimis quàm magnum in quibusdam personis, qui nati sunt cum affectibus tam malignis, & propensionibus tam depravatis, ut nonnisi ad malum inclinari videantur: & econtra videre est alios, quibus dotes naturales tam sunt eximiæ & inclinationes tam bonæ, ut in ipsis peccâsse Adam non videatur. Quomodo possibile foret, ipsos tam inæqualiter esse infirmos, qui æqualiter essent rei peccati originalis? nisi quòd verum sit, eandem rem non esse peccatum & naturæ humanæ morbum ac infirmitatem.

Non est quidam morbus animæ.

S. Aug. in lib. de nupt. & concup. c. 13.

Verùm in quo ergò constituis peccatum originale, interrogat hic homo jam tædiô affectus, inquirendô illud, nec inveniendô? an igitur consistit in privatione, justitiæ originalis? habet id enim quandam verisimilitudinem: verum namque est, quòd, nisi perdidissemus justitiam originalem in persona primi parentis nostri, haberemus ipsam adhuc hodiè, & omnes attulissemus ipsam nobiscum, nascendo è sinu matrum nostrarum; verum ergò est, quòd venire in mundum cum privatione hac justitiæ originalis sit illud, quod appellamus nasci in peccato originali. Verum autem non est, respondit Ecclesiasticus, peccatum originale esse privationem

Peccatum originale consistit in privatione justitiæ originalis.

nem juſtitiæ originalis; ſed ſolummodò id cauſa eſt funeſtæ hujus privationis: ſiquidem privatum eſſe gratiâ, non eſt peccatum, ſed eſt pœna peccati: pœna hæc juſta eſt, & DEus eſt, qui illam infligit; peccatum autem injuſtum eſt, & homo eſt, qui illud committit; & conſequenter privatio juſtitiæ originalis non eſt propriè peccatum, ſed ſupponit peccatum.

Peccatum originale conſiſtit in qualam privatione rectitudinis.

Dicendum igitur eſt tandem, in quo conſiſtat hoc peccatum; verum eſt, id eſſe aliquam privationem; ſed cujus rei eſt privatio? non conſiſtit in privatione gratiæ, nec juſtitiæ originalis; ſed in privatione rectitudinis, quæ debebat eſſe in voluntate primi hominis, qui pro eo, ut rectè ambularet in via obedientiæ, & ſequeretur fideliter præceptum à Creatore ſuo ſibi impoſitum de non manducando fructu prohibito, deflexit ab ea, & ex illo comedit contra divinam ipſius voluntatem: deviatio hæc ab hac rectitudine eſt ipſius peccatum; voluit is privare DEum gloriâ, quam ipſi debebat, & in inſtanti privavit eum DEus gratiâ, quam illi donaverat; quod idem eſt, ac ſi diceretur: Ipſe peccavit, & DEus illum punivit. Et nos naſcimur omnes eâdem percuſſi pœnâ, quia omnes naſcimur ejusdem complices peccati. Primus homo ſolus eſt, qui commiſit id actualiter; ſed impreſſio illius permanſit in tota natura humana, ſicut habitus manent in anima poſt actus jam præteritos. Et ideò divinus Areopagita appellare id voluit, ingenitum diſſentiendi habitum. De Eccleſ. Hier. c. 2.

Hic Medicus, qui eximius erat Philoſophus, inſtantiam quandam fecit noſtro Eccleſiaſtico, quæ non parùm inſervit ad declarationem veritatis. Quomodò, dicis, peccatum originale conſiſtere in aliqua privatione? nonne omne peccatum conſiſtit in aliqua oppoſitione, quæ contrariatur legi DEI? quando lex DEI poſitiva eſt & affirmativa, ſicut exempli gratiâ primum præceptum: Diliges DEum ex toto corde tuo, concedo quidem, peccatum, quod contra hoc præceptum committitur, conſiſtere in aliqua privatione: oppoſitum enim affirmativo eſt certiſſimè quid negativum, cùm unum ſit velut lumen, & alterum velut tenebræ. Sed quando lex DEI eſt negativa, ſicut prohibitio, quam fecit primo noſtro parenti, de non manducando fructu: *Ne comedas*, neceſſe eſt, peccatum, quod contra hoc præceptum commiſit, eſſe quid poſitivum; ſicut enim oppoſitum affirmativo eſt negativum, ita oppoſitum negativo eſt affirmativum. Cùm ergò

An peccatum originale ſit aliquid poſitivum vel negativum?

peccatum Adami oppositum fuerit alicui legi negativæ, necessariò sequitur, ipsum fuisse aliquid positivum & affirmativum. Quid inquis ad hoc?

Quare omne peccatum sit negativum.

Dicam tibi, respondit Ecclesiasticus, legem DEI semper esse positivam & affirmativam, eò quòd divina sit voluntas, quæ ordinet & dirigat nostram. Nonnè cernis, ipsam sæpiùs nobis manifestari verbîs, quæ sunt negativa: *Non occcides, non furaberis, non comedes ex fructu vetito;* quibûscunque enim exprimatur verbîs, semper est voluntas positiva DEI, quæ nos dirigat, cuíque nostram, ut justa sit, conformare debeamus: & quâcunque ratione voluntas nostra aberret ab illa, sive non faciendô bonum, quod præcipit, sive committendô malum, quod prohibet, privata manet rectitudine, quam habere debet, eò quòd conformis non sit legi DEI; & in hoc solo est, quod peccet. Et consequenter semper verum est, omne peccatum indifferenter consistere in privatione quadam rectitudinis, quam voluntas nostra habere deberet.

Sed quæ privatio rectitudinis est in voluntate mea, interpellat ipsum Medicus, ut reus haberi possim peccati Adæ? voluntas alterius est, quæ deflexit à lege DEI, & non mea: ipse solus ergò reus est peccati, & non ego: nam ubi est privatio rectitudinis in mea voluntate? an aberrare illa potuit à recta via sua, annîs plùs sexies millenîs, antequam inceperit ambulare? Fateor, dicit Ecclesiasticus, hìc rationem humanam concitari, & non parùm offendi, si protervè inhærere velit cognitioni suæ naturali: sed necesse est, illam succumbere, ipsámque se humiliare sub auctoritate veritatis divinæ, quam fides revelat nobis; séque submittere ad credendum firmiter hoc religionis mysterium naturaliter nobis incomprehensibile. Omnes voluntates nostræ inclusæ erant in voluntate primi parentis nostri, nos omnes pecavimus in illo: *Omnes in Adam peccaverunt.*

Verissimum est, quòd, etsi nonnisi idem sit peccatum, quod commisit Adam; & cujus nos omnes rei habemur, magna tamen sit differentia inter ipsum & nos. Nam imprimis id fuit in ipso peccatum quoddam actuale, & præsens transgressio legis DEI; hoc non est in nobis nisi quasi contagio quædam ex malo ipsius, & transgressio quædam habitualis, relicta ab ipso nobis: *Ingenitus dissentiendi habitus.* Secundò id fuit in ipso peccatum commissum à propria ipsius voluntate: hoc non est in nobis, nisi ut peccatum commissum à voluntate alterius; unde etiam

Dionys. reop. loc.

Res mfferentia quòd per peccatum originale eo, quòd missum fuerimus Adamo, & contractum à nobis,

etiam oritur, quòd voluntas alterius sufficiat nobis ad obtinendam illius remissionem, quando sacrum recipimus Baptisma ex voluntate nostrorum parentum, quin tamen nostra concurrat, ubi primùm egressi sumus è sinu matrum nostrarum. Tertiò, in primo nostro parente fuit peccatum illud velut venenatus quidam fons, qui cunctis decurrens sæculis, seque omnibus ipsius communicans filiis, inficiat totam posteritatem in nobis: hoc quidem est venenum, sed nonnisi nostras inficiens personas, non recipientibûs id posterîs nostrîs à nobis, sed à primo parente, à quo id æquè bene accepimus ac ipsi, abs eo, quòd longa ista sæculorum series, quæ defluxit exindè, quo vixit Adam in mundo, rumpere potuerit vinculum, quod constringit nos cum illo, aut obligationem bibendi ex calice iræ DEI, quem præparavit nobis in persona ipsius. Tandem dici potest, quòd peccatum illud in persona primi hominis sit origo & principium omnium peccatorum mundi; sed in nobis radix non sit, nisi peccatorum nostrorum personalium: adhuc dici potest, non esse ipsummet, quod nos allicit, quódque nos trahit ad peccatum, sed quòd præstet hoc potiùs concupiscentia, quam reliquit in nobis post se. Declaranda mihi adhuc restat præcipua difficultas, quam inter cæteras proposuisti.

ARGUMENTUM.

Quando, & quâ ratione infans contrahat peccatum originale.

Articulus VII.

Caro est, & caro non est, quæ maculat nos peccatô originali.

AN caro est, quæ maculat animam? an anima est, quæ maculat carnem labe peccati? Neutrum: ex una parte non est caro, quæ inficiat animam infantis peccatô originalî: hæc enim capax peccati non est, antequam animetur, cùm nondùm adhuc nisi mortua quædam sit terra: verum tamen est, quòd, si anima nunquam tangeret carnem Adami, nunquam macularetur Adami peccatô; hæc namque doctrina est sancti Concilii Tridentini: *Reverà homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti.* Si DEus crea- Sess. 6. c. 3.
ret parvum quoddam corpus humanum in sinu alicujus matris, illúdque animaret anima quadam rationali, nasceretur ex illo infans, qui infectus non esset peccato originali: ut aliquis sit peccator, necesse est, ut sit ex

carne Adæ. Verùm præcisè caro non est, quæ afferat hanc maculam animæ, cùm ipsa capax non sit alicujus peccati, antequàm receperit animam.

Non est anima quæ inficiat peccatô originali.

Ex alia parte etiam non est anima, quæ maculet carnem peccatô: siquidem ipsa talis non est, cùm exeat tota pura & tota innocens è manibus DEI per creationem. Sic peccatum non invenitur nec in carne seorsim, nec in anima seorsim: cùm ergo non sit in partibus, quomodo esse poterit in toto?

Audio Vatem quendam ingemiscentem & deplorantem infelicitatem nativitatis suæ: *In peccatis*, inquit, *concepit me Mater mea.* Nonne vult per hoc dicere, quòd peccatum fuerit in se à momento Conceptionis suæ, eò quòd pater & mater satisfaciant concupiscentiæ suæ in generatione filiorum suorum; quódque hæc actio, in qua descendere videntur infrà conditionem alicujus creaturæ rationalis, ad imitandum illam bestiarum, eò usque displiceat DEO, ut id, quod producunt, placere non possit ipsi; quódque cùm causa sit inordinata, effectus quoque illius sit criminosus? Non: nam ultrà hoc, quòd usus nuptiarum criminosus non sit coram DEO, quamvis omninò exemptus non sit ab omni inordinatione concupiscentiæ, non est hic usus, qui

Psal. 50.

Quid sit concipi in peccato.

nuncupetur conceptio alicujus infantis; aliàs facere oportet magnum valdè discrimen inter infantes, qui nascuntur ex toro legitimo, & illos, qui nascuntur ex peccato parentum suorum: primi essent absque peccato, & secundi non essent; & tamen omnes contrahunt æqualiter peccatum originale in momento conceptionis suæ, eò quòd hoc momentum non sit illud actionis parentum; sed quod longè post sequitur.

Novi, dicit Medicus, plures requiri dies ad disponendum corpus alicujus infantis in sinu matris, ut capax reddatur ad recipiendam animam rationalem; & quando sufficienter organizatum est, ut animetur, DEus in momento creat animam rationalem, & eodem instanti illam unit corpori. Et hoc momentum unionis corporis & animæ, est momentum conceptionis: hæc ergò fit in sinu matris, absque eo, quòd ipsa aliquid indè percipiet; hoc namque fit certo quodam momento, & certa quadam ratione, quam ipsa non cognoscit: *Momenta, quæ pater posuit in suæ potestate.* Hæc sunt momenta introitûs nostri in mundum, & exitûs nostri è mundo, quæ non dependent à nostra libertate, quæque solus in sua potestate tenet pater cœlestis. Probè novi, in hoc momento

Quod nam momentum conceptionis alicujus infantis.

Act. 1.

mento conceptionis, vel unionis animæ cum corpore contrahere infantem maculam peccati originalis; sed non capio, quare peccatum inveniatur in hac unione.

Unio animæ & corporis non est criminosa.

Siquidem imprimis DEus est, qui facit illam; non ergo esse potest nisi optima, cùm sit opus bonitatis cujusdam infinitæ. Anima ex parte sua non facit aliquod malum, quòd se uniat corpori ad communicandum ipsi vitam, sed potiùs facit bonum, cúm in hoc obediat mandato DEI: nec caro ex parte sua culpabilem se reddit, quòd recipiat hanc animam velut principium vitæ suæ; sed potius nobilitatur & evadit creatura excellens, ut quæ circumferat imaginem DEI: ubi est ergò hoc peccatum quod contrahitur in momento conceptionis alicujus infantis?

Quare unio animæ & corporis reos nos reddat culpæ originalis,

Dicam tibi id unicô verbô, respondit Ecclesiasticus. Unio parvi hujus corporis cum anima sua nasci infantem facit filium Adæ; & sufficit abundè, descendere à primo hoc DEI inimico, ut involvatur quis in crimine ipsius, & complex censeatur rebellionis suæ. Ne quæras, quodnam crimen commisit hic infans, ut sit objectum iræ DEI? magnum satis malum est pro ipso, ex tam malo natum esse patre; is, qui nascitur ex patre servo, nonnè servus est, sicut pater ipsius? verum quidem est, quòd nihil commiserit, quo meritus fuerit suam perdere libertatem naturalem, quæ maximè gloriosa conditionis nostræ humanæ prærogativa est; sed perdidit ipsam, quin sciret, & quin vellet, in persona patris sui. Sic omnes Adæ filii servi nascuntur peccati, abs eo, quòd id velint, vel quòd id nôrint; eò quòd sint filii alicujus patris, qui semetipsum voluntariè servum reddidit primi peccati.

Act. I.

Excipio sanctissimam Virginem, quæ concepta est sine peccato. Verum quidem est, ipsam esse filiam Adæ; & sub hoc titulo more aliorum fuisset & ipsa obnoxia crimini; sed ipsa mater est novi Adæ Jesu Christi, qui proprius est Filius DEI: & sub hoc titulo ipsa non debuit, imò uti videtur nec potuit unico momento maculari horrenda labe peccati, cùm hæc Filii sui unigeniti contaminâsset gloriam, qui, cùm infinitâ ratione distet à peccato, & per essentiam Sanctus sit sanctorum, haudquaquam decuit, ut tam propè peccatum accederet ipsum, sed neque imperium in eo teneret loco, ubi inclusus novem mensibûs commorari debuit; velut captivus amoris; sed neque decebat, ut lethalî venenô peccati infici permitteret Matrem vitæ, è qua mutuare voluit totam corporis

Sanctissima Virgo concepta absque peccato originali.

poris sui humani substantiam. Hoc primum, quod fecit, erat miraculum, ad insinuandum manifestè summum horrorem, quo abominatur peccatum: debebat is id persequi. Et in omnibus exterminare hominibus; sed in propria matre sua prævenit illud, conservans ipsam ab illius malitia, nec minimam unquam permittens in ipsa maculam.

Omnes exceptâ sanctissima Virgine contraxerunt peccatum originale.

Haud novimus, an concesserit prærogativam hanc aliis, quàm ipsi soli: illam ulterius extendere velle, temeritas foret, & opinio erronea. Omnes cæteri filii Adæ, etiam maximi Sanctorum ingemuerunt totâ vitâ suâ, transegisse se aliquot momenta sub tyrannide peccati; omnes experti sunt malignos, quos in animabus suis reliquit, effectus & affectus. Et adhibitis millenis conatibus, effusis tantarum lachrymarum torrentibus, multiplicatis tot ac tantis vitæ austeritatibus, congeminatis tot mortificationum operibus, videbant semper, renasci invitis se ex hac origine vitiosa certas quasdam inclinationes ad malum, quibus exstimulabantur ad conquerendum cœlo, cum magno Apostolo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* & omnes denique incessanter adnisi sunt, ut veterem exuerent Adam, & induerent novum. Verùm quid prodest nobis, infelicem cognoscere statum, in quem redacti sumus per noxam originalem? videamus ergò.

Affectus militatis

Rom.

ARGUMENTUM.

Quis fructus hauriri possit ex hac consultatione.

Articulus VIII.

Quatuor boni effectus, quos haurire possumus ex consideratione peccati originalis.

ECce! tibi quatuor bonos effectus, qui indè trahi possunt. Primus erit magnæ humilitatis, magníque contemptûs sui ipsius. Eheu! non attuli nascens in mundum, nisi peccatum & ignorantiam; non habeo ex me ipso nisi concupiscentiam, quæ propensione continua me urget ad malum; Natus sum ceu objectum iræ DEI, abominandum oculis Creatoris mei; contemptissimæ bestiolæ super terram in hoc excellunt me, cùm illa nullo onustæ peccato ingressæ sint mundum; sed semper innocentes apparuerint coram oculis Conditoris sui.

Amor meus proprius defendere se desuper volet; & dicere: non esse hoc vitiô & culpâ meâ, & si alterius peccatum peccato me reddiderit obnoxium nascendô, id effectum non esse propriæ meæ malitiæ, sed calamitatem & miseriam conditionis

nis meæ naturalis, ſicque potiùs me commiſeratione, quàm condemnatione eſſe dignum. Verùm nonnè hoc ſaltem ſit maximæ anſa & argumentum humiliationis? Ille, qui afferret ſecum in corpore ſuo naſcens deformitates alicujus monſtri, magiſque referret ſpeciem beſtiæ, quàm hominis, ſanè nullius reus foret criminis, quòd ita calumnioſus eſſet à natura. Sed nonnè ſaltem exin confunderetur? Nonnè ſaltem ſubjaceret deſpectui hominum? verùm ſi maximæ eſt argumentum confuſionis, circumferre exteriùs ſimilitudinem beſtiæ; quantò majus erit, gerere interiùs & in ipſa anima veras beſtiarum propenſiones? O ſi omnes viderent homines, indignos, qui ſæpiùs naſcuntur, reluctantibûs etiam nobîs, è fundo depravatæ noſtræ naturæ affectus & ſenſus! producito, ſi audes, in medium omnes, quæ tuam occupant indiguationem, ineptias & abſurditates: Exponito luci omnes inordinatos, quos in arcano cordis tui paſſiones tuæ concitaverint, motus: enuntia palàm fœdas ac infames inclinationes, in quas te ſæpiùs experiris abreptum: Nonnè morereris præ pudore, ſi intueri liceret illas? Et tu, qui intueris illas, qui probè illas nôſti, nonnè maximam te humiliandi, te confundendi, téque ipſum contemnendi habeas anſam? *Humiliatio tua in medio tui?* Mich. 6

Affectus humilitatis.

Rom.

Ex hoc naſci debet affectus ſecundus, qui quaſi inſeparabilis eſt à primo: & hic affectus eſt patientiæ. Patientia eſt diſpoſitio quædam ſufferendi omnes cruces, quas placuerit DEO immittere nobis, ſive per ſeipſum, ſive per ſuas creaturas. Cùm enim verum ſit, quòd omnes naſcamur filii iræ, expoſiti ſumus in mundo ceu ſcopus, quò collimare debeant omnia juſtæ iracundiæ DEI jacula. Ut verum fatear, non niſi nos ſoli ſumus in univerſo hoc mundo inferiori, qui mereamur ſupplicium, cùm nihil ſit aliàs, quod poſſit committere vitium aut flagitium, ſeque per hoc conſtituere inimicum DEI. Malignum nobis cor eſt, quod ſolum eſt principium, undè omnis generis prodeant iniquitates, & centrum unicum, quò colliment ipſæ; ita, ut ſi cor humanum non eſſet, nullum foret peccatum, nullâque DEus afficeretur injuriâ à creaturis ſuis. Cùm ergò ſoli rebelles ſimus DEO, nonnè æquum ſit, ut omnia divinæ juſtitiæ in nos ſeſe exonerent ſupplicia?

Affectus patientiæ.

Venite morbi & dolores, cruciate corpus hoc ſceleratum: venite angores & crûces internæ, torquete animam hanc DEO infidelem: venite omnes creaturæ, juſtâ vos accendite irâ ergà

Omnes creaturæ jus habent nos affligendi.

insensatum hunc, & ultionem sumite de injuriis Conditori vestro ab ipso illatis. Venite dæmones, divinæ justitiæ veluti executores, vestris facinorosum hunc onerate persecutionibus, struite insidias, ut capiatis ipsum, circumvenite ipsum, vestris fraudibus, obruite ipsum vestris tentationibus: abundè enim hæc & plura est promeritus. Æquum est, ut homo peccator, cùm solus sit inimicus, eò quòd ipse solus offenderit ipsum, ab omnibus operibus manuum DEI, quibus curæ est gloria Conditoris sui, oppugnetur & persecutionem patiatur.

Eheu! an conqueramur, nobisque fieri cogitemus injuriam, quòd quid nos presserit afflictionis, cum tales simus, quales scimus non esse? Nonnè cuncta patienter acceptanda, & usurpanda illa Jobi verba: *Verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi.* Ah? quid omnia hæc sunt intuitu eorum, quæ promerui? percute, puni sceleratum hujus vitæ tempore; sed non percute, ô manus DEI, in justa ira tua per magnam illic æternitatem, cùm certum sit, peccatum semel commissum, manere nunquàm posse impunitum; acquiesco, ut puniar in vita hac; optimè novi, in peccatis me natum esse, fateorque dolenter, me miseram in pluribus noxis transigere vitam; semel illas puni Domine, secundùm misericordiam tuam; verùm cùm scriptum sit, justitiam tuam non *bis punire in idipsum*, ne punias me in æternum in ira tua.

Job. 33.

Non habemus ansam conquerendi, sed potiùs gaudendi quando punimur.

Metuenda non sunt hìc peccati supplicia; sed super omnia timendum est peccatum. Et hic tertius est fructus, qui ex hac consultatione reportari potest, timor dilabendi in peccatum, quod barathrum quoddam est profundius & horribilius ipso inferno. O DEus! Attende benè qui vivas, custodi solicitè gressus tuos, & quò vadas, vide, cùm ambules in medio millenorum peccatorum, quibus semper expositus es; ne fidas millenis salutis tuæ inimicis circumdantibus te, sed super omnia plurimùm diffidas tibi ipsi, cùm non careas inimicis domesticis tui proditionem machinaturis; dicere volo, ne fidas affectibus & malis inclinationibus tuis, quibus convenit cum mundo & inferno, ut perdant te.

Affectus timoris cadendi in peccatum.

Sanctus Paulus, magnus licèt Apostolus, non vivebat absque timore: inveniebat namque ubivis pericula; pericula in mari, pericula in terra, pericula in campis, pericula in solitudine, pericula domi, pericula foris, pericula in falsis fratribus. Et antè ipsum Spiritus sanctus nos hisce admonuit verbis: *Quoniam* Eccli. 9.

in

in medio laqueorum ingrederis. Memineris, te non ingressum esse in mundum, nisi ut gradereris in medio laqueorum; & quod magnitudinem demonstrat periculi, est, quòd pauci sint, qui id noverint. Labitur hic in odia lethalia & vindictas; alter illaqueari se sinit amoribûs lascivîs & fœdîs deliciis; alius captivitatem amplectitur sub tyrannide avaritiæ, noctes diésque horrendùm sese torquentis; & plerique, qui in barathrum alicujus prolapsi sunt peccati, ita immergunt se illi, ut non ampliùs videant nec modum, nec medium se ab illo retrahendi. Et peccatum originale est, cum quo nascimur omnes, quod infelicia nobis concredit semina horum omnium vitiorum, quæ salutem nostram æternam tam ingenti exponunt periculo.

Undique nobis imminent pericula perditionis.

Affectus confidentiæ in misericordiam DEI.

Sed tandem oportet timorem hunc temperari magnâ confidentiâ in misericordiam DEI, qui quartus est fructus è consultatione hac eliciendus: Si humiliatio, si patientia, si timor dejicit & consternit, adimitque animum nobis, non ædificatur, sed destruitur ex hoc anima nostra. Oportet illum, qui humiliatus est salubriter ex aspectu miseriarum suarum, in ipso instanti denuò elevari per confidentiam, quâ exstimuletur ad implorandum auxilium DEI: oportet, ut nostrarum abyssus miseriarum abyssum invocet infinitæ bonitatis suæ; útque agnoscentes, longè ditiorem ipsum esse in bonitate, quàm nos in malitia, non cessemus pulsare ad portam divinæ misericordiæ suæ, quoad suos nobis aperuerit thesauros, ut suîs nos locupletet & gratiîs ac favoribûs.

Mala nostra ejusmodi sunt, ut nec omnes homines, qui sunt in terra, nec omnes Angeli, qui sunt in cœlo, nec omnes simul creaturæ habeant facultatem liberandi nos ab unico solùm ex omnibus peccatis nostris, quia id malum est infinitum. Oportet magnum eo nomine descendere Medicum de cœlo, quia magnus jacebat in terra ægrotus, genus nempe humanum: Non est nisi sola omnipotentis DEI manus, quæ efficax applicare possit remedium, ut sanetur. Necesse est ergò venire ipsum in persona, descendere ipsum ad nos, & fieri quasi unum ex nobis; necesse est, ipsum fieri hominem, ut homines salventur; & hic magnus misericordiæ excessus est, quò à sua tractus & abreptus est bonitate. Habemus DEum hominem, qui omnium hominum voluit esse Redemptor Jesus Christus, Adam secundus, qui gratiâ suâ sanctificavit id omne, quod primus suô corruperat peccatô; quíque infi-

DEus solus afferre potest remedium malis, quæ peccatum originale nobis parit.

nita sua bonitate id totum reparavit, quod primi destruxerat malitia hominis.

Hem! quis est hic CHRISTUS JESUS? interrogavit nos hic homo, cujus totus jam animus erat solatiô refertus ex novis cognitionibus, quibûs illuminatus erat; sed sentiebat augeri famem suam, ut exoptaret adhuc majores. Declara ergò mihi, te obsecro, quisnam hic sit CHRISTUS JESUS, de quo mihi loqueris, ut credam in ipsum, ut adorem ipsum, ut diligam ipsum, libentissimè promittebat id ipsi, qui illum instruebat. Sed sufficit, quod audîsti, pro primo hoc congressu; acquiesce, & cras dicemus id tibi.

CONSULTATIO II.

De incomprehensibili DEI Consilio pro Reparatione hominis, per Mysterium Incarnationis.

QUam admirabilis in arcanis providentiæ suæ est DEUS? Coacti sumus transigere noctem in hac Insula, ubi aliud diversorium nobis non erat, nisi quod universalis Creator ædificaverat ipse pro omnibus creaturis: habebamus cœlum pro laqueari, & pro lecto serviebat nobis terra, quibûsdam solummodò instrata herbîs, inter quas magna arbor, densîs spisîsque frequens comîs, sua in orbem extendebat brachia, ut serviret nobis, ceu fabrefactum à natura tentorium.

Insularis noster hujusmodi assuetus diversorio, valde bona est usus quiete, dum interim nos partem noctis precibus impendimus fundendis, cùm tranquillum & quietum hoc tempus idoneum omninò sit ad elevandum mentem in DEum, qui sæpissimè spiritualem suum ingressum facit in animas eâ ratione, quâ corporalem facere voluit in hunc mundum inferiorem, nascens in tenebrarum medio, & altissimo omnium creaturarum silentio: *Dum medium silentium tenerent omnia.* Altera noctis pars transacta est legendô Excellentias DEI exaratas in frontibus stellarum, characteribûs radiosa luce plenîs, loquentibûs ad oculos, & incessanter enarrantibûs gloriam DEI Creatoris sui. Residuum noctis dabatur colloquio de prodigiis divinæ providentiæ, quæ nos feliciter eò loci deduxerat, ubi inveniremus hominem,

Nox idon[illegible] est ad ora[illegible]dum & co[illegible]templandu[illegible] Excellentia[illegible] DEi.

nem, qui perditus videbatur in parvo orbis angulo, cunctis incognitus mortalibus, jam tot annis omnî humanô destitutus auxiliô.

Judicavimus haud malè exin, inusitatas ipsi à cœlo præparare gratias, sed nesciebamus ipsas futuras tam copiosas, sicut experti fuimus. Siquidem, dum ita colloquebamur, persuasi, ipsum totum solum alto tumulatum jacere somnô, erat DEus cum ipso & loquebatur ad animam illius, ut admirabili quadam ratione ostenderet, & manifestaret ipsi ineffabile Mysterium Redemptionis mundi, in visione quadam intellectuali, quam ipse ceu somnium fuerat interpretatus. Et reverà erat somnium omninò divinum & supernaturale: tria enim somniorum sunt genera; naturalia, diabolica, divina.

DEus loquitur quandoque animæ in somnio.

Dantur somnia naturalia, quæ non sunt nisi purus effectus temperamenti & dispositionis humorum naturalium, qui pugnant vel dominantur in corpore humano. Hinc est, quòd bilioſus somniet sæpissimè, se luctari, & esse in bello phlegmaticus somniet, se esse in aquis aut imbre perfundi; sanguinolentus somniet, se volare aut currere; melancholicus, se horrenda videre spectra, aut labi & illidi se in præcipitia: vel etiam quandoque passiones & animi affectus, quando vehementes sunt, conciliant somnia suis conformia desideriis. Avarus, exempli gratiâ, non somniat, nisi de thesauris suis; ambitiosus, nonnisi de dignitatibus; luxuriosus nonnisi de suis lasciviis & voluptatibus; homo addictus litteris etiam studet dormiendô, & concipit quandoque, dum dormit, quod comprehendere non poterat, dum vigilabat. Hæc somnia sunt naturalia, quæ quamvis non magni æstimanda sint, non tamen prorsùs sunt inutilia, cùm servire nobis possint ad cognoscendum dispositiones nostras naturales, nósque etiam instruendum in moribus. Siquidem Aristoteles sapienter hac de re discurrens asserit, quòd virtutis amantes magis suavia magisque rationi congrua habeant somnia, quàm vitiosi; quódque horrorem, quem conceperunt ergà malum vigilandô, conservent similiter dormiendô: *Virtuosi nanciscuntur dormiendô meliora theoremata præ aliis non virtuosis.*

Tria somniorum genera.

Somnia naturalia.

Lib. 1. Ethic. cap. ult.

Reperireest etiam somnia diabolica, quæ tunc accidunt, quando DEus permittit huic principi tenebrarum impugnare animas durante regno suo. Vexat enim illas importunis imaginibûs, quas imprimit ipsarum sensibus internis & imaginationi: modò, ut somniare illas faciat, quòd ipsius succumbant tentationibûs, quód-

Somnia diabolica.

que committant dormiendô peccatum, à quo abhorrebant vigilandô, sperans, se decepturum expergefactas, & extorsurum consensum ab eis in malum: modò, ut illas retineat ab executione boni alicujus, quod formaverant, consilii aut propositi, siniſtrum augurandô illis successum; & modò, ut impediat consilia aliorum. In instanti, quo sedebat Pilatus pro tribunali condemnaturus JEsum Christum ad mortem, venit confestim nuntius ab uxore missus ad ipsum, hæcque insinuans: *Nihil tibi est justo illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Matth. c. 27. v. 19. Plerique Patres sentiunt, hæc somnia fuisse diabolica, per quæ diabolus impedire voluerit passionem Redemptoris & salutem hominum. Et quandoque DEus ipse, qui utitur malitiâ dæmonum ad exhibendum certis peccatoribus beneficium, permittit, ut ostendant ipsis in somnio aliquas suppliciorum, quæ promeriti fuissent, imagines. Sicut Plutarchus annotavit, quòd insignis avarus & crudelis Apollodorus somniaverit, quòd Scythæ se coctum in ahenô & excoriatum dissecuerint in frusta, quódque in medio horrendi hujus supplicii cor suum dixerit sibi: *Tu ipse exerces in te hanc crudelitatem, quâ me repleviſti.* Plutarchus.

Tandem somnia sunt quoque divina, quæ speciem referunt revelationum, in quibûs DEus, sive per seipsum, sive per ministerium suorum Angelorum, manifestat nobis voluntatem suam tempore somni. Sacra Scriptura tota scatet ejusmodi somniis divinis. Duodecimo capite libri Numerorum dixit DEus ad Moysen, Aaron & Mariam sororem illorum: *Audite sermones meos, si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Num. 12. Sanctus Job sæpissimè de his loquitur: *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplinâ.* Job. 33. Jacob aspexit in somnio mysteriosam illam scalam, quæ à terra pertingebat usque ad cœlum, & Angelos ascendentes & descendentes per hanc scalam. Omnes libri Salomonis, Danielis, & cæterorum Prophetarum nonnisi somniis abundant divinis. Somnia divina.

Et in Evangelio Angelus Domini apparuit sancto Joseph in somnio, & admonuit ipsum de salvando puero JEsu à persecutione Herodis. Sanctus Petrus vidit in somnio magnum illud linteum, quod descendebat de cœlo plenum animalibûs immundis, quæ jussus est occidere & manducare, ad significandum ipsi

ipsi conversionem Gentilium, qui perdere debebant vitam suam bestialem & criminosam, & pro ea recipere vitam divinam, & omninò sanctam, ut filii fierent sanctæ Ecclesiæ. Denique nihil usitatius est, quàm argumenta & exempla, quæ nobis sacra affert Scriptura, ad insinuandum & ostendendum nobis, divina dari somnia.

Illud, quod nostro accidit homini, tempore somni sui, erat procul dubio somnium quoque divinum. Nam expergefactus & idæas illius adhuc totas recentes circumferens, accessit nos totus exterritus, idque enarravit nobis sapientibûs verbis.

ARGUMENTUM.

Visio admiranda circa modum, quo DEus præstare hominibus voluit beneficium Redemptionis.

Articulus I.

NUnquam totâ vitâ meâ talem exegi noctem. Aspexi res tam stupendas, támque inauditas, ut nesciam, undè desumpserim, quod somniavi. Videre mihi visus fui Majestatem DEI in throno suo, in forma, qua administret justitiam, pronuntiet horrendas damnationis sententias, decreta evulget mortis æternæ adversùm peccatores. Videbam omnes coram ipso inhorrescentes tremore homines, eò quòd nec unicus illorum esset, qui crimini non fuerit obnoxius; & quod majori me perculsit stupore, est, quod è medio illorum pectore legiones certorum terribilium monstrorum, insurgentium contra ipsos viderim prodire, quæ eodem tempore obibant vices tum accusatorum, tum testium, tum partium, quæque voce horribili exquirebant vindictam à supremo judice contra illum, qui se portaverat in sinu suo.

Peccata accusant auctores suos coram DEO.

Inventus in medio infelicis hujus catervæ, oneratus criminibûs, velut omnes alii, tremore quoque inhorrui sicut ipsi; & cogitabam ipse mecum, an expedire me non posset ab inimicis hisce domesticis, vel illis imponere silentium, quo impedirem, ne accusarent me coram judicio DEI. Sed quantò magis sedare illos volebam, tantò magis adversùm me vociferabantur. Expetebam suppetias à cunctis hominibus, quos videbam in terra, sed responderunt mihi: Eâdem tecum navigamus cymbâ, & eâdem tecum jactamur tempestate; succurrere tibi non possumus, eò quòd nec nobis

Omnes creaturæ sunt contra peccatorem.

bis præstare succursum valeamus. Attollebam in cœlum oculos, tendebam ad astra & omnes creaturas manus, & omnes repleverunt me, allegandô, quòd sanè omni careant facultate efficax præbendi remedium infinito, quo oneratus essem, malo: imò etiamsi adjuvare me possent, se potiùs acturos esse causam Creatoris sui contra me, séque omnes se potiùs armaturas indignatione universali, ut delerent & perderent me.

Quid faciam igitur, dicebam intra meipsum? volebam explorare cor meum, an vires mihi essent tuendi ac defendendi me? & inveni proprium cor meum insurgere adversùm me, propriámque meam exstimulari plurimùm conscientiam ad accusandum me & condemnandum, adeòque impedire me non posse, quin occultissima mea proferat in lucem arcana, ipsáque manifestet omnia, quæ commisi, crimina.

Admiranda propositio DEO facta à peccatore.

In extrema hac constitutus necessitate, cùm non viderem, quò meam verterem fiduciam, sublatis in altum oculis ac manibus, ad ipsum me converti judicem, quin vel unicum pro mea defensione ipsi auderem dicere verbulum; tanto perculsus eram timore, tantóque suffusus pudore; sed lachrymæ meæ, quæ interdum pondera vocis habent, & suspiria mea loquebantur ipsi pro me. Videbatur is mihi totus emollitus mearum aspectu miseriarum, suavissimo vultûs ac oris habitu, hæc auribus imponere verba: *Quid vis, ut faciam tibi?* ex hoc animatus fui, ut peterem ab ipso non absque tremore: Domine, hoc favore me dona, ut liceat mihi tecum inire pacem, quotiescunque te offendero, túque maximâ in me concitatus fueris irâ: O si medium mihi foret placandi te, postquam fueris irritatus à me! O si tuam exarmare possim justitiam, ne ob mea flagitia decernere in me posses supplicia, hæcque mihi ipsi abolere liceret, quoties liberet!

Sed quæ tua hæc est petitio? respondit mihi: an fuerit unquam tantæ clementiæ princeps, qui ejusmodi præsentatam sibi non repudiaverit petitionem? quò deveniet ergò rigor legum? quò auctoritas justitiæ? quid roboris habebit ipsa ad reprimenda vel punienda crimina, si talis manibus facinorosi consignetur facultas, frustrandis ipsius consiliis, annullandis omnibus ipsius decretis, quando suo is uti volet favore ac privilegio?

Verum est, Domine, fusiùs respondi lachrymis: Fateor, omnes simul in mundo homines tantum bonitatis inserturos nunquam cuipiam cordi humano, ut addu-

adducant illud ad favorabilem ejusmodi postulationi præbendum annutum: sed novi, te infinita ratione bonum esse, tuámque misericordiâ hominum non mensurari misericordiam. Ah! Domine, ostende mihi divitias ineffabilis bonitatis tuæ, & ne perdas me opus manuum tuarum.

Privilegium admirabile à DEO concessum peccatori.

Summô deliniebar solatiô, quando vidi ipsum benignè respondisse mihi, meæ assensum præbuisse petitioni, támque affabili, támque suavi oris compositione, ut totum rapuerit cor meum, hæc mihi dedisse verba. Vide, quàm sim amabilis; non solùm condono tibi omnia tua, quæ commisisti, crimina; sed concedo quoque tibi admirandum hoc, quod efflagitâsti privilegium, quod concedere possibile non est, nisi infinitæ bonitati DEI. Si contingat, te ex maxima, quæ inveniri possit, ingratitudine deinceps offendere me peccatis, prærogativâ te augeo, ut in meam redire possis gratiam, tuíque condonationem criminis, ipsemet tuô firmare chirographô, & intimus, si velis, evadere amicus: nullos meos figo limites gratiis, tuorum non respiciens peccatorum numerum, si multiplicata quoque forent ultra herbas & gramina, quæ germinat & alit terra; nihil reservo, excipio nihil, quando enormius multò foret omni eo, quod subire potest cogitationes hominum, universalem obtinebis veniam omnium, intrà minùs quàm quadrantis horæ spatium, juxta tuum, si uti illo volueris, privilegium: nil ampliùs tibi damnationis, nil inferni, nil mortis æternæ metuendum erit; sed potiùs locupletabo te vitâ æternâ, & propriæ meæ possessione gloriæ. An quid ampliùs exoptare possis? an cernis, quàm dives in bonitate sit DEus tuus? nisi ipsum ames ex toto corde tuo, nonnè ingratior sis omnibûs creaturis? sed ut ampliùs obstringaris ad hoc, elige tibi ipse modum, vide, quâ ratione tam singulare expedire tibi velis privilegium.

Admirabilis ratio privilegii peccatori à DEO concessi.

Totus abreptus gaudiô, me tantîs cernens accumulatum favoribûs, omnis oblitus timoris eò usque evasi fiduciæ, ut argui non abs re potuerim insolentiæ: ausus námque fui tam inusitatam ipsi facere propositionem, ut nesciam, qua ratione pronuntiandi eandem habere potuerim confidentiam. Optimè novi, inquiebam ipsi, ô supreme Monarcha mundi, te facere id posse unico voluntatis tuæ actu, útque id mihi demonstres, unicum sufficere oris tui posse verbum. Aspicio tot milliones Angelorum augustæ Majestatis tuæ circumfusos Throno; scio, te ex illis

deputare unum posse, qui reconciliationis meæ existat mediator, méque meô frui faciat privilegiô. Verùm si ipsemet in persona venire velles? hoc pro mea foret consolatione, majorémque mihi præberet fiduciam; adeóque optarem, ut ipsemet è throno gloriæ tuæ descendens veniret ad me, ad succurrendum mihi. O si oculi mei viderent te miseriarum mearum immersum abysso, túque assumeres illas, ut ab illis me liberares; luculentô id mihi argumentô foret amoris tui, de quo ampliùs dubitare non possem, tuúmque foret totum cor meum, méque securum sic crederem, mei virtute privilegii; nunquam enim non metuo tuæ rigores justitiæ. Veni ergò, Domine, meásque subi vices, meâ te induc formâ, meâ te cooperi pelle, téque propriâ meâ investiens carne, expone te ad excipiendos omnes ictus, quos irritata tua justitia vibrare poterit super me. Et denique ut ab omnibus me tntum præstem periculis, assere, te reum esse, & crimini obnoxium.

Sancto horrore concuti debet, considerans excessum bonitatis DEI super nos.

Vix protuleram verbum, mox mei ipsius me perculit cum tremore horror, ac stupor temeritatis meæ, exprobrans mihi intùs, valdè magnam me commisisse blasphemiam. Itáne ergò, dicebat mihi, sonô querulô, & quasi meæ miseratione tactus ignorantiæ: Nonnè sufficit, indulsisse me tibi veniam adeò universalem, ut nullos hìc statuam limites, támque facilem obtentu, ut tibi propè stet nihili? An autem congruat adhæc, ut pro reo puniatur innocens, Deique Majestas, quam offendisti, ipsámet potest, peccatorum, quæ commisisti supplicium? quæ metamorphosis rerum, quando is, qui offendit, imponere vult mulctam offensæ illi ipsi, quem offendit? temerarie, qua ratione tam insolentem formare solummodò es ausus cogitationem? obruebar tanto hìc pudore, ut vix non obruerer morte.

Et nihilominùs, nescio, quomodò acciderit, audacior factus quàm antè, quin ipsemet scirem, quid dicerem, adjunxi: Domine, sed hoc non sufficit, ulteriùs quid molire, & facito id omne, quod facere potest DEus in extremo ineffabilis bonitatitis suæ excessu. Postquàm induisti te corpore humano, quale est meum, sacrifica, & immola illud ex amore ergà me; expone id omni carnificum furori, quo crudelissimè debacchentur in ipsum, dilaniant id virgis, & totum à plantis usque ad verticem oppleant plagis; verticem ipsum spinis perforent, téque tandem manus pedésque confixum clavis, infamî suspendant lignô.

Considera horrore no percellent,

Satu-

Saturare insuper opprobriis & contumeliis, calumniis ac injuriis, cruciatibus ac doloribus, sarcasmis & maledicentiis publicis populi adversùm te efferati; sicque morere inter humiliationes ignominias, tormenta ac supplicia omnia, quæ mea promeruissent peccata; & ita moriens omnem tuum usque ad guttam ultimam effunde sanguinem, ut salubre mihi præpares balneum, in quo possim, quando voluero, meam lavare animam, & ipsam ab omnibus, quæ in te commisero, mundare peccatis.

Hæc dicens defeci spiritû, totúsque obstupitus hæsi & attonitus, ac abreptus extra meipsum, nec intelligens id, quod dicebam. Non exspectabam nisi è cœlo, quod conteret me, fulmen, in meæ supplicium temeritatis, quòd ejusmodi in animum fuerim ausus admittere cogitationes, & tam imperiosa, ne dicam, Majestati divinæ injuriosa ex ore meo protrudere verba. Manebam paulisper suspensus, & quid mecum futurum esset, exspectabam anxius; & adverti excitari jubilum, & universalem in toto cœlo applausum, quasi festivus quidam ac triumphalis affulsisset dies: audiebam harmoniam vocum Angelicarum cantantium suavissimè: Gloria in excelsis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et exin obortum est silentium magnum.

His ita peractis totus exterritus evigilavi, & venio ad vos, meum vobis relaturus somnium. Nescio, quid mihi futurum sit; nescio, an exspectanda mihi mors aut vita, quod ita supremam DEI Majestatem, quam offenderam, præsumpserim tractare.

ARGUMENTUM.

Explicatio hujus visionis, quæ ostendit abundantiam misericordiæ DEI, quam homines imaginari sibi non potuissent.

Articulus II.

NOn minùs obstupuimus, audientes, referri suum ab ipso somnium, quàm obstupuerit ipse, id à se, dum dormiret, præfata ratione esse formatum. Sed pro eo, quòd ipse exin consternatus manserit & perturbatus, tanquam ex re, quæ sibi videbatur maximè horrenda, haud vulgaris nos gaudii demulsit abuntia, quòd tam appropriatè explanatum videremus veritatum nostrarum amabilissimam.

Animæquior esto, diximus ipsi, in ejusdem ruentes amplexus; non omnia sunt perdita;

sed cuncta potiùs succedunt tibi optimè; neque enim feliciore unquam potitus es nocte: Quod vidisti, non est somnium, nec mera imaginatio; sed maxime est veritas, quam ipsemet DEus tibi monstravit: sic enim se habet, ut vidisti: Id, quod hominum nullus unquam est ausus desiderare aut efflagitare à DEO, nec minimam sibi de eo effingere certitudinem; eò quòd illius infinita ratione simus indigni; id, quod Angeli ipsi in cœlo comprehendere non possent, eò quòd plurimùm ipsorum transcendat captum; DEus hoc ipsemet executioni dedit, unico impulsus infinitæ bonitatis suæ motivô, & incomprehensibili prorsùs amoris sui ergà peccatores, qui nonnisi ipsius odium merebantur, abundantiâ & excessu.

DEus tantâ ergà nos abundavit bonitate, ut nec Angeli, nec homines id cogitatione assequi potuissent,

Siquidem non solùm largitus est illis inæstimabile privilegium, vi cujus in ipsius possint redire gratiam, si fortè hanc aliquo amiserint peccato; eo nomine concedens illis usum pœnitentiæ, mediante qua peccator maximus, & in suis sceleribus magìs quàm ullus in terris inveteratus, etiamsi commisisset crimina magis enormia, quàm commissa sint ab omnibus hominibus, & ab omnibus simul dæmonibus à creatione mundi, intrà minùs quàm quadrantis horæ spatium, remissionem obtinere possit illorum omnium, & justitiam DEI, ne condemnetur ab ea, quasi reddere impotentem, exspectationem frustrandô inferni, omnésque illius extinguendo flammas suorum unicâ lachrymulâ oculorum. Non duntaxat robur concedit illis catenas, quibûs in servitute constringuntur peccati, fortiter frangendi, vero dolore, quòd displicuerint DEO, conterendô cor suum, séque postliminiò asserendi in libertatem filiorum DEI; postquàm inimicis suis sese devoverant mancipia. Non tantùm in manus consignat illis clavem regni cœlorum ad aperiendum sibi illud pro arbitrio, quando voluerit, unico actu, quo oderit peccatum, & amet DEum, & potestatem ex abysso inferni, ubi locus sibi erat destinatus, quoad hæserat in peccato, quasi in momento conscendendi in cœlum, & possidendi inter Angelos thronum gloriæ: quod tam ingens est donum, ut nemo præter DEum, qui infinita ratione dives est in bonitate, concedere id possit.

DEus dat peccatori plenam potestatem liberandi se à peccato,

Sed quod auget admirationem, est, quòd, dum gratuitò id nobis concedit, & sine ullis, quasi nostris impensis, tam carò id emere voluerit pro nobis, ut expendere pro ipso voluerit propriam suam substantiam & propriam

DEus offe[illegible] fecit pœn[illegible] tiam pro p[illegible] catore se[illegible] fendente.

priam ſuam vitam. Ideò namque in perſona deſcendens è vertice cœlorum, & eo conſilio ſplendores infinitæ ſuæ Majeſtatis deponens, factus eſt homo ſicut nos, ſéque in noſtrarum immerſit abyſſum miſeriarum, aſſumens in ſua illas perſona, ut ab illis nos liberaremur. Hinc eſt, quòd ducens in terra vitam pauperem, pœnoſam, abjectam & afflictionibûs refertam, ſeveram agere voluerit pœnitentiam, ad ſatisfaciendum juſtitiæ ſuæ propriîs ſuîs cruciatibûs, & tolerandum in ſe pœnas, quas noſtrîs promerueramus peccatîs.

Et quod omnem tranſcendit imaginationem, omnémque id conſiderantem ſtupore replet animum: totus impaſſibilis, totúsque immortalis, qualis eſt ex ſuæ potentiæ divinitatis, non ſolùm pati ſed & mori voluit pro peccatoribus: nec ſatìs illi fuit mori ſimpliciter, ſed mori voluit morte tum ignominiîs, tum cruciatibûs pleniſſima, omnem ſuum profundens ſanguinem ad extinguendum ignem indignationis & iræ DEI Patris ſui, quo totum in nos ſuccenſum videbat ipſum. O prodigium bonitatum divinarum! ſanguinem hunc pretioſum, cujus gutta minima majoris valoris eſt, quàm centies milleni mundi voluit dare totum & integrum ad ſalvandum animam meam: hanc DEI vitam, quæ longô ſuperat intervallô omnia, quæcunque omnipotens ipſius brachium educere valet è fundo nihili dare & conſecrare voluit pro me miſero, ut me liberaret à morte, mihíque conferret vitam æternam. Quis unquam deſiderare id auſus fuiſſet? & infinitæ bonitatis ipſius infinita ratione noſtra excedunt deſideria. O abundantiam amoris incomprehenſibilis! O prodigia! O effuſiones bonitatis ergà nos miſeros, quas omnes tum Angelorum, tum hominum mentes admirari nunquam ceſſabunt in omnem æternitatem!

Quantum prodigium, quòd DEus voluerit mori pro nobis,

Homo hic deficere ſibi videbatur præ gaudio, admiratione & amore, talia nos audient explanare ſibi, quæ cùm ipſi omninò fuerint nova, abripiebant cor ipſius. Itáne, inquiebat, hoc verum ſit? Itáne ingens hoc prodigium, cujus ſola cogitatio me tanto concuſſerat horrore, DEus ſit executus? & factum hoc ſit, & conſtans hoc ſit veritas? Exin permanſit aliquantiſper abſque verbo, attollens in cœlum oculos, & profunda è corde ducens ſuſpiria, tandem ad nos converſus, magno cum animi fervore ita nos alloquitur: Et vos, id nôſtis, vos? & vos id creditis firmiter? & vos non moriamini præ amore ergà DEum tam bonum? & omnes homines,

Affectus juſtæ gratitudinis.

mines, qui sunt in terra, séque id credere profitentur, non prosternantur de die millies ad pedes ipsius ad rependendas sibi grates? O ingratos! O indignos, quos tanta Majestatis tam excelsæ dignitas, tantâ prosecuta est benignitate & clementiâ!

Sed magis adhuc stupendum hîs omnibûs restat quidpiam, dicit ipsi bonus Ecclesiasticus, vehementi admodùm sauciatus dolore. An crederes, quòd post omnes hos bonitatis DEI excessus homines non contenti, se vivere absque ulla grati significatione animi, sæpiùs eò usque portentosæ ingratitudinis proruant, ut conqueri adhuc audeant contrà DEum, & dicere, se nimiùm & plùs æquô severè haberi ab illo, dum obstringit ipsos, ut tam amabili, tantáque cùm misericordia ipsis concesso utantur pœnitentiæ privilegio? an crederes, inventos ex illis esse qui asserere haud erubuerint, quòd facilè quidem sit DEO opera pœnitentiæ ordinare nobis, cùm ipsi nil stet, nisi mandare illa; sed quod sibi amarum valdè & molestum accidat, obligatos esse ad concipiendum de peccatis suis dolorem, ad humiliandum se coram ipso, quin considerent, pro una oculorum suorum, quam ab ipsis exigit, lachrymula, ipsum pro se omnem ex veris suis profudisse sanguinem? An crederes, quòd postquàm præparavit nobis tam salutare è pretioso suo sanguine balneum ad abluendas animas nostras, peccatores id tam parvi faciant, ut præferant spurcitias, quibûs maculantur, sanguini Agni, quo à sordibus emundantur? An crederes, quòd, dum indies apertos nobis exhibet thesauros suos in Sacramentis Ecclesiæ, pro eo, quòd omnes homines catervatim se advolvere deberent pedibus ipsius & petere ab eo, ut illorum sese velit reddere participes, ipsi econtra illos fugiant velut molestas sarcinas, gravia onera, moles insupportabiles? obsecrandi sunt, urgendi sunt, & millenîs vix laboribûs obtinetur ab illis, ut accedant.

Stupenda ingratitudo hominum.

An potest hoc esse, inquiebat nobis, satis asperè & non parva cum indignatione? Insensati ergò sint, necesse est, & inusitato adversùm seipsos stimulati furore. Itáne? Exspectare non poterunt nisi supplicia pro criminibus suis, & DEus ex immensa bonitatis suæ abundantia venit ipsemet, & suas offert, suas exhibet illis misericordias? & ipsi has repudient, has abjiciant? An ergò malunt præ blanditiis supplicia, præ fomentis tormenta? Ipse blanditur illis, non obstante ipsorum malitia: illi contemnunt ipsum, non obstante ipsius bonitate. Nimìs ergò quàm paparum

Quàm st[illegible] dus sit pe[illegible] tor & su[illegible] sius inimi[illegible]

DEus sti[illegible] tus est a[illegible] hibenda[illegible] bis mise[illegible] diam à[illegible] bonitate[illegible]

parum est illis, offendisse ipsum, nisi insuper insultent ei, despiciendo amicabiles ipsius requisitiones, invitationes, prensationes? an pervicaciter perire volunt, frustrà reluctante luctamine omni, omni conamine bonitatis infinitæ, volentis salvare illos? an immergere se malunt æternis flammarum devorentium abyssis, quàm haurire cum gaudio salutem suam è fontibus Salvatoris? Comprehendere non possum, abripi illos in furorem tam inusitatum contra seipsos, nec credere, quòd, cùm infinitum peccati malum circumferant in corde suo, abnuant illius recipere remedium tam facile, tam jucundum, quòd DEus quem offenderunt, è proprio suo ipsis extrahit corde. Oportet ergò aliud quoddam arcanum in hoc latere mysterio, quod nondùm mihi explanâris; vel subesse necesse est molestam quandam circumstantiam in præparatione vel usu efficacissimi hujus remedii, quæ retrahat homines, ne magni id æstiment, aut debita gratitudine prosequantur.

Verùm, inquis, respondit, qui formabat illum; alia adhuc prodigia hoc concernentia mysterium tibi restant addiscenda, quàm hæc, quæ hucusque explanavimus tibi: parùm est, percepisse rem in substantia nisi percipientur quoque circumstantiæ, quibùs adimpleta est, quæ tam admirabilem spirant suavitatem, quæ forent idoneæ domare corda tygridum, & marmoream æreámque emollire duritiem. Audi historiam, & ipsemet ferto de hoc judicium.

ARGUMENTUM.

Qua ratione Filius DEI missus sit à Patre suo in terram, ad conficiendum Opus nostræ Reconciliationis.

Articulus III.

DEus stimulatus est ad exhibendam nobis misericordiam à sola bonitate sua.

QUis unquam credidisset, quòd DEus videns in omnibus hominibus peccatum, velut lethalem hostem suum, quòd velut infinitum respicit malum, quod infinito prosequitur odiô, sibi tam necessariô quàm necessarius est amor, quo in propriam suam fertur essentiam? Quis sibi persuadere potuisset, quod in omnibus iis non videns, nisi justissimæ motiva indignationis, quæ quasi vi facta debuissent extorquere ipsi sævissima è manibus supplicia, pro eo, quòd æquissimæ iracundiæ suæ super eos vibraret fulmina, fuerit stimulatus ad effudendum in illos omnem

omnem bonitatis suæ thesaurum, quin tamen aliud haberet incitamentum, nisi quia infinitè bonus est?

In duobus statibus summæ miseriæ considerari potest homo: Et sunt duo nihila, quorum unum est nihilum essendi, alterum nihilum peccati. Manserant ipsi sepulti in nihilo essendi per omnem æternitatem, quæ præcesserat creationem mundi, & nunquam exiissent indè, nisi DEus extraxisset ipsos ex pura bonitate sua. Et quando semel versantur in nihilo peccati, deberent ibi permanere in omnem æternitatem, quæ mundi sequetur consummationem, & nunquam exirent indè, nisi DEus ipsos extraheret ex sola misericordia sua. Ipsi sunt extracti è nihilo naturali per beneficium Creationis; ipsi sunt extracti è nihilo criminali per beneficium Incarnationis. Utraque hæc liberatio & exemptio est stupenda, sed ultima absque comparatione magis, quàm prima. Siquidem si considerem beneficium Creationis.

Beneficium creationis magnum est, illud Redemptionis adhuc majus.

Fateor, rem esse admirabilem, quòd DEus, qui contentus vixit in semetipso per omnem æternitatem; qui nullius indiguit alterius; qui major fieri non potest, aut beatior accessu alicujus rei extra se; qui nihil videbat in nobis, quod meretur minimam oculorum suorum aspectum, nihilominùs voluerit, per amabilem bonitatis suæ effusionem, suam extendere manum in omnipotentiæ suæ thesauros, & è fundo nihili extrahere innumerabilem hanc pulcherrimarum creaturarum multitudinem, quæ fragmenta sunt, è quibus ædificare voluit magnum hoc universum augustum, velut palatium, quod paratum servare voluit ad recipiendum nos, quod voluit instruere, occupletare & ornare tam pulchrâ varietate diversarum creaturarum, quásque ad nostrum destinavit servitium, ut non solùm nobis esset commoditati, sed etiam voluptati; & postquam ita nostrum præparaverat habitaculum, omnémque nostrum velut alicujus principis dispositorat comitatum, abs eo, quòd adhuc scire possemus id, quod in nostrum faciebat favorem, extrahere modò nos ipsos voluit è profundo abyssu nihili, cui adhuc immorabamur, postquàm cæteræ creaturæ ex eo jam fuerint liberatæ, nobísque elargiri esse tam nobile, ut soli nos prærogativâ fruamur circumferendi glorioſos similitudinis suæ characteres, habendi animam spiritalem, immortalem, intellectivam & capacem ad possidendum ipsum in æternum.

Agnosco, hunc bonitatis excessum admirabilem prorsùs videri,

deri, defixa mente ipsum considerantí. Quis enim obstringere te potuit, ut tantum ergà nos haberes bonitatis, ô omnipotens Creator mundi? undè tam bona beavit nos fors? quid egimus, ut mereremur illam, dum nondum eramus, & consequenter incapaces ad cogitandum de te? Quis tantam nobis obtinuit felicitatem? Nè aliam inquiras rationem, diceret tibi; ego id feci, quia amo te ab æterno; amo te, non quia id mereris, sed quia ego bonus sum, & benè tibi facere volui licèt indignissimo. Quis diffitebitur stupendum hoc valdè esse, & maximè idoneum ad lucrandum omnia id considerantium corda, quòd ita nos DEus traxerit è nihilo naturali, ex unico amoris sui motivo, mediante omnium beneficiorum suorum primo, nempè beneficio creationis?

Beneficium creationis incitat cor ad amandum.

Verùm quid hoc est respectu incomprehensibilis amoris, quem ostendit nobis, trahendô nos ex alio longè deteriori nihilo, quod est nihilum peccati, in quod nostrâ dilapsi sumus malitiâ? Verum quidem est, nos in primo dignos non fuisse amore ipsius, quia nondum eramus: Verum est etiam, dignos nos non fuisse ipsius odiô, quia displicere ipsi non poteramus. Sed in secundo eramus minùs quám nihil; non solùm indigni amore ipsius, sed digni ipsius odiô, ipsius indignatione, reddentes nosmet ipsos commissione peccati, quod unicum summè odit, ipsius inimicos. Quartum prodigium omnem transcendens admirationem, quod videns nos in profundum hoc dilapsos barathrum, & non videns in nobis, nisi motiva justissimam suam detonandi super nos iracundiam, conceperit ergà nos cogitationes pacis & amoris; & suam super nostram malitiam triumphare faciens bonitatem, constituerit secum semetipsum imergere in profundam barathri nostri abyssum, ut indè nos extraheret, omnibûsq; nostris peccatîs sese onerans, cunctas nobis suas conferret gratias! O abundantiam bonitatis! O prodigium amoris! O portentum misericordiæ! quis te posset comprehendere?

Beneficium Redemptionis abripere debet omnia corda hominum.

Quid enim putas ipsum egisse, ut nos extraheret è nihilo peccati, cui toti eramus immersi? Quando Omnipotens suum extendit brachium, suámque misit manum in primum essendi nihilum, ut indè nos extraheret per creationem, nihil hìc invenit, quod suo se opponeret consilio, nec quod divinâ suâ indignum videretur magnitudine. Sed postquam nos ipsos immersimus in alterum nihilum, nempe peccati, quod infinita ratione est deterius, profundius, miserabilius;

Ut nos creet, DEus suam mittit manum in abyssum nihili.

bilius; an alio opus non erat, quàm denuo illuc mittere & extendere manum, ad nos indè extrahendo? procul dubio facere id poterat; omnipotentia enim ejus potest omnia in omnia nihili genera; & nos exiissemus sancti è nihilo peccati, sicut exivimus homines è nihilo essendi. Sed quia bonitatem suam reportare voluit triumphum super malitiæ nostræ abundantiam, probè videbat, nihil se invenire in miserabili hoc peccati nihilo, quod idoneum foret ad exequendum ingens amoris sui consilium.

Ut nos redimat, mittit manum suam in abyssum infinitæ bonitatis suæ.

Quamobrem suam immittere voluit manum in alium infinita ratione divitem thesaurum, ut desumeret indè, ex quo infinitam nobis conferret bonum, locô infiniti mali, quo aggravati eramus per peccatum nostrum. Thesaurus hic propria est ipsius essentia, adorandus est ipsius sinus, est ipsissimus ipse: hìc non invenit nisi Filium unicum, quem infinita amat ratione; hic est totus ipsius thesaurus, ipsius vita, ipsius gaudium, æternæ ipsius deliciæ, tota ipsius felicitas; extrahit ipsum indè, nobisque ipsum donat, gratuitò, absolutè, sine ulla conditione, ex summo amoris, qui possibilis sit DEO, excessu & abundantia: siquidem nonnè hoc omne est, quod donare posset sibi ipsi, si conferre sibi vellet aliquod munus suâ dignum excellentiâ? Sacra Scriptura, quamvìs à sancto dictata Spiritu, non satìs facunda est ad exprimendam amoris hujus, doni ac muneris hujus magnitudinem; hinc è paucis verbis augurari permittit, quod nunquam aliquis creatus intellectus poterit comprehendere. *Sic DEus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

Joan.

Quid facis Domine? Eccur abriperis in tantum liberalitatis excessum, qui totum tuum exhauriat thesaurum? si tuum adhuc Filium unicum dares alteri tibi ipsi? si alicui DEO tibi æquali, támque ingenti digno munere? sed cui eundem dones? Magnis inimicis tuis, peccatoribus, qui tam procul distant ab eo, quòd digni existant hôc infiniti pretii donô, ut potiùs mereantur odium tuum lethale, pœnas, quas ipsis infligas æternas. Et hoc quid est, nisi quòd, quantò magìs sunt indigni, tantò majoribûs ipsos compleas favoribûs; quantò magìs te offendunt, tantò magìs ipsos diligas; quantò magìs tuam provocant iracundiam, tantò luculentiora ipsis ostendas summi amoris tui indicia. O amorem incomprehensibilem! O amorem cœcum! O amorem prodigum! O amorem ebrium seipso! quis tua comprehendere possit consilia?

Stupendus excessus amoris DEI peccatores

Tu

Amor divinus nobis plùs dat, quàm dare possit ipsi DEO.

Tu facis pro homine peccatore, quod non facis pro ipso DEO. Tu non es, ô amor sacer, qui dedisti Filium unicum Patri suo: siquidem productus ipse non est per amorem voluntatis, sed per cognitionem intellectûs. Ut quid ergò in sinum ipsius involas, ut indè acceptum nobis dones? Itane? non posses ipsum donare DEO, & donas ipsum nobis peccatoribus! quis non admirabitur hoc prodigium? Nunquam probè agnovissem te, ô amor infinite DEI mei, ergà me miserum, si absconditus semper mansisses in arcano divinæ voluntatis Sanctuario. Sed mirabiliter te manifestas; ex magnitudine tui muneris teipsum meis depingis & exhibes oculis; agnosco infinitam excellentiam amoris, qui est in corde, per infinitam excellentiam muneris, quod est in manibus. Ipse tantum me amat, quantum mihi dat, & tantum mihi dat, quantum me amat: *Probatio dilectionis exhibitio est operis.* Videò, quantum me amet, de hoc dubitare non licet, videò id propriis meis oculis, circà hoc luculenter nimis convincor: & quando interrogo ingratum cor meum, ubi est gratitudo tua, confunditur, & nonnisi novit dicere. Eheu! Si non plùs amoris habeam in corde meo, quàm muneris in manibus meis, quod largiar ipsi, an dicere possim, quod vel unicam habeam amoris DEI scintillam?

S. Gregor. hom 30. in evang.

ARGUMENTUM.

DEus dedit Filium suum unigenitum hominibus, quia erant ipsô indigni: ex quo desumitur maxima ingratitudo hominum.

Articulus IV.

DEus Filium suum unigenitum dat hominibus, quia ipso sunt indigni.

INsularis noster, qui jamjam cœlesti quadam demulcebatur suavitate in corde suo, ex enarratis hisce bonitatum DEI prodigiis, quamvis nec minimam adhuc intellexerit ipsorum partem, suspirium ex imo trahens pectore, nos interrogat. Ah! quomodò possibile est, quòd, cùm omnes homines peccatores fuerint, ut inimici DEI, extiterint digni, qui tam ingens ab ipso reciperent beneficium?

Hærebis attonitus stupore, respondit ipsi Ecclesiasticus, si dixero tibi, DEum Patrem non dedisse Filium suum unigenitum hominibus, quòd ipsi illô fuerint digni, sed quia ipse infinita ratione est misericors: Si

ipsi justi fuissent & illius amici, non dedisset ipsis illum; sed quia peccatores fuerant & inimici ejus, hinc illis ipsum dedit. Non nostra sunt merita, nec bona opera, sed peccata nostra demerita, quæ traxerunt ipsum è cœlis in terram. Bene enim judices, si dicas, nisi omnes homines periissent per peccatum, opùs non fuisset ipsis, ut daretur illis DEus velut Redemptor; cùm sanis non sit opus Medio, sed ægrotis. Sic DEus Pater non dedit Filium suum unigenitum hominibus, nisi quia peccatores erant, inimici sui, omninò indigni, quibus ingentem hanc exhiberet misericordiam.

Inusitata Philosophia amoris divini.

Sed quænam hæc est Philosophia, totus attonitus, reponit hic homo? Nil magis repugnat sanæ menti, quàm ita discurrere: Amabo illos, quia me oderunt; exhibebo ipsis infinitum bonum, quia exhibent mihi infinitum malum: complebo ipsos meis beneficiis, meis favoribus, quia digni sunt suppliciis meis, & æternis meis ultionibus. Quis alius, nisi DEus, infinita ratione transcendens intelligentiam hominum, ita possit ratiocinari? Quid vis? reponit Ecclesiasticus: *Sic amor vindicat*; non aliam, nisi hanc amor infinitus novit ultionem.

Et exin attollens vocem suam, illámque exstimulans, affectu admirationis & gratitudinis etgà bonitatem accensus, ita effatur: sed Tu, ô Verbum adorandum, Fili unigenite DEI vivi, Tu sapientia DEI infinita, quem ita Pater dare volet indignis peccatoribus; an huic annues ordinationi, quæ ita adversari videtur nostræ rationi, tuáque indigna esse magnitudine: non enim daberis, si nolueris. Ad id voles, qui nôsti cuncta exin secutura? si consenseris, quid tecum fiet? Nôsti, nullum esse genus miseriarum, calamitatum, adversitatum, persecutionum, humiliationum opprobriorum, dolorum, suppliciorum, crudelitatum & iniquitatum, quod te non exspectet, quod devorandum tibi non restet; siquidem malorum omnium, quæ peccatores fuerint promeriti, diluvium irruet super te, & obruet te; & pro immensis bonis, quæ apportaveris è cœlo in terram, non reddet tibi terra nisi mala innumera. Et post hæc omnia, quæ exin nanciscéris emolumenta? Non alia, nisi quòd non ampliùs futurus sis solus Filius DEI, nec solus possessor infinitorum bonorum DEI Patris tui: sed habiturus sis cohæredes in regno tuo.

Admirabilis dispositio infinitæ sapientiæ DEI.

Si videremus Filium unigenitum magni cujusdam Monarchæ, qui lubens sufferret sibi dari in-

ingentem numerum extraneorum pro fratribus suis, hac lege, ut essent cohæredes in possessione omnium ditionum suarum; & non solùm is nullam faceret oppositionem, nec ullam exhiberet displicentiæ notam, sed vehemens ostenderet desiderium: quid diceretur ad aspectum hujus portenti? Nonnè dicerent omnes: Oportet incantatum esse hunc principem, ita incurium propriæ utilitatis, suis immobilem commodis. Sed qui videret filium hunc unicum sibi ipsi imponere provinciam & munus Legati ad legionem quandam mancipiorum, hominúmque facinorosorum, qui omnes onerati forent catenis, ad procurandam inprimis ipsis libertatem, rumpendo catenas illorum, ut iis sese implecteret; negotiaturus exin magna cum solicitudine adoptionem & elevationem illorum ad glorioſum characterem, & eminentem dignitatem filiorum Regis Patris sui, ut haberet, faceretque illos omnes cohæredes suos, ita ut non nisi unum haberent regnum, unum & eundem patrem: Quid, quæso, totus diceret mundus, visa & perspecta re tam inaudita? Nonnè hominum cunctorum animi hîs prodigiis rapti in stuporem, prorsùs hærerent attoniti?

Filius unicus DEI ipsemet venit acturus negotium adoptionis nostræ in cohæredes & fratres suos.

Et nihilominùs, quid foret hoc respectu ejus, quod videmus? Nam attentîs omnibûs, non foret is, nisi homo, qui magnâ uteretur bonitate ergà alios homines sibi similes in natura quamvis inæquales in conditione & dignitate. Sed quòd Majestas infinita, coram qua centies millenî mundi minores sunt atomô, eò usque demittere se voluerit, ex amore ergà minimùm numerum creaturarum maximè miserabilium in toto universo (appello sic omnes, quos peccatum dejicit intrà vermes & terræ pulverem) quòd Verbum adorandum, Filius unicus supremi cœlorum Monarchæ, ipsemet in persona venire dignatus sit, quæsitum hæc mancipia, hosce facinorosos, magnos DEI Patris sui inimicos; quòd, ut ipsos inveniret, ingredi abhorruerit ipsorum carceres, sese immergere ipsorum miseriis, onerare ipsorum calamitatibus; quòd ipsorum procuraverit liberationem ac exemptionem, implectendo seipsum omnibus ab ipsis commissis criminibus, ad reddendam pro iis rationem & tolerandam debitam illis pœnam coram justitia DEI; quódque ex incomprehensibilis bonitatis abundantia sui pretiô sanguinis, & propriæ vitæ suæ comparaverit illis adoptionem in filios DEI, fratres suos, Principes cœli, Imperatores æternitatis?

Prodigium incomprehensibile, quod JEsus Christus fecit pro nobis.

tis? O cœli, obstupescite super hoc! O bases mundi concutite vos! O montes, ô petræ, colliquescite in dulcores, hæc aspicientes portenta! Et miseria nostra corda his omnibus duriora, nullâ accepti beneficii diffluant memoriâ!

Verbum æternum dat Patri suo consilium, ut mittat se,

Pater cœlestis, quis suggessit tibi hoc consilium? non recepisti id ab alio extra te; sed propria tua sapientia ejus tibi dedit lumina, & exequendo illi liberum ac voluntarium ab æterno formavit decretum. Jam sapientia tua est unigenitus Filius tuus: Ille igitur ipse non solùm consensit, ut mittatur, sed etiam sese obtulit tibique ad hoc consilium suggessit. *Ecce ego, mitte me.* O quanta amoris & bonitatis abundantia ergà nos miseros! ô DEus amoris! Nonnè oporteret omnes homines esse non nisi unicum cor, magis amplum & extensum universô mundô, ídque ardere igne amoris immensi in sua magnitudine, & infiniti in suo ardore, si aliquatenùs respondere vellent magno huic amoris incendio, quod ipse illucescere nobis fecit?

Isai. c. 6. v. 8.

Hæc consideratio cogere quasi debet animam durissimam, ut amet DEum,

Nonnè nimiùm beata es anima mea, quòd habeas DEum tam bonum, quódque certa sis eum eò usque amare te? Imo, amat te, te prorsùs indignam, prorsùs miserabilem, qualis qualis es. An ambigere de hoc adhuc potes? aspice in manibus ipsius amorem cordis ejus. An Pater tuus cœlestis daret tibi totum thesaurum suum, nisi foveret in corde suo amorem ergà te æquè magnum, ac est munus, quod donat tibi? An Filius ipsius unigenitus descenderet è cœlo, quæsitum te in terris, séque sacrificaret pro te, nisi magis amaret te propriâ vitâ suâ? An Spiritus sanctus ipsemet fecisset admirabile hoc vinculum naturæ divinæ cum humana in Mysterio Incarnationis? *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est:* Matth. c. 1. v. 20. An dejecisset ipse DEum usque ad nihilum tuum, & tuum elevâsset nihilum usque ad DEum, nisi ardentissimè amaret te? An scire potes, te ita amari ab omnibus tribus divinis personis; & triplex hoc amoris vinculum non unicè alliget & conjungat te DEO? Ah! ingrate & indigne bonitate DEI ergà te, nisi amaveris ipsum ex totis viribus tuis, & incessanter postulaveris vires ab ipso divinas, ad amandum ipsum semper magis super vires tuas!

Quomodò possibile est mi DEus, magnum hunc amoris ignem, hoc incendium, hunc infinitis ardoribus accensum clibanum, quem aspicio in corde tuo tam clarè, ut mihi de eo dubitare non liceat, non habere vires emolliendi duritiem meam, dissolvendi

solvendi glaciem meam? Aufer ergò à me cor hoc lapideum, & da mihi cor carneum, quod sentiat amorem tuum, aliàs habere cor nolim. O si saltem me hac donares gratia, incessanter cogitandi de hoc, & continuò magis magísque amabilem hanc penetrandi veritatem! sed frustrà de hoc cogitavero, cùm comprehensurus sim nunquam. Abyssus hìc est, ubi se quis perdat, necesse est.

ARGUMENTUM.

Quo apparatu Rex gloriæ venerit ad nos, ut esset nobis Legatus pacis & reconciliationis cum DEO Patre suo.

Articulus V.

NOn totum hoc est, prosequitur bonus noster Ecclesiasticus, vidisse, quòd consilium hoc DEI, de dando nobis Filio suo unigenito, prodigium sit incomprehensibile tum Angelis, tum hominibus. Sed modus id exequendi tam est admirabilis, ut terrore percellat & attonitum reddat omnem animum idipsum seriò considerantem. O quantùm cogitationes DEI attolluntur suprà cogitationes hominum! Ecce tibi tria, quæ excedunt omnem admirationem.

Princeps offensus postulat hìc pacem à rebellibus, ipsorumque amicitiam,

Inprimìs, quando subditi insolenter rebellârunt, imperiúmque Principis detrectandô, illiùs incurrerunt indignationem, si obtinere velint remissionem, & recuperare ipsius gratiam, ipsorum est, requirere illum, mittere ipsi mediatores, qui pacem urgeant, ipsísque vi precum & humiliationum, sui obtineant indulgentiam ac veniam criminis. Et nos videmus hìc contrarium. Supremus cœlorum Monarcha est, qui offensus est à parvis terræ hominibus; & faciendo ipse, quod faciendum illis incumberet, mittit ipsis Legatum ad postulandam ab illis pacem, instantérque efflagitandum ipsos, ut se secum reconciliare velint, offerendô ipsis, quod facere velit suas superabundare gratias, ubi ipsorum superabundaverunt delicta. Quis comprehendere hoc valeat?

Supremus Monarcha mittit Filium suum unigenitum ceu Legatum ad inimicos suos,

Secundò Monarchæ nunquam mittunt Legatos, nisi ad capita coronata & potestates supremas. Ast si insinuare & manifestare velint abjectæ vel mediocris conditionis personis voluntates suas, non nisi servorum suorum minimum destinant ad illas. Sed ecce hìc tibi rem prorsùs

sùs stupendam. Majestas magni DEI viventis, qui est Monarcharum Monarcha, mittit ad peccatorem, creaturarum despectissimum, Legatum adeò honoratum, tantâque insignitum eminentiâ, quasi negotium conficiendum haberet cum DEO sibi æquali. Et quando negotiandum sibi fuisset cum alia quadam persona divina, nobiliorem illi mittere non potuisset Legatum, quàm illum, quem mittere tibi voluit.

Nonnè habuit penès se tot milliones Angelorum, qui aulæ suæ cœlestis sunt principes? Nonnè habuit tot veteris Testamenti Patriarchas & Prophetas? Nonnè habuit tot Apostolos tótque Sanctos in Ecclesia sua Heroës? Nonnè abundè sat erat, si novissimum misisset hominum? Absque dubio sat erat. Sed ex altissimo consilio, quo nobis demonstratur, quàm habeat legationem hanc cordi, quámque ardenter desideret, ut felicem juxtà vota sua sortiatur eventum, non concredidit hanc uni ex creaturis suis, sed mandatum ipsius dedit proprio Filio suo, unicum pignus suum, suum voluit esse Legatum. Et quis unquàm audivit, quempiam Monarcham ceu Legatum misisse unicum, quem habebat, Filium? Verum est, inauditum est hoc, nonnisi DEI solius est, cujus consilia tam stupenda sunt, ut omnes nostras consumdant cogitationes.

Tertiò quandò Principes quempiam mittunt ceu Legatum, volunt, ut magno se instruat apparatu, ingentem ac magnificum post se trahat comitatum, ut, quantùm fieri poterit, ad regium accedat splendorem & pompam, sicque principalis sui honorem dignè conservet & Majestatem. Sed ecce DEI ordinatio prorsùs contrarium tenet. Quando supremus hic mundi Monarcha Filium suum unigenitum ceu Legatum mittit ad homines, qui despectissimi sunt peccatores, non dicit illi: Indue te gloriâ & honore, accinge te fortitudine & virtute, vade ut omnipotens, talémque te exhibe, qualis es: assume tecum legiones Angelorum, Principibus curiæ cœlestis tuum stipato latus, ut agnoscaris ab omnibus, & debito afficiaris honore.

E contrario exui vult ipsum omni Majestatis suæ splendore, nostras vult ipsum induere miserias, ut apparens inter nos, nostræ amictus mortalitatis saccô, velut unus ex nobis, velútque alius consideraretur homo. Vult ipsum esse solum, suum in mundum adornare introitum non duntaxat absque ulla pompa, sed ratione quadam despectissima, ingrediendô illuc per vile

DEUS n
nobis Fi
suum uni
ceu Leg
absque
apparatu
quàm illo
feriarum
ftrarum h
manarum

vile quoddam & abjectum stabulum in medio tenebtrarum noctis longissimæ, & in universali silentio rerum: vult insuper comparere ipsum pauperem, abjectum, contemptum, & velut hominum novissimum: unico vult verbo, ut non respiciat nec dignitatem suam infinitam, nec supremam ingentis Monarchæ se mittentis Majestatem, nec negotii, quod tractaturus erat, amplitudinem & eminentiam, conservationem nimirùm & augmentum honoris & gloriæ DEI Patris sui. Sed vult, ut pauperi se nostro accommodet statui, nobis æqualem se reddat, nostris ubique & in omnibus studeat commodis, ut sic admirabili hac familiaritate nos lucraretur. O DEus bone! ad quem amoris raperis excessum ergà peccatores, inimicos tuos qui nonnisi tuâ sunt digni indignatione! O abyssus misericordiæ, quàm profundæ sunt cogitationes tuæ, consilia tua! O quàm procul hæc distant à captu & intelligentia hominum! Nonnè oporteret sæculo integro extra seipsum manere abreptum in hujus considerationè prodigii?

Verùm, mi Chare frater, prosequitur Ecclesiasticus, convertens se ad novum tunc proselytum, affectu cordis tenerrimo: Erat consilium hoc infinita ratione sapiens omnium trium divinarum Personarum, quæ conspiraverant in unum. Oportebat ipsum esse Legatum infinita ratione nobilem, & totum abjectione refertum, infinita ratione divitem, & totum paupertate repletum, DEum omnipotentem & hominem prorsùs infirmum. Oportebat ipsum talem esse, ut dignus esset mediator pacis & reconciliationis DEum inter & omnes peccatores.

Cur Filius DEI venire debuerit ad nos in tam tenui apparatu.

Siquidem ex una parte, DEus Pater mittens ipsum, inquit: Hic est Filius meus unigenitus, quem ex propria mea produxi substantia, quique est alter ego; infinita ratione amo ipsum, & ipse tantùm me amat, quantùm ipsum amo: committo me ipsi in omnibus, & omnem meam supremam potestatem, sine ulla exceptione, ipsius consigno manibus. Ex altera parte homo peccator dicit: Hic est frater meus, est mihi æqualis, est homo sicut ego, est productus è substantia humana simili meæ, cognatione se meæ junxit familiæ, humanam meam desponsavit sibi naturam; probè novi, huic ipsum personaliter esse unitum, nec amplius ipsam derelicturum, sortes meæ bono sunt loco in ipsius manibus, conservabit illas cum propriæ suæ periculo vitæ; quidquid agat, & quamcunque pro arbitrio suo ineat pacem, novi hanc semper fore è re mea;

Ad Ephes. c. 2. v. 14. *Ipse est pax nostra, qui facit utraque unum.*

Anima Christiana totam se committere debet JEsu Christo,

O si quis benè hanc comprehenderet veritatem, aliâ prorsùs non foret opùs ad stabiliendum in anima pacem tam firmam & altè radicatam, ut perpetuò immobilis & inconcussa maneret. Facilè credendum & cœcô modô sequendum ac amplectendum foret consilium, quod suggerunt nobis vitæ spiritualis Magistri, dum dicunt: quòd postquàm anima Christiana verè semel reliquit peccatum, postquàm renuntiavit mundo, & cunctis creaturarum affectibus, nil aliud agendum ipsi restet, nisi ut totaliter & absolutè committat Christo JEsu se totam, ad faciendum secum, quidquid voluerit, quin ampliùs solicita sit de particulari sui gubernatione; sive consoletur, sive affligat illam; sive exspoliet, sive locupletet illam; sive per tenebras, sive per lumina; sive per gratias sensibiles, sive per rerum divinarum fastidia dirigat & deducat illam: hinc & est, quòd indifferens debeat esse circa omnia & in omnibus contenta, semperque secura, cùm hac ratione quiescat intrà manus Redemptoris sui.

Postquàm anima cognovit Christum JEsum, oblivisci debet sui, quantùm poterit, ut nonnisi cogitet de se ipso, abs eo, quòd deinceps aliquam sui ipsius curam habeat, aut perfectionis suæ, aut etiam propriæ salutis suæ: relinquat hæc omnia amori & directione benignissimi Salvatoris sui, quin multùm angatur, quid futurum sit secum, modò ipsum aspiciat, modò incessanter ipso se occupet, & unicè ipsi hæreat affixa. Mediatorem habeo, qui propinquitatis vinculo me sibi habet conjunctam, quique me propriâ suâ plùs amat vitâ: Non nisi ipsi committere me debeo in omnibus, ac ipsi permittere, ut faciat mecum, quidquid voluerit. Hoc sufficit animæ, ut solùm attendat, solùm aspiciat Christum JEsum, in quo reperit magnam valdè salutis suæ certitudinem; videtúrque ipsi, omnem suam perfectionem, omnémque etiam suam felicitatem in alio consistere non debere, nisi ut cogitet de ipso.

Felicitas nostra constituenda in consideratione continua JEsu Christi, & oblivione omnium aliorum.

Mi DEus, quàm cœci sumus, quòd non videamus, unicum nostrum esse negotium, relinquere omnia, ut unicè simus JEsu Christi, cùm videamus, & ipsum reliquisse omnia, ut unicè noster esset? quid possidere possumus in terra, quod adæquet ipsum? Si possideremus cuncta mundi solia, omnémque sæculorum omnium gloriam, hæc omnia tanti non essent, quanta pars horæ unionis cum Christo

Christo JEsu. Quando videmus, ipsum ita descendere de cœlo exspoliatum omnibûs, ut currat post nos, & quasi dicere nobis: *Ecce ego reliqui omnia, ut sequar te*; nonnè & æquum sit, ut ex parte nostra respondeamus ipsi, quod Apostoli: *Ecce Domine, nos reliquimus omnia, ut sequamur te.* Quid cœtera omnia tangunt & angunt nos, qui Christiani sumus, modò inseparabiliter maneamus conjuncti divino nostro Magistro, ad audiendum ipsius dogmata, ad aspiciendum ipsius exempla, ad imitandum ipsius vestigia, ad dependendum in omnibus à suavissima ipsius gubernatione. Induamus nos benè ipsius spiritû, collocemus in ipso omnem nostram fiduciam, insculpamus nobis firmiter ipsius regulas, & vivere studeamus propriâ ipsius vitâ. O inæstimabilem felicitatem animæ quæ benè cognosceret *Christum JEsum*, ipsúmque amaret ex toto corde suo.

Erat velut terra sicca, & rorem sitiens cœli, anima novi hujus discipuli: cernebamus luculenter, audire ipsum omnes hasce amabiles veritates magna cum voluptate, & quia novæ ipsi fuerant, penetrabant intimè cor ipsius. Sed primus hic cognitionis JEsu Christi, quem nonnisi parùm gustare incipiebat, radius, adauxit famem ipsius, eúmque impulit, ut instanter à nobis peteret, quatenùs prosequeremur instruere & informare ipsum, quâ ratione admirabilis mediator hic pacis nostræ cum DEO suam ad metam deduxerit legationem. Circà quòd Ecclesiasticus, qui explanationem cœlestis hujus Theologiæ exorsus fuerat, ita loqui ad ipsum perrexit.

ARGUMENTUM.

Admirabilis modus, quo Christus JEsus est usus, ad tractandam reconciliationem nostram coram DEO Patre suo.

Articulus VI.

Qualitates boni Legati.

NOn est officium aut munus in aliquo regno, quale est illud Legatorum, præcipuè quando hi repræsentantes personam Principis, sua utuntur auctoritate, ad pacificanda regna, & reciliandos Monarchas. Opùs est ipsis magnâ sapientiâ, nec minorî in rebus agendis experientiâ, eò quòd gravissimum, quod in mundo agi possit, pax sit negotium, Indigent intellectu solido, multâque cognitione ac scientiâ, quæ ipsis suppeditare valeant rationes satis firmas, satísque æquas, ad obviandum falsis

rationibus partium quas passio cœca, & præceps impetus trahunt sæpiùs, & rapiunt ad prætensiones injustas. Modò reperire potuerint conveniens punctum æquitatis, & documentis ac suasionibus suis duas in eundem sensum redigere partes omnes, excellentium Legatorum partes implevêre: debetúrque illis laus, quòd egregiè illustrem hanc suam obiêrint provinciam, quamvis re alia non steterit ipsis, nisi verbis.

JEsus Christus poterat nobis conciliare pacem solis verbis.

Quis dubitet, divinum hunc pacis Legatum, quem cœlum misit nobis, beatissimè negotiari potuisse reconciliationem nostram cum DEO Patre suo eadem prorsùs ratione, quin indigeret alio, quàm unico oris sui verbo; ille, qui Verbum est omnipotens, Verbum adorandum, & infinita Sapientia DEI Patris sui; ille, qui est ipsius intelligentia, per quam cognoscit omnia; ille, cui is nunquam contradicere potest; ille, qui aliundè omnia corda hominum in suis tenet manibus, ut immutare illa possit, prout placuerit, & sacris inflectere motibus, qui sine ulla illorum libertati illata vi infallibiliter impetrant consensum voluntatis ipsorum? quis dubitaret, quin facillimè reconciliare omnia potuisset in cœlo & in terra, pacem stabiliendô universalem, abs eo, quòd alia re sibi fuisset opùs, quàm verbis, quibùs ominatissimo eventu opus magnum legationis suæ confeciſſet.

Sed uti voluit alia admirabili prorsùs ratione, negotiandi & evincendi pacem, quæ nunquam nisi ab ipso solo in opus fuerat redacta. Imposuit sibimet onus parti læsæ integram præstandi satisfactionem; & minimè contentus solvere solummodò verbis, venit ad opera, aperit thesauros suos, & solvit ad assem debita ex propriis bonis suis. Et cùm inveniret peccatores infinita ratione obligatos justitiæ DEI Patris sui, ipse se submittit & offert ad satisfaciendum ipsi, séque voluntariè obstringit ad solvendum omnia, quæ in toto rigore justitiæ debebant ipsi.

Inauditus modus, quo Christus voluit adhiberi curandæ suæ reconciliationi satisfaciendo pro nobis.

Quid agis adorande Mediator, & ad quid obstringis te? peccatores, pro quibus satisfacturum te offers, infinita ratione debent justitiæ DEI; & tu inexorabilem ipsam esse haud ignoras. Non ignoro, inquit, sed infinita ratione solvam pro illis illósque exsolvam, Sed digni sunt morte: Et moriar pro illis, servaturus vitam illorum morte meâ. Sed opùs est illis satisfactione infinita pro injuriis, quibùs DEI affecerunt Majestatem. Verum id est, sed ut eximam illos, suppeditabo inexhaustum pro illis thesaurum, qui plura complectetur, quàm justitia DEI poterit ab illis postulare. Et

Efficax vum a Christu sum.

Et undè desumes hæc omnia? desumam è doloribus passionis diræ, duræ & crudelis, quos patiar pro illis; desumam ex innumerabili multitudine plagarum, quibûs meum volo operiri & oppleri corpus; desumam ex torrente sanguinis mei, quem effundam omnem, quin vel unicæ pepercero guttulæ; desumam ex oceano amaritudinum, ignominiarum & cruciatuum, ex abysso humiliationum, cui voluntariè immergam me, ut extraham, & omnes salvem illos; desumam denique è perforato meo latere, è proprio meo corde, quod aperiri mihi volo fixurâ lanceæ, dum crucifixus fuero, ut munificè effundam super eos thesauros cœli.

Efficax motivum amandi Christum Jesum.

Ah! quis obstringit te ad hoc, Bonitas, Bonitas infinita! Estne hoc munus Legati? Quis unquam audivit, eos, qui Mediatoris funguntur officiô, ut controversias inter duas componant partes, se submittere ad toleranda supplicia, quibus partium una inventa fuerit obnoxia? Quis unquam cogitavit de ejusmodi pacificatore, cui fuerit animus morte mori ignominiosa & crudeli ad conciliandum inter dissidentes pacem? O prodigiosam bonitatem DEI infinita ratione divitis in misericordia! Tu sola es, ô bonitas infinita, tu sola es, quæ eousque attollere potes tuarum abundantiam misericordiarum: *Pacificans per sanguinem ipsius, quæ in cœlo, & quæ in terra sunt.* Ad Colos. c. 1. v. 20. Tu emere & comparare nobis vis pacem omnium tuorum impendiô thesaurorum, illámque proprio tuo subscribis & confirmas sanguine, manifestissimè demonstrans nobis, quòd propriâ tuâ vitâ nos ames ardentiùs. O Bonitas! O Bonitas! O Bonitas ineffabilis, te omnes creatæ mentes laudent in æternum; te omnium corda hominum amore ament magis accenso, quàm omnes Seraphini in cœlo, eò quòd pro iis feceris nunquam, quod feceris pro nobis; & omnium aperta sint ora ad cantandum in æternum misericordias tuas: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Psalm. 88. v. 2.

Dum magno cum animi fervore hæc effabatur homo noster illa avidis usurpans auribus, totus extra se raptus apparebat, & inter abundantiam gaudii dilatantis cor suum, videbatur difficulter iis assensum intellectûs præbere, eò quòd ob suam eminentiam, omnem transcendere fidem videbantur. Sed bonus hic Ecclesiasticus conversus ad ipsum, illius adauxit admirationem, dum hanc ipsi proposuit quæstionem.

Mirabilis modus, quo bonitas JEsu Christi nostra solvit debita.

An nôsti post hæc omnia, qua ratione hæc præstita sit solutio, eadémque adhuc hodiè præstetur? Divinus noster Mediator volens nos liberare à debito, quo tenebamur justitiæ Dei Patris sui, è propriis suis bonis, solvendo huic nobis omnia suppeditat necessaria. Ecce habes omnes ipsius thesauros, qui inexhausti sunt, tibi apertos, potes exin desumere, quidquid volueris. Sed an constat tibi admirandum amoris ipsius stratagema, quidque faciendum nobis imponat, ut nos eximat. Nos debitores sumus, & Deus est, cui pro omnibus debitis nostris præstanda est satisfactio. Quis est ergò, qui debeat dare, & fieri pauperior dandò, debitáque solvendô? Et quis est, qui debeat recipere & fieri ditior recipiendô id, quod ipsi debetur?

Ipsa bona ratio exigit, respondit hic homo, ut ille, qui debet, solvat, séque exspoliet eo, quod habet, ut det illi, cui debet; & hac ratione se debitô eximet. Valdè benè, reponit Ecclesiasticus. Hæc bonæ justitiæ est regula inter homines; nec ullus sanæ mentis diffitebitur, nil magis esse congruum rationi. Verùm in contractu bonitatis & misericordiæ plenissimo, quem amabilis noster Redemptor confecit pro miseris nobis peccatoribus, aliter omninò res agitur; siquidem nos omnia debemus, & nos omnia recipimus; Deo debemus omnia, & ipse solvit, nosque locupletat; sicque nos exemptos vult esse à debitis, quibus ipsi tenebamur.

Locupletamus nostris Dei, vendô i debita n

Ecce tibi inexhaustos gratiarum, satisfactionum, meritorum thesauros, qui à divino nostro Mediatore structi & instructi sunt nobis; & hoc divitiarum genere solvere nos oportet Deo cuncta nostra debita. Erit ne hoc, dandô & conferendô hæc omnia Deo? Non, sed recipiendô hæc à Deo. Erit ne is ditior, quando solverimus ipsum? an ipsius implebuntur & augebuntur thesauri? an creatura dare quidquam Deo potest? Et an ipse recipere quidquam, potest ab illa? Non, sed miserabilis ego sum, qui debeo, & ego sum, qui recipio, méque locupleto, dum possessionem adeo gratiarum, meritorum & satisfactionum Redemptoris mei: Et hoc nuncupatur optimè solvere debita mea, quandò summè me locupleto bonis illius, cui debeo. O admirabilis Deus in tuis operibus, & incomprehensibilis in tuis consiliis! quàm inusitatum solutionis genus est hoc? Et Et quàm inaudita inter homines justitiæ regula? Ille, qui debet, est, qui recipit, & locupletatur solvendô, & quantò plura hac solvit ratione, plus etiam locuplera-

pletatur; & quandò ſummè locupletatus eſt bonis illius, cui debebat, creditur valdè benè hôc mediô ſua ſolviſte debita. Et ita noſtrorum debitorum præſtatur ſolutio modô infinita ratione oppoſitô illi, quem tenent homines.

Itane, exclamavit hic homo, totus attonitus & abreptus hôc prodigiô? Ita ergò Filius DEI deſcendit in terras, ad agendum cum hominibus peccatoribus? Itane? Sic ſuis JEſu vindicat de inimicis? ſic ſolvi ſe vult âb illis, qui debent ipſi? ô Bonitas nimiùm amabilis! ſic uti vis nobîs, ſic agere nobiſcum miſeris terræ vermiculis, & læſæ Majeſtatis divinæ reis? Tu infinita ratione mihi debes, & pro tota ſolutione, quem à te peto, aperio tibi omnes theſauros meos, quaſi ego tibi deberem plurimùm. Hauri, accipe bona mea, locupleta te abundanter, & modô accipias, quod tibi offero, contentus ſum, mihi credo ſatisfactum, téque à debito abſolutum dimitto. An poſſibile ſit, quòd cognoſcant homines, ſic ſecum agere Deum, & cor ipſorum tanta non emolliatur bonitate? Quomodò poſſibile ſit, Chriſtianos firmam hanc tenere fidem, & non totos ardore amore Dei eoúsque ſe amantis?

Infelix æſtimatur, qui plus debet alteri, quàm ipſe poſſideat: ſpoliatut enim omnibus, quæ habet, & redactus ad incitas, nondùm liber & exemptus manet à debito; fortaſſis mittetur in carcerem & dura ſtringetur captivitate usque ad factum. Sed liceat mihi dicere: Felix homo, qui debet Deo, & felicior, quando urgetur ad ſolvenda ſua debita; ſiquidem hoc facere non poteſt, quin dives evadat; & quantò magis urgetur ad ſolvendum plura, tantò magis urgetur ad ſe locupletandum. Ita, Domine, fateor, me pluribus obſtrictum tibi eſſe debitorem, mea tibi ſolvam debita: aperi mihi ergò omnes inexhauſtos tuarum gratiarum, tuorum meritorum, tuarum ſatisfactionum theſauros; conſigna illos non ſolùm meis manibus, ſed magis meo cordi, & locupleta me abundanter: Ita meô, quo tibi teneor, defungar debitô; hanc enim & non aliam à debitoribus tuis exigis ſolutionem. Sanè nonnè animam illâ tygridum ferociorem deberet quis alere, qui non diffluereet in dulcorem ſi defixa mente conſideraret hanc veritatem? Me quod attinet, conſumere hic vellem horas, dies, ſeptimanas, annos integros. Itane prodigium hoc clementiæ redigatur in opus quotidie, & non cogitemus de illo?

Beatus, qui cum multùm debeat Deo, cogitur ad ſolvendum ſua debita.

Si

Si seria revolvatur cogitatione, nonnè quis habeat non cor, sed petram in medio pectoris, quod totum non ardeat tam ingentis bonitatis amore?

ARGUMENTUM.

Quòd videatur, amabilem nostrum Redemptorem tenere adhuc obligatum se nobis, quando nos plurimùm locupletavit.

Articulus VII.

JEsus Christus nos recompensat adhuc, quando ipsius acceptamus gratias.

ET nihilominùs, reponit ipsi bonus Ecclesiasticus, totus accensus zelô, non sunt hæc, quæ admiror maximè: Est adhuc quid aliud longè majus. An crederes excessum bonitatis Dei ergà nos eò usque progredi, ut postquam nos ita propriis suis locupletavit bonis, is adhuc obstrictum se teneat ad recompensandum nos magnificè, quasi insignè quoddam exhibuissemus ipsi obsequium, seque agnoscat magnis nobis devinctum nominibus, secùs quod gratias benignè voluerimus acceptare? Heu! quid præstitimus in hoc Domine, quod aliquam mereatur recompensationem, cùm tantum bonorum cumulum à magnifica tua receperimus liberalitate? nos ergò tibi infinita ratione devincti manemus. Sed quodnam obsequium tibi præstitimus? responderet tibi: Adimpletis vota cordis mei, quod dum donis vos accumulat, demulcetur gaudiô, quamvis id fiat absque ullo vestro merito. Et vos gaudium affertis illi maximum, quod recipere extra seipsum possit, quando annuitis ad acceptandum ipsius bona; & ideò magnificas vobis præparat recompensationes in æternitate.

Bona gloriæ non sunt pro iis, qui acceperint bona gratiæ

Pro quibus præparavit thronos & solia in regni sui gloriâ? Nonnè pro iis, qui liberaliter hausérint ex inexhaustis thesauris meritorum Redemptoris sui? Et juxtà proportionem, qua magnam bonorum gratiæ, quæ receperunt in hoc mundo, ostenderint abundantiam: pro eo, quòd videatur, hæc tanta esse, quæ oporteat solvi, debita, eò quòd reddenda sit ratio de bonis ab alio acceptis, Deus è contrario nomina sibi ipsi & debita imponat ex propriis suis bonis nobis persolvenda: verùm hæc solvit tam munificè, ut pro momentis det æternitates, pro atomis levium tribulationum, quas sustinuerimus in acquirendis propriis ipsius bonis, ineffabilis gaudii reddat immensitates.

Et

& contingit, quòd, cùm anima nostra non sit ampla ad includendas illas omnes in seipsa, æternaliter in illas se immergat, seque perdat in illis : *Intra in gaudium Domini tui.* Intrat ipsa, & perdit se in gaudio DEI, eò quòd hoc gaudium tam magnum sit, quòd in illam intrare non possit. Nonnè tibi videtur, maximum hunc bonitatis DEI excessum admirabilem prorsùs esse ? Admirabilem, respondit hic homo, totus divina perfusus consolatione, absque dubio admirabile, & admirabilissimum. Repetebat sæpiùs hæc verba, & aliud dicere non poterat.

Matth. c. 25. v. 21.

Christus JEsus in eo suum collocat gaudium, si nobis beatè faciat.

Sed majora hîs omnibûs adhuc restant, prosequitur Ecclesiasticus : Nam DEus exinde sic oblectatur, ut postquàm extraxit animam è peccatorum suorum barathro, postquàm satisfecit pro illa, solvendô omnia ipsius debita è propriis bonis suis, postquàm suis locupletavit ipsam gratiîs & meritis, postquàm denique suâ ipsam coronavit gloriâ, tantîs demulceatur deliciis, ut quasi solum cor suum has omnes capere non posset creaturas ad congratulandum sibi de insigni & pretioso hoc comparato sibi thesauro : *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* Venite, venite, communicate ex meo gaudio ; degustate mecum abundantiam voluptatis meæ : anima hæc, quæ perdita erat, tandem inventa est.

Luc. 15.

Verùm, Domine, potiùs ergò huic animæ tantîs repletæ, favoribus est gaudendum ? ipsi ergò congratulandum est summè de inæstimabili, quam obtinuit, felicitate, & non tibi. Nam quid emolumenti tibi accidit & accedit indè ? An minor eris, quàm es, si ipsa hac privaretur gloria ? in ipsam solam totum dimanat lucrum, tota utilitas ; ipsi soli igitur congratulandum est. Non, non, mihi ipsi, inquit hic DEus amoris, charitate ergà animas nostras totus abreptus, mihi ipsi volo omnes congratulari creaturas ; maximo enim mihi gaudio est, quòd beatam ipsam intuear ac felicem : Non dicit : *Congratulamini inventæ ovi, quia videlicet gaudium DEI est vita nostra.* Magna est quidem hujus animæ felicitas, sed majus adhuc meum est gaudium. Ille quidem delectari potest dulcedine boni, quod possidet, sed ego magis & perfectius delector illo ; eò quòd incomparabiliter magis ipsam amem, quàm ipsa seipsum amaverit unquam. An magis luculenter demonstrare nobis posset suæ ergà nos excessum bonitatis, & tenerrimi ergà nos amoris, quàm dum ita locutus est in Evangelio ?

JEsus Christus magis gaudet de salute alicujus animæ, quàm gaudeat ipsa.

Christus JEsus ostendit, se plùs nostram amare animam, quàm seipsum,

Quando amamus aliquem sicut nos ipsos, tantùm de ipsius gaudemus bono, quantùm de nostro ipsomet. Sed quando obliviscimur propriæ nostræ felicitatis, ut gaudeamus de felicitate alterius, qualis nos hæc afficeret magis, nota est, nos ipsum amare magis nobismet ipsis. Quid est hoc, mi DEus? undè venit, JEsum Christum non dicere nobis: Venite, applaudite propriæ meæ gloriæ: Congratulamini mihi de Excellentiis meis divinis, dilatate corda vestra, & mirum in modum gaudete de immensitate propriæ beatitudinis meæ. Tacet hæc omnia, & solummodò cordis sui ostendit jubilum circà meæ salutem animæ: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* Luc. 15. Itane? Bonitas infinita! Quid ex hoc deducere possum? Videtur igitur te propriæ tuæ obliviſci felicitatis, ut gaudeas de mea, quasi te magis hæc oblectaret. An amas ergò me magis teipso? Hæc cogitatio me oblectat & exterret, nec recipere, nec abjicere auderem ipsam, quandam blasphemiæ speciem me crederem commissurum, si admitterem, sed te datum esse pro me, te propria tua morte meam emisisse & comparâsse mihi vitam, meam gloriam tuis opprobriis, meámque salutem tuô damnô, nonnè hoc verè est amare me plusquàm te?

Efficax motivum amanderantem Christum pro ipsa JEsum.

Ah! Bonitas ineffabilis quàm suaviter crucias animam, consideratem attentè ea, quæ fecisti pro ipsa? Et post omnia, quæ fecisti, tuæ in hoc felicitatis collocas fastigium, quod reddideris me beatum, quin vel minimum exin redundet in te emolumentum. Quis diffitebitur, quòd hoc amare sit, sicut DEus amare potest. Nonnisi tu sola es, ô Bonitas infinita, quæ ita possis amare. Sed ne displiceat tibi, ita te amâsse ingratum, fac, ut gratum se exhibeat; fac ergò, ut amet te infinita ratione, plùs quàm se; fac, ut oblivisceus sui, nonnisi cogitet de te; fac, ut omne suum gaudium, omnem suam felicitatem in solo hoc constituat, ut quærat te, ut inveniat te, ut possideat te, ut inseparabiliter maneat apud te; utque dicere possit è sincero cordis sui affectu omnibus creaturis: *Congratulamini mihi, quia inveni DEum meum, quem perdideram.* Ecce mei fastigium gaudii, inveni DEum meum divinâ ipsius fruor præsentiâ: Ipse meus est & totus ego suus; nunquam ampliùs separabor ab ipso.

CON-

CONSULTATIO III.

Certitudo, quam habemus de Veritate Mysterii Incarnationis.

NOn semper expedit Majestatem Mysteriorum nostrorum cum toto eo splendore, qui dari potest ipsis, ostendere: sicut enim sunt oculi, quibus intolerabilis accidit splendor diei, quique tantò vident minùs quantò plùs recipiunt luminis; sic reperire est animos, quos veritas nimiùm sublimis, nimiúmque splendida offuscet, ita, ut ipsis hæc tantò minùs videatur certa, quantò plùs habuerit soliditatis & evidentiæ.

Majestas magnarum veritatum Religionis opprimit intellectum illas comprehendere volentem.

Medicus Comes & Archates noster audierat ea, quæ in præcedente dicta sunt consultatione tanta cum attentione animi, ut judicare possemus, ipsum explanatarum veritatum pulchritudine captum non solùm has approbâsse, sed magnam ex iis hausisse voluptatem, cujus etiam frequentia dederat indicia. Nihilominùs dum illas mente revolvebat, & comprehendere contendebat, intellectus ipsius has adeò sublimes, adeóque incomprehensibiles invenit, ut curiosus hic Scrutator prodigiorum Majestatis DEI, ab ipsorum se viderit oppressum gloria. Ipsius ratio hærebat attonita, ipsius fides vacillabat, ita, ut vehementer tentatus fuerit de infidelitate, sibíque persuaserit, magnum hoc Incarnationis Verbi Mysterium esse impossibile: id ipsum satagebat persuadere nobis, proponens nobis rationes à suo sibi intellectu propositas.

Advertimus probè, ipsum totum factum esse cogitabundum ab aliquot diebus; dixisset quis, ipsum oblitum fuisse, & reliquisse hilarem suam indolem in Insula, quam deserueramus, ut reverteremur ad litus; sed hujus nos causa latebat. Videbamus duntaxat, ipsum solum ruminari in animo suo cogitationes se affligentes. Diabolus orditur malitias suas in perturbatis idæis animi mœsti, sicut araneæ suas solent ordiri telas sub cœlo nubilo. Quandóque loquebatur secum ipso, sed non pronuntiabat, nisi semi-quædam verba interciſa, quæ excidebant ipsi, quæque retinebat, quasi non fuisset ausus dicere omnia, quæ cogitabat. Modò voce valde demissa dicebat: *Ita, DEus erit homo!*

Animus tentatus contra fidem volvit cogitationes ineptas.

mo! Mallem dicere DEum esse, & non esse. Et modò velut totus attonitus: *Quæ verisimilitudo, DEum immortalem mori! Et pro quo!* aliàs subridens in semetipso: *Quàm Deus æternus est juvenis, dum pendet infans ex uberibus matris!*

Affecti igitur tædiô morosæ hujus ac tetricæ indolis, cui aliàs assuetus non fuerat, ursimus ipsum, ut suas nobis manifestaret cogitationes. Ipse, qui aliud non quærebat, quàm suum relevare animum, nobis detegendô id, quod suam conciliabat afflictionem, ita effari cœpit.

Fateor libenter, nescire me ampliùs, ubi sim. Id, quod dixistis mihi de admirabili hoc consilio, quod supponitis formâsse DEum ab æterno, de mittendo nobis Filio suo unigenito in terras, qui futurus sit homo, sicut nos, immolaturus se velut victimam pro nostra salute, speciosum videbatur mihi ab initio. Sed verum est, quòd, quantò plùs studuistis mihi desuper dare cognitionis & luminis, tantò plùs ignorantiæ reliqueritis mihi & tenebrarum: Intricatum me ita hìc invenio, ut extricare me ampliùs non possim; quantò magis de hoc cogito, tanto minùs id capio, difficiliùs comprehendo. Tantas hic intueor absurditates, tantas indecentias, tantas oppositiones, & judiciô meô tantas contradictiones impossibiles, quæ ita meum offendunt & offundunt intellectum, ut resolvere me non possim, ad credendum id tanta cum simplicitate, quanta id vos credere conspicio.

Concluſimus benè ex paucis his verbis, Angelum tenebrarum, qui excitare non desinit mille errores, nec desinit unquam per omnium decursum sæculorum intricare animos hominum pluribus ineptis & absurdis opinionibus circà hoc mysterium, offudisse mentem ipsius tenebrîs & dubiîs, quibus magno sese in errorem præcipitandi exponebatur periculo, adeóque potentî indigere ipsum auxiliô, quô muniatur ac præservetur. Id quod ansam nobis præbuit instruendi cum ipso seriam ac sublimem hac super materia consultationem, ad explanandum ipsi omnia sua dubia, circa possibilitatem, congruentiam necessitatem & certitudinem mysterii Incarnationis Filii DEI, quæ fundamentalem constituit articulum totius Religionis Christianæ.

Cùm ergò statuerimus eo fine diutiùs ibidem commorari, sedentes sub malo Medico, umbram præbente nobis simul & sedilia, Ecclesiasticus, qui zelô plenus erat & scientiâ, consultationem est exorsus illis JEsu Christi ad sanctum Petrum verbîs: *Modicæ fidei, quare dubitâsti?* Matth.

An

An possibile sit, te unquam admisisse aliquod in mentem dubium, circa magnæ hujus veritatis fidem, quæ hodiè tam manifesta, támque confirmata est ubivis terrarum? Non est mihi unicum duntaxat circà illam dubium, sed plura sunt, quæ meum haud leviter perturbant animum, quæque forsan haud parùm tibi parient difficultatis?

ARGUMENTUM.

Mysterium Incarnationis impossibile videtur rationi humanæ, sed facile est amori DEI.

Articulus I.

NUllum mihi est dubium de omnipotentia DEI; probè novi, illam cuncta posse, quæ sunt possibilia: novi tamen etiam, esse quædam taliter ex seipsis impossibilia, ut non sint intrà sphæram & potestatem omnipotentiæ DEI. Omnia, quæ includunt in se ipsis contradictionem manifestam, absolutè sunt impossibilia; sicut esset, esse *omnia*, & esse *nihil*; esse *æternum*, & *non* esse *æternum*; esse *veritatem* infinitam, & *mendacem*; esse *immortalem*, & *mori*; esse *immutabilem*, & *mutari*. Fateberis mihi, quòd, sicut nihil sit quod magis sit impossibile. Jam non video, quomodò dici possit, DEum esse hominem, absque admissione contradictionis, & evidentium harum impossibilitatum: Nam DEus est omnia, & homo est nihil; hoc ergò est dicere, quòd Omnia sint nihil; DEus est æternus, & homo non est æternus; hoc ergò est dicere: quòd æternum non sit æternum. DEus est veritas per essentiam, & omnis homo est mendax, juxtà Scripturam; hoc ergò est dicere: quòd veritas sit mendacium. DEus est immortalis, & homo est mortalis: hoc ergò est dicere; quòd vita sit mors. Denique DEus est immutabilis, & homo est mutabilissimus: hoc ergò est dicere: immutabilitatem esse mutationem. Quis ergò non videt, DEum quantumvis omnipotentem concordare non posse contradictiones tam evidentes? hinc non parùm admiror, invenire potuisse homirem, cujus impossibilitas tam manifestè apparet.

Contradictiones apparentes in mysterio Incarnationis.

An ergò ignoras, respondit ipsi Ecclesiasticus, quòd, quando asserimus, DEum factum esse hominem, asserere non velimus, quòd cessaverit esse DEus, & in hominem sit immutatus.

Matth.

Sed credimus duas naturas in unica sola persona CHRISTI JESU, divinam & humanam, quarum una non est mutata in alteram, nec confusè mixta cum altera; sed ambæ nunquam non manent distinctissimæ, & unaquæque proprietates suas retinet naturales. Positô indubitatô hôc fidei nostræ principiô, ubi est contradictio, si dicamus, CHRISTUM JESUM esse DEum secundùm naturam divinam, & esse hominem secundùm naturam humanam; velut Deum esse omnia, velut hominem esse annihilatum? Dicere insuper, quòd sit omnia, & quòd sit nihil, non est contradictio; sed est loqui, sicut magnus locutus est Apostolus, *seipsum exinanivit*. Ubi est contradictio, si dicamus, velut Deum ipsum esse æternum, velut hominem non esse æternum; velut Deum esse veritatem infinitam, velut hominem non esse veritatem essentialem (quamvis mendax esse non possit, eò quòd non sit simpliciter homo, sed Homo-DEus) velut Deum esse immortalem, mortalem esse velut hominem; esse immutabilem velut Deum, sed mutabilem velut hominem; esse omnipotentem & infinitum, esse immensum, & includi in parvo loco? Quis diffitebitur, in omnibus his nullam inveniri contradictionem;

Non est contradictio, dicere Christum JEsum esse Deum & hominem.

ad Philipp. c. 2. v. 7.

Est quidem verum, quòd, cùm duæ naturæ inseparabiliter sint unitæ in adoranda persona Christi JEsu unione tam intima, ut duæ non sint, nisi una eademque persona, fermè contingat illis, quod personis conjugatis, quæ in virtute sacri vinculi ipsas unientis non censentur mihi una eademque res, ita, ut omnia bona mariti attribuantur uxori, & omnia bona uxoris attribuantur marito. Hic omnes imbecillitates humanæ Deo, eò quòd desponsaverit sibi nostram naturam; Et omnes perfectiones Dei attribuuntur homini, eò quòd humanitas nostra sit velut sponsa divinitatis, cùm ambæ naturæ non sint, nisi una eademque persona. Dicitur liberè, quòd Deus sit homo, & homo sit Deus; quòd Deus sit infans unius diei, & homo sit Deus æternus, quòd homo sit omnipotens, & Deus sit infirmus; quòd homo sit immortalis, & Deus sit mortalis. Unico verbo, omnia fiunt tam communia, tamque reciproca inter has duas naturas, mediante ineffabili hac unione, ut nihil dici possit de una, quod etiam dici non possit de altera, modò considerentur semper velut unitæ in persona Verbi.

Naturalis na & divi obtinent communi nem bon rum per nem hyp tricam.

Sed meliùs addisces arcana profundi hujus Mysterii & magno S. Augustino in aliquo tractatu

S. Augustin divine hic plicat Myst rium Incar tionis.

Tractatu s

ctatu super Joannem, ubi sic loquitur: *Agnoscimus duas substantias in Christo JEsu; divinam, per quam æqualis est patri; & humanam, per quam minor est patre. Ambæ simul unitæ non faciunt duos, sed unum solum Christum JEsum: Nam sicut caro humana & anima rationalis simul unitæ non faciunt nisi unum hominem: sic natura humana & natura divina simul unitæ in persona Verbi, non faciunt nisi unum solum Christum JEsum Deum - Hominem. Et si quæras: Quid est denique Christus JEsus? Est Deus, anima rationalis, & corpus humanum. Nos agnoscimus JEsum Christum in omnibus his, & in quolibet eorum.*

Quis est ille, per quem mundus factus est? Est JEsus Christus? sed secundùm divinitatem suam. Quis est, qui oblatus est Pilato, ut condemnaretur ad mortem? Et idem Christus JEsus; sed secundùm Humanitatem suam. Agnoscimus etiam illum secundùm quamlibet partium Humanitatem hanc componentium. Quis est ille, qui non derelictus est in inferno (id est, in limbo) quò descendit tempore mortis suæ? Est Christus JEsus; sed solùm secundùm animam suam. Et quis est, qui Triduò diebùs permansit in sepulchro? Est idem Christus JEsus; sed solùm secundùm corpus suum. Sic in omnibus hisce tribus agnoscimus JEsum Christum; sed nonnisi unicus solus est JEsus Christus, & unicus solus Salvator animarum nostrarum.

Qui benè comprehendet sublimem hanc S. Augustini Theologiam, facillimè conciliabit omnes apparentes contradictiones, quas reperire est in Sacra Scriptura, in Prophetis, & in Sanctis Patribus, qui videntur sæpissimè sibi adversari, quandò loquuntur de Christo JEsu, quorum hi loquuntur de ipsius excellentiis, alii de ipsius abjectionibus; hi enarrant ipsius gloriam, aliis evulgant ipsius ignominias; hi affirmant, ipsum nosse omnia; alii asserunt, ipsum certa quædam ignorare; hi tenent, ipsum idem omninò esse cum Deo Patre suo, alii sentiunt, ipsum servum esse Dei Patris sui: Et omnia hæc tam benè concordantur, ut nihil contradictionis hìc sit, eò quòd modô sermo fiat de ipsius divinitate, & modô de ipsius Humanitate, modô de ipsius anima, modô de ipsius corpore. Non enim te latet, ad constituendam veram contradictionem, quæ absolutam post se trahit impossibilitatem, requiri affirmationem & negationem rei ejusdem, eodem tempore & eâdem ratione.

Quomodò facilè concordari possint omnes apparentes contradictiones Mysterii Incarnationis.

Ulteriùs progredior, pergit Ecclesiasticus, & dico, quòd, si ex suppositione viderem impossibilitatem aliquam in hoc mysterio tam evidentem, támque manifestam, ut naturalis meus intellectus illam negâre non pos-

Credendum est, quod non comprehendimus.

posset, non haberem rationem credendi potius rationi meæ, quàm veritati æternæ, quæ certum me facit, id esse verissimum, quod falsum mihi videtur ac impossibile. Quandò lego magna hæc verba, quibûs totum concussum est universum, dum exarata fuêre à sancto Joanne in principio sui Evangelii: *Verbum Caro factum est*; tremore ac reverentiâ me concutit hujus tonitru veritatis, nec facultatem meo permittit intellectui, ut formet desuper quæstionem, an sit possibilis, cùm obligatus sim mille dare vitas, si haberem illas, ad propugnandum, ipsam esse infallibilem. An, dum non comprehendo veritatem ore proprio Dei revelatam, verum ex eo sit ipsam veritatem non esse? Ex adverso prorsus concludendum mihi est cum Tertulliano: *Certum est, quia impossibile.* Quantò plus res mihi videtur impossibilis, tantò magis certus sum, ipsam veram esse, eò quòd impossibile sit intellectui humano invenire illam ex seipso, cùm impossibilem ipsam judicet; Et magis adhuc impossibile stabilire & proponere illam mundo, velut veritatem, cùm nullas ipsam stabiliendi, sed potiùs oppugnandi habeat rationes; absolutè autem impossibile illam credendam persuadere infinitæ hominum sapientum multitudini, qui magna cum submissione per cuncta sæcula receperunt ipsam. Impossibilitas apparens est argumentum & probatio veritatis certæ in rebus Dei, quæ receptæ sunt à cunctis hominibus.

Joan. c. 1. v. 14.

Tertullianus De Carne Christi,

Impossibilitas apparens in mysteriis fidei, est optima probatio, quòd sint vera.

Quandò video Deum meum pro me facere talia, quæ humanæ rationi videntur impossibilia, agnosco ex hoc suorum excellentiam donorum, quæ omnes transcendunt cogitationes hominum. Quantò plùs meus intellectus se impotentem experitur ad illa capienda, tantò magis dilatatur, & attollitur cor meum, ut in majores & ampliores se effundat gratitudinis affectus. Ita, mi Deus! probè novi, nihil tibi esse impossibile, nisi quod volueris facere. Sed an dubitare possum, quin volueris dare mihi in tempore, cùm certus sim, quòd dare velis te mihi in æternitate? An dubitare possum, quin descendere volueris amore mei in terras, cùm noverim, quòd elevare me velis ad te usque in cœlos? An dubitare possum, quin vestire te volueris humanis meis misêris, amore mei factus homo, cùm vestire me velis divinis tuis fulgoribûs, & reddere me participem ejusdem vitæ, ejusdemque, qua ipsemet refulges, gloriæ?

Quid fidei reddat fidei Mysterii Incarnationis.

Sed quomodò dulcem haberemus fiduciam, consolantem nos in exilio nostro, nisi habeamus

mus illum, qui firmissimum ipsius est fulcrum DEus factus homo? Si quis mihi hanc felicitatis meæ tollere vellet scaturiginem, dicerem ipsi, quod Tertullianus Marcioni: *Parce unicæ spei totius orbis.* Crudelis, ne mundo expellas spem unicam mortalium cunctorum; relinque nos in possessione Dei Hominis, nec separa ex tua malitia, quod DEus conjunxit ex suæ abundantia bonitatis. Quod lucrum accrescit tibi, dum credis, vel DEum non esse hominem, vel hominem non esse DEum in persona Christi JEsu? An metuis, quòd DEus videretur nimis bonus, tuúmque cor urgeretur nimiùm ad amandum illum, si credas firmiter, ipsum factum esse hominem ex amore ergá te? Vel an metuis, quòd nimis honoratus esset homo, nimisque obligatus ad vivendum vitâ divinâ, si credas ipsum verum esse DEum? An sufferre ergò non potes, quòd infinita ratione bonus sit DEus & amoris abripiatur excessu tibi incomprehensibili? aut tolerare non potes', quòd infinita ratione bonus sit homo, ex eo, quòd habeat tam bonum DEum, ipsum amet, ipsi adhæreat, ipsúmque possideat in æternum.

Tertullianus de carne Christi.

Qui negat JEsum Christum, eripit toti universo spem dulcissimam.

Ne alleges, quæso, impossibilitatem, quæ locum non habet in amore; tam procul abest esse quidquam impossibile ipsi, ut ne quidem unquam experiatur difficultatem: *Amanti nihil difficile.* Quoties experientia didicisti, quòd, quandò amâsti ardenter, omnia tibi visa sint tam facilia, ut voluptatem caperes in vincendis ipsis difficultatibus, quæ absque amore visæ tibi fuissent impossibiles. Si ergò amor accensus conficere posse videtur id, quod est impossibile in mente tua, sicut credis in vita magnorum Sanctorum, quorum imitari opera putamus esse impossibile, eò quòd non ita amemus, sicut amârunt ipsi: Nonne fateberis, quòd maximus, qui cor alicujus creaturæ afficere potest, amor, non sit nisi atomus in comparatione cum immensa hac fornace amoris dominantis in corde DEI, velut in omnium amorum principio? Et quando attentè hanc ponderaveris veritatem, cogita tecum ipse, an aliquid impossibile esse possit tam ingenti amori. Interroga ipsum, si velis: an invenis, esse tibi impossibile factû, ut DEus sit homo, & homo sit DEus, ô amor divine! respondebit tibi: Non solùm mihi non est impossibile, sed tam facile, támque jucundum, ut meas in eo constituam delicias, si eò usque annihilem me, eò quòd amem te: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.*

Nihil est impossibile amori DEI ergà homines.

Prov. c. 8. v. 31.

S. Aug. in Psalm. 67. v. 14.

Difficultates quas experimur in servitio DEI, demonstrat nobis, quòd non amemus DEum.

Sed, si verum est, anima mea, omnia facilia esse, imò etiam jucunda amori; unde oritur, omnia difficilia tibi videri in servitio DEI, nisi ex eo, quòd nullo prosequaris ipsum amore? Anima, quæ amat Christum JEsum, tam ingentem experitur sympathiam ergà adorandum cor ipsius, ut amet omnia, quæ amantur ab ipso: cruces, persecutiones, paupertas, dolores, humiliationes, quæ horrori sunt naturæ, tam jucundæ videntur ipsi, ut maxima ex illis perfundatur voluptate, eò quòd amatæ fuerint ab ipso, quem amat ipsa. Quamdiu non alium fovemus in corde nostro amorem, quàm amorem proprium, & mundi spiritum, credimus impossibile esse, amare hæc omnia, quæ lethalem nobis pariunt aversionem. Sed anima, quæ amare incipit Christum JEsum, incipit dicere: nihil difficile est amori: Illa, quæ amat ampliùs dicet: nihil est difficile amori. Et illa, quæ amat perfectè, dicet liberè: Omnia facilia sunt, omnia jucunda amori: Illa cum voluptate amplectitur illa omnia, quæ videt dilectum suum amore sui fuisse amplexum: *Deliciæ meæ*, inquit, *esse cum Filio DEI.* Tuæ sunt deliciæ, amabilis mi JEsu, esse mecum in meis miseriis, & deliciæ meæ sunt, esse tecum in tuis, quia amo te.

ARGUMENTUM.

Quomodò videre possimus hodie indubitatam veritatem Incarnationis Filii DEI?

Articulus II.

ABundè est, interpellat ipsum Medicus, probè video, non mensurari opera DEI imbecillitate rationis nostræ humanæ, sed immensa amoris ipsius magnitudine, quæ dubitari non permittat, quin ex suæ abundantia bonitatis eò usque se potuerit demittere, ut factus sit homo ex amore hominum. Siquidem verissimum esse teneo illud Tertulliani effatum: *DEO nihil impossibile, nisi quod non vult;* Assentior, quòd, si facere voluerit, id potuerit: sed quando ad credendum inducere me ipsum volo, quòd id voluerit, quòd id fecerit, idque verum sit; nescio quem in anima mea experior horrorem, videns, quòd tota Christianorum Religio innitatur firmæ huic fidei, quòd DEus omnipotens, quem adorant, factus sit infans, paulatim formatus in utero matris aliorum more infantium; captivus in obscuro hoc car-

Tertullianus de carne Christi.

Stupendum est voluisse DEum fieri hominem.

carcere detentus & arctatus novenorum spatio mensium, sicut omnes alii; egressus indè lachrymantibûs oculîs, cunctîsque implexus infantium miseriis; vivere coactus lacte, & alîis exilibûs, quæ infantibus porriguntur, alimentîs; certam insuper exspectans seriem annorum, quibus crescceret, & robur acquireret, quibus disceret & ambulare, & balbutire, sicut infantes solent, ille, qui Verbum est Patris. Fateor, hæc omnia meam attonitam reddere rationem, mihíque videri, quòd hæc credere de DEO æterno & omnipotenti sit stoliditas.

Magìs stupendum adhuc videtur Deum Hominem vivere voluisse, uti vixit.

Et insuper, quando credendum est, quòd è triginta tribus annis, quibûs vixit in terris, illorum triginta exegerit velut incognitus in contemptu hominum, abs eo, quòd egerit quidquam consideratu dignum, haud magìs, quàm novissimus hominum; educatus velut puer egemus in officina fabri cujusdam lignarii, addiscens, & post hæc etiam exercens opificium illius, qui ipsius habebatur parens. Sítne hæc vita DEI-Hominis, qui eo nomine descenderit è cœlis in terras, ut repararet ruinas mundi? Nonnisi tribûs annîs ostendere se voluit mundo, & hoc, uti judicare pronum est, haud alio ex fine, nisi ut malè acciperetur ab ipso, à Pontificibus & Principibus nationis suæ repudiatus velut impostor, ab amicis & propinquis suis habitus ostentui, passus persecutionem ex malitia & invidia illorum, quibus faciebat benè. Tandem velut enormium reus criminum, ad infamem latronum condemnatus est necem; in eorum societate actus in crucem, à suorum uno traditus, negatus ab alio, derelictus ab omnibus, & execrationibûs obrutus ab universo populo. Ecce tibi DEum Christianorum, & totam ipsorum Religionem huic innixam fidei! Quis diffitebitur, debile hoc esse fulcimentum? & quâ ratione hæc aspiciantur, quin concipiatur, nescio, quis horror, qui terreat, & animum dejiciat?

Unio excellentiarum & abjectionum in Christo JEsu evidenter demonstrat, quòd sit DEus & homo.

Omninò ex adverso, respondit Ecclesiasticus, habere non possumus argumentum magìs luculentum, magísque persuadens veritatem Dei-Hominis, quem adoramus in Religione Christiana, quòd unitas & conjunctas in ipsius Persona videre cum summis excellentiis abjectiones maximas. Si viderem in ipso nonnisi abjectiones absque ulla excellentia, crederem ipsum non esse DEum; & si viderem in ipso non nisi excellentias absque ulla abjectione, non crederem ipsum esse hominem. Sed quando video in ipso omnes has abjectiones, quibus ob-

noxius esse potest novissimus & infelicissimus hominum, velut nasci in paupertate, vivere in persecutionibus & opprobriis, mori fato crudeli ac infami; non fuisse obstaculo, quin patraret prodigia, quæ nonnisi possibilia sunt omnipotenti Deo: Et quando alia ex parte intueor potestatem quandam summam, nonnisi DEO propriam, qualis est, mutare legem, sacrificia, & Religionem veri DEI, præcipere diabolis in proprio suo nomine, remittere peccata, restituere vitam mortuis, & ejusmodi; summámque hanc potestatem impedimento non fuisse, quin sustinuerit omnes dolores, omnésque ignominias, quibûs hominum abjectissimus possit affici: hæc tam stupenda abjectionum & excellentiarum unio, quam evidenter conspicimus, facilitat mihi fidem, quòd conjunxerit naturam divinam cum omnibus suis excellentiis, & naturam humanam cum omnibus suis abjectionibus in persona sua, validéque me constringit, quòd necessariò ipsum esse oporteat Deum & hominem.

Nemo unquam antè ipsum, & nemo unquam post ipsum tantas in se excellentias, tantásque abjectiones ostendit simul unitas; & certum est, illas ita conjunctas possibiles non esse, nisi Deo Homini. Tria diversarum excellentiarum sunt genera in hominibus: aliæ sunt carnales, aliæ spirituales, aliæ supernaturales. Carnales sunt illæ divitum & Magnatum hujus mundi, quæ minimæ sunt omnium, licèt præ omnibus quærantur ab hominibus carni & sanguini addictis, nullásque alias agnoscentibus, eò quòd hæ magis sensibus pateant, majorémque in Vulgi oculos diffundant splendorem. Spirituales sunt illæ Sapientum & Doctorum, qui studiis invigilandô & meditandô inquirunt veritatem; hæ sine comparatione nobiliores sunt præcedentibûs; eò quòd hæ non tendant ad oblectandos sensus sed intellectum, qui longè nobilior est sensibûs; has qui habet, ita hîs demulcetur, ut nihili prorsùs excellentias faciat carnales. Archimedes & Picus de Mirandula erant ambo Principes, & ambo viri docti; non æstimantur autem ex eo, quòd fuerint Principes, quódque excellentias possederint carnales; sed excellentiæ intellectus transscripserunt ipsorum memoriam æternitati ubivis locorum.

Tria excellentiarum genera: carnales, spirituales, supernaturales.

Nihilominùs hæc omnia longè inferiora sunt excellentiîs divinîs (quæ sunt illæ Sanctorum) eò quòd hæ supernaturales sint, & ordinis longè altioris super omnes alias: respiciunt ipsæ æternitatem & non tempus; aspiciuntur

Excellentiæ divinæ nihil habent splendoris & eminentiæ cæteris omnibûs.

ciuntur ipsæ ab oculis DEI ac Angelorum, & non hominum. Anima illas possidens est in statu tam sublimi, tantæque pleno voluptatis, ut opùs non habeat excellentiis carnalibûs, neque etiam spiritualibûs, ita, ut absque divitiis, absque honoribus, absque voluptatibus, absque magnis dotibus, absque scientiis acquisitis, ipsa excellentiam possideat, qua attollatur super ditissimos & sapientissimos totius mundi, quáque conciliet sibi æstimationem & admirationem totius curiæ cœlestis, quamvis ab hominibus carnalibus non cognoscatur: hi vident ipsius abjectiones, & DEus videt ipsius excellentias; sed ambæ reverà in ipsius conjunctæ sunt persona. Et in hoc agunt Sancti perfectos Christianos, id est, veros imitatores Christi JEsu, qui in semetipso includit omnes excellentias divinitatis cum maximis abjectionibus humanitatis nostræ. Cupis videre ad oculum Mysterium Incarnationis?

Ecce! tibi illud in omnibus sanctis imitatoribus Christi JEsu: In ipsis splendida videmus Ectypa, quorum ipse est Archetypon, in ipsis manifestos videmus effectus, quorum ipse causa, qui illos produxit. Nam quis est, qui replevit cœlum & terram innumerabili multitudine Sanctorum, in quibus mundus reveretur excellentiam divinam, absconditam sub tot abjectionibus & infirmitatibus humanis, nisi Christus JEsus, qui obvelatam gestavit divinitatem sub imbecillitatibus nostræ humanitatis? Nunquam alius præter ipsum conjungere potuit honores divinos cum maximis ignominiis, quibûs Sanctos oppressit mundus; nec facere, quòd ii, qui habiti sunt velut facinorosi, & occisi sunt per manus carnificum, sicut omnes Martyres; sicut & illi, qui suam transegerunt vitam in paupertate, in solitudine & in contemptu hominum, reciperent per omnem sæculorum decursum honores, qui excellerent illos omnes, quibus afficiuntur Monarchæ hujus mundi. Quis est, qui unquam hoc fecit, nisi Christus JEsus? & quomodò id facere potuisset, nisi verè & re ipsâ fuisset Deus-Homo? sic manifestè omninò legimus veritatem mysterii Incarnationis in abjectionibus & in excellentiis Christi JEsu, & in illis omnium Sanctorum.

Si natus fuisset ipse in purpura, sicut Cæsares; si habuisset in manibus immensos thesauros, ad distribuendum illos hominibus; si magnos moderatus fuisset exercitus, ad edomandam fortitudinem omnium hôminum, & stabiliendum hac via imperium suum in universo mundo: si apparuisset

Si Christus apparuisset totus in splendoribus, non habuissemus causam credendi, ipsum fuisse DEum.

paruisset inusitato quodam splendore, qui conciliâsset reverentiam ergà Majestatem ipsius; si locutus fuisset hominibus linguâ Angelorum, & usus fuisset suadâ magìs facundâ, magísque potentî, quàm omnes mundi Oratores, ad convincendum omnes animos; si proposuisset vitam jucundissimam & cunctis naturæ inclinationibus plurimùm accommodatam, & magnas in vita præsenti promisisset se sequi volentibus felicitates, hácque ratione suum in universo mundo stabiliisset imperium, cognovissem ex eo, ipsum magnum ac potentem fuisse hominem: Sed ad credendum, quòd esset DEus, exin non fuissem adductus; potuissem enim omnia hæc attribuere potentiæ purè humanæ. Nemo est, qui omnia hæc impendens media non facere potuisset, quod ipse.

Sed nasci pauperem, & vivere pauperrimum; nunquam potentiam adhibuisse humanam, nec vim armorum; visum nunquam esse, nisi velut simplicem opificem, absque literis, velútque fabri lignarii filium; uti voluisse loquendi genere æquè simplici: sicut in sancto apparet Evangelio; non docuisse nisi severam & rigidam vitæ rationem, quæ mortificet & crucifigat naturam; non promisisse illam amplecti volentibus nisi persecutiones, exilia, tormenta & mortes crudeles; & super hæc omnia adversarios sibi habere omnes defensores & sectatores veræ Religionis DEI, qui fuerant tunc Judæi. Legem hanc omninò sanctam inculpare, quòd oportet ipsam velut imperfectam mutare in meliorem; insuper docere, falsorum cultum Deorum, qui summo quasi cum imperio dominabatur ubivis in toto orbe terrarum, velut abominabilem esse abrogandum.

Adhæc adversùm se habere omnem sæculi sapientiam, quæ principabatur in Philosophis, nec non potentissimas naturæ animalis & sensitivæ inclinationes, quæ omnes post se trahebant & rapiebant mortales; & reluctantibûs hîsce omnibûs fundare Religionem Christianam super ruinam cæterarum omnium; Religionem, quæ totam naturam, corpus & animam continuò oppugnat, & perpetuâ constringit servitute, quæque subsistit, nunquam non se perficiendô post tot Sæcula. Quandò penitiùs hæc considerantur, non invenire est animum, qui non cedat, quíque fateri non cogatur, quòd impossibile sit JEsum Christum hæc fecisse, nisi verè esset DEus & homo; támque manifestè patebit ipsi Mysterii Iucarnationis veritas, ut dubitare de ipsa nunquam poterit.

Quod C[illegible] JEsus [illegible] contra [illegible] nem app[illegible] tiam h[illegible] nam, p[illegible] evidente[illegible] ipsum [illegible] DEum,

Verùm

Verùm si adhuc dubitet de illa, desumat luculenta hujus ex ipso corde suo argumenta. Quoties accepit auxilia omninò prodigiosa gratiæ Redemptoris sui, quæ operata sunt in se mutationes prorsùs similes illis, quas operatus est ipse in universo mundo? Si habuit is vires ac robur vincendi vehementer aliquam passionem aut tentationem, si disrupit catenas malæ cujusdam consuetudinis; si liberatus est à servitute plurium peccatorum sibi dominantium; si unico verbo visus est mutatus è lapide in filium Abrahæ: cujus virtute id fecit? an propriâ suâ, an illa, quam à gratia recepit Redemptoris sui? si virtute sua propria, quare non satis fortis erat ad servandum se, ne caderet? si viribûs naturæ, & non illis gratiæ; eccur omnes homines virtutem non habent justos & sanctos se reddendi ex semetipsis? Eccur non aspiciuntur inter Christianos conversiones illæ prodigiosæ, super quas gaudent Angeli in cœlis, quæque in admirationem rapiunt homines easdem aspicientes, nisi ad demonstrandum, non esse nisi JEsum Christum, qui facere possit has mutationes dexteræ DEI in peccatoribus?

Quandò homo non nisi semel in vita sua transiisset à peccato ad gratiam, propriò jam suô novit experimentô, aliquem esse Salvatorem, à quo concessa sibi fuerit hæc gratia. Et quando is nunquam conversus fuisset, videt quotidiè tot alios, qui felicem hunc transitum à servitute dæmonum ad libertatem filiorum Dei, ex quo cognoscere sit necesse. quòd, quia sunt, quia salvantur, oporteat esse Salvatorem; quódque, cùm abundantia sit gratiarum, debeat esse gratiarum auctor, qui illas largiatur. Et Auctor hic esse non potest, nisi Deus-Homo, adorandus Salvator hominum. Et ecce tibi veritatem mysterii Incarnationis omninò manifestam. Eheu! An esse quis potest Christianus, & non sentire affectus gratiæ & Spiritûs Christi JEsu in proprio corde suo! *Hoc sentite in vobis,* Coloss. 3. *quod & in Christo JEsu.* Si aliquis homo non sentiat ex se ipso, & propriô suô experimentô, quòd habeat spiritum humanum, dici potest ipsum non esse hominem: Et si aliquis Christianus propriâ suâ experientiâ non cognoscat, se habere Spiritum JEsu Christi, benè dici potest, ipsum Christianum non esse.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Continuatio ejusdem materiæ, quæ ostendit impossibile esse, quòd veritas Mysterii Incarnationis ignoretur ab aliquo homine

Articulus III.

JEsus Christus & ipsius Religio cognoscuntur in toto orbe.

Joan. c. 8. v. 12.

NOn vacat mysteriô, quòd JEsus Christus, loquens de semetipso, nobis dicat, se esse lucem mundi: *Ego sum lux mundi.* Eadem ratione absconderis solem oculis omnium animantium, quæ sunt in terra, qua absconderis cognitioni omnium hominum, esse Christum JEsum, qui fundaverit Religionem Christianam in mundo. Quatuor sunt partes mundi præcipuæ, sed ne una quidem est, in qua non plurimos invenire sit Christianos: Vix reperiatur parvus quidam hominum sylvestrium numerus in densissimis saltibus versùs extremitates mundi, quibus nunquam innotuerit sermo de Christo JEsu, aut Religione Christiana: dici etiam potest, ipsos homines non esse, cùm plùs habeant commercii cum bestiis, quàm cum hominibus.

Nunquam homo tantum habuit splendoris, quantum Christus JEsus.

Nunquam aliquis hominum tantum assecutus est splendoris, quàm Cstristus JEsus: Omnis sæculorum series miscuit sermonem de ipso à creatione mundi; prænuntiatus est, & promissus longo tempore priùs, quàm datus fuerit mundo. Voluit DEus populum esse Judaicum, qui in depositò haberet promissiones, figuras, prophetias, quæ pronuntiarent, & promitterent Christum JEsum. Et quamvis populus iste in parvo fuerit numero, habitus odio, & oppugnatus ab omnibus aliis nationibus, conservavit tamen ipsum per miracula & prodigia tam inusitata, ut stupore concusserint universum orbem, eò quòd conservare debuerint promissiones & prophetias de Messia. Populus hic totus glorioſus ex eo, quòd habuerit in manibus suis depositum tam pretiosum, conservavit semper libros legis, quibûs contiuebantur promissiones omnes, figuræ & vaticinia, maximo cum fervore ac zelo; quos etiam apertos circumferebat in conspectu totius mundi, omnes assecurans nationes, quòd venturus esset omnium liberator hominum, supremus quidam mundi Monarcha, omnibus futurus mortalibus fons omnis felicitatis: demonstrabant insuper illis tempus & circumstantias adventûs ipsius, juxtà suorum observationem & testimonia librorum.

rum. Nonnisi Christus JEsus solus est, qui incomparabili hac potitur gloria, qua spectabilior ipso sole cunctis redatur sæculis.

Discrimen maximum inter Christum JEsum & Mahomet.

Mahomet maximum sibi acquisivit nomen, & hodiedum sectatores sui numerat ingentem valdè populorum multitudinem: sed ipse prænuntiatus non est, nec promissus in libris veteris Testamenti, qui antiquissimi sunt in mundo, & soli, qui complectantur veritates Religionis veri DEI: Omnes illi pleni sunt de Christo JEsu, & de Mahometo nullam prorsùs faciunt mentionem; nunquam constitit quidpiam de ipso, quòd venturus esset, antequam apparuerit. Nil simile ergò habet gloria Mahometi respectu gloriæ CHRISTI JESU.

Mahomet nunquam dicere ausus fuit, quòd sit ipse Homo-Deus; nunquam patravit miracula ad evincendum, se esse missum à DEO; non tradidit doctrinam, quæ attolleret homines supra naturam; non fundavit ipsam suprà cognitionem sed suprà ignorantiam, omnem prohibendô lectionem & instructionem; non docuit suos, vincendum esse patientiâ, & moriendum pro defensione Religionis, sed occidendos homines ad defendam eorum sectam, vi ac robore armorum. In omnibus his nil fecit, quod omnis alter homo facere non potuisset, aut posset. JEsus Christus dixit, se tam verè esse DEum, quàm verè esset homo, innumeris probavit id miraculis, & veteris Testamenti loquentibûs de se Scripturis, & tandem id mundo persuasit. Ipse edocuit legem omninò divinam, quæ oppugnet omnes depravatas naturæ inclinationes, ipsamque elevet suprà seipsam. Ipse libertatem contulit omnes legendi Scripturas, sese informandi & examinandi, an conformes essent doctrinæ omninò sanctæ & prorsùs spirituali à se traditæ. Ipse inhibuit his capessere arma, ad stabiliendum illorum vi ac robore doctrinam suam in mundo. Sed postquam dederat illis exemplum moriendi pro defensione veritatis, mandavit ipsis, ut more agnorum se sinerent mactari, certificans ipsos, quòd per patientiam & humilitatem superaturi omnem mundi potentiam, omnes inferni potestates; & idipsum, sicut prædixerat, accidit. Nihil ergò JEsum Christum inter & Mahometum est similitudinis, adeóque si ille prosperum sortitus est eventum per media, quæ adhibuit, JEsus Christus & tota ipsius Religio media adhibens contraria debuerat perire, nisi per divinam stabilita & conservata fuisset potentiam. Et hoc evidenter probat, ipsum non solùm fuisse hominem, sicut

Mirabilis modus, quo usque est Christus JEsus, ut se demonstraret Deum-Hominem.

Mahomet, sed verè fuisse Hominem-DEum.

Nonnisi duo Religiones fuerunt in mundo cunctis Sæculis, quæ præcesserunt adventum Christi JEsu: illa veri DEI, quam profitebantur Judæi; & illa falsorum Deorum, quam amplectabantur Gentiles: hæc incomparabiliter magis ampla, magisque numerosa fuit, quamvis minùs robusta magisque imbecillis. Eò quòd inniteretur hæc mendacio, & altera veritati. JEsus Christus venit, immutaret forgionis Judæorum, quam Christus effecit, clarè ostendit, ipsum esse DEum.

tiorem, & ampliorem extingueret; adeóque oportuit oppugnare & vincere ipsum utramque, ad stabiliendum suam super ruinam ambarum. Quomodò conficere hoc potuisset, nisi verus fuisset DEus? DEus omnipotens, qui stabilierat legem Moysis, quique conservaverat Religionem Judæorum per cuncta Sæcula reluctantibus cunctis potestatibus humanis, quæ toties delere ipsam fuerant molitæ, an permisisset à Christo JEsu aboleri illam? ipsius immutare sacrificium quod Religioni est essentiale? ipsius abrogare ceremonias legales, quæ erant ejus ornamenta, quæque expressis præceptæ erant verbis in lege DEI? Quis immutare potest, quòd velut plurimùm essentiale stabilivit DEus in Religione, per quam coli & honorari volebat, nisi ipse DEus? Jam Christus JEsus id fecit; & DEus omnipotens, qui stabilierat hanc Religionem, id stupendis confirmavit miraculis; & Religio Judaica, Auctore Christo JEsu, facta est Religio Christiana. Nonnè hoc luce meridiana clariùs evincit, ipsum verum esse DEum?

Ex altera parte, quomodò exterminare potuisset Religionem falsorum Deorum, nisi fuisset verus DEus? siquidem ipsa innitebatur inferno, cunctisque dæmonibus, cujus unus solus plus habet fortitudinis, quàm decies centena millia hominum: sustentabatur ipsa, & propugnabatur à cunctis supremis potestatibus moderantibus universum: quasi totus orbis addictus erat superstitioni idolorum eo ardore ac zelo, quo quivis in suam accenditur Religionem. Qua ratione Christus JEsus, qui homo videbatur infirmus, fortior fuisset toto inferno, fortior cunctis imperiorum potestatibus, fortior innumerabili multitudine idololatrarum, ad exercendum illis è corde Religionem quam amabant, & inducendum illos, ut aliam amplecterentur, ergà quam summo percellebantur horrore? Qua ratione homo unicus, magnum hoc executus fuisset opus, quod cunctis impossibile fuerat hominibus, nisi omnipotens extitisset DEus?

Jam

Jam JEsus Christus id fecit, nósque dejectam intuemur Gentilitatem, & ædificatam super ruinam ipsius Religionem Christianam. Nonnè hoc invincibiliter coarguit, ipsum verum esse DEum?

JEsus Christus adventu suo mutavit figuras in veritatem.

Quæro ex te, an præstitîs hîs omnibûs, ignorari possit Christus JEsus ab ullo hominum? Videtur divinam voluisse providentiam consultò, ut remanerent in mundo aliquæ Judæorum & Gentilium reliquiæ, ad ostendendum semper hominibus, has Religiones aliquando extitisse, sed ampliùs non existere: eò quòd imbellis pugna, quam cient adhuc adversùs Religionem Christianam, à qua destructæ sunt, vel si vis, absorptæ, & ipsi quasi incorporatæ, non leve reddat testimonium gloriæ Christi JEsu, ea ferè ratione, qua mancipia augent gloriam Victorum, dum illa catenis implexa, trahunt post victoriam in curru suo triumphali.

JEsus Christus promissus conservavit Religionem Judæorum.

Religio Judæorum non extitit inconcussa & immobilis per tot sæcula, nisi quia ceu fulcro innixa fuit Christo JEsu in lege promisso; neque dilapsa est in ruinam, nisi quia ampliùs ceu fulcrum & basim habere noluit eundem Christum JEsum, datum in tempore, quo fuerat promissus. Infelix populus, qui tam firmiter adhæsit promissionibus & figuris, ut non cognoverint rem ipsam, promissum ipsum & figuratum, quando in tempore venit prænuntiato! unde oritur illis hæc infelicitas? nisi quòd legendo in Scripturis Excellentias & objectiones in Persona Messiæ sibi promissi, cognoverint neutras: Non cognoverunt ipsius excellentiam & magnitudinem, veluti quando discurrebat cum illis ita: *Quid vobis videtur de Christo, ? cujus filius est ? dicunt ei David. Ait illis: Quomodò ergò David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo.* Matth. 22. v. 43. Et quando dixit illis: Joan. 8. v. 57. se Abraham vidisse, & fuisse, antequam ipse esset; non credebant satis ipsum excellentiæ habere, ut esset DEus; & ob id responsi volebant ipsum lapidare.

Æquè parùm cognoverunt ipsum in sua objectione, & summa annihilatione mortis: veluti quando dixit illis: *Se exaltandum fore in cruce, significans, qua morte esset moriturus*; Joan. 12. v. 32. cui autem dixerunt: Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum; & tu dicis, te esse moriturum; promissus ergò non es Messias? Judæi non cognoverunt nec excellentias, nec objectiones Christi JEsu.

Non cognoverunt igitur nec excellentias, nec objectiones ipsius, & pari ratione offendebantur, sive diceret se esse æternum, sive se esse immortalem. Et qualem ergò habere voluissent Messiam, qui fuerit neuter, nec unus nec alter?

alter? Exspecta, obcœcate populè, exspecta Messiam alium, qui nec attollatur excellentiis, nec deprimatur abjectionibùs, qui nec DEus sit, nec homo, nec æternus nec mortalis, dum interim Christiani summâ potiuntur felicitate, quod ceu verum Messiam receperint Christum JEsum, qui complectitur utrumque.

Nihilominùs permanebis in mundo usque in finem Sæculorum, ut velut irrefragabilis testis confirmes eam, quam oppugnas, veritatem: studiosè conserva tuos libros, prorsùs enim divini sunt, nósque tales, quales habes, recipimus illos. Tu legis ibi, quòd reprobandus & morti tradendus sit Messias à populo suo; tu velut execrandum & anathemate percussum repudiâsti illum, & tradidisti morti in ligno infami. Tu legis ibi, eum, qui erat populus ipsius, non ampliùs fore ipsius populum; hoc ad amussim accidit, sicut prædictum est. Conserva fidelissimè Scripturas sacras, quas recepisti à DEO, velut sacrum depositum; circumfers in illis condemnationem tuam ob crimen, quod commisisti, & evidentissima veritatis, quam amplectimur, argumenta.

Judæi conservant & producunt sacras Scripturas velut condemnationem suam.

Nequeunt habere homines veram aliquam Religionem, quæ non velut basi innitatur Christo JEsu, eò quòd solus sit ipse, cui qua re supremos exhibere possint, infinitæ Majestati DEI debitos honores. Religio Judæorum non erat vera, nisi quantùm innitebatur Christo JESU ipsis promisso; & omnia ipsorum sacrificia non erant accepta DEO, nisi quia ipsum repræsentabant. Religio Christiana jam vera est, eò quòd innitatur eidem Christo JEsu, possideátque veritatem, cujus altera non habebat nisi promissiones & figuras. Judæi dubitare non poterant, quin Messias esset venturus, eò quòd promissiones, quas acceperunt à DEO, fuerint infallibiles; & nunc Christiani æquè parùm dubitare possunt, quin venerit, eò quòd non minùs infallibilis à DEO circa hoc illis data sit certitudo. Verùm si certitudo æqualis est ex utraque parte, utpote innixa verbo ejusdem DEI, nobis insignis hæc suprà Judæos est prærogativa, quòd hæc ex parte nostra magis sit evidens & manifesta, quódque nunquam tota natio Judaica habere potuerit motiva tam luculenta, támque stringentia ad credendum, quòd Messias debeat venire, quàm omnes hodiè habeant Christiani ad credendum firmiter, quòd jam venerit, quódque jam possideant ipsum: omnia námque involuta erant obscuritate prophetiarum & figurarum apud Judæos; & om-

Nunquam fuit, nec esse potest vera ali-

& omnia explicata jam sunt, & luci exposita velut meridies apud Christianos.

Religio Judæorum val. dè limitata in omnibus.

Religio Judæorum inclusa fuerat in minima mundi parte, non nisi Jerosolymîs vero DEO offerebantur Sacrificia, dum interim innumera falsis immolabantur Diis in universo orbe. Illis non erat nisi parvus numerus Prophetarum, qui prædicabant parvo admodùm populo promissiones Messiæ, quem exspectabant: Omnes Religionis ipsorum veritates inclusæ erant in unico solo libro, cujus non nisi pauciſſima habebant exemplaria, cujúsque populus nullam habuerat cognitionem. Si quandoque magna cernebant prodigia è manu DEI profecta, sæpiùs id fuerat ad ipsos puniendos, hácque ratione per suppliciorum metum continendos in Religione, quæ non habebat nisi spem, ad replendos se olim favoribûs ac gratiis, eò quòd jam in tempore gratiarum non essent. Sic licèt multùm habuerint certitudinis de felicitate illis promissa & olim conferenda, tanto tamen se rigore accipi videbant, ut nunquam non spem inter & metum fluctuarent. Et tantum abest, sat vivam sátque robustam fuisse ipsorum fidem, ad extendendum se usque ad nationes infideles, séque dilatandum per universum orbem; & plurimo steterit labore, quo conservaretur integra in populo hoc parvo, Et hoc totum est, quod certitudo de Messia illis promisso poterat in ipsis operari.

Religio Christianorum certissima.

Verum quid hoc est respectu certitudinis evidentis & manifestissimæ, quam habemus hodiè; quòd Messias hic promissus olim Judæis, jamjam datus & consignatus sit Christianis, híque illius jam vera potiantur possessione. Non dicam hic, naturam promissionis & spei esse, habere finem, & non semper perdurare, DEúmque non promisisse Messiam, ut nunquam veniret; sed quod cùm tempus adventûs ipsius, quod annotatur in Scripturis, transierit, sicut clarum est, & manifeste patet tum in privatione Sceptri, quod ablatum est à Juda, tum in extinctione familiæ David, è qua Christus debebat nasci, tum in cessatione Sacrificiorum Legis & in hebdomadibus Danielis, aliísque in locis tempus adventûs ipsius insinuantibus, non oporteat promissiones & exspectationes, quæ ultrà quater millenos jam perdurârunt annos, perdurare semper, postquàm DEus possessionem consignavit nobis ejus, quam promiserat, felicitatis, Sed ne ultra inhæreamus argumento huic quamvis solidissimo.

Ampliſſima ubivis locorum.

Videamus Majestatem Religionis Christianæ triumphantem

in universo orbe. Non solùm in parva mundi parte offertur vero DEO augustissimum Religionis Sacrificium: sed quot millliones numerare est Ecclesiarum, Sacellorum, Altarium, in quibus cunctis diebûs, cunctisque diei horis, eò quòd cursus Solis successivè constituat tempus matutinum in cunctis partibus mundi, ubi invenire est Christianos & Presbyteros, qui sacrificent vero DEO offerentes illi hostiam vivam & adorandam Filii sui unigeniti, abs eo, quòd hodiè inveniatur ibi aliud Sacrificium, quod offeratur vel falsis Diis, vel vero DEO. Non nisi duo vel tres sunt Prophetæ, qui parvo annuntiant populo promissiones Messiæ venturi: Sed quot jam milliones virorum eloquentium, Pastorum, sacrorum præconum, publicant & evulgant adventum ejus, summam nostram declarantes felicitatem, quòd possideamus illum. Non est amplius una tantummodò veritas uni inclusa libro, & notitiæ abscondita populorum; scatet mundus innumeris sacræ Scripturæ, sanctorúmque Doctorum voluminibûs, tótque virîs eruditione ac pietate plenîs, qui annuntiant gloriam & excellentias Christi JEsu; quique publico expositi, & omnium manibus in abundantia consignati, sunt veluti voces perpetuò resonantes Canticum laudis ipsi in terra, sicut fit illic in cœlis.

Quàm admirabilis Sanctitas nunquam non clavum tenuit in Religione Christiana? quantâ favorum & gratiarum abundantiâ locupletavit illam DEus? quanta patrata sunt, & patrantur adhuc indies absque numero miracula per potentiam Christi JEsu, & virtutem servorum ejus! Omnia hæc prodigia, & admirandus hic Religionis Christianæ status, ipso clarior sole, an imaginarii & ficti cujusdam Messiæ sit opus. Infelices nonnè sint Judæi, exspectantes illum adhuc, dum Christiani velut certi de veritate, ipsius oblectantur, & jucundantur possessione? cuivis sanæ mentis desuper relinquo judicium, an major illâ optari possit certitudo, quam habemus circa veritatem mysterii Incarnationis? Sanctitas Religionis Christianæ.

Nimis parùm est dicere, quòd ejusdem habeamus certitudinem sed nostræ in eo felicitatis stat fastigium, quòd illius gaudeamus possessione ipsamet, quod tanti tantis Sæculis desiderârunt populi; quod lachrymantibûs, quin id obtinerent, expostulârunt oculîs, id nos, quamvis non petierimus, tenemus & possidemus. O nos millies beatos, si tantam, qua fruimur, agnoscere noverimus felicitatem! Eheu! si veniissemus in mundum iis, Inæstimabilis nostra felicitas est, quòd venerimus in mundum tempore Religionis Christianæ.

quæ

quæ Christi adventum præcesserunt, Sæculis, involutos aspexissemus nos vel umbris Judæorum, vel tenebris Gentilium. Et suavissima Patris nostri cœlestis providentia nasci nos fecit in plena veritatis meridie, in tempore gratiarum, in medio thesaurorum cœlestium nobis apertorum, nosque exspectantium, ut nos locupletent. Invenimus Filium Dei præcessisse nos in terris, ut verbis suis & exemplis nos viam edoceret cœli. Aspicimus, præparâsse ipsum nobis Ecclesiam omninò sanctam, omninò sapientem, totámque suis gratiis refertam; charissimæ more matris, quæ nos recipit, dum nascimur, quæ nos abluit, dum baptizamur, quæ nos in filios adoptat Dei, quæ æterni hæredes nos facit regni, abs eo, quòd bona solummodò sciamus, quæ exhibet nobis.

Adhæc nos instruere solicita est, nobisque innumeras declarare obligationes, quibus tenemur amandi Christum Jesum, qui magis nos propriâ suâ dilexit vitâ: ipsa contendit, ut vivere nos faciat Spiritû ejus; ipsa nos nutrit pretioso corpore ejus; ipsa nos adhortatur consiliis ejus; ipsa nos excitat sanctis exemplis filiorum ejus, ut sancti fiamus. O DEUS! si agnoscere nôssemus, quanta nostra sit felicitas, dum nasci nos contigit in Christianæ gremio Religionis? Unica hæc prærogativa, Christianum esse, majoris est cunctis mundi imperiis: Quàm ingratus sim, nisi grates rependam DEO omnibus diebus vitæ meæ! Quàm infidelis sim DEO, nisi omnes impendam nervos, ut tantâ me reddam dignum felicitate? Mallem verus esse Christianus, quàm totius esse Imperator universi.

ARGUMENTUM.

Nunquàm melius resplenduerunt Excellentiæ DEI, *quàm in Mysterio Incarnationis, ubi velatæ & obtectæ videntur.*

Articulus IV.

OMnes hæ magnæ veritates dissipabant paulatim nubes, quæ ascenderant in animam hujus Medici; agnoscebamus ex serenitate, quæ denuò ridere incipiebat in vultu ipsius, effugatum esse mœrorem ex ipsius animo, ea ferè ratione, qua noctis tenebræ diffugiunt è mundo, redeunte sole, ipsúmque haud levî iterum potiri solatiô. Veruntamen nondùm adhuc plenè contentus

tentus erat; incipiebat enim novas nobis proponere difficultates.

Videtur infirmitates Humanitatis magis apparuisse in Christo JEsu, quàm excellentia divinitatis ipsius.

Optarem ergò, dicebat, quòd CHRISTUS JESUS, cùm DEus sit & homo, ipsiúsque divinitas infinita ratione ejus transgrediatur Humanitatem, aliquos saltem demonstrâsset excellentiarum suarum radios, è quibus perspexissent homines, ipsum infinita ratione magis esse DEum quàm hominem, eò quòd eo descenderit nomine, ut talem se illis, qualis erat in rei veritate, exhiberet. Verùm nihil in eo intueri licuit, nisi infirmitates humanas, è quibus arguerent omnes, ipsum simpliciter esse hominem, & non DEum. DEus est omnipotens, & in ipso non videbantur nisi infirmitates: Deus est infinito modo sapiens; & omnia, quæ fecit ipse, videbuntur haud difficulter sapientissimis quibusque nonnisi stoliditates; Deus refulget gloriâ & majestate infinita; & in ipso videre non erat, nisi contemptus, opprobria, ignominias: Ostendit hoc animum ratione præditum; qui vellet aliquid illustre magis ac splendidum ad sibi satisfaciendum.

Omnipotentia DEI nusquàm magis refulget, quàm in Mysterio Incarnationis.

Quid inquis, respondit Ecclesiasticus? Ubi excellentiæ & perfectiones DEI majori effulserunt cum splendore, quàm in hoc mysterio? Dic mihi, in quo putas refulgere maxima cum magnificentia omnipotentiam DEI? In creatione mundi, respondit Medicus: nam è nihilo conficere tam speciosum opus non est nisi omnipotentis DEI. Sed reponit Ecclesiasticus: Si totum hoc esset, quod facere ipsa potest, non foret infinita; nec creatio mundi, nec creatio centies millenorum mundorum sufficeret ad demonstrandam magnitudinem omnipotentiæ Dei; eò quòd hæc omnia finita sint, & ipsa semper plura, quàm quæ finita sunt, conficere possit. Sed in mysterio Incarnationis refulget in tota magnitudine, in tota fortitudine sua; efficiendô námque DEum Hominem nil unquam nec amplius, nec majus efficere potest. Ecce cur beatissima Virgo, cui major erat notitia magnitudinis hujus mysterii, quàm ulli creaturæ, dixerit in suo Cantico: *Fecit potentiam in brachio suo*: Sanè impendit in hoc omnem omnipotentis brachii sui fortitudinem; & benè ineffabile hoc mysterium, triumphus omnipotentiæ DEI potest nuncupari. Luc. I. v.

Ubi observas meliùs consilia infinitæ sapientiæ DEI? Admiror illam quotidiè, inquit Medicus, in tam pulchra mundi dispositione, tamque ordinata gubernatione illius: Quando intueor correspondentiam omnium

nium partium ipsum componentium, tam velocem, tam exactum, támque uniformem cursum Solis, ad dimetiendum tempus, & reducendas anni tempestates; quando aspicio incomprehensibile vinculum, quod facere potuit ex substantia omninò spirituali cum alia prorsùs corporali in personis nostris, ad componendum nos ex corpore & anima. Quandò adverto artificium admirabile, quo cuncta instruxit animantia usque ad aviculas minimas, usque ad muscas & araneas ad conficienda opera, quæ nostrum superant captum, omnémque imitationis nostræ conatum, quin tamen alium unquam habuerint instructorem, quàm divinam Conditoris sui sapientiam: aperio vix oculos, & ubivis occurrit divina hæc sapientia, quam admiror in omnibus operibus ejus.

Nusquam sapientia DEI clariùs refulsit, quàm in Mysterio Incarnationis.

Sed quid omnia hæc sunt, retorquet Ecclesiasticus, respectu prodigiorum, quæ ostendit nobis in mysterio Incarnationis? Si admireris sapientiam DEI in dispositione mundi, & in pulchra partium ipsius, omnium nempe creaturarum, correspondentia: quantò magis admirari oportet mundum alium, compositum è creatore & creaturis, ex æternitate & tempore, ex omomnipotentia & infirmitate, ex omni & ex nihilo, personam JEsu Christi; quódque hæc omnia, quæ tam incompatibilia videntur, quæque infinitô à se invicem distant intervallô, unita inveniantur, támque benè inter se conveniant, ut nonnisi unam eandémque constituant personam per mysterium Incarnationis Verbi. Nonnè meritò intonemus attoniti stupore? O prodigium incomprehensibile adorandæ sapientiæ DEI! *O ineffabile Mysterium!*

Si admireris vinculum, quod conficere illa potuit ex anima nostra, quæ tota est spiritus, & nostro corpore, quod non est nisi materia; ita, ut materia hæc, quæ mortua est, vivat vitâ spiritûs, & hic spiritus, quæ nihil habet sensibile, sensibûs corporis moveatur; quantò majori percellat admiratione ineffabile & incomprehensibile hoc vinculum, quod fecit hæc ex DEO, qui impassibilis est & immortalis, cum homine tum passibilî tum mortali; ex Deo, quia gloria refulget infinita, cum homine, qui opprobriis oneratur & ignominiis; ex Deo infinita ratione felici cum homine infelicissimo & miserrimo; quódque hoc vinculum tam sit arctum, támque perfectum, ut nihil sit in homine, quod non verè sit Deus, & nihil in Deo, quod non verè sit homo, quòdque nihilominùs nihil ex omni-

Vinculum admirabile Divinitatis cum Humanitate in Christo JEsu.

bus infirmitatibus humanis sit in divinitate, & nihil ex perfectionibus in Humanitate? Quis capere possit portentosum hoc prodigium infinitæ sapientiæ DEI? Nonnè asserendum sit in hujus Mysterii executione ipsam refulgere cum omni suo splendore.

Tuo id bono est, inquit Medicus, qui cernis ista oculis mentis & lumine fidei; sed pulchritudines hæ non videntur à sapientibus mundi, qui nonnisi fatuitatem hìc intuentur. Ut quid abjectâ adeò se induat formâ, qui eo venerat nomine, ut nomini suo divinos faceret attribui honores? Ut quid exspoliat se omni eo, quod congruit Deo, & omni eo se vestiat, quod congruere posset mortalium miserrimo? An homo sapiens, si penès se esset, id faceret? Eccur ad tantas se redigeret angustias, quæ summè dedeceant magnitudinem DEI?

Prætenditur, hoc fieri ad salvandas animas hominum: sed omnes hominum animæ simul, an tanti sint, ut pro iis Deus vel minimum sustineat dolorem? cúmque universus simul mundus, vel centies milleni mundi, respectu vitæ DEI minoris sint, quàm sit atomus respectu mundi, an dederit & sacrificaverit illam pro hominibus? Quis sanæ mentis id non attribueret, non sapientiæ, sed stultitiæ?

Sapient stultitia

Responderem tibi libenter, quod Tertullianus hæretico Marcioni, ait Ecclesiasticus: *Sit planè stultum, si de nostro sensu judicemus DEum.* Verum est, non nisi stultitiam id esse penès judicium nostrum humanum. Sed an ignoras, quod scriptum sit, elegisse DEum stulta, ut confundat sapientes mundi? An liceat tibi arguere stultitiæ sapientiam DEI, quia regulas non sequitur sapientiæ nostræ humanæ? An mendacii argues veritatem hujus oraculi in codice sacro: *Quod stultum est DEI, sapientius est hominibus?* Quæro ex te.

Tertull. carne C

Stultitia di, sapi JEsu Chr

1. Co

Quando venantur, aucupantur, studiosiùs exquirunt homines, dignitates, divitias, gloriam, potentiam, quæ fulcra sunt superbiæ, & origo omnium vitiorum, quibûs deformantur & transformantur in bestias; an dici potest, illos verè sapientes esse. Et quandò Christus JEsus sectatur nonnisi abjectiones, paupertatem, dolores, injurias, quæ firmiter suffulciunt humilitatem, & omnes pariunt virtutes, quæ vivere faciunt homines vitâ divinâ; an dici potest, id esse fatuitatem? Quis sanæ mentis non volet hac ratione potiùs feliciter esse stultus,

Quomod consilia di sint h tia, & illa sapientiæ

tus, ut vivat in tempore vitâ divinâ, & in æternitate vitâ beatâ, quàm esse miserabiliter sapiens more sapientum mundi, ut vivat in tempore vitâ brutali, & in æternitate vitâ miserrimâ, si vita tamen appellandus est status alicujus damnati, longè infelicior omni mortis genere? Judica jam ipse, an infinita sapientia DEI non mirabiliter eniteat in apparente hac stultitia abjectionum Christi JEsu, & agnoscenda non sit mirabilis stoliditas in apparente sapientia sapientum hujus mundi.

Stultitia mundi, sapientia JEsu Christi.

Quando homines continuò se occupant crepundiis terræ, omnémque illis adjiciunt animum, quasi unicum id foret negotium sibi in mundo conficiendum; negligentes interim suæ curam animæ, cogitationes de sua æternitate, & magnum suæ salutis opus; quasi nullius hæc essent ponderis, nihilque ex illis affluueret sibi emolumenti: an verè ipsos esse sapientes posset asseverari? Nonnè potiùs stoliditatum omnium maxima hæc sit, cunctarum Choriphæa & antesignana? Et quando Christus JEsus cætera dimittit omnia, ut unicè invigilet saluti animarum hominum: quando tolerare vult mala temporalia, ut bona acquirat illis æterna; sufferre dolores momentaneos ac transitorios, ut perpetua propriæ divinitatis suæ ipsis obtineat gaudia, nunquam transitura; quando dare non renuit vitam mortalem, ut obtineat illis vitam æternam: an dici possit, fatuitatem hoc esse? Nonnè potiùs exquisitissimum sit opus, dignissimúmque sapientiâ DEI infinitâ ratione boni?

JEsus Christus periit, ut nos salvaret.

Sed an sapientiam appellas, interpellat ipsum Medicus, si quis se perdat, ut salvet alios? Si salvandum adhuc haberet alium Deum sibi æqualem, vel intimum quendam amicum, qui esset alter ipse: diceretur forsan; sapientiam hanc esse, & generositatem dignam excellentiâ Dei, quæ infiniti est pretii, pro creaturis, quæ nihili omninò sunt, & pro peccatoribus magnis inimicis suis, qui minoris sunt nihilo, quid in hoc invenias sapientiæ? Ecquid impendii ipsi pendunt animæ hominum? sive omnes peccant, sive omnes salventur, an plùs vel minùs erit ipse Deus?

Ecclesiasticus ad hæc verba ingemiscens, & in cœlum attollens oculos: Coactus sum, inquit, fateri hic tibi cum antiquo illo Philosopho: *Amare & sapere vix DEO conceditur.* Verum est, amoris infiniti impetum, & infinitæ sapientiæ consilium, difficulter convenire in unum: nihilominùs oportuit, duas has

perfectiones divinas, quæ æquales & idem omninò sunt in Deo, perfectè conciliari in persona Christi JEsu. Fateor, difficilem captû hujus conciliationis esse modum; nisi dicatur, quòd in illo, qui amat modô infinitô, sapientia velit, ut nullos ponat limites amori, quódque in hoc solo sit esse sapientem, sapientem non esse. Non impendit ipse omnem suam divinam sapientiam, nisi ut luculenter demonstraret amorem suum, ita, ut semper verum sit, quòd JEsus Christus sapientissimè amet omne id, quod amat: Videtur tibi, ipsum patiendô & moriendô pro animabus nostris, amare illas nimiùm, adeóque judiciô tuô minùs sapienter. Sed ostendam tibi, quâ sapientiâ illas amet, & quâ stultitiâ nos illas despiciamus.

Qui amant ardenter, credunt esse sapientem, non esse sapientem.

Ipse solus est, qui tuam extraxerit animam è nihilo per creationem, ipse agnoscit illius valorem ac pretium, ipse novit excellentiam & capacitatem illi à se communicatam, ipse fecit illam spiritualem & æternam, insuper capacem, ut fruatur possessione DEI in æternitate beata, vel torqueatur crudeli privatione DEI in æternitate calamitosa. Immortalitas animæ tuæ est infinitudo quædam, quæ non cognoscitur nisi ab illo: duæ æternitates abyssus sunt magnæ, quarum profunditates nonnisi divini ipsius rimantur & penetrant oculi: possessio vel privatio Dei immensitates sunt bonorum vel malorum, quarum nonnisi ipse solus omne cognoscit pondus ac valorem. Et cùm probè noverit, quid tua sit anima, quid sit æternitas, quid privatio vel possessio DEI in æternum: divina ipsius sapientia desuper ipsi formet judicium, omnes hasce infinitudines valere tanti, ut infinitæ Majestatis DEus incarnetur, annihiletur, patiatur, propriámque suam sacrificet vitam, ut animæ huic sui pretiô sanguinis vitam obtineat æternam. Ad cujus executionem consilii à suo trahitur & potenter abripitur amore. Ecce quomodò sapienter amet, & amet modô infinitô.

DEus solus novit, quid sit & quanti ponderis æternitas nostræ animæ.

Omnia hæc videntur tibi incomprehensibilia, eò quòd non agnoscas tuæ conditionem animæ, nec valorem ipsius, nec excellentiam; non capis, quid sit æternitas, quia infinita est, & infinitum non capitur tuo capite: nec omnes homines, nec omnes Angeli simul eò pertingere possent unquam, ut cognoscant perfectè quid sit æternitas. Minùs adhuc comprehendere tibi licet, quid sit possessio DEI: Cuncta hæc infinita ratione tuam superant cognitionem: ideóque homines cordi non habent, sive salvent, sive perdant suas in æternum

Quia non gnoscimus valorem stræ animæ pondus ac nitatis ejus nihili fac mus,

num animas. Sed DEus id probè novit, & si terroris capax esset, ipsemet percelleretur horrore, ex aspectu cœcitatis hominum, qui cùm habeant animam immortalem ; & nesciant momentum, quo ingredi debeant unam vel alteram æternitatem sibi præparatam seque exspectantem, non magis de hoc cogitant, quàm si res ipsos non tangeret, vel exigui hæç esset ponderis ac momenti.

Aspice ô homo, quanti faciat DEus animam tuam, & benè hoc pondera.

Videsis modò, quomodò Sapientia DEI mirum in modum resplendeat in mysterio Incarnationis, tanquam in medio, quæ uti voluit ad persuadendum efficaciter hominibus, quòd infinita ratione pluris æstimare debeant unicam suam animam, quàm omnes totius mundi & res & facultates. Aspice, ô homo, quanti DEus, quem adoras, tuam æstimet animam ! Nonnè fateris, ipsum infinitô modô esse sapientem, & decipi non posse in hac æstimatione sua ? Ipse judicat, illam dignam esse ut descendat de cœlis in terram ; ipse judicat, æternitatem ipsius esse negotium tanti ponderis, ut operæ sit pretium, quòd ipsemet descendat in persona, laboret, patiatur, moriatur, suam det sanguinem & vitam ad salvandum animam tuam. Ubi sunt ergò oculi tui ? ubi est ratio tua ? ubi judicium tuum, quòd tam parvi facias animam tuam, æternitatem tuam & salutem tuam, ut his omnibus attendas & intendas haud aliter, quàm negotiorum tuorum vilissimo ac despectissimo ? Tu omnia hujus mundi æstimas crepundia ; & videtur, nihili te propriam tuam pendere animam ; nullum tam parvum tibi est negotium, cui solerter non invigiles, ut felicem sortiatur eventum ; & magnum æternitatis tuæ negligis negotium, ita, ut parùm cordi id habeas, & quasi nunquam de ipso cogites. An infinita sapientia DEI fallitur, dum tanti facit & pendit ipsum ? Nonnè cernis, tuam esse stultitiam, quæ te obcœcat, dum nullâ illius tangeris curâ ?

Seria considératio hominis incipientis sapere.

Est verum, concludit nunc Medicus, fluctuandum hic non est ; sapientia infinita DEI falli non potest in æstimatione, quam de mea concepit anima ; mea me stoliditas obcœcavit hucusque ; probè video, pluris æstimandam à me animam meam, quàm totum simul universum, hócque solum id esse, cujus referat mihi. Eheu ! quid feci vitæ meæ totius præteritæ tempore ? Et quid supereſt mihi ex omnibus meis vanis, quibus insudavi, occupationibus ? Si modò ingrediendum mihi foret in æternitatem (cujus securus non sum, cùm illius me lateat hora)

quæ ex duabus me exceptura esset? Non quæro, nisi quomodo fallam tempus meum, cùm credam, non habere me, quod agam. Itane? Salus mea æterna nullum mihi sit, nullúmque faceſſat negotium? Infinita sapientia Dei ex ea sibi fecit negotium tanti ponderis, ut toto vitæ suæ tempore se unicè occupaverit illo, quamvis ex eo nullum in se redundaret nec commodum nec emolumentum. Et ego, cùm meâ tanti referat, ex ea mihi non facio negotium, támque parùm illi invigilo, ut quando alia mihi non est occupatio, dicam, me nihil habere, quod agam; Nonnè sensu & ratione caream?

Eheu! si mundi totius tenerem Sceptra, cunctísque regnis darem jura, quid hæc omnia prodessent mihi, meam si permitterem perire animam? quando centies milleni mundi meæ subessent curæ, nonnè futilis & inutilis hæc foret occupatio, cùm in fine non relinqueret mihi nisi lassitudinem, nisi dolorem? unica hora, quam consecro animæ meæ, quam tribuo saluti meæ, majus incomparabiliter mihi tribuit, & affert commodum. O DEus bone! O Deus misericors! O aperi oculos meos, ut videam, quanti meâ referat, quam olim referat anima mea sortem, quæ hactenùs parùm mihi fuerat cordi, quæque satis unquam æstimari non potest. Illumina animam meam, sapientia adoranda, quam admiror in hujus magnitudine mysterii, quod operâ deditâ operatus es pro illa. Fac, videam omnium aliarum occupationum vanitatem, quibus hucusque insudavi, & intelligentiam mihi tribue magni illius effati tui, quod meæ suggeret argumentum meditationi: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matth. 16 v. 26.

ARGUMENTUM.

Reconciliatio ac consensus justitiæ & misericordiæ DEI in Mysterio Incarnationis.

Articulus V.

IN summam rapuit universos admirationem sapientia Salomonis in eo, quod pronuntiavit, judicio, circa controversiam duarum matrum coram se litigantium de eodem infante, quem quælibet sui esse juris prætendebat: nihilominùs nullum adinvenit ipse nec medium, nec modum satisfaciendi ambabus. Excellentia sapientiæ ipsius, quæ tantam peperit admirationem, non-

nonnisi sistebat in hoc, quòd, quæ vera esset mater, potuerit discernere; hanc agnovit, huic adjudicavit infantem, hócque privavit alteram. Sed ecce tibi aliud judicium infinitæ sapientiæ DEI, sine comparatione magis admirabile, circa causam hominis peccatoris!

Disceptatio misericordiæ & justitiæ Dei coram tribunali divinæ Sapientiæ.

Misericordia & justitia litigabant coram tribunali Dei, quænam aut vinceret, aut suâ caderet causa. Misericordia clamabat: Venia, gratia, indulgentia, pro misero peccatore! ne perdas in æternum excellens hoc opus manuum tuarum. Ex adverso clamabat justitia: Pœna, supplicium, mors æterna scelesto huic! ne permittas injuriam tibi ab ipso factam remanere inultam, abire impunem.

Misericordia dicebat: Si necessariò puniendus est hic reus, puni illum, Domine, in hac vita, & in æternum parce illi: conflat corpore, quod pati potest; sanguis est illi, cui fundendo par est; ex ipsius pœnis fac tibi satis, & sua ipsi indulge peccata. Justitia reponebat: Sed quando omnes, quas pati potest, toleraverit pœnas, omnémque suum effuderit sanguinem, cujus valoris hæc erunt omnia, ad solvenda sua debita, quæ infinita sunt?

Verùm si solvit, & satisfacit, quantum potest, replicabat misericordia, meretur veniam, dignus est indulgentiâ. Verùm si non tantum solvit, quantum debet, respondebat justitia, mulctæ tenetur & supplicio.

Princeps, cui deest clementia, qui parcere non novit, nec dare veniam, non est Princeps; tyrannus est, inquiebat misericordia. Sed Princeps, qui nescit punire reos, non est justus, nec amans æquitatis, adeóque suâ abutitur potestate; dicebat justitia.

Pronuntia desuper infinita Sapientia Dei; ambabus bonæ non desunt rationes: rationem excogita, quâ facias utrique satis, ut ambæ dicere possint, se suam obtinuisse causam, tulisse palmam, idque, quod volebant, esse assecutas. Ecce tibi judicium divinæ sapientiæ incomparabiliter admirabilius illo Regis Salomonis!

Judicium admirabile pronuntiatum à divina sapientia.

Peccator reus est, non dissonat à vero, nec diffiteri id potest. Justitia non abs re & jure ipsum petit mulctari, nec abnui id potest illi. Misericordia inquit, speciosissimum ipsum esse opus manuum DEI, & congruere infinitæ bonitati DEI, indulgere ipsi veniam. Assentior prætensiones has æquas admodùm esse; utrumque ergò faciam: & puniam, & dabo veniam. Et hac ratione tum justitiæ tum misericordiæ factum fuerit satis.

Probè

Probè video, hominem peccatorem habere corpus, quod sufferre possit pœnam; novi, invenis ipsum habere sanguinem, quem effundendi habeat facultatem. Verùm non habet, quod cunctis suis solvendis sufficere possit debitis, ita, ut liber omninò maneat ab iis, dumque puniatur, salvetur: siquidem peccatum ipsius, quod infinitum malum est, pœnam meretur infinitam. Si pœnam sustineat infinitam, hæc talis esse non potest, nisi in sua longitudine, vel in sua valore: si talis est in sua longitudine, pœna ipsius erit æterna, sicque in æternum damnabitur: Si talis est in suo valore, meritum includere deberet infinitum, sed nihil is meriti habere potest velut reus & crimini obnoxius: Omnes pœnæ, quas tollerare potest, sive in suo corpore, sive in sua anima quantumvis forent maximæ, monetas agunt adulterinas, vitiatas, nullius valoris, eò quòd non habeant imaginem Principis, unde totum suum valorem traherent & pretium: si pretium hoc haberent, essent valoris infiniti; & si pœnas is solueret pretii infiniti pro peccato suo, quod debitum infinitum est, liber foret à debito; & si ita se liberaret per pœnas suas & puniretur, & salvaretur. Sic justitia suam haberet satisfactionem, eò quòd puniretur, & misericordia haberet suam, quia salvaretur.

Age, Verbum omnipotens, quod es *Imago DEI invisibilis*, imprime te carni huic humanæ, humano huic sanguini, ut, quandò hic tuus videbitur character, agnoscatur tam ingens valor in omnibus ejus pœnis, ut minima gutta divini hujus sanguinis effusa, plusquàm sit sufficiens, ad satisfaciendum omnibus debitis peccatorum in omni rigore justitiæ. O admirabilis inventio divinæ sapientiæ! debebat peccator infinita ratione justitiæ DEI; volebat solvere, sed non poterat, quia nimiùm pauper erat; DEus poterat plures divitias suppeditare ipsi, ad ipsum liberandum, quàm exigi poterat ab ipso: Sed quare hic pro ipso solvat, cùm nihil debeat? Ecce ergò, quid faciat infinita sapientia DEI!

Ipsa jungit simul illum, qui infinitâ ratione solvere poterat, sed qui nihil debebat; ipsa jungit pauperem & divitem, Deum & hominem, & ex ambobus non facit nisi unam eandémque personam per ineffabile Mysterium Incarnationis: Et hôc modô infinitâ ratione dives, qui nihil debebat, fit debitor; & infinitâ ratione pauper, qui nihil poterat, fit omnipotens ad solvendam totam summam integram. Et eadem Persona, quæ Deus est & homo,

homo, est creditor, qui exigit, & debitor, qui solvit; est DEus, qui est offensus, & homo, qui offendit. An mirandum sit, si Deo satisfiat, & homo maneat à debito liber, cùm nonnisi una persona sit, quæ solvat tibi ipsi, quod sibi debet? *DEus Homo unus & idem Christus, ut verus DEus ab homine exigeret, ut verus homo persolveret.* Sit ergò satisfactum tibi, divina misericordia: Nam peccator liber est, omnia sua ipsi dimissa sunt crimina, facta ipsi est gratia, salvatus est: Ecce omne id, quod exegisti! sit etiam satisfactum tibi divina justitia: nam peccator sua solvit debita, satisfecit his in toto rigore; nihil ultra exigere posses ab ipso, cùm valor pretii, quod solvit, excedat suorum magnitudinem debitorum. O dispositio prorsùs amabilis bonitatis DEI! Quis ergò non mirabitur, quâ ratione perfectiones Dei, ipsius sapientia, ipsius justitia, ipsius misericordia tam mirificè resplendeant in hoc mysterio?

Rupert. lib. 1. de divin. offic. cap. 36.

Invenio hoc admodùm facilè, interpellat hic noster Medicus, quando unus facit debita & alter solvit illa; hoc sane est commodissimo pretio suis se exsolvere debitis: velut si pauperrima quædam fœmina, cui non solùm curta esset suppellex domi, sed quæ insuper plurimis esset debitis obruta, nuberet alicui Principi, inexhaustis locupletato thesauris; ipsa in instanti, non solùm cunctis eximeretur debitis, sed insuper abundè ditaretur tum bonis, tum honoribus, absque ullo alio impendio, nisi quòd glorioso hoc se constrinxerit hymenæo. Benè quidem dici potest, ipsam debitis esse solutam. verum tamen est, quòd ipsa mihi solverit, eò quòd, unde solveret, nihil habuerit; omnia desumpta sunt è thesauro Principis, quis ipsam è debitis exemit. In nostro casu homo est, qui infinitâ ratione debet, & Deus est, qui infinitâ ratione solvit: DEus totus solus est, qui omnes facit impensas, quin vel minimo stet sanctissimæ Humanitati. Fateor, commodissimam hanc esse solvendi debita rationem.

Inùsitatus modus solvendi debita.

Malè id accipis, reponit Ecclesiasticus, est una è maximè ponderosis & proficuis considerationibus, quas facere nos oportet circa prodigia mysterii Incarnationis, si attentâ revolvamus mente, quanti steterit sanctissimæ Humanitati, acquirere jus, suis expediendi debitis naturam humanam ex ipsis thesauris Dei; & quâ ratione Divinitas tractaverit ipsam, dum ipsam admisit ad innitam connubii sui dignitatem: Exspoliavit enim ipsam non solùm omni eo, quod homo possidere potest in hoc mundo; sed etiam esse suo proprio,

Carò valdè stetit sanctissimæ Humanitati JEsu Christi solvere nostra debita.

& omni eo, quod tribuere ipsi poterat locum quempiam inter omnes personas, quæ accensentur Filiis Adæ; hanc insuper Humanitatem ad tantam redigere voluit annihilationem, ut persona nulla esset, id est, nulla persona humana. Recense omnem innumerabilem hominum multitudinem ab Adam usque ad novissimum, & interroga, quid sit JEsus Christus inter ipsos? cum rei veritate responderi tibi potest, eum personam non esse. An major videri possit exspoliatio, vel annihilatio amplior? Obstupescendum non est, quòd contemptus fuerit ab hominibus, quòd fuerit absque facultatibus, absque honore, & omni eo, quod homines æstimare solent; eò quòd reverà persona non fuerit inter homines, & quando personam aufers, auferas ea omnia, quæ pertinent ad personam. Quando mors aufert aliquam personam è vivis, exspoliat ipsam omnibûs rebûs mundi, quæ velut annihilatæ manent respectu illius. Hæc mors non est, sed amor, qui aufert personam Sanctissimæ Humanitati: *Fortis ut mors est dilectio*; mirum proin non est, si auferat etiam Christo omnia, quæ cæteris hominibus auferre mors solet.

Sanctissima Humanitas tota annihilata, quantum ad personam suam humanam.

Cant. 8. ℣. 6.

Nunquam homo fuisset Deus, si sanctissima Humanitas exspoliata non fuisset, usque ad omnimodam annihilationem, quantum ad personam suam. O exquisitum exemplar pro omnibus animabus aspirantibus ad veram imitationem JEsu Christi! Contemplari affirmant, dari certam quandam annihilationem mysticam, quam offeretur gratia in anima, destrui se permittente per potentiam Spiritûs DEI; quódque, dum perducere ipsam vult ad intimam hanc secum unionem, in qua summa consistit perfectio, oporteat tolerare ipsam, ut exspolietur omnibûs, perdétque non solùm omnia exteriora, sed etiam omnia interiora, id est, omnia bona spiritualia, quæ maximi faciebat, quibúsque innitebatur plurimùm, uti sunt interna lumina, cognitiones, gustus, boni affectus, consolationes divinæ. Et quando hæc omnia, quæ creata sunt, auferuntur animæ, tunc invenit Deum, ipsúmque gustat interius per experientiam, quem sola cognoscit sine cognitione; degustat insuper supremam suam felicitatem cum certitudine, absque eo tamen, quod habeat aliquem gustum, manétque plenè contenta & satiata, quin noverit, quis ipsam satiet, quis reddat contentam. O DEus! Si videre liceret opus hoc Spiritûs DEI in anima, quam ita deducit ad perfectam hanc annihilationem & intimam secum unionem!

Annihil[illegible] Mystica [illegible] mæ, qua[illegible] us vult [illegible] re divin[illegible]

nem! tam divinum est, támque prodigiosum, ut in admirationem raperet ipsos Angelos.

Dum bonus noster Ecclesiasticus explanabat profunda hæc Theologiæ mysticæ arcana, suavissimâ quâdam ratione, quæ ostendebat id experimento ipsum capere, quod dicebat, advertebatur facies alterius prorsùs immutata; oculi ipsius diffluebant lachrymis, motus sentiebat occultos, quibus attollebatur ad nescio quid magnum, quod videbat aliquantulum, sed capere non poterat: *Quomodò possunt hæc fieri?* Eheu! quâ ratione deveniri huc potest? ingemiscens exclamabat, & repetebat verba Christi JEsu ad Nicodemum. Quàm beata est anima, quæ manducavit semel duntaxat cœleste hoc manna in regno Dei! Verum est, inquit ipsi Ecclesiasticus, sed manna hoc est absconditum, quod gustare oportet, ut cognoscatur; & nemo gustare id potest, nisi ipsemet DEus hoc ipsi largiatur; & DEus id nemini largitur, nisi illi, qui vicerit per diuturnam experientiam & inviolabilem fidelitatem omnes adversarios gloriæ suæ, qui impediunt, ne plenè regnare possit in anima: *Vincenti dabo manna absconditum.* O quantas oportet sufferre mortes, antequam pertingatur ad hoc vitæ principium, ubi anima verè gustat Deum, non tantùm in donis suis, sed in seipso, & per seipsum immediatè! remansit ad hæc verba immobilis, & sublatis in cœlum luminibus. Sed nos rogavimus ipsum, ut pergeret communicare nobis datam sibi à Deo cognitionem ac cœli lumina; & ecce, quid adjunxerit, quo finem dedit toti consultationi.

Quod DEus faciat mori sibi ipsis, ut vivant ex ipso.

Apocal. 2, v. 17.

ARGUMENTUM.

Qui contemplatur Christum JEsum in terra, invenit hìc suam beatitudinem, sicut Sancti aspiciendò essentiam DEI in cœlo.

Articulus VI.

QUid opus est, ut aliquis sit beatus, nisi ut videat Deum de facie ad faciem eundem Deum, quem Sancti vident in cœlis. An ergò asseveranter dicere non possim, me jamjam esse beatum? Verum est, quòd videant ipsi in cœlis eum gloriæ & Majestatis splendore circumfusum: Et in hoc consistit ipsorum beatitudo, eò quòd hæc visio procul ab ipsis fuget omnia & calamitatum genera, ipsisque consignet infiniti possessionem

Vera beatitudo nostrarum animarum est eadem & valde diversa in cœlo & in terra.

nem boni. Intueor econtrà in terris ipsum totum circumdatum injuriis, opprobriis, humiliationibus, doloribus, paupertate, & omnis generis miseriis; & in hoc ipso vera mea consistit beatitudo; eò quòd hæc Dei visio me doceat modum inveniendi summam felicitatem meam, in medio omnium miseriarum præsentis vitæ.

Efflagitabat olim sanctus Rex David à Deo, ut magnam sibi impenderet misericordiam: *Miserere mei DEus secundum magnam misericordiam tuam.* Propheta hic erat, qui postulabat à DEO abundantiam gratiarum, quam nondum habebant in veteri Testamento, sed quam ipse prævidebat, nos habituros per mysterium Incarnationis Verbi. Non habebat Deus pro hominibus veteris Testamenti, nisi parvam misericordiam, nobis autem reservavit misericordiam magnam: parva misericordia consistebat in liberando illos à miseriis suis humanis, ut redderet ipsos beatos; & magna misericordia consistit in reddendo nos summè beatos, maximámque nobis conferendo felicitatem inter omnes vitæ humanæ miserias.

Psal. 50. v. 3.

Liberare homines à paupertate, ipsísque elargiri divitias, eruere ipsos è servitute, restituere illos libertati, custodire ipsos à persecutionibus, & beare ipsos victoriis contra inimicos suos; locupletare illos pace, sanitate, & omnibus vitæ suavitatibus, repellendo ab ipsis miserias, inseparabiles vitæ & conditionis nostræ humanæ comites; erat gratia veteris Testamenti, & amabilis effectus misericordiæ Dei; nihilominus noñisi misericordiæ parvæ. Sed relinquere homines in paupertate, in humiliatione, in persecutionibus, in doloribus & miseriarum inundatione; facere, ut in gravissimis adversitatibus & amaritudinibus perfectam inveniant felicitatem, qua oblectentur tam plenè, ut conditionem suam mutare nollent, nec sibi optarent meliorem; efficere tandem, ut reperiant in morte vitam: Ecce tibi gratiam novi Testamenti, & admirabilem triumphum magnæ misericordiæ Dei supra animas nostras. Sanctissimi quíque veteris Testamenti dicebant cum Tobia: Excipe me, Domine, ex hac abysso miseriarum, cui immersisti me: *Et præcipe in pace recipi spiritum meum;* expedit enim mihi mori magis, quàm vivere. Sed à bonis Dei servis in novo Testamento tam procul abest, petere liberationem ab afflictionibus suis, ut potius illarum efflagitent augmentum: Fac me participem crucis tuæ, ô bone JEsu, amabilis mi Salvator; tuarum mihi propina calicem amaritudinum, in qui-

Ante J Christu giebant mines post illu sam qu

Tob. 3.

in quibus meam invenio consolationem, meam felicitatem; dicunt ipsi potius cum magno Apostolo: *Superabundo gaudiô in omni tribulatione nostra*, quod idioma est & desiderium hominibus incognitum ante Incarnationis mysterium.

2. Cor. 1.

Quamdiu homines non viderunt Deum pauperem, Deum contemptum & ignominiis oneratum, Deum patientem persecutiones, injurias, dolores, & mortem ipsam, capere & credere non potuerunt, magnum quidpiam aut amabile latere in omnibus hisce rebus, à quibus summè ipsa abhorreat natura. Sed postquàm viderunt ipsas esse elevatas, & quasi portatas in triumpho à propria DEI, quem adorant, persona; inceperunt respicere illas cum reverentia, vel res pretiosas & sacras, & quasi ipsâ divinitate donatas: æstimârunt magnam felicitatem, quod antea nonnisi velut magnam aspiciebant calamitatem ac miseriam; & in ipsis miseriis solidam gustare didicerunt felicitatem ac solatium; contemnebant divitias & voluntariam profitebantur paupertatem; abjiciebant delicias, & pœnitentiæ amplectebantur austeritates; fugiebant honores & sectabantur contemptus; fastidiebant vitam præsentem, & tenebantur desiderio mortis, ut frui liceret Deô. O Deus! quod prodigium est hoc? & quàm speciosus magnæ misericordiæ Dei triumphus, meam solidâsse in propriis meis miseriis felicitatem, & effecisse, ut mala, quæ extorquebant mihi gemitus, mihi fontes essent omnis felicitatis & consolationis! Et mysterium Incarnationis est, unde tam suaves, támque jucundos nobis carpere & capere conceditur fructus. Anima, quæ seriæ hujus considerationi invigilat, & contemplationis suæ scopum sibi præfigit Christum JEsum in terra, hic suam inveniet beatitudinem.

Omnes miseriæ, postquam visæ sunt in persona DEI-Hominis, inceperunt æstimari & amari.

Suaves fructus considerationis Christi JEsu.

Ad quale nam genus beatitudinis? interpellat ipsum Medicus: Quando Boëtius definit nobis beatitudinem, affirmat, quòd sit *Status omnium bonorum aggregatione perfectus*; aggregatio omnium bonorum, quæ oblectare & satiare possint animam. Et quando contemplor Christum JEsum, non video nisi aggregationem bonorum & malorum; bonorum infinitorum in ipsius divinitate, malorum innumerorum in ipsius Humanitate: Si bona consolantur, mala affligunt: an vera beatitudo æstimari possit, quæ non omnia fugat & repellit malorum genera? sed cuncta hæc mala, respondet alter, nonnè sunt acta in exilium, quando immerguntur omnia in divinitatem, quæ bonum est infinitum?

Boëtius.

Contemplatio Christi JEsu convertit omnia mala in bona.

finitum ? Omnes miseriæ ipsius etiam inferni, licèt omnium malorum teneant fastigium, converterentur in dulcores paradisi, si tolerans illas unico solo frueretur parvo visionis Dei radio. Quæ igitur verisimilitudo, quod illæ in terris, quæ longè minores sunt, impediant beatitudinem animæ contemplantis Christum JEsum, & aspicientis in adoranda ipsius persona easdem, quas patitur afflictiones, quæ tali ratione convertuntur in bona, ut nostra fiant fons & origo felicitatis.

Humanitas sancta Christi JEsu nonne semper beata fuerat in medio magni oceani omnium amaritudinum, quibus tota obruta & circumfusa erat, ex eo, quòd habuerit unionem intimam & perfectissimam, quæ possibilis sit cum divinitate ? Observa benè, quod dicam. Quæ unio & communicatio magis intima excogitare potest, quàm si dicam : Cedo tibi propriam meam personam, quo fiat, ut tu sis ego, & ego sim tu. Amantes ingenioſi ad exprimendum emphaticè intimam suorum unionem cordium, celebrem reddiderunt hanc parœmiam, quâ significetur, ipsorum judicio, quod dici potest hoc in argumento perfectissimum : *Amicus alter ego.* Sed ecce tibi, quod longè excedat id omne, quod ipsi cogitare potuerunt.

Amicus meus est alter ego.

Siquidem non satis est hoc, ad exprimendam omnem veritatem, unionis intimæ & communicationis ineffabilis, quâ DEus communicavit seipsum homini in Mysterio Incarnationis, si dicatur solummodò : *Amicus alter ego.* Nimis parum dicis, si loquaris de admirabili unione Dei & Hominis in Persona JEsu Christi : audi ipsosmet invicem loquentes, & videbis, an ita sua sensa sint explicaturi. Si homo loqueretur Deo in adoranda hac Persona, an diceret : Tu es alter ego ? Non, hoc enim dicere vellet : Tu es alia persona, quàm ego ; & hoc verum non est : Et si Deus loqueretur homini, an diceret illi : Tu es alter ego ? Non, hoc enim vellet innuere : Tu es altera persona, quàm ego ; & hoc à veritate dissonat ; siquidem Deus & Homo in JEsu Christo non sunt nisi una eademque persona. Omnes cæteri amantes dicere quidem possunt ; *Amicus alter ego ;* eò quòd duæ sint personæ : sed Deus & Homo in JEsu Christo dicerent potius : Amicus iterum ego. Quid est Deus in te, ô divine JEsu ? Est ego ipse : Et quid est homo in te ? Est iterum ego ipse. Sed DEus est infinitâ ratione beatus, & homo est innumeris afflictionibus & adversitatibus totus opletus ; nulla refert, hoc enim omne aliud non est, quàm ego ipse.

JEsus Christus dicit : Amicus meus est iterum ego.

ipse. O unio prorsùs stupenda! O unitas omninò prodigiosa! Unio naturarum, unitas personarum, quàm es admirabilis! Tu quidem dicere potes, O JEsu, divino Patri tuo, quem infinita ratione amas: Tu es alter ego. Verùm non sufficit ad exprimendum amorem & unionem incomprehensibilem, quam habere desideras cum homine in ineffabili mysterio Incarnationis, si solummodò dicas: Tu es alter ego; sed oportet te absolutè dicere: *Tu es ipse ego*; vel *Tu es iterum ego*.

Deliciæ sanctæ humanitatis unitæ Divinitati.

Sed comprehendere quis posset infinitas delicias beatitudinis, quâ potitur tua sanctissima Humanitas, O JEsu! quando sic fruitur Divinitate, cum qua nonnisi eandem constituit personam? siquidem ingens anima tua, tota quanta absorpta & immersa est torrenti ineffabilium gaudiorum divini Patris tui. Omnes intellectus tum hominum tum Angelorum comprehendere non possent, nec amplitudinem, nec sublimitatem bonorum, quæ possides per hanc tam intimam cum Divinitate unionem, cui totus immergeris, à qua totus absorberis. O JEsu, adoro infinitas delicias tuas, admiror illas, extollo illas coram Angelis, coram hominibus, & coram omnibus creaturis. Tu non solùm bibis illas ex fonte, sed totus immersus es illis, modo tam sublimi, tam ineffabili, ut cognoscatur à nemine, nisi à te solo. O JEsu! quàm optarem videre te sic totum immersum deliciis æternis in sinu divinitatis, cum qua es Personarum una! quàm vellem omnes animas, quæ cognoscunt te, quæque amant te, lætari ex illis, & congratulari felicitati tuæ! dicendum omninò est, omnes illas, quæ non summo ex illis perfunduntur gaudio, haudquaquàm amare te.

Hic Medicus affectuosissimè amplexans bonum nostrum Ecclesiasticum: Fateor Domine, inquit ipsi, perpetuò me tibi obstrictum fore; siquidem maximo demulsisti me solatio, dum ita luculenter declarâsti mihi sublimia ineffabilis hujus Mysterii arcana, quorum Majestas me primitus concusserat horrore. Verùm dum paulisper refecisti me, adauxisti famem meam: restaret pro integra mea consolatione, etiam nôsse, quâ ratione id adimpletum sit, cujus declarationem in prima promiseras Consultatione te facturum.

CON-

CONSULTATIO IV.

Qua ratione adimpletum sit Mysterium Incarnationis, ubi & Sermo sit de Prodigiis Unionis Hypostaticæ.

TRes abiêrant dies, quibus boni nostri Ecclesiastici, ipsiúsque Medici mutuus intercipiebatur congressus, occurentibus quibusdam negotiis, quorum expeditione avertebantur aliò: sed jejunii tres dies hi erant pro utroque, qui nonnisi augebant famem inceptum prosequendi discursum, circa suavissimum Consultationis suæ argumentum. Medicus, qui magis urgebatur, accessit Doctorem suum, & celeri dicto ipsi Ave: Fateor, inquit, Domine, te tam ingens excitâsse in me desiderium cognoscendi Christum JEsum, ut vehementissima accedendi te accenderit me cupido, ad dissipandum tenebrarum residuum, quod meum adhuc occupat animum, divinæ tuæ, quam possides, cognitionis lumine.

Credo firmiter cum tota Ecclesia, Deum factum esse hominem in mysterio Incarnationis; sed nihil habet luminis fides mea: dicerem tibi libenter, quòd beatissima Virgo dixit Angelo, sibi prodigii hujus executionem annuntianti: *Quomodo fiet istud:* Quâ ratione fieri poterit stupenda hæc unio Dei & Hominis, id est, quâ ratione unientur Omne & nihil? Divinitas, quæ immensa est in sua magnitudine, an abbreviabitur, ad accommodandum se brevitati hominis, qui vix est atomus respectu Dei? vel an ampliabitur Humanitas usque in infinitum, ad proportionandum se immensæ Dei magnitudini. Quis comprehendere poterit unionem tam arctam, tamque perfectam inter duas res infinitâ ratione adeò discrepantes & inæquales, ut nihil sit in Deo, quod non integrum sit in homine, & pari ratione infinitum totum inclusum sit in finito?

Ah! quomodo id poteris comprehendere? respondit ipsi Ecclesiasticus. Quæro ex te, cùm magnus sis Philosophus: an capis, quâ ratione medietas cœli includatur tota integra in parva acie oculorum tuorum? conscende verticem sublimis cujusdam montis & aspice cœlum; unico

Comparatio deducens aliquo modo in cognitionem, quâ ratione fiat admirabilis unio divinitatis cum humanitate in Christo JEsu,

unico solo fermè intuitu videre poteris cœlestis medietatem globi. An dicas, quomodò possibile sit omnem vestem hanc amplitudinem includi in oculorum tuorum pupillâ? Dices, non esse id cœlum ipsum in substantia, sed esse solùm ejus speciem, quæ compendiosè illud depingat in pupula aut acie aspectûs tui: verum hoc est.

Sed an capias; quomodò possibile sit, omnem hanc ingentem molem ac massam inclusam esse in hac specie indivisibili, quâ deportante tota integra feratur in oculos tuos, illámque hos intrare, absque eo, quòd ipsos occupet, aut in minimo incommodet, quasi nihil omninò ibi esset? Si hæc veritas tibi adeò est certa, quam indies experiris, quin illius comprehendere possis modum, quamvis omninò naturalem: an mirandum sit, quod capere non possimus, quâ ratione facta sit unio tam arcta, ac prorsùs intima immensæ magnitudinis Dei cum parvitate Humanitatis nostræ. O quàm vanus & irritus est omnis conatus, quo comprehendere adnitimur prodigia DEI? Si tam admirabilis tibi videtur in operibus naturæ, quæ tuis exponuntur oculis, quæque sublimioris, quàm nos, haudquaquàm sunt ordinis; nonnè putes ipsum infinitâ ratione admirabiliorem esse in operibus gratiæ, cùm hæc magis excedant & transcendant alia, quàm cœli superent & transgrediantur terram?

Nostræ citius attigerint manus sphæram cœlorum, quàm intellectus noster naturalis omni conatu suo eò possit pertingere, ut comprehendat ea, quæ operatur Deus in ordine gratiæ, prodigia. Hinc est, quod sacer codex asserat nobis: *Nisi credideritis, non intelligatis:* nihil eorum scire possumus, nisi quod fides nos docuerit. Sed divinum hoc lumen plerumque non illustrat animam, nisi juxta proportionem docilitatis & humilitatis profundæ, quam invenerit in ipsa. Siquidem complacet sibi DEus abscondere hæc arcana sapientibus & prudentibus, déque sua præsumentibus scientiâ, & nonnisi humilibus corde revelat illa. Si igitur obtinere volumus aliqualem intelligentiam sublimium veritatum Mysterii, in quo adoramus DEum factum hominem, opus est præcipuè, ut nos humiliemus coram DEO. Eheu! quæ abyssus profunda sat erit ad annihilandum nos, dum appropinquare volumus Deo annihilato usque ad abyssum conditionis nostræ mortalis?

Si hâc cum dispositione dederimus operam ipsorum considerationi, speremus omnia à divina miseratione: Intelligemus

Nonnisi animæ humiles intelligunt altissima myria Religionis nostræ,

Isa. 7. v. 9. citrà S. Aug. tract. 29. in in Joan.

quomodo intelligendum sit, quòd DEus Pater nobis miserit Filium suum unigenitum, & quomodo hic unicus Patris descenderit de cœlo in terram pro nostra salute: percipiemus, duplicis esse generis missiones divinarum Personarum, unam visibilem & alteram invisibilem: cognoscemus, quomodò facta sit admirabilis unio duarum naturarum, divinæ & humanæ in persona Christi JEsu: videbimus, quâ ratione formatum sit adorandum corpus Salvatoris mundi, in utero virginali sanctissimæ Matris suæ. Et tandem comprehendere conabimur, quid sit sacrum hoc vinculum, quod Deum & hominem inseparabiliter conjunctos tenet in Christo JEsu, quódque appellatur Unio Hypostatica.

ARGUMENTUM.

Filius DEI missus à Patre, & descendens de cœlo in terram.

Articulus I.

Difficile captu est, quòd Filius DEI descenderit de cœlo in terram.

NOn capio, incipit Medicus, quomodo intelligendum sit, quòd DEus Pater nobis miserit Filium suum unigenitum, nec quomodò hic unigenitus DEI Patris sui descenderit de cœlo in terram. Quod me perturbat, est, quòd una ex parte noverim, Deum, cùm sit immensus, omnia suâ replere præsentiâ, nullúmque esse locum vel actualem, vel possibilem, ubi non æquè sit præsens ac in cœlo; videre igitur non possum, quomodò è cœlo mitti potuerit in terram: è cœlo enim in terram mitti, est mutare locum: Et tamen, cùm Deus sit immensus, mutare locum non potest. Ex altera parte Symbolum Fidei expresse nos docet: *Quòd propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Conc. Nicen. Regius Vates dicit in Psalmis: *A summo cœlo egressio ejus, & exultavit ut gigas ad currendum viam;* ut serviret nobis. Ipsemet quoque dicit nobis: *Exivi à Patre, & veni in mundum.* Et omnes hi modi loquendi, si in proprio suo sensu naturali accipiantur, nobis insinuant, ipsum mutare debuisse locum. Ecce tibi, quid meum perturbet intellectum! Psalm. 18. v. 7. Joan. c. 16. v. 28.

Ergò nescis, respondet Ecclesiasticus, sacram Scripturam explanando Mysteria divina hominibus, loqui ipsis humano modo, accomodando se illorum imbecillitati: aliàs non posset ipsos instruere: Scriptura sacra nobis loquitur secundum nostrum intelligendi modum.

ſtruere: Et ſancti Patres, Doctores, & Concionatores ſimiliter obligati ſunt uti millenis diverſis loquendi modis ad conferendam populis aliquam intelligentiam magnitudinis noſtrorum myſteriorum. Utuntur ipſi comparationibus, metaphoris, figuris, non tantummodò ad tribuendum eminentiam & majeſtatem, quàm ad conferendum corpus & indumentum veritatibus divinis, quæ non tam facilè conſervarentur in rudi hominum intellectu, ſi illas exhiberent omninò nudas, & nullâ re indutas materiali. Sed quandò opus eſt, illas explicare & exponere luci tales, quales ſunt in propria ſua eſſentia, fit hoc in ſcholis, ubi verbis propriis & in ſtricto ſenſu acceptis explanantur & declarantur. Et quandoque exponuntur ita populis in Catechismis & inſtructionibus familiaribus, quantum ipſorum capacitas permittit.

Satis capio intentionem tuam, quâ vis me tibi exponere diſtinctè, quomodò intelligendum ſit, quòd DEus Pater miſerit nobis Filium ſuum unigenitum; & quomodò verum ſit, deſcendiſſe ipſum de cœlis in terram. Qualem ad hoc confecerit viam? quantum impenderit temporis? an cucurrerit tam citò, ut aliquis gigas ipſum ſequi non potuiſſet? quomodò deſerere potuerit ſinum Patris ſui, quem infinitâ ratione amat, ut maximos ſuos inviſeret inimicos? Ecce tibi illas, quæ implexum te tenent, nubes. Jam primitus oportet animo expellere omne id, quod ſecundum noſtrum intelligendi modum mittere appellatur. Aliquis Princeps mittit ſuum legatum, ex auctoritate ſua in aliud regnum; amicus mittit amicum ſuum precibus ſuis inductum, ad conficiendum aliquod pro ſe negotium; ſol mittit nobis ſuos radios ex ſui luminis fœcunditate; Angelus mittit intelligentiam ſuam ad alterum Angelum, ex ſimplici ſuæ intentionis directione: Omnia hæc ſervire tibi non poſſunt ad declarandum, quâ ratione Deus Pater miſerit nobis Filium ſuum unigenitum de cœlo in terram.

Diverſæ rationes mittendi.

Omnes ergò has mittendi rationes dimittere oportet, ad ſtabiliendas in animo tuo quatuor veritates, è quibus naſci videbis intelligentiam, quam habere deſideras, de miſſionibus divinis. 1. DEus eſt immenſus in ſua magnitudine; non eſt locus imaginabilis, ubi non ſit præſens ſecundùm ſuam ſubſtantiam; conſequenter una perſona non poteſt mitti ab altera, mutando locum. 2. DEus Pater producit Filium ſuum unigenitum ex fœcunditate eſſentiæ & mediante intellectu ſuo ubique, ubi eſt, id eſt, in tota latitudine immenſitatis

Quatuor veritates neceſſariæ ad intelligendum, quâ ratione DEus Pater nobis ſuum mittat Filium.

sitatis suæ: Et Filius hic est alia persona, quàm Pater, qui mitti potest ab eo, à quo productus est. 3. Cùm producat ipsum æqualem sibi in omnibus, conservat in ipsum auctoritatem & potestatem quandam originis, quæ ipsi nullam confert superioritatem in illum, sed plenam potestatem dandi, & mittendi illum, ad quem sibi placuerit. 4. Quando DEus Pater utitur hâc auctoritate & potestate originis, quam in suum habet Filium, ad producendum per illum, novum quendam effectum gratiæ in creaturis.

Libenter utor hôc terminô, auctoritate originis post sanctum
S. Hilarius. Hilarium, eò quòd Ecclesia hoc tempore non ampliùs oppugnatur ab hæreticis Arianis, qui ex hoc verbo pro se trahere possent aliquam prærogativam, quâ dicerent, Patrem esse majorem Filio; & aliâ ex parte non inveniam aliquem terminum, qui tam benè exprimat admirabilem potestatem, quam habet Pater specialem sibi, suum mittendi Filium: hic enim uti prioritate originis, esset procul dubio minus proprium, eò quòd *Prioritas* significaret potius, quòd Pater esset ante Filium, nihilque habeat, quod missionem exprimat; pro eo, quod *Auctoritas*, sive potestas originis significet potius aliquod principium, quod tribuat, quódque habeat jus mittendi. Hâc ratione Pater suum misit Filium ad sanctissimam Humanitatem in Mysterio Incarnationis. Et ecce id, quod appellatur Missio divina.

Ex hoc primo sequitur, Filium DEI missum nobis esse, absque eo, quod mutaverit locum; si- Quâ ratione Filius Dei nobis sit missus à Patre,
quidem ipse semper manst & manet in immensitate sinûs Patris sui; sequitur insuper, ipsum missum nobis esse, quin aliqua mutatio facta fuerit in ipso: quando enim producit novum effectum gratiæ, id non est in ipso, sed solùm in Humanitate, ad quam missus est: sequitur denique, ipsum missum nobis esse à solo Patre, eò quòd hic solus in ipsum habeat auctoritatem originis, producendô ipsum: Spiritus sanctus licèt æquè potens sit, ac Pater; & licèt, cùm amor infinitus sit, nobis velit bonum infinitum possessionis DEI, nihilominus non habet potestatem illum nobis mittendi, eò quòd non producendô ipsum, non habeat in ipsum hanc auctoritatem originis, quæ necessaria est ad Missionem.

O quàm longè aliter reponit Medicus totus attonitus ad hanc doctrinam! O quàm longè aliter imaginabar mihi modum, quo DEus Pater suum nobis miserit Filium unigenitum. Ubi est ergò ingens illa via, quam emensus dicitur è cœlo in terram,

ram, ut è terra in cœlum revertatur? ubi est ergò gigantæus ille cursus, quem perfecit, ut veniret ad nos? ubi est profunda illa annihilatio, de qua S. Paulus facit mentionem, dum immersit se in abyssum miseriarum nostrarum? ubi est denique ingens illa contentio, magnus ille adnisus omnipotentis brachii sui, quem adhibuit ad operandum hoc prodigium, quémque tanto extulit præconio beatissima Virgo in suo Cantico: *Fecit potentiam in brachio suo*; si tota ipsius missio nonnisi in hoc consistat, quòd procedat è sinu Patris sui, & producat effectum novum gratiæ in Humanitate?

Luc. c. 1. v. 51

Sed nonnè vides, respondet alter, omnes hosce loquendi modos non solùm posse adhiberi, sed satis efficaces adhuc non esse ad exprimendum magnitudinem hujus prodigii? Considera, quàm mirabilem effectum Missio Filii DEI produxerit in sanctissima Humanitate; & videbis, quòd ipsa det ipsi omne id, quod accepit à Patre suo, ita, ut ipsa faciat, quòd DEus verè sit homo substantialiter & personaliter, & quòd reciprocè Homo substantialiter & personaliter verè sit DEus. Et si vel minimùm hoc capias prodigium.

Quæro ex te, an hoc non sit confeciisse viam longè majorem, quàm persuadere sibi quis poterat, descendisse è cœlo divinitatis suæ, usque ad terram Humanitatis nostræ? Nonnè oportuit ipsum currere longè celeriùs gigante, ut infinitam trajiceret distantiam, quæ invenitur inter divinam ipsius magnitudinem & vilitatem nostram humanam? Quæ profundior annihilatio, quàm dicere, quod Creator omnipotens factus sit propria sui ipsius creatura? non ita annihilaretur creatura, quando ad primum originis suæ redigeretur nihilum, sicut annihilatus est Filius DEI factus Homo, cùm certum sit, infinitâ ratione magis distare DEum à creatura, quàm creatura distet à nihilo. Et deniqne quæ major poterat esse contentio, quâ Omnipotens suum extenderet brachium, quàm efficiendô, ut homo, qui nonnisi ex origine sua purum est nihilum, fieret substantialiter & verè Deus omnipotens, Deus æternus, Deus adorandus & adoratus ab omnibus creaturis? O! cantandum hic omninò est maximo cum cordis nostri jubilo: *Fecit potentiam in brachio suo.* Ecce tibi præcipuam & maximam omnipotentis brachii sui contentionem, quâ nostrum intendebat commodum, unicam nostram utilitatem.

Explicatio modorum loquendi, quibus utimur, dum agimus de mysterio Incarnationis.

Quid censes modò de sanctissima hac Humanitate, cujus amore Deus Pater omnem suum

exhauſit theſaurum, dandô & communicandô ipſi propriam Perſonam Filii ſui unigeniti? Nonnè putas, quòdſi propoſitum fuiſſet omnibus mundi ſapientibus, ipſam infinito hoc inſignitam eſſe honore, ut ſit perſonaliter Deus, dignámque exiſtere ſummâ veneratione DEO debitâ; ipſi judicâſſent, huic Deo-Homini attribuendam eſſe omnem Monarcharum potentiam, omnes mundi divitias, omnem Capitum coronatorum gloriam, omnésque voluptates, quibus demulceri homo poſſet in hac vita, haud dubium, quin omnes in unam iviſſent ſententiam, hîs omnibûs ipſam eſſe digniſſimam.

Commoda, quæ ſanctiſſima Humanitas recepit ex unione cum Divinitate.

Et nihilominus, ô Sapientia infinita, quàm excelſa tua ſunt conſilia! quámque remotæ ſunt cogitationes tuæ à cogitationibus hominum! totum lucrum, totúmque commodum, quod ſibi ſanctiſſima Humanitas comparavit ex hac tam arcta cum divinitate unione, fuit; quod eſſet pauperrima, deſpectiſſima, afflictiſſima inter homines; fuit, quòd expoſitam ſe cerneret perſecutionibus, injuriis, contumeliis, furori ac omni hominum crudelitati; fuit, quòd condemnanda eſſet ad moriendum in optimo ætatis ac vitæ ſuæ rigore, & quidem non ſolùm morte violenta ac truculentâ per manus carnificum, ſed etiam probrosâ & infami in ſocietate latronum.

O DEus omnipotens! ô incomprehenſibilis Deus in altitudine judiciorum tuorum! Itane accipis hominem, & tractas illum, quem ex omnibus tenerrimo proſequeris amoris affectu, quémque ſummâ locupletas felicitate, quâ ulla felicitari poſſit creatura? Eſt hic proprius tuus Filius, quem eodem amas amore infinito, quo amas temetipſum; & ecce hæc omnia ſunt blandimenta, quibus demulcetur à ſumma, quâ afficeris erga ipſum, dilectione. Et exin credamus nos, non amari nos à DEO, quando immittit nobis adverſitates, perſecutiones, cruces, dolores; nonniſi vellemus obrui ab ipſo abundantiâ proſperitatum & conſolationum corporalium, in ſui erga nos argumentum amoris. Nonnè cernimus, ipſum ita amare reprobos, quos ſæpe numerô temporalibus replet benedictionibus, ad recompenſandum parum boni, quòd fecerint in hac vita, cùm alias, quas ipſis in æternitate decernat, non habeat retributiones; & econtra amorem, quo veros ſuos proſequitur filios, tenere in manu virgam, quâ continuò flagellet ipſos in hac vita?

Quâ ratione hominem tractet in mundo Deus, quem magis amat.

Aſpicimus hoc in perſona Filii ipſius unigeniti, cernimus hoc in per-

persona omnium Sanctorum, & omnium animarum, quas sibi habuit cumprimis dilectas. Cum hoc videamus, dicimus nos Christianos, & profitemur, velle nos sequi Christum JEsum, & ambulare per viam Sanctorum: Et nihilominus persuadere nobis non possumus, summam nostram esse felicitatem, si vitam ducamus crucibus omninò refertam, nósque tunc amari à DEO certissimè velut filios, si nos omnis generis obruat & aggravet adversitatibus. Nos fugimus crucem, quantum possumus, tum quia naturæ nostræ inclinationes summè declinent & abhorreant ipsam, tum quia exemplum plurimorum, quos in suis triumphare videmus honoribus voluptatibus, prosperitatibus, titubare facit constantissimos in concepto proposito æstimandi & amandi crucem.

Oportet nos suffundi pudore, quod fugiamus crucem.

Usquequò evacuati manebimus spiritu Christiano, repleti prorsùs spiritu mundi & naturæ? O bone Deus! ne audias affectus nostros humanos, qui indigni sunt honore, ut tui simus filii: ama nos, uti tuum unigenitum amas Filium, quem tanto graviore onerâsti cruce, quanto majore prosecutus es ipsum amore: noli amare nos, sicut amas peccatores, quibus tantam consolationum terrenarum largiris abundantiam. *Aut pati, aut mori:* uti sancta dicebat Theresa; vel deponere Christianum, vel portare crucem post Christum JEsum. Vita præsens non est digna amari, nisi quia propinat nobis plurimùm amari. Auferillam, mi Deus, priva nos illâ, si amplius non dabit ansam pro te & amore tui quidquam patiendi.

ARGUMENTUM.

Duplicis generis sunt missiones in divinis Personis, aliæ visibiles, aliæ invisibiles.

Articulus II

Cur Verbum æternum non sit unitum cunctis hominibus.

SEd an solummodò ad sanctissimam Humanitatem Filium suum unigenitum misit Deus? reponit Medicus: An non poterat ipsum eâdem ratione mittere ad omnes homines, sicque facere, ut omnes personaliter essent Deus? poterat id procul dubio, respondet Ecclesiasticus, nec pluris stetisset ipsi; sed congruum non erat, omnes homines non nisi unam solam esse personam divinam, & amplius non remanere personam aliquam humanam in terra. Abundè sat erat, unicum solum hominem esse

esse Filium DEI naturalem, ut per ipsum omnes alii evadere possent filii DEI adoptivi. Et si quæras, quâ ratione evehat illos ad hanc felicitatem, dicam tibi, id fieri per plures missiones secretas, quibus Deus Pater ipsis suum mittit Filium, & Pater cum Filio Spiritum sanctum.

Duplicis generis missiones, visibiles & invisibiles.

Siquidem duo sunt missionum genera in divinis Personis: aliæ visibiles sunt, aliæ invisibiles. Filius DEI missus est visibiliter, quando factus est homo in mysterio Incarnationis: Spiritus sanctus missus est visibiliter in forma columbæ, ad Jordanem, dum baptizabatur Dominus, ad demonstrandum ipsum sancto Joanni Baptistæ: Et postea visibiliter fuit missus Apostolis in cœnaculo, in forma linguarum ignearum, insidentium capitibus illorum, ad coronandos illos velut Ecclesiæ suæ Principes. Sed missiones hæ visibiles factæ sunt nonnisi unicâ vice.

Adhæc reperire est alias missiones invisibiles earundem Personarum divinarum, quæ frequentius accidunt cunctis hominibus in secreto cordis sui: Et hoc fit, vel per lumina gratiæ, quibus illuminetur ipsorum intellectus; vel per divinas sacri amoris flammas, quibûs accendatur ipsorum voluntas: ita ut, quotiescunque contingit aliqua mutatio supernaturalis in animabus, sive recipiendô aliquod lumen in intellectu, sive concipiendô aliquem sacrum affectum in voluntate; verum sit, quòd aliqua persona divina verè ipsis sit missa. Et sanctus Thomas docet, discernere nos benè posse, quænam ex personis mittatur nobis, ex effectu, quem producit in animabus nostris. D. Th. 1. p. q. 43. a. 5.

Quomodò fiat Missiones invisibiles, & discernantur.

Si est sancta quædam inspiratio, quæ illuminet nostrum intellectum, vel augmentum fidei, vel donum sapientiæ, vel quidvis aliud, quod respiciat intellectum, tunc Filius est, qui mittitur nobis, cùm ipse sit, qui procedit ex intellectu divini Patris sui: *Tunc Filius invisibiliter mittitur, cùm ab aliquo cognoscitur.* S. Aug. lib. 4. de Trin. c. 10. Nunquam ipse se tibi cognoscendum præbet, nisi à suo mittatur Patre. Si est pius quidam affectus in voluntate, velut affectus contritionis aut horroris à peccato, vel amoris Dei, vel alterius cujusvis doni, quod referatur ad voluntatem; tunc persona Spiritûs sancti est, quæ mittitur in nobis; eò quòd procedat ipse è voluntate Patris & Filii. Ita nos docet magnus Apostolus ad Romanos: *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Rom. 5.

Dum hæc dicebat, Incognitus quidam (qui videbatur admodùm spiritualis) accessit ipsos, ac interpellans quæsivit ex ipsis:

Suntne

Suntne quotidiè Festa? Non, dixerunt ipsi subridendô, putantes ipsius interrogationem paulisper ineptam esse & absurdam. Sed quare non quotidie tam solemne Festum est, quale est dies natalis Domini, & dies Pentecostes? Quia, dicit illi Ecclesiasticus, in die Natalis celebratur Nativitas temporalis Verbi æterni, & in die Pentecostes celebratur descensus visibilis Spiritûs sancti super Apostolos, & ipsa exigit æquitas, ut tota lætetur Ecclesia & augustiore pompa celebret missionem visibilem harum duarum divinarum personarum; sicut æquissimum est, subditos magnificum adornare introitum suo Regi in die, quo suam accessu suo felicitat civitatem.

Cur celebretur Festum Nativitatis Domini & Pentecostes.

Sed hanc ipsam ob causam, reponit Incognitus, feci vobis interrogationem meam: si enim magnum est Festum in die, quo Filius & Spiritus sanctus visibiliter ingressi sunt mundum; quare non æquè magnum sit Festum in die, quo invisibiliter nostras ingrediuntur animas? Nonnè æque certum est invisibiliter mitti ipsos in penetralia cordis nostri; sicut certum est, ipsos visibiliter missos esse, & exteriùs in mundum, cùm sacra Scriptura pari ratione utrumque nobis confirmet? an minori digni sunt reverentiâ, quando ex abundantia bonitatis suæ, nostræ ingrediuntur animæ intima, quàm quandò nostris apparere voluerunt oculis? Sed homines tam corporales sunt, támque immersi sensibus, & exterioribus mundi rebus, ut, quando sermo de re quadam spiritali & invisibili ipsorum allabitur auribus, putent id meram imaginationem esse, eúmque sibilis explodant; ac si DEus, qui spiritalis est & invisibilis, nihil foret; ac si ipsorum anima, quæ spiritalis quoque & invisibilis est, non esset nisi mera aberrantis animi fictio, opinatio, ludificatio.

Christiani, quotidie celebrare debent eadem Festa.

Missiones spirituales Filii & Spiritûs sancti tam veræ sunt, ut certior non sim, unum natum esse in Bethlehem, & alterum apparuisse super Apostolos, quàm certus sum, duas hasce divinas personas, invisibiliter & valdè frequenter mitti in animam meam, ad illuminandum meum intellectum, & commovendam meam voluntatem. Sacra Scriptura de hoc me certum reddit: *Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.* Joan. 14. Et iterum S. Paulus: *Misit DEus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem Abba Pater.* Galat. 4. Articulus ergò fidei est, personas divinas invisibiliter mitti nobis. Eheu! propriis meis convincerer experientiis, si mente attentâ divinas ipsarum reciperem visitationes; sed continua vitæ meæ ad alia

Est articulus fidei, dari missiones invisibiles.

dissipatio sancti Jobi extorquet mihi querimoniam: *Si venerit ad me, non videbo eum, si abierit, non intelligam.* Job. 9. v. 11.

Quanti æstimandæ nobis sint missiones invisibiles.

Si compertum nobis foret, cujus valoris esset unica harum visitationum, pluris penderemus illam, quàm si omnes Reges terræ ingressu suo nostras honorassent domos: Et si lucrum, quod indè reportamus, constare nobis, videremus illas ratione quâdam nobis plus afferre commodi, quam Missio visibilis Filii DEI in carne mortali, vel apparitio Spiritûs sancti in cœnaculo. Nam quid utraque prodesset mundo absque missione invisibili, quæ cognitionem affert & amorem DEI in penetralia cordis nostri. Si justus sum, non est ideò, quia Filius DEI natus est in præsepio, vel quia Spiritus sanctus apparuit Apostolorum collegio, sed quia duæ hæ divinæ personæ invisibiliter ad meam missæ sunt animam, ut fidem mihi conferrent & gratiam sanctificantem. Majoris igitur festivitatis mihi dies est iste, quo duæ hæ adorandæ personæ mihi simul mittuntur (missiones namque invisibiles ab invicem sunt inseparabiles, juxta doctrinam sancti Thomæ) quàm sint Festa Natalis Domini, aut Pentecostes in tota Ecclesia. D. Th. 1. p. q. 43. a. 5. ad 3.

O quàm beatos, quàm consolatos nos redderet inæstimabilis honor & felicitas spiritualium harum visitationum Filii DEI & Spiritûs sancti, si illarum cognosceremus valorem. Invitat amicissimè is animam & solicitat in sacro Epithalamio, ut aperiat sibi januam, seque recipiat, eò quòd caput suum totum sit plenum rore gratiarum, quas diffundere capiat in illam: *Aperi mihi, soror mea, quia caput meum plenum est rore.* Cant. 2. Et alibi dicit: *Ego sto ad ostium & pulso, si quis aperuerit mihi januam. intrabo ad illum, & cœnabo cum illo.* Apoc. 3.

Quantam faciamus jacturam, non attendendo nobis ipsis.

O DEus! Si aliud non ageret anima, quàm quòd intenderet continuò recipiendis optatissimis hisce divinarum personarum invisibiliter sibi missarum visitationibus; quantis gratiarum & meritorum thesauris se tandem videret refertam? Mallem vixisse tali vitâ quàm si vixissem solus vitâ decies centenorum millium hominum, & horum beatissimorum in terra.

Quare omnes Sancti amaverint solicitudinem,

Et quando dignatur Deus conferre animæ cognitionem & æstimationem magnæ hujus veritatis, quæ nonnisi divino lumine benè cognosci potest; cætera omnia tam frivola, futilia, & inutilia ipsi videntur, ut diem unicum solitudinis soli Deo impensum, anteferret moderationi alicujus imperii per totam vitam suam. Hinc est, quòd sancti Eremorum accolæ, qui suam exegerunt vitam in desertis, se ita æstimarint beatos, utpote nullâ aliâ,

aliâ, quàm hâc solâ occupatione distentos ; quódque hodiedum omnes animæ contemplativæ ingens hoc non desererent negotium pro universo mundo simul : Et sanè melior est dies una in domo Dei , quàm mille in tabernaculis peccatorum.

Probè novi, non omnes vocari ad possessionem tantæ felicitatis, oportet plurimos implicari negotiis vitæ humanæ ; sed nonnè saltem Christiani insculpere deberent cordi Evangelicum illud effatum & monitum? Matth. 24. *Vigilate* , & *attendite* vobis ipsis, *quia nescitis: quâ horâ Dominus vester venturus sit.* Fides vos docet, dari missiones divinas, spirituales & invisibiles, quibus Filius & Spiritus sanctus vestras veniunt visitatum animas ; sed quâ horâ, quóve momento, vos latet : Vigilate, & attendite in medio vestrarum occupationum externarum, nec exspoliari vos contingat inæstimabili recipiendi illas felicitate. Tantos videre fuit, qui aliquam harum visitationum advertentes, relinquerunt omnia, ut reciperent ipsam cum reverentia, post aliquantuli temporis colloquium, ad intermissum regressi negotium.

Quid vetat, quin ij, qui mundo distenti sunt, horam saltem, vel mediam tribuant de die soli colloquio cum Deo sibi præsenti, firmiter credendo, missiones dari occultas & invisibiles divinarum Personarum ad animas suas, à quibus æterna sua descendeat salus : *Veni, Verbum adorandum, loquere cordi meo. Veni sancte Spiritus & accende voluptatem meam divino amore.* O si assuesceremus sæpius de die huic frequentandæ aspirationi, quantum conduceret nobis ad ducendum vitam sanctam & omninò Christianam? Bonum exercitium in medio occupationum.

Oblectabantur plurimùm hujus ignoti colloquiô, quòd optâssent diutiùs protelari ab ipso ; sed erat is Angelus, uti credidêrunt, illis à Deo missus , ad suggerendum salutare hoc monitum, cum quantocyùs hîs verbîs prolatîs , ipsorum se subtraxerit oculis. Nihilominùs gratîs ob beneficium acceptum actîs, suam prosecuti sunt Consultationem, eâ, quâ videbis ratione.

ARGUMENTUM.

Quomodo facta sit Unio personalis duarum Naturarum, divinæ & humanæ in Christo JEsu.

Articulus III.

QUâ ratione intelligendum est, quòd duæ naturæ infinito modo à se invicem diversæ, velut divina & humana, unientur in Persona Christi JEsu? Nonnè ita, sicut S. Athanasius exponit in Symbolo: *Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita DEus & homo unus est Christus.* Quemadmodum anima rationalis, quæ tota spiritalis est, unitur cum corpore humano, quod totum est materiale, ad componendum hominem, ita ut, sicut anima est forma corporis, dans ipsi esse & vitam; ita & divinitas sit forma substantialis sanctissimæ Humanitatis, quæ det ipsi Esse divinum & vitam divinam.

Athan. in Symbolo.

Nullatenus, respndet Ecclesiasticus: Divinitas non potest esse forma alicujus Compositi, aliàs fieret pars alicujus totius, & esset ens imperfectum. Et sanctus Athanasius hanc afferens comparationem solummodò vult dicere, quòd sicut anima rationalis & corpus simul unita non faciunt nisi unum hominem, ita Divinitas & humanitas simul unitæ, non faciunt nisi unicum solum Christum JEsum: credendum autem nobis proponere noluit, quòd unio Divinitatis & Humanitatis in Christo JEsu similis sit unioni animæ & corporis in homine.

An Christus Jesus compositus sit è Divinitate & Humanitate, sicut nos ex anima & corpore.

Quomodò ergò reponit alter, an ita? quòd Humanitas immersa fuerit tota in Divinitatem, ita ut homo transformatus & mutatus fuerit in DEum? vel econtra, quòd Divinitas tota fuerit annihilata in Humanitate, ita ut Deus mutatus fuerit in hominem? vel denique quòd ex confusione ambarum simul permixtarum, factus sit unus Christus JEsus, qui includat ambas in suâ Persona? Nihil ex his omnibus, respondit Ecclesiasticus. Siquidem, si per impossibile Humanitas transformata fuisset in Divinitatem, JEsus Christus esset solummodò DEus, sed non esset homo. Et si ex adverso Divinitas per majus impossibile, mutata fuisset in Humanitatem, JEsus Christus esset duntaxat Homo, sed non esset Deus. Et si denique per maximum impossibile duæ naturæ, divina & humana, simul mixtæ & confusæ fuissent, ad componendum aliquam tertiam, uti voluerunt, Dioscorus & Eutyches, famosi hi duo

Duæ naturæ, divina & humana nec tres formatæ, nec comixtæ sunt invicem.

duo Hæresiarchæ, imaginarium hoc compositum non esset amplius, nec DEus nec Homo, sed res alia, diversa ab utroque.

Sed an nôsse cupis, quænam sit fides sanctæ Ecclesiæ circa hoc Mysterium? Ipsa profitetur hanc cum gaudio, in pulchra illa Antiphona, quæ cantari solet in die Circumcisionis: *Mirabile Mysterium declaratur hodiè, innovantur naturæ, DEus homo factus est, id quod fuit, permansit, & quod non erat assumpsit, non commixtionem passus, neque divisionem.* Hoc est, quod credat ipsa firmiter, Filium DEI factum hominem non recepisse aliquam mutationem in Divinitate sua; & licèt Homo sit Deus, non desiisse esse verum hominem, eò quòd contineat in seipso duas naturas, Dei & Hominis, quæ, cùm perfectè simul uniantur, non sint commixtæ nec nullatenùs confusæ. Sed sicut non est commixtio in naturis; sic etiam non est divisio in Persona, cùm ambæ naturæ non nisi unicam Personam constituant, & unicum JEsum Christum.

Vera fides Ecclesiæ circa mysterium Incarnationis.

Quâ ratione id comprehendatur? replicat Medicus. Omnes Philosophorum evertuntur regulæ, dum dicitur, duas esse naturas, & unicam tantummodò personam in Christo JEsu: Quælibet enim natura, nonnè distincta ab alia est persona? Quando naturam video Angelicam, cum veritate assero: Ecce tibi personam Angelicam; nec in hoc decipior. Si naturam video divinam; affirmo similiter. Ecce tibi Personam divinam. Et quando naturam intueor humanam, falli non possum, si dixero: Ecce tibi personam humanam; nempe quot naturas diversas, tot personas diversas. Cùm ergò duæ naturæ sint in Christo, necesse est, in ipso quoque esse duas personas.

Hìc regulæ Philosophiæ naturalis omninò sunt eversæ.

Hoc verum esset, dicit Ecclesiasticus, juxta regulas Philosophiæ naturalis. Sed ecce tibi Philosophiam divinam, quæ transcendat omnes naturæ leges. Maximum & excellentissimum est opus omnipotentis brachii Dei, reliquisse sanctissimæ Humanitati JESU Christi totam suam substantiam naturalem, absque propria subsistentia naturali: sicuti maximum est miraculum conservare accidentia panis & vini in sacrosancta Eucharistia, abs eo, quòd alicui inhæreant subjecto: Est namque conditio accidentium, quæ tenuia sunt entia & infirma, quod sustentare & conservare se non possint seipsis, & opus habeant inhærere alicui substantiæ se portanti; est etiam natura substantiarum, quæ entia sunt magis solida, subsistere seipsis, hoc est, habere proprium suum fulcimentum ac sustentaculum, quod emanet

Quid sit subsistentia aut personalitas.

manet & producatur naturaliter ab ipsarum essentia velut ultima perfectio ipsas complens & distinguens ab omnibus aliis. Ultimum hoc completum est substantiarum singularium, quod appellatur ipsarum subsistentia; & in substantia humana vocatur persona, hypostasis, suppositum, personalitas.

Magnum miraculum, quòd sanctissima Humanitas privetur subsistentiâ naturali; & majus, quòd habeat divinam.

Sicut requiritur ingens miraculum manûs Dei, ad impediendum, quòd aliquod accidens non inhæreat alicui subjecto, sic æquè magnum requiritur ad impediendum, quòd substantia singularis non subsistat propriâ suâ subsistentiâ naturali; cùm hoc sit contra naturam utriusque. Jam hoc miraculum est, quod Deus est operatus in sanctissima Humanitate, impediendô, ne propriam suam haberet subsistentiam naturalem, quæ ex ipsa personam fecisset humanam; sed hujus in locum DEI Filius dedit ipsi propriam suam subsistentiam, quæ est Persona ipsius divina, & ultimum ipsius constituens complementum. Hoc modo sanctissima Humanitas est substantia completa, subsistens seipsâ, sicut omnes aliæ substantiæ, non per substantiam naturalem ipsi sublatam, sed per subsistentiam divinam ipsi collatam. Hæc verè est una persona, non persona humana, sed persona divina: hic verus est homo, quia habet totam substantiam humanam; sed non est homo personaliter, quia non habet personam humanam: habet duas substantias & duas naturas integras, quæ sunt divina & humana; sed non habet nisi unicam solam personam, quæ est divina. Hæc est igitur Persona admiranda & prorsùs adoranda, DEus-Homo, Homo-Deus.

O admirabile artificium infinitæ sapientiæ DEI: Opus fuerat, duas esse naturas in Christo JEsu; unam humanam, quæ pati posset pro nobis & mereri; alteram divinam, quæ infinitum præberet valorem tolerantiæ ipsius & meritis. Sola natura divina non potuisset pati, & natura humana non fuisset passa satis dignè, ad satisfaciendum pro peccatis nostris in toto rigore justitiæ. Sed opus fuerat ut duæ hæ naturæ unirentur in unica sola persona divina, ut, quia attribuuntur actiones & passiones personæ, quæ patitur, aut agit, omne id, quod duas has naturas concernit, æqualiter attribueretur Christo JEsu, & cum veritate dici posset: Deus est natus ex muliere, & sanctissima ipsius Mater, est verè Mater DEI; Deus est pauper, Deus jejunat, Deus patitur mortem ad salvandos homines. Quamvis enim verum sit, quod non patitur nisi in natura humana; nihilominus cùm

Mirabile artificium sapientiæ divinæ, quo invenit medium reddendi Deum passibilem.

ipse

ipse sit persona divina, dici potest cum veritate, quòd Deus sit, qui moritur in cruce. Ita, Filius DEI in propria sua persona mori voluit pro me in Cruce; eousque amavit me, ut magis me amaverit propria suâ vitâ.

O quantum oblectat hoc verbum, quantámque haberet vim ad dissolvendum omnium corda in dulcorem, & in gratitudinis affectus, si capere id, quod nobis vult innuere possemus! sed altius ponderandum id foret, ac revolvendum diutius, tractimque, degustandum; & qui recogitet, quasi est nemo.

ARGUMENTUM.

Considerațio moralis & spiritualis circa id, quòd JEsus Christus non sit persona humana.

Articulus IV.

Ad Philipp. c. 2. v. 7.

Semetipsum exinanivit: Quomodo intelligis hoc magne Apostole, dum dicis, Filium Dei exinaniviſse se, dum factus est homo? an dicere vis, annihilatam fuisse divinitatem? Sed probè nôsti, ipsum esse ens necessarium, æternum, invariabile & recipere non posse vel minimam mutationem in divinitate sua, adeóque multò minùs posse annihilari.

Quomodò intelligendum sit, quòd JEsus Christus sit exinanitus.

An ergò vis loqui de sanctissima humanitate? sed tam procul est ab eo, ipsam esse annihilatam, dum sublata est ad unionem personalem cum divinitate, ut potius ex adverso elevata sit ad tam sublime honoris fastigium, ut impossibile sit ipsi Deo, alterius illam attollere, quam fecerit. *Quò altius carnem attolleret, non habebat.* Si ergò dici non potest, ipsum aliqua depressum esse humiliatione, neque secundùm Divinitatem, neque secundum Humanitatem suam; quomodò verum est, ipsum exinanitum esse, dum suscepit formam servi?

S. Augusti.

Apostolus tibi diceret: id esse, quòd absconderit splendorem gloriæ suæ, omniúmque divinarum suarum excellentiarum, velut si annihilatæ forent, ut abjectus appareret, & velut nihil oculis humanis.

Posset tibi adhuc responderi in alio sensu, magis forsan alieno ab intentione Apostoli, conformi tamen veritati Philosophiæ naturalis, quòd annihilatus sit secundum personam suam humanam, cùm ex illa habuerit nihil. Nonne annihilari hoc sit, non esse Personam! Adduc in medium omnes simul filios Adæ, videbis milliones personarum: verum est, ipsos non æquali insignitos

fignitos fore nobilitate, nemo tamen ex ipsis erit tam miser, qui non existat particularis quædam persona. Ille est talis persona, & iste ut ipse alter est talis persona: hoc pertinet ad unum talem, & illud est factum pro uno tali; unaquæque Persona suum tenet inter filios Adæ locum & ordinem. Veni ad Christum JEsum: quamvis ipse verus sit homo & filius Adæ, nihilominus dici potest, quòd Persona non sit, id est, quòd non sit persona humana. An major excogitari possit annihilatio, quàm non esse personam? Nonne hoc est, ratione quâdam esse nihil? Et nonne fatendum est, ipsum hac in parte pauperiorem esse hominum novissimo?

Annihilari est non esse personam.

Hanc ob causam fortassis ipsemet nobis asserit Psal. 21. *Ego sum vermis, & non homo.* Et hoc non ideò, quòd revera non habeat omnem substantiam naturæ humanæ, sed quòd non habeat personam humanam, possitque dicere in hoc sensu: Ego non sum persona inter homines, non teneo aliquem locum, sum nihil, sum velut vermis terræ, quem omnes suis conculcant pedibus.

Psalm. 21.

An mirandum sit, quòd nil unquam possederit in terris, nec bona, nec dignitates, nec honores, nec voluptates, quódque pauperiorem se declaraverit volucribus cœli, quæ suos habent nidos, & vulpibus sylvarum, quæ suas habeant foveas? Quando quis persona non est, capax non est ad aliquid possidendum: nam quidquid possidetur, ad aliquam pertinet personam; & JEsus Christus persona non erat inter personas humanas, quæ bonorum terrenorum tenent possessionem. Admiranda hæc exspoliatio superat adhuc illam vermium terræ; nam cùm quilibet eorum sit substantia, quantumvis vilissima, suam habet subsistentiam naturalem. Et JEsus Christus subsistentiæ nihil habuit humanæ.

O mi JEsu! probè agnosco modò, quâ ratione sit verum, quòd exinanieris te inter homines ex amore mei! Eheu! Tu persona non eras; tu nihil unquam possedisti in terra, ex eo, quòd persona non esses. Tu nihili fuisti habitus, vilipensus velut nihil, postpositus Barrabæ; eò quòd persona non esses: Immersus fuisti ignominiis, absorptus opprobriorum barathris, tumulatus abyssо mortis fævæ ac infamis, confixus cruci inter latrones; eò quòd persona non esses. O profundam annihilationem amabilissimi mei JEsu; qui te videret, qui te consideraret, qui te comprehenderet, quàm moveres efficaciter corda omnium!

JEsus fuit ita contemptus & pauper, quia persona non erat.

Quan-

Quando lumen divinum affulgere incipit animæ, ostendit illi alio prorsùs modo, quàm mundus videat illas. Una præcipuarum maximíque ponderis veritatum, quas ipsi manifestat, est, quòd benè invenire JEsum Christum non possit, quàm in nihilo omnium creaturarum. Ecce! cur ipsa annihilare se studeat, quantum potuerit in omnibus; non desiderat ipsa magnas dotes, splendidas non ambit actiones; etiam divinum concernentes servitium, probè gnara, omnia hæc sæpiùs magis vanos aucupari applausus, quàm solius DEI honorem & gloriam, nunquámque magis glorificari ipsum, quàm in annihilatione creaturæ suæ; contendit ipsa vivere in terra, quasi in veritate non esset persona. Jam quando ablata est ipsi persona, omnia ablata sunt ipsi, nihílque amplius ad ipsam pertinet, non bona, non facultates, non honores, non dignitates: nihil horum ampliùs prensandum mihi est, si ex vero affectu cordis mei persona ampliùs non sim; & nisi adnitar, hunc in me experiri affectum, quomodò dicere potero, quòd Christianus sim, & verus imitator Christi JEsu, qui vivere voluit in terra ex amore mei, quasi persona non esset, quasi nemo esset?

Animæ volentes imitari Christum JEsum, conantur non esse personæ, sicut ipse non erat.

Crederemus feciſſe multùm, si hucusque pertigissemus; nihilominùs in hoc non omnis vertitur cardo: Siquidem potentes operationes gratiæ in animam, cui animus est committere se totaliter ipsius directioni, eousque se extendunt, ut, postquam annihilârunt ipsam totam, quoad exteriora, omnia quoque destruant interiora, exspoliandô ipsam pretiosâ bonorum spiritualium, quæ tanta cum solicitudine coacervârat suppellectile, hoc est omni lumini & gustu sensibili, omni sapore spirituali, omníque consolatione divinâ. Et quando hæc omnia, quæ creata sunt, sublata sunt animæ; tunc invenit Deum purè in nihilo creaturarum omnium, tum exteriorum tum interiorum, gustátque illum in fundo cordis sui, per experientiam sibi soli cognitam, quam explicare & declarare non possit, nisi quòd certissima sit, sibi tantò melius esse, quantò plus est perdita in Deo, quin quidquam habeat, quàm Deum solum.

Quomodò Deus annihilet animam.

O si quis vidisset opus Spiritus DEI in anima, quam deduxit usque ad metam perfectæ hujus annihilationis, ubi fit unio magis immediata, magísque perfecta totius sui ipsius cum Deo suo, ubi gustatur perfecta hæc societas, & sublimis illa pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, &

omnem saporem, & omnem intelligentiam cordis humani! Adeò stupenda est hæc felicitas, ut admirationem cierat ipsis Angelis, qui nunquam experti sunt omnia prodigia, quæ gratia JEsu Christi in animabus operatur.

Sed quàm paucas, quæ hucúsque pertingant, reperire est animas. Plerique hominum, etiam eorum, qui student virtuti, hærent semper in exterioribus, contendendò, ut suam benè ordinent & moderentur vitam in exercitio bonorum operum, quin unquam, vel quasi unquam ingrediantur penetrale cordis, tanquam regionem sibi prorsùs incognitam: pauci sunt, qui primario vitam sectantur internam; & horum plurimi totam suam perfectionem in eo collocant, ut magnas acquirant cognitiones & sublimes affectus ergà Deum, qui sanè bona sunt media accedendi ad Deum, sed non sunt Deus ipse; sunt pretiosa dona Dei, & excellentes creaturæ, sed non Creator ipse.

Pauci sectantur vitam internam,

Quando est quæstio, quòd pati oporteat exspoliationem horum omnium, & videre, quòd omnia hæc ingentia bona, & omnia hæc pretiosa dona DEI annihilata sint in anima, ut nihil relinquatur ipsi nisi Deus solus: O quàm pauci sunt, qui patiantur id, absque eo, quòd se opponant, & pertinaciter resistant operationibus Spiritûs Dei? Siquidem semper videre volumus, semper cognoscere, semper gustare, semper sentire dulcorem gratiarum & donorum Dei, in quibus tantas invenimus consolationes. Itane? Ergò ampliùs non habebo nec lumina, nec gustum Dei? non ampliùs percipiam, quid operer in intellectu meo ad cognoscendum, & voluntate meâ ad amandum Deum, quem tam impensè amare desidero. Itane? aspiciam me in omnimoda evacuatione & exspoliatione rerum omnium, in qua credere me volunt, quòd inveniam purè Deum, in jactura illorum omnium, quæ Deus non sunt? sed ex his omnibus video nihil. O quàm difficilis lucta, & terribilis mors est animæ, quando tolerare ipsam oportet hoc nihili & annihilationis interioris genus! Siquidem ipsa putat, omnia esse perdita, cùm & ipsamet tota sit perdita in Deo, quin sciat, nec quid sit, nec quid faciat. Sed nunquam ipsi melius est, quàm in hoc statu.

Quasi nemo interiùs sibi ipsi vult mori.

Modicus hauritur profectus ex sermone de rebus spiritualibus facto cum personis, quibus inusitatum est hoc idioma. Medicus, qui non intelligebat magnum quid in mysteriis vitæ interioris, non capiebat magnam voluptatem ex dictis, & quasi nihili pendebat, quod hauriebat auribûs, sed

sed semper intentus, quomodò suæ satisfaceret curiositati circa argumentum colloquii sui magis sensibile, interrogavit ipsum.

ARGUMENTUM.

Quâ ratione formatum sit adorandum Corpus JEsu Christi in virginali sinu Matris suæ.

Articulus V.

CUm voluerit DEus, Filium suum unigenitum esse hominem, videtur mihi, inquiebat Medicus, convenientius fuisse dignitati hujus hominis, si immediate formatus fuisset à manibus Dei, velut corpus primi hominis, quàm nasci ex matre more aliorum hominum.

Cur Deus non formaverit Christo JEsu corpus omninò novum sicut Adamo.

Sed nonnè cernis, respondit ipsi Ecclesiasticus, mentem Dei Patris, Filium suum unicum mittentis in mundum, non fuisse, ut novum faceret hominem, sed ut repararet illum, quem corruperat & deformaverat peccatum? Voluit, ut is ipse quæreret Adamum, & totam ipsius posteritatem, & non homo alius: oportuit ergò, ut propriam nostram assumeret naturam humanam, omnésque infirmitates ejus, ut applicaret remedium ipsi vulnerato, qui acceperat ictum lethalem. Novi probè, potuisse ipsum formare corpus secundi Adami, sicut formaverat illud primi; sed non induisset illud carne Adami, nec apparuisset mundo in forma peccatoris. Verum est, ipsum ingens patratum fuisse miraculum, si suppeditâsset ipsi corpus novum, propriis suis formatum manibus: sed nonne vides, ipsum plura & absque comparatione longè majora patrâsse miracula eâ, quâ usus est, ratione, induendô illum propriâ carne Adæ peccatoris?

Tria magna prodigia in eo, quòd Christus JESUS sumpserit corpus humanum ex Matre Virgine.

Siquidem imprimis, quantum miraculum, quòd in castissimo suo utero Virgo conceperit ipsúmque pepererit permanens Virgo. Jam miraculum hoc valdè extollit gloriam Mysterii Incarnationis in tribus. 1. Filius Dei nascitur ex Patre Virgine secundùm divinitatem; nascitur etiam ex Virgine Matre secundùm Humanitatem. 2. Pater ipsius æternus communicat illi solus totum suum esse divinum, absque alterius personæ concursu; & Mater ipsius ipsi quoque communicat sola esse suum humanum absque concursu alterius personæ; unde deduci potest, ipsam bis magis esse Matrem ipsius, quàm omnes aliæ matres suorum filiorum matres existant; cùm ipsa teneat locum & Patris & Matris; bis etiam

majorem possidere illam in ipsum potestatem. 3. Deus Pater adorari se videt, sibique famulatum exhiberi à Deo sibi æquali, à quo accipiat plus honoris & gloriæ, quàm accipere posset ab innumeris mundis creatis; & sanctissima Virgo obtemperantem sibi videt ipsum Deum; quod majorem parit ipsi honorem, quàm si homagium reciperet ab omnibus creaturis, quæ effingi possunt à manu DEI. Sanctus Bernardus attonitus hoc prodigio exclamat: *Utrinque stupor! utrinque miraculum! & quòd DEus fœminæ obtemperet, humilitas absque exemplo; & quòd DEO fœmina principetur, sublimitas sine socio.*

S. Bernardus Homil. 1. sup. Missus est.

Sed quod majus miraculum, quàm intueri, quâ ratione corpus Verbi Incarnati efformatum sit in purissimo Genitricis suæ sinu? Quomodò fiet istud, quomodò fieri poterit Mater, permanens virgo? Sanctum Evangelium asserit nobis, hoc esse opus Spiritus sancti, qui eodem instanti, quo Virgo dederat consensum verbis Angeli, ut esset Mater Filii Dei, elegit aliquas purissimi sanguinis, qui in corpore virginali fuerat, guttas, quas juxta piam & devotam cogitationem aliquorum Patrum traxit ex intimo cordis ipsius, eò quòd Filius ipsius unicus totum cor, totúsque amor esse deberet ergà peccatores, ut cor Matris ratione quâdam dicere posset, quod cor Patris: *Eructavit cor meum Verbum bonum*; id est, ex proprio corde meo produxi, & genui Verbum: Et Spiritus sanctus, postquam hanc è purissimo corde sanctissimæ Virginis extractam materiam transtulisset ad locum à natura destinatum ad formationem fœtûs, formavit exindè in instanti ex omnipotente virtute sua parvum corpus humanum, quod sanctus Bonaventura putat minus fuisse, quàm unquam aliquod fuerit, nihilominus tam perfectè formatum cum omnibus suis organis, ut in instanti ipso animatum fuerit magnâ illâ animâ, quæ esse debebat gloria, felicitas, & salutis æternæ principium omnibus animabus; & in eodem instanti corpus hoc & anima hæc personaliter unita fuêre Verbo divino.

Quâ ratione corpus JESU Christi formatum sit in utero Virginis.

Pfal. 44.

Quot, quæso, concurrêre prodigia ad conficiendum magnum hoc opus? 1. Quòd Virgo sit gravida, manens Virgo, & virginalis ipsius pùritas, dum Mater efficitur, adhuc perficiatur; quantum prodigium! 2. Quòd corpus humanum totum sit formatum, totúmque organizatum in momento, cum omnibus dispositionibus necessariis ad recipiendam animam rationalem; quantum prodigium! 3. Quòd hæc anima locupletata fuerit perfecto usu rationis in ipso instanti,

Plura miracula in unico solo miraculo.

stanti, quo creata fuit; quòd exornata fuerit omnibus scientiis, quæ illustrare & perficere poterant intellectum Dei-Hominis; insuper quòd possederit omnem thesaurum gratiarum, quæ sanctificare poterant Sanctum Sanctorum; & denique quòd in ipso creationis suæ instanti hæc anima mox fuerit beata fruens eâdem visione Dei, quâ fruetur in æternum, ita ut beatissimæ Virginis sinus primus fuerit Paradisus, in quo anima hominis videre incepit Deum clarè præsentem: quanta miraculorum frequentia: Virgo portat in sinu suo Virum perfectum, DEUM omnipotentem, & Beatum, & beatitudinem omnium hominum.

Prodigia plura stupenda.

O prodigium, admiratio omnium prodigiorum! O miraculum, gloria & portentum omnium miraculorum! Creatura fit Mater Creatoris sui; Virgo puella dat esse illi, qui necessariò id habet à seipso ab æterno, quique dedit & dat illud in tempore cæteris creaturis; parvum corpus est indumentum satis amplum ad contegendam totam divinitatem, quantumvis hæc sit immensa; & ille, quem vasta cœlorum non capit amplitudo, includitur in sinu Virginis. O magne Deus, quàm admirabilis es in prodigiis, quæ operaris in ineffabili hoc mysterio! O mi JEsu, quàm ardenter amas me, in hunc redactus statum amore mei! O quanta amoris & bonitatis abundantia, dum patrare voluisti tanta prodigia ad salvandum animam meam! Eheu! quid facere possum, ut pro his exhibeam me gratum?

Affectus amore plenus ergà Filium Dei amore nostri infantili indutum formâ.

Ecce ergò te factum infantem, ô Deus æternè! Tu ergò te meis coram exhibes oculis, in dulcore & suavitate parvuli infantis. O omnipotens Creator mundi! Concutiebar tremore, dum sermo fiebat mihi de Deo æterno, de Deo omnipotenti, de supremo Creatore universi. Sed quando verba fiunt de Deo infante, de Deo ubera matris sugente, de Deo plorante, meisque compatiente infirmitatibus, cor meum, duriùs licèt petrâ, colliquescit & solvitur in amorem. Accedo propius absque metu ad divinum hunc infantem, & parvulorum solitis ipsum audeo demulcere blandimentis, exosculor ipsi pedes, offero ipsi meum cor, & ut amet me, ipsum rogo: Non absterreor ampliùs horrore, sed dulcore ipsius attrahor, allicior & rapior. Ecce ergò te factum fratrem meum, ô Deus æterne, quem adoro! Non audebam attollere oculos meos, ad aspiciendum te in sinu divini Patris tui, absque pavore; sed modò aspicio te totus inundans gaudio in sinu amabilissimæ Matris

tuæ; & videris majori cum amoris teneritudine dicere mihi, quod dixerat olim Asverus Estheri: *Ego sum frater tuus, noli timere, non morieris;* noli metuere mortem, quia veni, ut moriar pro te. Esth. 15.

O Angeli cœlorum nonnè contabuistis & defecistis omninò præ admiratione, dum DEum Majestatis in hoc conspexistis statu? & splendore gloriæ ipsius, in quibus videtis illum clarè, & profunda hæc annihilatio, ubi nunc obvelatos & absconditos videtis illos; hæc bonitatis abundantia, quæ dilabi ipsum fecit in extasin, & velut inebriatum amore, intra brachia hominum, nonnè abripiunt vos extra vosmetipsos?

Omnes creaturæ admirari debent hæc prodigia.

O magnum universum, quod tantas recepisti pulchritudines à sapientia Creatoris tui, dum extraxit te è nihilo omnipotenti manu suâ; quando vidisti Auctorem tuum accensere se ipsum numero & albo partium te componentium, eandémque infinitam pulchritudinem; quæ summè totum oblectat Paradisum, junxisse se tibi, ad majorem tibi conciliandam venustatem, quantô persundi debuisti in gaudio? Et quàm universalis insonuisse debuit jubilus, in cunctis mundi mansionibus, à cœlo usque ad ultimum aëris atomum? nonne effundere sese debuerunt in laudes, in benedictiones, in affectus gratitudinis, pro tam immenso sibi præstito beneficio?

Sed tu, anima mea, pro qua sunt facta hæc omnia, quid de tantis censes prodigiis? quanti pendis tantum tibi impensum amorem? Ingrata & insensata, ubi est reciprocus, quem illi rependis amor? pro te venit, te quærit, te desiderat cor ipsius, pro te eousque se exinanivit. An dicatur, non posse ipsum nec movere te, nec lucrari te, nec eruere è corde tuo quempiam gratitudinis affectum? Nonnè te pudeat, duritiem tuam excessisse teneritudinem cordis divivini? Non, anima mea, tempus non est ampliùs resistendi, cedendum est illi; sed totaliter & absolutè oportet te totam illius esse, quin aliquid excipias, & datam resumas fidem.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Quid sit hoc vinculum sacrum uniens duas naturas in Christo JEsu, quódque nuncupatur Unio Hypostatica.

Articulus VI.

NIhil exquiro amplius pro plena mea satisfactione, dicit tandem Medicus suo Ecclesiastico, nisi quod nôsse cupiam, quid sit hoc vinculum tam forte, tamque arctum, quod Hypostaticam vocant unionem. Dicitur quidem, hoc esse nodum quendam sacrum, qui faciat, quòd Deus & Homo non sint, nec futuri sint unquam, nisi una eadémque persona; sed non benè capio, in quo hoc vinculum, hícque nodus consistat. Sanctus Gregorius magnus putavit, sanctum Joannem Baptistum locutum fuisse, de sacro hoc vinculo tam prodigioso, quando dixit: Non sum dignus corrigiam calceamenti ejus solvere; *Corrigia calceamenti est ligatura Mysterii.*

S. Greg. in illa verba: Non sum dignus.

Verùm si sanctus Joannes Baptista, maximus inter homines, non potuit dissolvere nodum maximæ hujus difficultatis, quomodò vis, ut id exponam tibi? Ligat & stringit hic nodus intellectum sapientissimorum Doctorum, qui admirantur, potiùs, quòd comprehendant ipsum. Sanctus Bernardus cœlestis hic Theologus, qui non tam scientiam suam hausit è scholis, quam è sublimi sua contemplatione, eximium concinnavit sermonem pro die Natali Domini nostri, quem nuncupavit, *de tribus mixturis:* Vult dicere, de tribus admirandis unionibus, quas ob oculos tibi collocat in Mysterio Incarnationis Verbi. Prima est unio animæ & corporis, in qua cùm junxerit animam beatam cum corpore passibili & mortali, mediante quâ collocavit in in hac anima Paradisum, & in hoc corpore ratione quâdam infernum, cùm ipsemet dicat: *Dolores inferni circumdederunt me;* demersum nempe tempestate passionis dolorosissimæ: an sit quidquam admirabilius? Secunda est unio duarum naturarum, divinæ & humanæ; in qua cùm sociaverit finitum cum infinito, Creatorem cum creatura, omnia cum nihilo: an quid magìs incomprehensibile possit excogitari?

S. Bernard. in serm. de tribus mixt.

Psalm. 19. v. 6.

Maximi Doctores Ecclesiæ magìs admirantur, quàm capiant unionem Hypostaticam.

Verum quidem est, unionem duarum harum naturarum non fuisse immediatam, qualis est illa animæ & corporis, vel qualis esset inter duas partes totum aliquod componentes: illæ enim man-

Tres uniones in JEsu Christo, quas admiratus Bernardus.

manserunt semper distinctissimæ, quælibet in proprio suo esse. Sed Verbum divinum imitandô Patrem suum, diffundentem in se totam suam divinitatem, diffundere etiam voluit omnes pretiosas has divitias in sanctissimam Humanitatem, modô tam admirabili, ut omnem nostram transcendant cognitionem: Et hoc fuit divinum quoddam balsamum, illam penetrans, illam consecrans, & ratione quâdam divinam reddens: aliam consecrationem non habuit, ut esset Sacerdos magnus, & summus Pontifex Religionis suæ, nisi quòd unctus fuerit propriâ suâ divinitate. *Christus unctus Divinitate.*

In quo consistat unio hypostatica.

Sed tertia unio, magis stupenda, magisque incomprehensibilis, est illa, quæ unit naturam humanam cum Persona divina; sed dico naturam humanam cum Persona divina; & hoc propriè est, quod nuncupatur unio hypostatica. Dicere, in quo consistat, non est quasi ulla explanatio, quæ rem benè possit declarare. Novi quidem, dicere Theologos: quòd sit *Modus substantialis, indistinctus realiter ab Humanitate.* Sed hæc verba ænigmata sunt, quæ magna cum difficultate explicantur in scholis, quorum in mundo nulla prorsùs fit mentio.

Ut verum fatear, ego non capio. Certum est, hanc unionem non esse naturam humanam, nec etiam personam divinam, cum sit, quæ illas simul uniat. Certum quoque est, illam non esse quid distinctum ab utraque, quòd sit inter ipsas, simul uniendô, sicut foret inter duo corpora gluten; aliàs unitæ non essent unione, quæ esse possit, perfectissimâ, eò quòd haberent aliquod medium. Certum insuper est, quòd, si natura humana Salvatoris relicta fuisset in dispositione sua naturali, hypostasis, seu persona ipsius emanasset naturaliter ex propria ipsius substantia, quin opus fuisset unione aliquâ ad uniendam naturam cum Persona, sicut opus non est vinculô ad uniendum rivum cum suo fonte. Sed cum persona divina, quæ supplet absentiam personæ humanæ in sanctissima Humanitate, naturaliter non emanet è natura humana, cúmque velut infinitâ ratione transcendens illam, nullam cum ipsa habet proportionem; opus est re quâdam admodùm potenti, ad uniendum illas simul tam perfectè, ut persona divina vere sit persona naturæ humanæ; aliàs dici non posset, hominem esse personaliter Deum.

Hoc facillitat ut aliquo modo concipi possit unio hypostatica.

Est igitur revera aliquid, quòd ipsas uniat; sed esse hoc debet aliquid summè admirandum: siquidem inprimis opus fuerat omni robore ac virtute brachii omnipo-

nipotentis DEI, sicut id beatissima Virgo in suo declarat Cantico: *Fecit potentiam in brachio suo*; quæ licet infinita sit, taliter tamen exhausta fuit in hac actione, ut impossibile sit operari ipsam quid majus vel perfectius. Multò ergò plus est & majus, quàm si produxisset centies millenos milliones mundorum: nam post omnia hæc opera tam speciosa ipsa nunquam ita fuisset exhausta, quin semper adhuc fabricari potuisset majorem illorum numerum, illósque adhuc speciosos: sed postquam produxit unionem Hypostaticam, redacta est ad incitas & ita exhausta, ut amplius quid facere non posset. Judica, quàm stupendum debeat esse hoc opus.

Ipsa exhaurit omnipotentiam DEI.

Secundò, non est magis verum, quòd Deus Pater exhauriat omnes divitias divinæ suæ essentiæ, communicando illas Filio suo unigenito, quem produxit æquè magnum ac se, quàm verum est, quòd idem Filius, omnes suas, quas à Patre suo accepit, exhauriat divitias, per unionem Hypostaticam sanctissimæ Humanitati communicando illas, sicque faciendo, ut Homo sit, Deus sicut ipse. Et magis admirationem ciet, quod dicit sanctus Augustinus: *Homo potius in Filio, quàm Filius in Patre*; quòd nempe per hoc medium ratione quâdam magis sit homo in Filio Dei, quàm Filius Dei in Patre suo. Siquidem licet Pater & Filius in divinitate sint duæ personæ unitissimæ, non constituunt tamen unam eandémque personam; sed hic homo & Filius Dei non sunt nisi una eadémque persona. Conclude ex hoc, quam arcta & intima debeat esse hæc unio, cùm pertingat usque ad unitatem personæ; magnísque verum non sit, quòd tres divinæ Personæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus, perfectam habeant unitatem essentiæ, quàm verum est, quòd anima, corpus & divinitas, perfectam habeant unitatem Personæ in Christo JEsu. O prodigium incomprehensibile!

S. Aug. lib. 1. de Trin. c. 10.

Homo est plus in Filio Dei, quàm Filius Dei sit in Patre suo.

Admiror hæc, interpellat ipsum Medicus, sed longè abest, ut comprehendam, cùm mihi, in quo consistat hæc unio, non exponas. Quid vis? inquit alter: an tibi dicam, quòd est ineffabile: Siquidem nil video, nisi Personam divinam & Humanitatem sanctam perfectissimè & immediatè unitas absque aliquo medio ipsas conjungente. Vidi Florentiæ in porticu magni Ducis clavum, cujus medietas erat ex auro, altera è ferro. Qua ratione hæc duo metalla, quæ non coëunt in unum, ita perfectè uniri possunt, ut nonnisi unum efficiant corpus? Certum est, illa nulla ferruminatione ita coäluisse & invicem unitas esse;

Similitudo concipere faciens unionem Hypostaticam.

sed est stupendus effectus Alchymiæ, quæ immutans unam partem hujus ferri in aurum, effecit, ut una eadémque res aurum esset & ferrum, quin opus sit, duas naturas tam diversas habere aliquod vinculum, quo invicem uniantur.

Sed ecce tibi aliud quoddam miraculum Alchymiæ cœlestis, & affectum magis stupendum amoris infiniti, quo Deus prosequitur hominem: hoc enim non est in morem hujus clavi, qui non est nisi ex parte aurum & ex parte ferrum. Sed hic totus Deus est homo, & totus homo est Deus; & duæ hæ naturæ infinita ratione à se invicem diversæ tam perfectè uniuntur in persona, ut nihil sit inter illas distinctum ab utraque, quò simul uniat ipsas.

Totum hoc, quod dici potest de unione hac tam arcta, ac intima, est, quòd natura humana, cùm unita sit personæ divinæ, quæ supplet & tenet locum propriæ ipsius personæ humanæ, quam non habet, sustentetur, terminetur, perficiatur, *modo quodam* infinitâ ratione nobiliori, quàm fuisset in statu suo naturali, & sustentata & terminata; & quando sermo fit de unione Hypostatica, aliud, quàm *hic modus* non concipitur. Sed omnia, quæ de ea tum dici, tum concipi possunt, nihil sunt respectu ipsius Excellentiæ.

Nihilominus haud difficulter capimus, quòd mysterium Incarnationis nihil mutationis ponat in Deo, sed solùm in homine, quódque Deus omniptens, æternus, immortalis, immensus, factus sit homo infirmus, temporalis, passibilis & mortalis, absque eo quod mutatus sit. Siquidem cùm verum sit, quòd unio Hypostatica, quæ est nodus ineffabilis hujus mysterii, aliud non sit, quàm modus novus & omninò ineffabilis, quo humana natura subsistat, & terminetur per propriam personam Verbi divini; certum est, quòd hic modus non respiciat aut tangat nisi solam Humanitatem, & nullatenus Divinitatem. Probè video maximam mutationem in homine, quia est ipsa alia quædam persona, quàm fuerit sine mysterio Incarnationis; sed nullam video mutationem in Deo, quia ipse non est alia ratione, quàm fuerat, nec in natura, nec in persona divina. Ecce omnia, quæ tibi dicere possum de prodigiis unionis Hypostaticæ; sed fateor, hoc non tam esse explorare illa, quàm confiteri, illa inexplicabilia esse linguis humanis.

Unio Hypostatica nullam mutationem ponit in Deo.

Vellem modò ad concludendum cum fructu nostram Consultationem, ut institueremus ambo seriam considerationem circa gloriam & prærogativas, quibus locupletamur ex unione hac

Maximus honor in nos dimanat ex unione Hypostatica.

hac tam admirabili naturæ nostræ humanæ cum persona divina. Si magnus quidam Monarcha nuberet pauperi puellæ rusticæ, cogita, quantus hic honor foret, quanta gloria pro tota ipsius familia, præcipuè pro fratribus & sororibus ipsius. Nonne experirentur corda sua prorsus impleta excellentia quadam & magnitudine regia, quæ quantocyus induceret ipsi oblivionem miseriarum prioris suæ conditionis? An exercere adhuc vellent occupationes suas agrestes colendo terram, agendo jumenta, aut perficiendo alia opera mechanica? Et si tam abjecti forent animi, nonne redundaret in probrum Regis, qui ipsos propinquitatis suæ condecoraverat honore?

Arcta nostra propinquitas cum Deo per unionem Hypostaticam.

Verùm quid est hoc respectu admirandæ propinquitatis, quam contrahimus cum Majestate infinita Dei, postquam desponsavit is sibi sanctam Humanitatem, quæ propria nostra est soror? Nam omnes filii Adæ non constituunt nisi magnam quandam familiam, omnes nascuntur ex eodem Patre, omnes sunt fratres & sorores sanctissimæ Humanitatis, quam supremus Monarcharum Monarcha desponsare sibi voluit in mysterio Incarnationis, ut non esset amplius, nisi una eadémque Persona cum ipsa: Erunt duo in carne una; hinc est quod nos suos dignetur compellare fratres, dum omnes Angeli & Seraphinorum sublimissimi non sunt, nisi ipsius famuli. O quàm ignavi, quàm vecordes sumus! Si potiundo tam ingenti honore, ut ferè fratres & sorores simus supremi in cœlo Numinis, nostras dejicimus animas, deprimimus corda ad viles ac turpes bestiarum inclinationes. Nonne suffundi deberemus pudore, dum nobiliores, quàm ipsi Angeli, non alimus animo affectus, mente fovemus desideria, ad promovendum magis quàm ipsi, JEsu Christi gloriam, ipsúmque ardentius, ipsis Seraphinis in cœlo, diligendum cum honore potiamur, quod arctiori & propinquiori nectamur illi necessitudine, isque non dedignetur nos non tantùm compellare, sed etiam agnoscere ceu fratres suos.

O si sciremus, quàm sincero amore prosequatur JEsus pauperculos fratres suos! Siquidem exaratos illos gerit in corde suo; ipse egenus factus est, ut ipsi divites essent; ipsorum eo nomine duntaxat prensavit conjunctionem, ut famularetur illis, ut exaltaret illos, ut consecraret ac devoret illis omnes labores suos, omnes pœnas suas: Et tandem eoúsque amat ipsos, ut mens illi sit moriendi pro illis, ut in æternum cohæredes habere ipsos pos-

sit in regno Patris sui. An omnia hæc nôsse possumus firmiter, & non magis æstimare, quàm si fabulæ forent. O mi JEsu! Adauge fidem meam, insculpe fortiter magnas hasce veritates intimo cordis mei, ut tales indè traham affectus, quales habere me oportet.

Consultatio V.

Quare Filius potiùs incarnatus sit, quàm Pater vel Spiritus sanctus, & an venisset in mundum, si Adam non peccâsset.

SI præcedens Consultatio sanare potuit Medicum in fide infirmum, hæc consolari poterit animas sanctè curiosas, edocendô illas consilia infinitæ bonitatis DEI ergà nos miseros vermiculos terræ, quando eo nomine descendere voluit è cœlo in terram.

Transivimus per parvam quandam civitatem, ubi invenimus incolas tam magnam habere devotionem ergà infantem JEsum, ut non solùm celebrarent Festum vigesimo quinto die cujuslibet mensis, in memoriam sanctissimæ ipsius Nativitatis; sed magnis accedentibus Festis solemne illis esset speciale quoddam exantlare devotionis opus, ut tantò magis veritates Religionis inprimeret animo, seque tantò efficacius exstimularent ad pietatem. Disposuerant igitur illo die repræsentandum in cœna spectaculum nonnisi quatuor personis instructum: Prima repræsentabat Christum JEsum, secunda stultam sapientiam mundi, tertia Synagogam Judæorum, quarta naturam humanam totam desolatam & perturbatam ob peccatum Adæ.

Exhibitio in Theatro ingeniosa.

Hæc lamentabiliter ingemiscebat in miseria sua, & cupiebat liberari ab illa. Synagoga promittebat ipsi exhibendum à venturo Messia succursum. JEsus Christus dicebat: Ego promissus sum Messias, qui venio ad salvandum omnes: Et fallax mundi sapientia, quasi obstringere ipsum volens ad monstrandum sibi diploma missionis suæ, interrogat ipsum: Quis es tu? Eccur venis potius in hunc mundum, quàm Pater tuus cœlestis, aut Spiritus sanctus? Cur Filium potius, quàm aliam personam divinam potuit incarnari? quod actitabatur in ipsorum scena, non solùm afferebat mentibus nostris jucundam valde & salubrem cognitionem, sed excitabat

tabat etiam in cordibus noſtris admodùm bonos ergà Deum affectus. Et fortaſſis hauries eundem ex eo fructum, ſi auribus hauſeris ea, quæ dicam tibi.

ARGUMENTUM.

Quam ob cauſam ſolus Filius DEI incarnatus ſit & non aliæ Perſonæ.

Articulus I.

NOn ceſſavi ardentibus expetere ſuſpiriis à meis liberari miſeriis ex eo, quo expertus ſum ullas, inquiebat natura humana à morte per peccatum vulnerata. Noveram probè, me, ut liberarer ab innumeris, quibus obruta eram, malis ac miſeriis, potentiſſimo indigere ſuccurſu; ſed neſciveram ex me ipſa, unde exſpectandus is mihi foret, nec perſuadere mihi poteram, aut ullam de hoc formare cogitationem, quòd DEus ipſe in perſona eſſet venturus ad me liberandum.

Naturam humanam ſuſpirantem ſolatur Synagoga.

Fateor, reponebat Synagoga, remedium infirmitatis tuæ magnitudini neceſſarium, tuam longè ſuperare cognitionem; ſed promiſi illud tibi, ita certificata per omnium Prophetarum loquentium ad me in nomine ipſius Dei. Adam, qui primus peccator fuerat, primus erat teſtis & depoſitarius promiſſionis factæ de Salvatore naſcituro ex muliere, quis ſuis ipſam tranſcripſit filiis velut conſolationem unicam ipſis relictam, quos aliàs omnium ſuarum hæredes reliquit miſeriarum; & Jacob poſteritatis ipſius non minimum decus, dum ceſſit fatis, hæc effatus eſt: *Salutare tuum exſpectabo Domine*; exſpecto, ô mi Deus, illum quem promiſiſti Salvatorem. Tota lex & Prophetæ hàc abundant promiſſione.

Gen. 49. v. 18.

Eſt equidem verum, me clarè haud ſcire, an eſſe id debeat prius DEI Filius? Siquidem nonniſi obſcuram valdè trium Perſonarum adorandæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti habeo cognitionem; haud gnara, quare una potiùs venerit in terram ad afferendam nobis ſalutem, quàm altera; nec quare omnes tres venerint illuc. Credo quidem omnes has magnas veritates involutas latere in Prophetiis, quæ Meſſiam promiſerunt nobis; ſed quis explanabit illas & manifeſtè conſpiciendas nobis exhibebit, niſi ipſemet JEſus Chriſtus?

Synagoga neſciebat perſonam divinam fore incarnandam.

Loqui hic exorſus eſt Chriſtus JEſus, & pulcherrima de myſterio Incarnationis ſuæ ipſis revelare arcana, dicendô illis: Ve-

rum est, omnes tres Personas Trinitatis, quibus æqualis est erga peccatores misericordia, potuisse incarnari simul, ita ut uniendô se omnes personaliter uni soli homini, is solus fuisset tres Personæ, licet apparuisset nonnisi solus & unicus homo; vel uniendô se quævis suo homini particulari, & tunc tres hi homines non fuissent nisi solus & unicus Deus. Verum est etiam, quòd Deus Pater potuisset quidem incarnari ipse solus, sed ipse non poterat mitti, cùm non procedat ab alia persona potestatem originis in ipsum habente, adeóque nec potentiam ipsum mittendi. Spiritus sanctus poterat quidem etiam ipse incarnari solus, & propterea quoque mitti, eò quòd procedat à duabus divinis Personis, potestatem originis habentibus in ipsum, adeóque etiam ipsum mittendi; sed ipse potestatem non habebat aliam Personam divinam mittendi in animas, ad deportandum in eas fructum missionis suæ, cùm nullam illarum ipse producat.

Omnes tres divinæ personæ potuissent incarnari, sed omnes mitti non poterant.

Specialiter ergò congruebat soli Personæ Filii incarnari ad salvandos homines, eò quòd ipse solus habeat Personam divinam, quæ ipsum mittat, & aliam Personam divinam, quam possit mittere. Ipse procedit à Patre, à quo potest mitti, & producit Spiritum sanctum, quem ipse potest mittere: Divinus ipsius Pater mittit ipsum ad liberandum homines à morte peccati, & ipse mittit Spiritum sanctum, ad vivificandum illos vitâ gratiæ. Insuper is solus est filius naturalis & consubstantialis Patri; congruit ergò melius ipsi, quàm alteri venire in terram ad acquirendum ipsi ingentem numerum filiorum adoptivorum. Et denique officium ipsius velut Redemptoris in eo consistit præcipuè, ut sit mediator pacis & reconciliationis Deum inter & hominem; & cui melius conveniat esse mediatorem, quàm illi, qui medium tenet Patrem inter & Spiritum sanctum?

Quare specialiter congruebat secundæ Personæ divinæ incarnari.

Omnia hæc non satisfaciebant stultæ mundi sapientiæ, cui placere non poterant hæ rationes, utpotè nimiùm spirituales pro ruditate ipsius; volebat aliquid magis palpabile & sensibus expositum. O quàm longè abest, dicebat ipsa, ut hisce persuadear, flectar, convincar! amo veritates, quæ manifestæ sunt & plausu dignæ; omnia, quæ adversantur rationi, invitant me, & offendunt. An quidquam minùs sit congruum rationi, quàm dicere, quòd Filius Dei factus sit homo ex amore hominum peccatorum? velut qui diceret, fecisse se Regem reum capitis, ut capitis reum suum salvaret mancipium.

Contradictiones, quas stulta mundi sapientia invenit in mysterio Incarnationis.

cipium. Ubi est ratio? Videre erat quendam hominem, quem quem appellabant Christum JEsum, cæteris hominibus in nullo dissimilem, & persuadear, hunc hominem esse unigenitum Filium Dei! video contradictiones omninò manifestas; dicitur namque nobis, Filium Dei esse infinitam sapientiam Dei Patris sui; & in omnibus his, quæ fecit Christus JEsus, nonnisi visæ sunt stoliditates & stultitiæ: ipse pauper erat & despectus, & tandem infami defunctus fato affixus cruci: quæ major fatuitas? & dicatur ipsum esse infinitam sapientiam Dei! ulteriùs asseritur nobis, Filium Dei esse splendorem gloriæ Dei Patris sui: splendor gloriæ ejus: Et conspectus est Christus JEsus non solùm absque ullo splendore, sed totus deformatus velut leprosus, aspicientibus incutiens horrorem: ubi est dicendi ratio, ipsum fuisse imaginem pulchritudinis Dei?

Tandem dicitur nobis, Filium Dei esse virtutem omnipotentem Dei Patris sui: *Christum Dei virtutem;* & in Christo JEsu videre erat nonnisi infirmitates ac debilitates toto vitæ suæ tempore. Omnia hæc experimenta, quæ fallere nos haud possunt, utpote palpabilia, & toti mundo perspecta, irrefragabilem deducunt consequentiam, ipsum esse non posse verum Filium Dei, qui incarnatus sit ad salvandos homines.

1. Cor. 1. v. 24.

Synagoga Judæorum inaudiens hæc, lætabatur in corde suo, jam victoriam cantatura ante triumphum de Christo JEsu, adversùs quem hodiedùm incredibili exardescit furore. Verum JEsus Christus mirum in modum confudit tum stolidam sapientiam mundi, tum protervam Synagogæ incrudelitatem, tam evidentibus demonstrationibus ac luculentis experimentis reverà secundam Personam Trinitatis esse incarnatam, convenientiúsque hanc potiùs quàm aliam; tum quia ipse est virtus omnipotentis brachii illius; & multis aliis tam speciosis, tamque validis rationibus, ut iis perceptis, nullus amplius manserit nec minimæ dubitationi locus.

Synagoga Judæorum concordat cum stolida sapientia mundi.

ARGUMENTUM.

Filius DEI potius est incarnatus, quàm alia Persona divina, quia ipse est infinita Sapientia DEI Patris sui.

Articulus II

AD me primitus converto, Synagoga Judæorum. An recordaris, demonstrâsse tibi Deum amorem suum, tantâ cum boni-

bonitate per ora Vatum tuorum? *Dilexi vos, dicit Dominus:* Et Patres tuos proterve hanc negâsse veritatem: *Et dixisti: in quo dilexisti nos?* Itane? tam audacter, tam temerè me interrogas, in quo dicere possim, in quo dilexerim te? Malach. I.

Pulchræ rationes, quas sapientia DEI affert ad convincendum nos, quòd nos amet.

An nihil ergò est, quòd ædificaverim tibi magnum hoc universum, velut palatium tam magnificum, tam speciosa suppellectile instructum, tam diversis pulchritudinibus locupletatum, tot creaturis, quas omnes tuo consecravi servitio refertum; & postquam exstruxi tibi domum tuam, absque eo, quòd vel minimâ circa illam tangereris curâ; postquam extraxi te è fundo nihili, ubi nihil eras, ut nobilissimam ex te effingerem creaturam, absolutum te constituens dominum super omnia opera manuum mearum? & tu interrogas, in quo te amaverim.

An ergò nihil est, quòd magis specialem tui susceperim curam, quàm suscipere possit parentum optimus pignorum suorum, distribuens officia omnibus creaturis, illásque tuis devovens obsequiis; & has quidem tuis necessitatibus, aliàs tuis commoditatibus, illas tuis oblectationibus ac deliciis; abs eo, quod paterna mea providentia tibi defuerit in unico, & quin vel minimo te steterit, nisi quòd recipias ea, quæ tibi præparo, servitia? & tu interrogas, in quo dilexerim te?

An ergò nihil est, quòd elegerim vos, vos Judæos, inter omnes mundi populos, velut amantissima mater portionem hæreditatis meæ, portans vos semper in sinu meo, velut filios meos perdilectos, & velut præcipuam supernaturalis meæ providentiæ curam? Dedi vobis legem meam, Prophetas meos, Religionem meam, implevi universum prodigiis omnipotentis brachii mei in favorem vestrum; tot ac tantis accumulavi vos beneficiis, ut admirationis & invidiæ fueritis scopus cunctis nationibus terræ. Et post hæc omnia adhuc interrogare audetis: In quo dilexisti nos?

Ingens amoris Dei erga nos argumentum, quòd nobis suum dederit Filium.

Jam cùm non sufficiat, quòd contulerim tibi omnia bona mea, ad efficaciter convincendum cor tuum, quòd amem te, ultimum statuam tibi ob oculos amoris mei argumentum, quo inspecto dubitare ampliùs non poteris. Non nisi unicum in sinu meo alo ac foveo filium, qui est alter ego, qui est lux mea, qui est æterna sapientia mea, in qua omnem video rationem obstringentem me, ut infinitâ ratione amem meipsum; hoc est, quòd aspiciendô ipsum necessitetur cor meum ad producendum amorem infinitum: eun-

eundem alterum me, eandem meam sapientiam, eandem meam lucem, unigenitum Filium meum dono tibi, ideóque volo, ut ipse incarnetur potiùs, quàm alia Persona divina, sitque ipse tam verè homo, quàm verè est DEus, ut homo eandem habeat rationem, eandem sapientiam infinitam, aspectu cujus Pater necessariò producat amorem quendam erga te infinitum. Et post hæc audeas interrogare, in quo dilexerim te?

Quando per impossibile dare debuissem alteri Deo mihi æquali luculentum quoddam argumentum amoris mei ergà ipsum infiniti, & motivum, quo obstringere potuissem ipsum ad reciprocè amandum me amore infinito, alterum efficacius ipsi dare non potuissem, quàm dederim tibi. Ubi est igitur stoliditas cordis humani, quod infinita hæc non expugnabit aut expugnare possit sapientia? Et quis erit ingratus, qui interrogare adhuc audeat, in quo dilexisti nos?

Fateor, dicebat desuper stolida mundi sapientia? stupendum sanè hoc fuerat consilium Dei, misisse nobis propriam suam infinitam sapientiam, ad convincendum nos, nobisque persuadendum, ut amemus ipsum. Sed quis credet JEsum Christum, hanc fuisse sapientiam, quando nonnisi continua stoliditatum series in tota ipsius conspicitur vita? Vixisse pauperem & in contemptu hominum, tantas tolerâsse & devorâsse miserias, & tandem sævâ ac probrosâ morte suam concludisse vitam; quid in omnibus his vides nisi fatuitatem?

Nonnisi infinita sapientia DEI efficere potuit, ut amarent homines stultam sapientiam Crucis.

Sed ex adverso, reponit Christus, speciosissimus hic triumphus est infinitæ sapientiæ Dei. Siquidem quæ alia, quàm ipsa sola persuadere potuisset hominibus, sapienter esse factum anteferre paupertatem omnibus divitiis mundi, & contemptum pro Deo toleratum præponere cunctis sæculi vanis honoribus; & tandem dolores sævissimos ac ignominiosissimam mortem pro Dei honore perpessam pluris æstimare, quàm vitam deliciis repletam, omnésque sensuum voluptates? Et quomodò infinita sapientia Dei poterat hoc melius nobis persuadere, qnàm seipsam exponendo oculis nostris in conditione & carne nostra mortali, ad ostendendum id nobis in proprio suo exemplo, in proprio suo facto?

Sanè si nemini id persuasisset, dubitari posset de consilio & virtute divinæ hujus sapientiæ. Sed postquam videre fuit multitudinem innumerabilem virorum sapientissimorum, hac in re ita persuasorum, ut inhærentes infinitæ hujus sapientiæ exemplo

omnes mundi contempserint facultates, voluntariè altissimam professi & amplexi paupertatem; insuper velut spectra fugerint honores, nonnisi cum honore aspiciendo illos; econtra summo sibi honori vertentes sese videndo contemptos. Jacobonus vir nobilitate & doctrinâ insignis illectus & allectus decore stultæ sapientiæ crucis, non intermissas deditâ operâ committebat fatuitates & stultitias, ut ita sese redderet despicabilem coram mundo: unde rogatus aliquando à Christo sibi apparente amicè & familiariter, cur hanc stultitiam ita adamaret, respondit pio lepôre, ut solebat: Quia stultior me fuisti, Domine.

Cornel. à lap. in Epist. 1. ad Cor. c. 1. v. 25.

Tot alii ita amore crucis capti & rapti erant, ut semel ipsos exposuerint omnibus tormentis cum terrore tyrannorum, mortémque exceperint majori cum gaudio è manibus carnificum, quàm si regni alicujus accepissent diadema splendidissimum. Et omnes sapientes mundi aspexerunt id cum admiratione, & conservatur ipsorum memoria, & resonant ipsorum præconiâ in cuncta sæcula, summa cum veneratione ac reverentia.

Aspicis id hodiedùm adhuc, stulta mundi sapientia, quid dicis ad hæc? Quando junxerissimul omnem sapientiam Philosophorum, omnem facundiam Oratorum, & omnia dogmata Politicorum, an efficere potuissent talem ac tantam commotionem in mentibus hominum, quæ tam manifestè confundit omnes rationes humanas, támque fortiter evertit potentissimas naturæ inclinationes? An argumentis opus sit magis luculentis & constringentibus ad persuadendum tibi, illum, qui hæc omnia fecit, necessariò esse debere infinitam sapientiam Dei? Verùm si id persuasum habes, nonnè cernis maximam esse stultitiam, non amplecti ipsius consilia, non imitari ipsius exempla?

Aspice incredula Judæorum Synagoga, veritates, quæ eruunt tibi oculos, & considera, an animi sensa, facta & opera eorum, qui adorant Christum JEsum, qui ipsum confitentur, qui gustant ipsius Spiritum, quique contendunt ambulare per viam, quam monstravit nobis, non sint prodigia, quæ longè omnes naturæ transcendant vires? Tu cernis luculentos effectus infinitæ sapientiæ Dei, qui factus est homo, ut doceret sapientiam homines; & tu nondum cedis, nondum convinceris?

Synagoga & stolida mundi sapientia confunduntur à stulta sapientia Christi JEsu.

Intuere, & confundere fallax mundi sapientia; attende, an non illi, qui proximiùs accedunt ad imitationem JEsu Christi, sapientissimorum accensentur albo in universo mundo. Nonne hi

hi sunt illi, quos nuncupamus sanctos? & nonne tu illis ipsemet præstas homagia ordinis omninò altioris, quàm omnia sint ea, quæ reddis & exhibes Regibus terræ? Quis non præferret unicum sanctum omni multitudini profanorum & peccatorum, qui sunt in mundo; eò quòd constet, unum illum esse sapientem, & cæteros omnes esse stultos. Et quid ex hoc deducere potes, nisi quòd JEsus Christus, qui deducit illos per hanc viam sapientiæ, sapientia sit infinita? Si non alia nisi hæc unica foret ratio, nonne sufficienter probaret, congruum fuisse, ut secunda Persona adorandæ Trinitatis incarnaretur potiùs, quàm aliæ Personæ divinæ, cùm ipsa sit infinita sapientia Dei Patris sui? sed hæc ratio sola non est. Ecce ergò tibi aliam!

ARGUMENTUM.

Filius Dei potiùs incarnatus est, quàm Pater aut Spiritus sanctus, eò quòd ipse sit Imago pulchritudinis Dei.

Articulus III.

MAximô accendebantur homines desideriô aspiciendi Deum, quem adorant; sperarabant videre illum in æternitate, sed constituti adhuc in tempore intueri eum non poterant ante mysterium Incarnationis. Hinc affligebatur inconsolabiliter sanctus Rex David, quando cernebat idololatras fabricantes sibi Deos visibiles, seque interrogantes: Ubi est Deus tuus quem adoras? nos monstrare tibi possumus Deos nostros. Ecce illos tibi visibiles in fanis nostris! sed ostende nobis, ubi est Deus tuus?

Solatium hominum est, habere Deum visibilem.

Ad consolandum igitur homines necesse erat, ut verus Deus suum illis mitteret Filium unigenitum, qui est perfecta ipsius imago, isque incarnaretur, & Deus fieret visibilis omnium oculis hominum. Interrogate me nudo idololatræ: Ubi est Deus, quem adoras? Dicam vobis: Ecce eum; intueor ipsum oculîs meîs corporalibûs, tangere ipsum possum meîs manibûs. Verùm non longo tempore commoratus est ipse in terram; jam dudum reversus est è terra in cœlum. Nullâ refert; noluit relinquere homines absque consolatione, exhibendô ipsis semper præsentiam suam invisibilem in augustissimo Sacramento, quòd nunquam non asservatur in templis nostris. Ibi est Deus meus, quem adoro.

Synagoga cœca Judæorum, capta es oculîs, ut ipsum aspicias; tu temetipsam privas visione

Dei, quod maximum damnatorum est supplicium. Nec tu, stolida mundi sapientia, oculos fidei apertos habes, ut consideres ipsum: quòd si faceres, videres in Verbo incarnato perfectam imaginem infinitæ pulchritudinis Dei: *Christus splendor Patris.* Hæc est pulchritudo, quæ intellectum DEI Patris perpetuâ suspensione attonitum & defixum tenet, ita illecebris hujus pulchritudinis abreptum, ut ne unico quidem momento ab ejus aspectu diverti possit, nec aliâ perfundi voluptate, quàm illâ, quæ ex illius aspectu dimanat in ipsum. Hæc est pulchritudo, quæ producit amorem infinitum in corde ipsius, cùm impossibile sit illam videre, & non amare in tantum, quantum amare potest. Hæc est pulchritudo, quæ rapit animam omnium Beatorum raptu perpetuo, vi cujus tam firmiter adhæreant ipsi, ut impossibile illis sit, vel fastidiô ipsius affici, vel etiam eâdem saturari, ita, ut nunquam non insatiabile experiantur, & sentiant desiderium ipsam aspiciendi.

Deus Pater misit nobis imaginem pulchritudinis suæ ad lucrandum omnium corda hominum,

Deus igitur volens lucari, & rapere corda hominum, nihil magis invenit huic effectui comparando idoneum, quàm mittere illis illecebrosam hanc pulchritudinis suæ imaginem; eóque voluit nomine suum potiùs incarnari Filium, quàm aliam Personam divinam, ut idem oculis ipsorum exponeret objectum, quod ipsummet cor suum replebat voluptate, gaudio, amore. Et ne dubitaremus de animo Dei Patris sui illum mittentis, ipsemet declaravit nobis, se ideò venisse, ut ignem mitteret in terras, & aliud non desiderare, nisi omnium corda hominum flammis divini amoris videre succensa: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Luc. 12.

Verum est, Deum Patrem, qui mittit nobis Filium suum unigenitum, perfectam hanc infinitæ pulchritudinis suæ imaginem, nostris ipsam exponere oculis totam absconditam sub velo Humanitatis suæ. Sed sicut videmus, non posse solem ita abscondi aliquâ nube, quin semper magnum diffundat splendorem, quo rapiat oculos, & omnium lucretur benevolentiam creaturarum: sic etiam videre licuit, infinitæ hujus pulchritudinis Verbi incarnati splendores, perrumpendô sanctissima Humanitatis, quâ involvebatur, nubem, evibrâsse ubivis gentium certos tantarum illecebrarum radios, ut corda innumera traherent & raperent post ipsum. Nunquam excepta est auribus tantæ fama pulchritudinis, quæ lucrare & rapere potuit omnia corda alicujus civitatis, multò minus alicujus

Pulchritudo imaginis Patris quamvis abscondita Humanitate, totum tamen rapuit mundum,

Pro-

Provinciæ, & longè minùs adhuc alicujus regni: sola & unica pulchritudo Christi JEsu ita vincire & vincere potuit corda, ut currere post se faceret universum mundum. Ecce mundus totus post eum abiit!

Joan. 12.

In quo consistat pulchritudo Verbi incarnati.

Nihilominùs si quæratur oculis corporis, in quo consistat hæc pulchritudo: an ipsius aspectu? Sed hic totus est deformatus, cùm nulla sit ampliùs species ei: an in thesauris ipsius & abundantiâ divitiarum? sed non video penes ipsum, nisi paupertatem: an in splendore Majestatis diademate radientis, & in regio ac magnifico comitatu? sed non aspicio nisi hominem despectum & duodenos pauperes piscatores ejus stipantes latus: an in floribus lenocinantis facundiæ, quâ fortiter & suaviter expugnavit mentes omnium? sed non intueor nisi Evangelium simplex, & floribûs & fucô carens, nudam tantummodò explanans veritatem, & veritatem sensibus omninò inamœnam. Tandem ubivis locorum, quò meos ejaculari licet oculos, hanc inquiro pulchritudinem, & nullibi invenio ipsam.

Quid deceperit Judæos?

Et ecce id, quod decepit me, ingemiscens inquiebat Synagoga Judæorum. Siquidem cùm promissa acceperim de Messia, qui esse debuerat Monarcha potens, credebam compariturum ipsum in majestate regia, sedentem supra solium David Patris sui, inexhaustos in manibus suis habiturum thesauros, formidabilem se redditurum universo mundo, regnaturum solum velut Regem Regum, super omnes mundi nationes, & denique locupletaturum populum suum dilectum omni felicitate, elargiendô ipsi abundantiam honorum, voluptatum, divitiarum, eò quòd omnia hæc legerim in Prophetis, & in sensu materiali acceperim ea. Cùm ergò nihil ejusmodi viderim in ipso, qui venerat, sed totum potiùs contrarium, paupertatem, contemptum, miserias, nullámque prorsus alicujus excellentiæ splendotem, asserui audacter: Hic Messias non est, quem exspectamus.

A quibus inimicis nos JEsus Christus liberavit.

Nonne cernis, obcœcata, respondit Christus JEsus, quòd, si venisset ita, pro eo, quòd remedium tuis afferret malis, adauxisset illa, & destruxisset omnia: Siquidem approbâsset, & suâ firmâsset auctoritate avaritiam, ambitionem, voluptatem, lethales animæ tuæ inimicos, durissimâ constringentes ipsam captivitate: is venit, non daturus ipsis in te jus ac imperium, sed potiùs liberaturus te ab ipsorum tyrannide: oportuit ergò, ut oppugnaret avaritiam paupertate, ambitionem humilitate, voluptatem dolore, sicque liberan-

do populum suum à crudeli vitiorum veluti verissimorum inimicorum ipsius dominio, dominari ipsum faceret in abundantia pacis & beata libertate filiorum DEI.

Adhæc, quem fructum hausisset mundus ex adventu Messiæ, si venisset daturus suis abundantiam voluptatum, honorum, divitiarum, nisi quòd didicissent ab ipso ardenter amare hæc omnia, & non adorandam suam Personam? Et quomodo fuisset ipsorum liberator, si fortius constrinxisset ipsos sub tyrannide vitiorum? Quomodò fuisset Salvator hominum, si potiùs damnâsset ipsos? Hic sapientia mundi interpellans interrogavit.

Mirum prodigium, quòd Christus lucretur mundum per id, quo debebat ab ipso averti.

Sed quomodò etiam lucrari potuit corda, nihil demonstrans ipsis, quo potuissent allici, sed potiùs ex adverso, quo poterant absterreri & in fugam verti? Hoc ipsum, respondit Christus JEsus, majorem ciet admirationem, magisque resplendere facit divinitatem ipsius: Nam quæ alia, quàm pulchritudo infinita perrumpere potuisset tegumenta ac involucra formæ & speciei prorsus contemptæ, sub quibus latebat abscondita, ad diffundendum ubivis splendores suos ratione omninò incomprehensibili eousque se extendente, ut decorem quoque conferret ipsis deformitatibus à quibus summè ipsa abhorrebat natura? Evulgâsse suas ignominias ac passionis opprobria per universum orbem, ac probâsse per hoc, quod sit Deus; non promisisse volentibus se sequi, nisi persecutiones, exilia, contemptus, omnis generis oppressiones, miserias, mortem ipsam, & hoc facundiæ genere, totum obtinuisse, sibíque comparasse mundum; potuisse in his omnibus ostendere hominibus pulchritudinem, quâ suaviter allicerentur; quis efficere hoc potuit? Quis diffitebitur, id efficere non potuisse, quàm infinitam pulchritudinem imaginis Dei absconditam sub involucro Humanitatis? O pulchritudinem sapientibus mundi incognitam, sed maximè perspectam & acceptam sapientibus cœli! Beati oculi, qui vident te!

Anima cognoscens Christum JEsum nil potest æstimare nec amare quàm ipsum.

Quando anima, vel parùm cognoscit JEsum Christum, pulchritudines intuetur in quocunque ipsius statu, paupere abjecto contempto, quibus mirè allicitur, absque eo, quòd dicere possit, in quo consistat hæc pulchritudo? sed ipsius experitur effectum, quo capitur & rapitur cor suum. Ipsa maximi facit cuncta ipsius dogmata, veritates ab ipso edoctas, exempla ab ipso nobis relicta, in quibus invenit excellentias tantâ se demulcentes oblectatione, ut cætera omnia nonnisi crepundia, nonnisi sto-

stoliditates existimet in comparatione. Hinc ea, quæ ipsi molestissima & fastidiosissima forent secundùm naturam, sunt ipsi jucundissima secundùm gratiam, cùm videat in ipsis pulchritudines, quæ idoneæ sint ad formandum in se pulchritudinem ipsius Christi JEsu. Si intueatur ipsa omnes suas inclinationes oppugnari, omnibus suis voluntatibus contradici, omnia sua consilia susq; deq; verti, natura ostendit illi in his omnibus, nonnisi molestam, quæ ipsam affligat, imaginem; sed gratia detegit ipsi certam quandam pulchritudinem in illis omnibus, unde solatium haurit & animum, statuendo ipsi ob oculos, ita assimilari nos oportere Christo JEsu, qui passus est contradictiones, oppugnationes, contemptus ab hominibus, quique in hoc statu infinitâ ratione pulcher apparuit oculis divini Patris sui.

O JEsu, pulchritudo infinita, quæ in æternum oblectas cœlum Empyreum universum! quando paulisper clarè ostendere te dignaris animæ, quàm admirabilis unicus hic unici momenti aspectus relinquit in ipsa operationes & effectus! ipsa tenet firmissimè, nil pulchrius esse eo, quòd assimilitatur tibi, & ut assimiletur quis tibi, destruenda esse omnia secundùm naturam, & consequenter invenire hic in terris cruces, spinas, & amaritudines, majoris fore æstimandum, quàm invenire suavitates, consolationes & rosas. Illa probè novit, se nunquam comparituram oculis tuis pulchriorem, quam quando fuerit repleta, vero cognitionis tuæ splendore.

ARGUMENTUM.

Convenientius erat Filium DEI venire in terras, quàm aliam Personam, eò quòd sit ipse Verbum Patris æterni.

Articulus IV.

CUm unigenitus Filius DEI non solùm sit pulchritudo, sed etiam Verbum, sermo, facundia Dei Patris sui, inquirenda est alia ratio, cur ipse incarnatus sit potiùs, quàm Pater aut Spiritus sanctus? Verbô suô creavit Deus omnia, & eodem verbo vult quoque omnia reparare.

Omnia formata & reformata sunt eodem Verbo Dei.

Nil efficacius erat ad convertendos peccatores, quàm mittere illis idem Verbum æternum, à quo extracti fuerant è nihilo per creationem, ut extraheret etiam eos è nihilo peccati per redemptionem. *Omnia per ipsum facta sunt.* Joan. 1. v. 3.

Tu nôsti, Synagoga Judæorum, Deum sæpiùs suum ad te misisse

misisse Verbum in toto veteri Testamento; sed hoc non fecit nisi per ora Prophetarum. Tandem sanctus Paulus insinuavit tibi, quòd postquam toties locutus fuerat ex ore aliorum, DEus Pater proprio ore suo tibi voluerat loqui, mittendò ad te magnùm hoc Verbum, unicum hoc Verbum æternum, quod solus ipse pronuntiare potest: *Multifariam multísque modis olim DEus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.* Sed aspice & admirare facundiam omnipotentem, quâ destinavit & ablegavit ad te proprium suum Verbum ad instruendum te faciliter, ad flectendum & lucrandum te suaviter, ad convincendum te efficaciter, nisi oculos & aures clauseris, ne ipsum intelligas.

Heb. 1.

Quomodò intelligendum, quòd Deus Pater locutus nobis sit per Filium suum unigenitum.

Quid facimus nos, quando cum aliquo loqui volumus? Imprimis nostrum Verbum habemus in nobis ipsis, quod est cogitatio à nobis concepta in intimo cordis nostri; quamdiu ita absconditum manet in nobis ipsis, totum spirituale est, & nonnisi noster intellectus illud cognoscit, nec ulli constat arcanum cogitationis nostræ. Quando id volumus producere extra nos, ut manifestemus id aliis, induimus illud voce quâdam sensibili & articulatâ, sicque fit publicum & manifestum, atque sine eo, quòd definat manere in nobis, transit in intellectum aliorum, qui hâc ratione, quid cogitemus, nôrunt, eò quòd produxerimus illis foràs cogitationem nostram spiritualem voce quâdam sensibili indutam.

Eâ ferme ratione tenebat Deus Pater cogitationem suam æternam, quæ est adorandum ipsius Verbum, totam absconditam in arcano Divinitatis suæ, & nemo cognoscere id poterat, quod cogitabat: sed tandem explicare se nobis voluit, nobisque producere foràs cogitationem suam omninò spiritualem, vestiendo illam re quâdam sensibili. (& vide dispositionem omninò prodigiosam divinæ misericordiæ suæ) Non erat contentus vestire illam voce quâdam corporali, sicut tunc, quando loquebatur hominibus per ora Prophetarum, vel sicut nos facimus, quando cum aliis loquimur: sed consultò vestivit illam carne visibili & palpabili in mysterio Incarnationis. Quare hoc?

Ante Incarnationem nesciebamus cogitationes Dei, jam illas novimus.

Inprimis, quia vox sensibilis transit & evanescit in instanti: ipse autem permanere nobis suum Verbum voluit nunquam non expressum sensibiliter. Secundò, quia omnes aures hominum non recipiunt æqualiter eandem vocem sensibilem & articulatam; quilibet non intelligit, nisi idioma suum particulare, quod

quod diversum est in diversis nationibus. Sed omnes oculi hominum vident idem objectum eâdem ratione, ita ut, dum nobis producit foràs divinum suum Verbum carne humanâ indutum, id reddat cognoscibile & intelligibile cunctis mortalibus: *Per oculos, non per aures erudiens.*. Sicut sanctus Chrysostomus affirmat de cœlis enarrantibus nobis gloriam Dei, per astra sua, velut per totidem linguas, quæ loquuntur oculis. Ut igitur æqualiter nos instrueret, loqui voluit oculis nostris, & non auribus, sicque nobis omnibus visibile reddere Verbum suum.

S. Chrysost. hom. 9. ad pop. Antiochen.

Sic Pastores, qui admoniti fuerunt per Angelos, in momento, quo Deus locutus est nobis in profundo hoc noctis silentio, quando æternum hoc Verbum expositum fuit mundo, dicebant inter se: *Eamus & videamus hoc Verbum, quod fecit Dominus, & ostendit nobis.* Ipsi non dicunt, eamus & audiamus Verbum; sed eamus & videamus hoc Verbum, quod includit in se omnia arcana cordis Dei; eamus & videamus omnes cogitationes æternas, quas in seipso tenuit absconditas ante creationem mundi, & cunctis elapsis sæculis. Ecce illas tandem explicatas extra ipsum; ipse vult cognosci à nobis omnia intima cordis sui arcana, quia illa nostris exposuit oculis. O quanta aspicimus prodigia in adorandi hujus Verbi intuitu! dum non videmus, nisi omnes illas pulchritudines, quæ intellectum Dei Patris sui raptu quodam æterno suspensum tenent, atque attonitum, ipsumque gaudio replent ac delectatione.

Luc. 2.

Oculi hominum viderunt Verbum æternum Dei.

Sed quid videre te credis in magno hoc Verbo, quod tuis exponit oculis, omnes cogitationes Dei? Quando sermo fit de Deo visibili, quid exspectari potest conspiciendum in ipso, nisi gloria, excellentiæ, divitiæ, Majestas, voluptates, & denique magnificentia, quæ infinitâ ratione superet illas omnium Regum terræ? Nihilominùs, ô cogitationes Dei, quàm longè abestis ab illis hominum! O sapientia infinita DEI, quantum opponeris stolidæ infatuati mundi opinioni! Video hoc Verbum adorandum, & video in ipso omnes cogitationes Dei, quas meis exponere voluit oculis, ut ostenderet mihi tam luculenter illas, ut dubitare de iis non possem: Et nihil video nisi paupertatem, dolores, infirmitates, humiliationes, & universalem exspoliationem omnium eorum, quæ æstimat mundus.

Videntur cogitationes Dei omninò oppositæ cogitationibus mundi.

O Deus omnipotens! Majestas infinita! Suntne ergò hæ cogitationes tuæ æternæ? Súntne ergò hæc, quæ æstimas, hæc quæ amas, hæc, quibus infinitâ ratione de-

Quid confundere debeat omnem falsam mundi sapientiam.

ne delectaris, hæc, quæ totum constituunt objectum divinæ tuæ complacentiæ? O munde! quantum ergò desipis, dum tuam constituis felicitatem in rebus Dei cogitationibus adeò oppositis! quam stupenda tua est cœcitas! Quis enim expediat te errore, si infinita sapientia Dei, tuis exposita oculis, te sanæ non reddat menti? Tu ipsemet vide, ipsemet lege in visibili hoc Verbo id, quod magnum est coram Deo, ac dignum magnitudine ejus. Suntne omnes vanitates tuæ, inanes honores tui, brutales voluptates tuæ, caduca bona tua? propriis oculis tuis circa hæc experimentum cape: *Per oculos, non per aures erudiens* Hic non est, usurpare id auribus; aspice, tange vide veritatem æternam, quæ se reddit visibilem, spectabilem, palpabilem sensibûs tuis: Quid dicendum tibi occurrit ad hæc?

S. Bernard.

Hic necessariò discurrendum est cum sancto Bernardo: vel infinitam sapientiam Dei, vel me necesse est decipi. Probè video, impossibile esse, quòd infinita Dei decipiatur sapientia; certũ igitur est, decipi me, dum fugio & contemno ea omnia, quæ amantur ab ipsa; dum æstimo, dum quæro illa, quæ habentur ab ipsa despectui. Intende vim ac robur omnium rationum humanarum, contra magnam DEI rationem, quæ ipsius est Verbum & infinita ipsius sapientia; an superabunt illam? Non est intellectus in mundo tanti roboris, qui non cedat, non convincatur tam luculentâ demonstratione.

Quanta est confusio Christianorum.

Sed quid prodest cognoscere veritatem, nisi sequamur ipsam? quid proderit Christiano, quòd locutus fuerit ipsi Deus proprio ore suo, quòd visibilem se reddiderit ipsius oculis; quódque per eandem infinitam rationem, per quam & in qua videt ipsemet, quòd sit Deus, conspiciendum exhibuerit propriis ipsius oculis, in quo consistat verum bonum, quidque amare debeat, ut placeat ipsi? Quid conferet ipsi, efficaci convictum esse demonstratione sibi à Deo, quem adorat, visibiliter factâ quòd debeat esse pauper, saltem spiritu, id est, non apponere cor suum bonis terræ, quódque in Deo solo suum quærere debeat thesaurum; quòd contemnere oporteat vanos honores & profundissimæ studere humilitati, vi cujus amet contemptum sui ipsius & mundi, ut totum cor suum consecret Deo soli; quòd fugiendæ sint voluptates sensuum & amplectendæ afflictiones carnis, ut circumferat semper, juxta sancti Pauli monitum, mortificationem JEsu Christi in corpore suo! Quid proderit, inquam, ipsi, quòd Verbum æternum DEI omnes has magnas

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gnas veritates ipsius exposuerit oculis, si totum faciat & operetur contrarium, quasi operibus suis manifestè contestari vellet, se credere sanctissimè, quòd nonisi falsitates & mendacia ea sint omnia, quæ veritas æterna Dei nobis ceu dogmata proposuit verissima.

O vive Deus! quantum probrum Christiano in magno die justitiæ & ultionis tuæ! Væ mihi, dicet ipse, quòd clarè conspexerim veritates tam speciosas, & meam impleverim vitam operibus tam fœdis & Christiana professione indignis! O Verbum æternum Dei, quod te meis exposuisti oculis, ut ostenderes mihi veritates quarum sequerer ductum & dictamen, ut quid tam clarè loquebaris mihi, ut omnem mihi tolleres excusandi rationem? O argumenta nimis valida, nimiúmque constringentia, quantùm coarguitis, quantùm torquetis me! quàm acerbè transfigitis cor meum! quàm sævè tunditis, dum confunditis intellectum meum? quàm aspera perstringetis, quem jam constringitis, in omnem æternitatem me reprehensione!

Sed ab his omnibus præmunire te voles? fac, ut omnes hæ magnæ veritates modò transfigant cor, tuúmque ita penetrent animum, ut firmissimè tecum statuas illas credere, illas sequi, illas exercere opere, quanticúnque steterit tibi.

ARGUMENTUM.

An probabile sit, quòd Filius DEI non fuisset incarnatus, si Adam non peccâsset?

Articulus V.

Quòd peccatum Adæ nobis ratione quâdam fuerit utile.

NAtura humana intelligens insignes has prærogativas, quas receperat ex Incarnatione Verbi divini, eousque amittebat sensum propriarum suarum miseriarum, ut gavisa quasi fuerit, commisisse se peccatum, è quo tam ingens dimanaret in se felicitas. Nescio, inquiebat, cur ita perstringatur inobedientia Protoparentis nostri Adæ? invenio contrarium, omninò felicem extitisse hunc errorem, cùm absque illo nunquam accidisset nobis felicitas inæstimabilis possidendi Hominem Deum ceu Salvatorem nostrum.

Intueor Ecclesiam universam ita abreptam gaudio, tempore quo celebrat memoriam mortis & resurrectionis Redemptoris sui, ut velut totâ abundantiâ Spiritûs, inusitatum quoddam idioma sibi suggerentis, ebria, videatur sanctificare velle peccatum Adæ, quod tam

ingenti sese accumulaverat felicitate. Audimus exclamare ipsam, totam amore succensam: O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem! Et ne crederetur hunc repentinum quendam esse impetum, vel inconsideratam aliquam abreptionem, secundâ vice denuò prosequitur ardentioribus cum suspiriis: O certè necessarium Adæ peccatum, quod tali morte deletum est! quódque deleri debuit tam pretioso sanguine Dei immortalis! An melius nobis sensa explanare possit, quod ingens Incarnationis Verbi, & mortis Redemptoris sui beneficium debeat peccato Adæ, ita ut si illud non accidisset, in perpetuum hoc orbata mansisset favore?

Omnes sacræ Scripturæ dicunt, Christum non venisse, nisi ob peccatum.

Si legas sacros codices, qui cœlorum complectuntur veritates, comperies semper, Messiam promissum esse ad liberandum homines à servitute peccati. Quando Deus apparuit Moysi in rubo ardenti, quod pulchrum erat Symbolum mysterii Incarnationis, ubi ignis adhærens spinis, ut illas combureret, absque eo, quòd illas consumeret, repræsentabat Deum per ignem significatum, unitum cum nostra natura significata per spinas. Quis te huc attrahit, Majestas adoranda? Quare insidere tibi complacuit solio tam abjecto, támque incommodo? *Vidi afflictionem populi mei, & descendi ut liberem eum.* Nonnè clarè satis per hoc nobis insinuatur, ipsum non descendisse de cœlis, nec humanam assumpsisse carnem, nisi ob peccata hominum; & consequenter, si peccatum non fuisset, à quo nos liberaret, nostris se spinis non implicâsset? Exod. 3.

Nonnè declaravit idipsum nobis in Evangelio, quòd missus non fuerit è cœlo, nisi ut remedium afferret peccatis? *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perièrunt Domûs Israël.* Et alibi dicit: *Se non venisse vocare justos, sed peccatores.* Quem in finem attulit nobis parabolam de bono pastore, qui postquam reliquisset nonaginta novem oves in deserto, quæsivit tamdiu illam, quæ perierat, donec invenerit eam, & inveniisse non contentus, imposuit illam humeris & ipsemet reportavit ad gregem suum? Nonnè per hoc insinuare nobis voluit, quòd, quando descenderit de cœlo, ubi est magnus ille cœlestium spirituum grex, tanto transcendens intervallo numerum hominum, quanto nonaginta novem transcendunt id, quod duntaxat est unum; quando, inquam, deseruit ipsas, ut veniret in tertam per mysterium Incarnationis, hoc non fecerit, nisi ut curreret post hominem peccatorem, velut post ovem errantem, illúmque Matth. 15. v. 24. Luc. 5. v. 32. Luc. 15.

illumque propriis humeris ad gregem Angelicum? Ex quo ergò deducitur, nonnisi naturæ nostræ peccatum fuisse, quod traxerit ipsum è cœlo, & si Adam non aberrâsset à DEO, nos secum præcipitans in peccatum, ipse non venisset nos quæsiturus.

Consule post Scripturam omnes sanctos Ecclesiæ Patres, & videbis, an non eandem amplectantur opinionem? Sanctus Augustinus omnium sublimissimus, maximéque illuminatus verbîs expressîs hanc tradit sententiam sermone octavo in verba Apostoli: *Si Adam non peccâsset Filius hominis non venisset*; & in sequenti sermone confirmat id ipsum verbis clarioribus magísque emphaticis: *Nulla fuit causa veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere.* Ante ipsum sanctus Irenæus, disputans contra hæreses sui temporis, pronuntiavit idem velut veritatem Catholicam: *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum caro factum esset.* Et sanctus Athanasius scribens contra Arianos, pro tota ratione Incarnationis Filii Dei allegat lapsum Protoparentis nostri in peccatum, & expressè dicit, quòd sine illo indutus non fuisset carne humanâ: *Quâ sublatâ carnem non induisset*; & denique loquendo universaliùs, omnes Sancti primorum Sæculorum Patres eidem inhæserunt sententiæ, usque ad tempora Ruperti Abbatis, qui primus vel è primis fortiter contendit asserere contrarium, quod eo usque in Ecclesia tota videbatur inauditum. Et post hæc omnia.

S. Aug. ser. 8. de verb. Apost.

Ea sententia Patrum Ecclesiæ: Si Adam non peccâsset, Christum non fuisse venturum.

Irenæus lib. 5. contra hæreses.

S. Athanas. serm. 3.

Si consulere velimus rationem ipsam, percepto jam sensu tum Ecclesiæ, tum sacræ Scripturæ, sanctorúmque Patrum, nihil est, quod manifestius declaret nobis magnam abundantiam bonitatis Dei, quàm videre, quòd eo nomine descenderit de cœlis in terram, ut salvaret peccatores, ipsósque propriâ suâ morte liberaret? Nam quantò magis ipsi erant indigni, & velut magni ipsius inimici non merebantur nisi illius odium, iram, vindictam, supplicium æternum, tantò magis elucebat magnitudo ineffabilis misericordiæ ipsius, evidenter illis ostendens, se propriâ magis vitâ amari ab ipso.

Rupert. lib. 3. de gloria & honore Filii hominis.

Ratione probatur, Verbum Dei non fuisse incarnandum, si Adam non peccâsset.

Ah! certè cor fuerit durius ære, quòd vehementissimè non moveatur, dum quilibet è nobis in particulari ea dicere verba potest, quæ magnus dicebat Apostolus, tanto cum amoris & gratitudinis affectu: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus JEsus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* O fidele verbum! O manifesta fidelissimæ amicitiæ nota! O sermo solatio plenus, dignissimus, qui verbis cæletur au-

1. Tim. 1.

reis in penetralibus cordis noſtri! JEſus Chriſtus venit in hunc mundum datâ operâ, ut daret & operaretur ſalutem peccatoribus: Ego primus ſum & facinoroſiſſimus omnium; & ipſe eo usque amavit me, ut meis ſe induerit miſeriis, ut ab iis me liberaret, tolerans ipſemet ea, quæ promerebar, ſupplicia, ſuſtinens contumelias ac injurias, quæ mihi fuerant epotandæ; & tandem ſubiens ſævam ac probroſam, cui eram obnoxius, mortem, ut ſuæ pretio vitæ, vitam mihi requireret æternam. Conſideratio affectuoſa.

Eheu! Quis ſum ego, pro quo infinitæ Majeſtatis Deus voluit agere hæc omnia? pulviſculus abjectiſſimus, infelix nihili abortus. Quid unquam ipſi præſtiti obſequii, quod invitare potuerit ipſum, ad exhibendum mihi tantæ abundantiam bonitatis? Ego deſpexeram ipſum, injuriaveram, offenderam graviſſimè. Ah! unde ergò tantum penès ipſum mihi meriti, ut ita exhauriens omnes immenſos theſauros ſuos, usque ad ſanguinem proprii cordis ſui, omnibus me complere voluerit beneficiis, quæ poſſibilia ſunt infinitæ bonitati Dei omnipotentis? Ah! Ecce tibi, quod ſtuporem ciet terræ, cœlóque, quódque abunde ſat eſſet, ad conterendum cor duriſſimum, vel leviſſimè duntaxat conſideratum. Promerebar ego infernum, & afferebat is mihi Paradiſum; morte fueram dignus æternâ, & æternam mihi ipſe tribuebat vitam; mihi odium ipſius comparaveram maximum, & incomparabilem mihi ipſe exhibuit amoris ſui abundantiam.

Credant alii, ſi velint, ventu- Ratio valdè
rum fuiſſe ipſum in terram, no- urgens pec-
ſtráque induendum Humanita- catorem ad
te, quando nullius me reum con- amandum
ſtituiſſem peccati. Sed ego cre- Chriſtum
dam, nonniſi miſeriarum mea- JEſum.
rum fuiſſe abundantiam, quæ ipſius tetigerit cor; credam, non veniſſe ipſum in ſuccurſum meum, niſi ut me erueret ex unguibus mortis, quæ miſerabiliter rapiebat ad damnationem æternam; & video magnum Apoſtolum efficacius non inveniſſe motivum, ad collocanda corda omnia hominum quaſi ſub torculari ad exprimendam exin ſuavem & amabilem violentiam affectuum gratitudinis, quàm proferendo magna hæc verba: *Charitas Chriſti urget nos, exiſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt; ergò omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut qui vivunt, non jam ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt.* 2. Cor. 5. Pondera benè hæc verba, paulo penitius perpende illa: Cor tuum ſub torculari eſt. Charitas JEſu Chriſti urget nos, aſſerit incomparabilis hic Apoſtolus, ipſa proſternit nos, ipſa nos cogit, ut dedamus

mus nos, quando consideramus, nos omnes fuisse mortuos morte peccati, quod trahebat post se mortem inferni æternam: Et ipse tantæ in nos fuit bonitatis, ut descenderet de cœlo ad eripiendum nos è geminæ hujus mortis faucibus, semetipsum morti tradens pro nobis. O bonitatem infinitam Redemptoris mei! nunquam te video majori circumfusam splendore, quàm dum consideto solam miseriarum mearum copiam, copiam habuisse attrahendi super me miserationum tuarum abundantiam. Et indè est, nonnullis visum melius, si vivant in firma hac fide, te non des censurum de cœlis, nec incarnandum fuisse, si Adam non peccâsset, quantumvis alii contrarium asserant firmiter non infirmis suffulti rationibus, quas in articulis sequentibus exponemus.

ARGUMENTUM.

Quòd probabilius sit, Filium DEI incarnandum fuisse, quamvis Adam non peccâsset.

Articulus VI.

Parum credibile videtur solum peccatum causam fuisse Incarnationis Filii Dei.

FAteor esse difficillimum, non cedere argumentis tam plausibilibus, támque validis & constringentibus, nec rata habere bona sensa, bonos affectus, quos in nostris excitant & enasci faciunt cordibus. Sed aliunde durum videtur credere, nos obstrictos esse peccato malorum omnium maximo, de beneficio omnium præcipuo, omnium, quæ Deus extra se producere potuit, antesignano; & dicere, quòd si natura humana conservata fuisset in statu innocentiæ, Deus non ita adamâsset illam, ut se illi personaliter communicaret: sed ex eo, quòd facta fuerit obnoxia crimini, adorandam ipsius contemnendo Majestatem, séque dignam reddendo ipsius odio, ideò solùm eousque amaverit ipsam, ut se illi dare & communicare voluerit. Ubi est quis sanæ mentis, qui hunc loquendi & discurrendi modum non rejiciat?

Quâ ratione Christus JEsus fuisset incarnatus, si Adam non peccâsset.

Sed ad declarandam benè veritatem, supponendum est, naturam humanam in duplici statu valde diverso considerari posse, scilicet in statu innocentiæ, & statu peccati: supponendum est etiam, Filium Dei incarnari potuisse duobus modis diversis: Uno quidem, assumendo corpus immortale, impassibile beatum: Altero carnem assumendo infirmam, passibilem & mortalem. Tu quæris, an Filius Dei fuisset

fuisset incarnatus, posito, quòd Adam non reddidisset totam naturam humanam ream peccati; facilis est responsio, applicando duos incarnandi modos, duobus naturæ statibus. Ille peccat, in quo modò est, requisiisset, ut incarnaretur ad ipsam redimendam, assumendo corpus passibile & mortale; iste innocentiæ, in quo manere poterat, requisiisset ut incarnaretur, non ut ipsam redimeret, cùm perdita non fuerit, sed ab intima sua unione honoraret ipsam, utpote longè magis dignam amore suo, quàm post commissum peccatum: Et in hoc casu assumpsisset corpus impassibile, cùm necesse haud fuisset pati pro nobis.

Quomodo intelligenda sacra Scriptura cum sanctis Patribus, quando loquuntur de adventu Filii Dei.

Haud difficulter capies modò, quò tendat exultantis Ecclesiæ gaudium, dum exclamet: O felix peccatum! O peccatum Adæ necessarium, quod talem ac tantum meruit habere Redemptorem. Ita, peccatum Adæ fuit, quòd habere nos fecit Deum Redemptorem, passibilem & mortalem; sed citra id habuissemus Deum Hominem immortalem & impassibilem, cùm necessarium non fuisset, ut noster esset Redemptor. Et quando sacra Scriptura ubivis affirmat, ipsum non venisse in mundum, nisi propter peccatores; ipsum descendisse, ad liberandum populum suum à servitute, ipsum venisse quæsitum ovem perditam, & reportatum illam propriis humeris ad gregem, loquitur juxta statum præsentem, & suppositô Adæ peccatô. Et quando tandem sancti Patres conformiter loquendo sacræ Scripturæ affirmant, ipsum venturum non fuisse in carne, si corruptio carnis non fuisset; nec assumpturum ipsum fuisse carnem mortalem, si mors peccati non occidisset totam naturam humanam; aliud non concludunt, quàm ipsum non fuisse incarnandum, assumendô corpus mortale.

Si idem homo esset Princeps, Pater, Doctor, Medicus, & inimicus tuus; & ipse te videns vulneratum usque ad mortem plagis lethalibus, quas accepisses in pugna cruenta, ubi omnem movisses lapidem, ut ipsum tolleres è vita, veniret ipsemet in domum tuam, ad reconciliandum se tecum, téque restituendum sanitati, & tu diceres illi: Tu nunquam venisses ad me, nisi ægrotus essem, & inimicus tuus; ex adverso is diceret tibi: Idipsum reddebat te indignissimum, ut tuam intrarem domum; sed quia sum Princeps tuus, venissem daturus tibi legem; quia sum Pater tuus, venissem te velut meum invisurus filium; quia sum Doctor & Magister tuus, venissem te velut meum informaturus discipulum. Ast quia ægrotum te invenio, venio indutus Medicũ, ut sanem

Pulchra comparatio declarans veritatem.

nem te; & quia te ipsum reddidisti mihi inimicum, venio vi ac virtute beneficiorum meorum tuam recuperatum amicitiam, quam iniquissimè subtraxeras mihi.

Peccatum magis impedire, quam obstringere poterat, ut Verbum incarneretur.

Sed probè colligere potes ex ingenti hoc, quem tibi exhibeo, amore, quòd quando non veniſſem ad te velut Medicus & à te offensus, venire non intermisissem ad te velut Princeps tuus, velut Pater tuus, velut Præceptor tuus. Quivis horum, quibus tibi constringor, titulorum, sat habuisset roboris, ad trahendum me ad te; & alter ille, quem solum allegas, Medici & inimici, potiùs me retrahere poterat & debebat: an sanæ fores mentis, si credere id abnueres? Ecquis persuadere sibi poterit, quòd sola ratio, quæ attrahere potuit Filium Dei de cœlo in terram per mysterium Incarnationis, ut esset Medicus animarum nostrarum, fuerit, quòd magni ipsius inimici; quódque, si solummodò ipsius fuissemus filii, ipsius populus, ipsius discipuli, absque eo, quòd essemus ipsius inimici, non dignatus fuisset se coúsque demittere, ut nostræ se personaliter uniret naturæ? Quis sanæ compos mentis huic posset fidem habere?

Et quod ultimum concernit argumentum, quod ex ipsa deduxisti ratione, concedo, tibique assentior, efficacissimum id esse motivum, quo exstimulemur ad amandum ardentissimè tam officiosum támque beneficum Salvatorem, quando consideramus, quòd eo nomine venerit è cœlo, ut accumularet favoribus reos, qui nonnisi severissimis digni fuerant suppliciis. Fateor equidem, ingentem hunc divini ipsius amoris, in medio glaciei, succensum ignem, potentissimum esse medium, frigidissima accendendi corda. Verùm si potenti huic motivo adjicias alia plura æquè potentia, an ex hoc magis erit infirmum, minúsque habebit roboris? & an cor tuum minùs urgeatur ad amandum Christum JEsum, quando induxeris in animum, plura esse pondera, quæ ipsum traxerint è cœlo, ad dandum & communicandum se tibi in terra?

Plura motiva amandi Christum JEsum sunt fortiora unico solo.

Itáne ergò, mi JEsu, verum sit, me dignum esse honore à te mihi exhibito, dum, sicut ego, factus es homo, ex eo, quòd habuerim te opprobrio? an igitur verum sit, te nunquam fuisse ita amaturum me, nisi priùs læsissem & offendissem te? an credere possim, peccatum meum ita tibi fuisse jucundum, ut solum id fuerit, quo capereris unicè ad conjungendum te mihi propinquitate, illiúsque amore desponsandum te propriæ meæ naturæ? O quàm plures aliæ rationes sunt

efficaciſſimæ, quibus induci poteras, ut fieres homo, ſi non peccâſſet Adam ! illarum hìc adducam aliquas non minus validas quàm luculentas, de quibus non liceat dubitare.

ARGUMENTUM.

Prima ratio, quæ probat Filium DEI incarnandum fuiſſe, quamvis Adam non peccâſſet.

Articulus VII.

Perfectio operum Dei requirebat myſterium Incarnationis, quamvis Adam non peccâſſet.

QUid putas vidiſſe Deum, quando æternum formavit decretum producendi magnum hoc univerſum? Et in quid, dum tempore creationis exquiſitum hoc exequebatur opus, ſuos intendebat & defigebat oculos?

Si vidiſſes omnipotentem Creatorem mundi, quando ſuum in abyſſum nihili immiſit brachium, ad extrahendum indè magnum hunc mundum, & dixiſſes: Domine, quid facies? reſpondiſſet is tibi: Creabo cœlum & terram. Sed cœlum an erit pro ſeipſo? Non, volo ut magnificum ſit theatrum, ubi exponam meæ magnificentiam gloriæ, fulgentibus inſtructum faculis, ut totum meum illuſtrent opus. Et hæc terræ an facta erit pro ſeipſa? Non deſtino ipſam ad germinandum plantas & herbas, flores & fructus in abundantia. Sed hæ plantæ, hæque herbæ, quibûs tota inſternetur terra, an erunt pro ſeipſis? Non, volo ut ſerviant ceu nutrimentum maximæ animantium, quæ producam, multitudini. Sed hæc animantia an erunt pro ſeipſis? Non, decerno illa omnia pro obſequio hominis, quem faciam ad imaginem meam, quemque ſtabiliam velut illorum Principem & Monarcham, ut dominetur cunctis manuum mearum operibus. Sed tandem hic homo an erit pro ſeipſo? Non, velut omnes homines pro meo ſint Filio, quem produco ab æterno à meipſo ex propriâ mea ſubſtantia, quémque producam extra meipſum in medio temporum, velut coronam & gloriam omnium meorum operum. Faciam ipſum eſſe hominem, caput & ſupremum Monarcham omnium hominum; ut ipſe ſacrum ſit vinculum, quod æternam inter Creatorem & creaturas conſtituat unionem: nam omnia erunt illius, & ipſe totus eſt meus, ipſe claudet circulum, qui denuò conjungit finem cum principio, & & per ipſum ero ſolus finis, ſicut ſolum omnium Creaturarum ſum principium. Ecce ad amuſſim doctrinam magni Apoſtoli:

Totum Univerſum eſt factum pro Jeſu Chriſto.

Omnia

1. Cor. 3. v. 23. *Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem DEI.*

O divina Sapientia quæ omnia in tam speciosо disponis ordine, quàm admirabilis est œconomia tua! Sed, Domine, an Filius hic unigenitus, futurus hic Deus-Homo, admirabile hoc potentiæ tuæ opus, quod constituere debet vinculum Creatorem inter & creaturas sit ille, ex cujus amore feceris totum hoc Universum? Absque dubio; nemo enim alius, quàm ille merebatur, ut tam pulchrum exstruerem palatium. Ipse ergò est, Domine, in quem primò defixisti oculos, quando formâsti decretum communicandi te extra teipsum? Absque dubio: sicut enim ipse est primus, cui communico meum esse & propriam meam essentiam in æternitate, ita primus quoque est, cui esse communicare volui, quod trahere volebam ex nihilo per creationem. Aspexi ipsum velut finem totius mei operis, cùm creatura sit omnium nobilissima. Jam finis primum est in intentione, quamvis primum non sit in executione.

DEus creando mundum primò intendit JEsum Christum, ex amore ipsius omnes homines, & horum amore animantia.

Ecce tibi admirabile divinæ Sapientiæ consilium in producendo homine; dicit: Faciamus hominem ad imaginem nostram: Jam imago Dei est unigenitus Filius Dei; homo igitur eo nomine factus est, ut sit prius Filius Dei; cúmq; Deus propriis suis manibus depseret, maceraret & subigeret terram hanc, è qua formavit corpus Adæ, meditabatur formationem JESU Christi Hominis Dei, & Filii sui unigeniti. Ecce tibi omnium primum & supremum Monarcham hominum: hic Princeps opus habebat subditis & famulis; ut ergò ipsi servirent, omnes alios formavit & creavit homines: His hominibus, ad conservandum illos & prospiciendum omnibus ipsorum necessitatibus, opus erat animantibus; omnia ergò animantiæ terræ, omnes volucres cœli, omnes pisces maris creavit pro illis. Sed hæc animantia ad suæ conservationem vitæ indigebant herbis & fructibus; omnis ergò generis alimentis abundanter instruxit illa. Et denique ad producendam hanc herbarum & fructuum abundantiam opus erat terrâ fœcundâ, quæ non cessaret illas, & illos germinare è sinu suo: ideò ergò creavit terram rudiorem quidem, sed omnibus elementis ditiorem.

Id quod erat ultimum in intentione ipsius, erat primum in executione: incepit ipse à terra creaturâ minus nobili, posthæc à plantis, exin ab animantibus, ab his transgressus ad homines; & tandem omnia sua coronavit opera, opere omnium nobilissi-

JEsus Christus natus est in medio temporum, velut Monarcha in medio suarum ditionum.

mo, producens Filium suum unigenitum in corpore humano; nasci ipsum fecit in medio temporum, velut Monarcham in medio omnium suarum ditionum, ut omnia sæcula tum præcedentia, tum subsequentia ipsum, sese referrent ad ipsum, velut ad centrum rerum omnium.

Quis ergò arguere vellet pulcherrimam hanc Dei dispositionem, nobisque dicere: Non, DEus Creator non cogitavit de Deo-Homine, nec mens illi unquam fuit efficiendi illum caput & coronam omnium operum manuum suarum, nec efformandi totum hoc ingens universum pro ipso; nonnisi per accidens fuit, præviso nempe Adæ peccato, quòd decreverit Filium suum unigenitum fieri hominem; nunquam autem exquisitissimum hoc potentiæ suæ produxisset opus, nisi omnium monstrorum maximè abominandum produxisset Adam, scilicet peccatum. Hæc sola propositio nonnè à sano sensu tam procul abesse videtur, ut quicunque vel parùm habuerit salis, ipsam arguere debeat falsitatis.

Verùm si requiras adhuc majorem confirmationem tam evidentium, manifestarúmque veritatum, consule Galatinum, qui versatissimus videtur in arcanissimis Judæorum traditionibus, quas inter se conservabant; plurimas enim habebant traditiones nec omnes eorum cognitiones consignatæ erant litteris. Illi, quos nuncupabant Doctores suos, tenebant, quòd Deus dederit duas leges Moysi in monte Sinai: Unam, quam ipse scripsit ex mandato Dei, quámque communicavit universo populo, hoc est, Decalogum; alteram, quam non scripsit, quámque non omnibus indiscriminatim manifestavit; sed solùm nonnullis senioribus & sapientioribus, quales erant septuaginta illi seniores, de quibus fit mentio in Exodo: Et hi successivè per traditionem consignârunt illam posteritati suæ. Hinc est, quòd Moyses mittat Filios ad interrogandum Patres suos, ut addiscant ex ipsis, quod non sciebant, nisi per traditionem, quódque scriptum non inveniebant in libris suis: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi:* Arcana hæc scientia cognita non erat vulgo, quod intelligendi illam carerent capacitate.

Duæ leges datæ Moysi, una ut publicetur, altera, ut occulta maneat.

Exod. 24. v. 1.

Deutron. 32. v. 7.

In ultimo libro Esdræ (qui quidem velut Canonicus non acceptatur, nihilominus tamen velut consentaneus veritati asservatur) verbis expressis invenimus exaratum, quòd Deus, postquàm revelâsset Moysi res plures prodigiosissimas, præceperit ipsi illarum aliquas publicare, alias autem servare occultas:

Esdræ 4. c. 14. c. 5.

tas: *Locutus sum Moysi, & enarravi illi mirabilia multa, & præcepi ei dicens: Hæc in palam facies verba, & hæc abscondes.* Creditur quidem, quòd quidpiam ex occulta hac scientia exaratum reliquerit circa finem: sed ex malitia Rabinorum Scribarum & legis Doctorum, qui obscuritate volebant involvere clarissima de adventu Messiæ testimonia, pleráque degenerarunt in magiam & stolidas imaginationes.

Galat. lib. 2. de arcan. Christ. Relig. c. 2, 3. 4.

Sed Galatinus, qui solerter studuit separare verum à falso, affirmat nobis, unam è certissimis & præcipuis antiquorum Hebræorum traditionibus fuisse, quòd Deus Creator tutum hoc universum condiderit ex amore Messiæ, & sanctæ Matris ejus. Quod evidenter ostendit, illos non credere, quod nonnisi per accidens debeat venire in mundum; occasione nimirùm peccati Adæ; sed, quòd, si in suâ permansisset innocentiâ, Messias tamen venisset in terram, & factus fuisset homo, capturus mundi, velut propriæ suæ ditionis, possessionem, eò quòd eo nomine & sui amore à supremo fuerit conditus Creatore. Primæ huic rationi annectam sequentem, quæ non minus arridebit.

Antiqua traditio Judæorum, quòd mundus conditus sit pro Messia & Matre ejus.

ARGUMENTUM.

Secunda ratio, quæ probat, Filium DEI incarnandum fuisse, quamvis Adam non peccâsset.

Articulus VIII.

Si Adam non peccâsset, incarnauts fuisset Filius DEI, ut haberemus Deum visibilem.

NOn vehementiori tenetur aviditate natura, quàm cognoscendi Deum, à quo facta est: hæc tam ingens est, ut nec unita sive spiritualis sive corporalis sit facultas in homine, quæ non omni vi ac via contendat cognoscere Deum. Et quamvis ipsius rationis lumine nobis constet, Deum esse purum spiritum; nihilominus à nostris sensibus ipsum percipi volumus, nec plenè delectamur Deo, qui non videtur. Quantas non exantlârunt difficultates Moyses, Patriarchæ, Prophetæ, & omnes Pontifices antiquæ legis, ut continerent populum in cultu Dei invisibilis? nullo non tempore se subduxerunt & iverunt adoratum idola; siquidem, cùm adhuc toti carnales essent, vivere non poterant, nisi haberent Deum, cui esset aliquod cum sensibus commercium.

Opus omninò illis erat re quâdam sensibili, ut contenti essent: quamobrem concedebantur ipsis Sacrificia animalium in magno numero; sed hoc non sufficie-

bat: valde frequentia & manifestissima ostendebantur ipsis prodigia; & necdum contenti erant: percipiebant quandoque vocem Dei sibi loquentis magis formidando cum splendore; quàm sit ille fulminum; & illicò tremore perculsi rogabant ipsum, ne amplius loqueretur sibi, ne fortè morerentur præ pavore, sed Moyses, qui non nisi benignitas erat, suo sibi nomine loqueretur. Sed paulo post desiderabant denuò sibi Deum fieri sensibilem; aliàs periculum aderat, ne sectarentur idola.

Populus Israëliticus vehementi afficiebatur desiderio videndi Deum suum.

Promittebatur illis ad explenda ipsorum desideria, venturum aliquando tempus, quo visuri sint Deum Israel oculis suis corporeis, descensurum ad ipsos illum, & familiariter conversaturum cum ipsis: *Posthæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Baruch. 3. v. 38. Hæc promissio haud parùm consolabatur ipsos, sed à mora & retardatione executionis affligebantur in tantum, ut sine intermissione pulsarent cœlos, quatenus promissum sibi mitterent illicò: *Veni Domine, noli tardare, accelera, ut eruas nos;* modò dicebant: *Utinam disrumperes cœlos, & descenderes ad nos: Usquequo avertis faciem tuam? ostende nobis faciem tuam Domine & salvi erimus.* Psal. 79.

Et quamvis hâc alerentur spe, in qua confirmabantur sæpius nihilominus vivere non poterant contenti, nisi adorarent Deum visibilem, & occultâ invidiâ prosequebantur idololatras, quod solatio fruerentur ipsi adorandi Deum, quem videbant; & quidem eòusque, ut sanctus Rex David, quamvis totus spiritualis esset, utpote Vatum maximorum non minimus, fateatur, se tam ingenti affligi dolore, ut die ac nocte solveretur in lachrymas: quando idolorum cultores interrogabant ipsum: Ubi est Deus tuus, quem adoras? Aliqui ostendebant mihi statuam lapideam vel æream, & dicebant mihi: Ecce Deum, quem adoro: alii monstrabant mihi solem, & exprobrabant: Ecce Majestatem DEI, cui servio: sed ego quid dicere ipsis possim: quibus oculis conspiciendum exhibebo ipsis DEum verum, cui mea offero & lito sacrificia: *Potuit Paganus oculis corporis ostendere DEum suum, lapidem vel solem, sed ego quibus oculis ostendam solis Creatorem?* Non potero igitur dicere unquam: Ecce Deum meum, aspicio ipsum oculis corporeis, loquor ipsi, audio ipsum loquentem, ago familiariter cum ipso? Imò, frueris insigni hâc prærogativâ per mysterium Incarnationis, quæ ob unicam hanc rationem necessaria erat, quando Adam non peccâsset. Psal. 41. Nos habemus Deum visibilem. S. August. in Psal. 41.

Oportebat fabulosam confundere gentilitatem Religione vera, fabrica

fabricaverant sibi Pagani Deos imaginarios sub forma hominum vel animantium, quod duplicatum erat mendacium; siquidem non erant hi veri Dii, non magis, quàm non fuerant veri homines. Hinc est, quòd verus Deus exponere se voluerit oculis nostris, verâ humanitatis nostræ velatum substantiâ, ut duplicatâ veritate veri DEI & veri hominis confunderet geminatum mendacium falsæ religionis idololatrarum. *DEO itaque in humana natura falso adorato, Deus verè homo factus est ut solveret falsum.*

Filius Dei factus est homo, ut confunderet mendacium gentilitatis.

Cyrill. Alex, Catech. 22.

Omninò ergò necessarium fuit, ut incarnaretur Filius Dei, quamvis Adam suam conservâsset innocentiam pro se & pro nobis, ad stabiliendam solummodò veram inter nos Religionem; siquidem quia compositi eramus è corpore & spiritu, credidissemus nos habere nonnisi semi-Religionem, nisi utraque pars cognosceret Deum suum, illique sua præstaret servitia: necesse quidem erat, ut sacrificaret spiritus Deo spirituali; sed necesse quoque fuit, ut corpus famularetur DEO corporali: oportebat ergò nos habere Deum-Hominem, qui esset utrumque, purus Spiritus per Divinitatem suam, & verum corpus per suam Humanitatem, ut homo medium haberet adhærendi Deo secundùm se totum, secundùm exteriorem & interiorem hominem, secundùm corpus & secundùm spiritum, sicque verè & absque ulla limitatione dicere possemus: *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Psalm. 72.

Necessarius nobis erat DEus corporalis & spiritualis, ut integram haberemus Religionem.

Refertissima solatio erat promissio, quam fecerat Deus per os Vatum suorum: *Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum;* & aures tuæ percipient vocem ejus. Tu grex Israël, videbis Pastorem tuum, gradientem ante te, téque deducentem ad pascua vitæ, nec non defendentem te adversùs lupos, hoc est, inimicos salutis tuæ. Tu Ecclesia visibilis & sensibilis habebis summum Pontificem tuum præeuntem te, qui benedicet tibi, ejusdémque erit cum membris Ecclesiæ corpus componentibus naturæ. Vos legiones Dei exercituum, pugnantes pro ipso in terra, ut triumphetis cum ipso in cœlis, videbitis Ducem & Imperatorem vestrum in medio vestri, qui docebit manus tuas ad prœlium, téque instruat recipere plagas & mori amore sui, sicut ipse vulneratus & mortuus est amore tui. Tu denique Respublica Christiana videbis Legislatorem tuum, qui dabit tibi perfectissimas justitiæ leges, ipsemet te docens observare illas, tum exemplis, tum verbis suis. Isai. 30. v. 20.

Oportebat Ecclesiam habere Deum visibilem.

Ecce! quot glorioſos titulos JEsus Christus Deus-Homo circumfe-

cumferat, velut tot diademata in vertice suo, quæ velut totidem efficacia sint argumenta Incarnationis suæ, quæ haud dubiè obstrinxissent ipsum ut fieret homo, quamvis homo peccâsset nunquam: siquidem ipse est Rex noster, Pastor noster, Præceptor noster, summus Pontifex noster, Legislator noster. Quis credet, tot glorioſos titulos non esse tot jura, quæ habet in nos, quando etiam non veniſſet ut Redemptor? Verum quidem est, ipsum non assumpturum fuisse carnem mortalem ac passibilem, si opus non fuisset mori pro salute nostra. Sed verum quoque est, non fuisse induendum ipsum carne glorioſa & eodem splendidâ lumine, quo refulget jam in cœlis, aliàs conversandi cum hominibus omni caruisset facultate, nisi miraculo nunquam intermisso suæ suspendisset Majestatis splendores, ut sese nostrorum accommodaret oculorum debilitati.

Si Adam non peccâsset, JEsus Christus non habuisset carnem passibilem, nec etiam carnem glorioſam.

O JEsu felicitas mundi! quanta divinarum consolationum abundantia cunctos demulsisses homines, si inveniſſes ipsos absque peccato? quanto cum gaudio jucundissimâ tuâ potiti fuissent præsentiâ? & quanto cum ardore omnium corda adhæsissent tibi? Maledictum peccatum, cur ingenti hâc exspoliâsti nos felicitate? Sed cur modò adhuc eò nos redigis impotentiæ, ut amare non possimus JEsum Christum tantâ puritate, innocentiâ ac fidelitate, quantâ tunc amâssemus ipsum; cùm tamen nunc longè fortiores ipsum amandi nos constringant obligationes, quàm in illo constrinxissent nos statu.

ARGUMENTUM.

Tertia ratio, quæ probat Filium DEI incarnandum fuisse, quamvis Adam non peccâsset.

Articulus IX.

Verbum incarnari debebat, ut daret Deo omnem gloriam, quam dignus est recipere à creaturis suis.

ECcur DEus extrahere voluit totum hoc universum è fundo nihili? Dubitari non potest, quin pro sua gloria, quæ solus est fructus, quem exinde volebat colligere. Sed quam laudem aut quam gloriam recipere ipse potest vel à cœlis, vel à plantis, vel ab animantibus, quæ ipsum cognoscendi & amandi omni destituta sunt capacitate? Dices: Id eo esse nomine, quòd omnia manuum suarum opera conjunxerit in homine, qui parvus est mundus, cùm ipsi conferre voluerit esse, vitam, sensum, sicut elementis, plantis & animantibus; & adhæc locupletaverit ipsum

ipsum intellectu & capacitate cognoscendi & amandi se, ut is solus ipsi redderet omnem gloriam, omnem laudem, & omnem, quem à cunctis creaturis suis recipere desiderat, amorem.

Sed quæro: quam laudem vel quem honorem reddere potest Deo, cui aliqua sit convenientia cum infinita magnitudine Majestatis ipsius? an non constat, quòd finitum inter & infinitum nulla existet convenientia, nulla proportio? Deus est ens infinitum, & homo non habet nisi esse finitum, tam parum distans à nihilo, ut nonnisi unico sit opus passu, ut relabatur in illud. Quid igitur facere poterit ad reddendum Deo honorem & gloriam infinitam ipsi debitam? Quòd si omnes simul homines sese exhaurirent & annihilarent ad reddendum Deo omnia homagia, omnes laudes, omnem gloriam, omnem amorem, obsequia omnia, quæ valent, non possent ipsi exhibere quidquam, nisi quod finitum sit, & consequenter infinitâ ratione infra id, quod infinitæ ipsius debetur Majestati. Quid ergò faciendum? An dicatur, Deum nunquam honore, amore, obedientia, laude, servitio, gloriâ, quantum promeretur, afficiendum fore?

Certum est, nonnisi Deum infinitâ ratione magnum reddere posse Deo cuncta, quibus dignus est, homagia, eò quòd honor pretium suum & excellentiam suam trahat non ex eo, qui honoratur, sed ex persona honorante: parvi æstimatur honor, qua simplex rusticus afficit Regem, quàm magnus is esse possit; sed maximi haberetur honor, quo Rex simplicem afficeret rusticum, quàm parvus is possit esse, eò quòd honor à persona quæ honorat, suum desumat valorem. Nonnisi ergò persona infinita ratione nobilis infinitum honorem reddere potest Deo.

Quare purus homo non possit honorare Deum quantum mereatur.

Intueor Filium unigenitum, Verbum æternum in sinu Patris sui: Verum est, ipsum infinitæ dignitatis esse personam, cui probè constet, divinum Patrem suum infinito dignum esse honore. Sed in hoc statu hunc illi reddere non posset, eò quòd non sit inferior ipso, verùm ipsi in omnibus æqualis, cùm sit idem omninò cum ipso Deus: Probè etiam novit, se hunc illi reddere posse, si foret ipso inferior, quia tunc cessaret ipsi esse æqualis: amat is ipsum infinitâ ratione, & libenter vellet ipso fieri inferior, ut esset in statu, in quo reddere ipsi posset, omnem quam promeretur gloriam, quámque dignus est recipere à suis creaturis. Sed quo medio magis congruo posset uti, ad reddendum se inferiorem Deo Patre

Quare Filius DEI non possit honorare Deum Patrem suum, nisi fiat homo.

ſuo, niſi induendo hominem & humanam aſſumendo naturam, hâcque ratione ſe collocando in ſtatu tribuente facultatem, omnem infinitam exhibendi gloriam, infinitæ ipſius debitam Majeſtati? eò quòd homo ſola ſit creatura, in qua omnes aliæ ſimul reperiuntur unitæ, ipsâque ſola locupletata ſit intellectu, cui ſit copia cognoſcendi, glorificandi & amandi Deum ſuum; unde & homo fieri prælegit. Ex quo evidenter patet, neceſſarium ſemper fuiſſe, ut Perſona incarnaretur divina, pro ſumma & maxima Dei gloria, absque reſpectu in culpam Adæ.

Videmus etiam ſanctam Eccleſiam, quæ à ſancto Spiritu regitur, dum inceſſanter modulatur pulcherrimum illud Canticum: *Gloria in Excelſis DEO*; à ſanctis Angelis in Nativitate Verbi incarnati decantatum, magna hæc illi adjungere verba: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*; quam nempe ex hoc myſterio in te redundare cernimus. Grates tibi habemus de eo, quòd cùm nobis dederis Deum-Hominem, facultatem habeamus reddendi tibi per illum & in illo omnem gloriam, omnem laudem, omnem, quo dignus es amorem; ſiquidem verum eſt, majeſtatem infinitam Dei nec exigere poſſe plus honoris, laudis, & gloriæ, nec obedientiæ, nec amoris, quàm recipiat à JEſu Chriſto; cùm omnia hæc impendantur ipſi à perſona quadam infinita ipſi in omnibus æquali, quæ eo nomine inferiorem ipſo te fecit, ut eſſet in ſtatu cuncta ſua illi præſtandi homagia & obſequia. O ſi æſtimare nobis liceret valorem theſauri, quem poſſidemus in Chriſto JEſu? Tam dives is eſt, ut deſumere ex eo poſſimus, unde ex integro noſtra ſolvamus debita, reddentes Deo omnia ea, quæ exigere à nobis poteſt in tota latitudine potentiæ & infinitæ magnitudinis ſuæ, ita ut ſecurè ipſi dicere poſſimus: Exſolvi debita, Domine, tibi cuncta, nec ullo amplius tibi obſtringor. O mi JEſu! ô pretioſe mi theſaure! Nonniſi tui opus eſt mihi; cum cæteris omnibus quid mihi negotii? tolle mihi omnia; modò te ſolum poſſideam, infinita ratione ſum dives pro tempore & æternitate.

Deus glorificatur à JESU Chriſto, quantum poteſt & debet glorificari.

Sed attollamus hìc cogitationes noſtras altiùs. Conſidera impoſſibile eſſe, quòd Perſonæ divinæ adorandæ Trinitatis recipiant unquam à ſe invicem aliquam reverentiam, aliquam ſubmiſſionem aut etiam grati animi ſignificationem pro omnibus infinitis bonis quæ reciprocè ſibi communicant, eò quòd, cùm ſint nonniſi unus Deus, nullam ab invicem habeant dependentiam.

Ex omnibus Perſonis divinis, non eſt niſi ſecunda quæ poſſit a liis grates agere.

tiam. Sed si per impossibile aliqua Persona reddere posset alteri accepti ab ea memoriam beneficii, nonne verum est, quod Filius Dei unigenitus videns se recipere à Deo Patre suo divinitatem, quæ bonum infinitum est, rependere de eo ipsi vellet grates infinitas? Totum hoc, quod facere potest, est ipsum amare, quamvis nec hoc ex motivo gratitudinis.

Ah! non putes, Filium hunc unigenitum, cum gaudio feciſſe se inferiorem Patre suo, dum factus est homo, ut Persona sua divina, quæ recipit bonum quoddam infinitum ab ipso in æternitate, quin ipsi de illo aliquas habeat grates, postquam nostra induta est humanitate, has ipsi reddere possit ratione infinita, tam de Nativitate sua æterna, quàm sua temporali? Abstrahamus à peccato Adæ. Hoc unicum ingens consilium, nonnè mereatur, ut formaretur ab eo decretum de creatione mundi, ad producendum in eo homines, quibus esset capacitas cognoscendi & amandi Deum, & accensendum semetipsum numero hominum ut esse posset in statu reddendi infinita Deo homagia extra divinitatem suam, cùm hæc intra illam reddere non posset?

Ah! non putes etiam, quòd Spiritus sanctus, cùm nec minimas rependere posset grates Patri & Filio de bono infinito, quod accepit ab eis, velut à suo principio, maximo cum gaudio fuerit machinatus architecturam prodigiosissimi hujus operis, Incarnationis nimirum Filii Dei, ut, quoniam per hoc specialem acceperat potestatem in personam Verbi incarnati, uti posset, & ipso opere uteretur sublimissimis ac divinissimis animæ ipsius affectibus, ad faciendum in persona ipsius hoc, quod facere non poterat in sua? siquidem sanctus Paulus nos docet, quòd divinus hic Spiritus nostra occupet corda, ut amet Deum per illa, qui, cùm amor sit infinitus, nullum in divinitate producere potest amorem; & ipse est, qui nobis suggerit vocem & verba, ut appellemus DEum Patrem nostrum: *In quo clamamus: Abba Pater.* Rom. 8.

Cur Filius & Spiritus sanctus operati sint cum gaudio mysterium Incarnationis.

Quid putas ipsum facere in anima & in corde Verbi incarnati? adorandi hujus Verbi, quod simul est & Verbum Patris, & principium amoris infiniti? ô Deus! quanta cum excellentia, cogitare possumus, quòd usus fuerit Persona hac divina humanitate induta, ad amandum per cor ipsius DEum, & appellandum eundem per os ipsius Patrem? Rex cordium est cor Christi JEsu: quis dubitare potest, quin Spiritus summa cum

magnificentia in hoc suum posuerit tabernaculum? & quis cogitare poterit, omnia hæc prodigia patrata esse, nonnisi per accidens respectu peccati Adæ?

Omnibus his annectam, quod vehementius movere nos solet, nósque magis convincere, speciale nostrum commodum. Et hoc ultimum erit argumentum imponens finem præsenti Consultationi.

ARGUMENTUM.

Quarta ratio, quæ probat, quòd etsi Adam non peccâsset, Filius DEI fuisset incarnatus.

Articulus X.

Omnis gloria & felicitas naturæ nostræ humanæ dependet à mysterio Incarnationis.

NOn erat animus Deo magnificandi seipsum, dum factus est homo; siquidem infinita ipsius Majestas ex omnibus, quæ sunt extra ipsum, nil capere potest augmenti; sed extollere voluit infinitâ ratione vilitatem conditionis nostræ humanæ, efficiendo, ut homo esset Deus. Reperire erat tantæ ambitionis homines, ut adorari se fecerint velut Deos. Nabuchodonosor, qui nonnisi hominem mortalem agebat, cujúsque altitudo excedere non poterat, nisi sex aut septem pedes, vult adorari ab omnibus velut immortalis Deus, Deorúmque maximus; quod ut efficeret, curavit fieri statuam excedentem longè usitatam idolorum, quæ Gentiles adorabant, magnitudinem; scilicet ingentem statuam auream altitudinis sexaginta cubitorum; & sub ignis præcipit supplicio, ut omnes se prosternant in facies suas, & adorent hanc statuam, in qua credebat se accipere divinos honores. Sanctus Chrysostomus exclamabat desuper, admirans cœcitatem & dementiam hujus Principis: *Vide Regis dementiæ excessum, vivens ex non vivente splendidior apparere volebat.* Hic homo, qui vivus erat, vult apparere Deus immortalis in re, quæ vitam non habet; parvus hic homo vult magnum se facere Deum per metallum, quod minus est ipso. Quid per hoc obtinuit, nisi quòd se monstraverit minorem homine, cunctísque ostenderet sæculis se impotem rationis?

Dan. 3.

Hom. 23. ad pop. Antioch.

Stultitia Nabuchodonosoris.

Non est stoliditatis Principum ambitiosorum efficere seipsos Deos; sed quod hæc non potuit, mirificè effecit infinita sapientia Regis Regum, dum voluit hominem esse verum Deum, dum Deus verè factus est homo. Insatiabilis ille magnitudinis appetitus,

Deus solus poterat facere ut homo verè esset Deus.

titus, qui accensus est in corde hominis, quando dæmon seducens Protoparentes nostros, promittebat illis, quòd futuri essent sicut Dii, frustratus est in persona primi Adæ sed adimpletus est, imò etiam expletus ultra id, quod desiderare est ausus, in persona Adæ secundi JEsu Christi, ubi homo factus est, non solùm sicut Deus, sed Deus ipse. Et considera, quanto cum lucro & commodo: rapieris in admirationem magnitudinis, ad quam infinita ipsius bonitas elevare dignatus est miseriam nostram naturam humanam.

Homo elevatus super solium Dei in medium Senatûs SS. Trinitatis.

Intueri Divinitatem & Humanitatem sedentes simul supra idem solium unius Personæ divinæ, ita ut è duabus non sit nisi una eadémque facta res; verúmque etiam sit afferere, quòd homo sit Deus, sicut affirmare verum est, quòd Deus sit homo. Et quod juxta nostrum intelligendi modum honorem hunc auget, est, quòd videatur homo elevatus super augustum hoc solium, usque ad medium sacratissimi Sanctuarii sanctissimæ Trinitatis. Verum quidem est, omnes tres divinas Personas possidere magnitudinem infinitam sibi communem; sed nos concipimus Personam Filii in medio Patris & Spiritus sancti; & inter nos judicaretur medium habere, nescio quid magis honorabile. Eoúsque ergò placuit supremæ Majestati Dei attollere & collocare humanitatem nostram, in Personam Filii potius, quàm Patris aut Spiritus sancti.

O homo obcœcate! non aperies unquam oculos? non attollas unquam caput ad contemplandum & admirandum, si non excellentias DEI tui, saltem illas, quas ipse largitus est tibi per ineffabile mysterium Incarnationis? *Media stat inter Patrem & Spiritum sanctum Persona Filii, familiaris humano generi benignitate, familiarior identitate, cum ipsa sola carnis nostræ susceperit paupertatem.* Damian. serm. de S. Victore, Nonne vides quòd Persona Filii sit in medio Patris & Spiritus sancti, velut cor utriusque? Et quis dicere audeat, naturam nostram dignam non fuisse maximo hoc honore, nisi quia peccaverat? nonne magis digna fuisset illo, si nunquam peccasset, & indignè Deum offendisset. Itane ergò? Nunquam homo fuisset Deus, si nunquam fuisset magnus inimicus Dei? & hoc fere est, quod dicere volunt illi, qui tenent, Filium Dei nunquam fuisse incarnandum, si Adam non peccâsset. Ubi est quis sanæ mentis, quem unica hæc propositio non offendat?

Finem huic consultationi imponent verba sancti Leonis Papæ: *Agnosce Christiane dignitatem tuam; & divinæ factus sum consors* Serm. 1. de Nativit. Dom.

naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Attolle ergò te tandem, ô homo, à vilitate tua naturali, & excellentias considera divinas: Cogita, non amplius te esse eundem, postquam positus es honore, ut ejusdem cum Deo sis naturæ, per mysterium Incarnationis; & suffundere, si oblitus tam sublimis gloriam eminentiæ sequaris vecorditer propensiones animales, hócque afficias opprobrio DEum-Hominem, ut habeat fratres, qui referant feras & agant bestias. An minus reverearis ipsis dæmonibus conditionem tuam humanam, postquam Filius Dei elevare dignatus est tuam humanitatem usque ad solium propriæ divinitatis suæ?

Brutalia desideria deberent nos suffundere pudore post Incarnationem.

Cùm aliquando Christus JEsus offendisset in via miserum hominem à legione dæmonum miserrimè vexatum: maligni hi Spiritus augustæ Majestatis ejus præsentiâ exterriti accurrerunt ad ipsum, & non obstante maxima ipsorum arrogantia prosternendo se ad pedes ejus, & rogârunt, ut, si ejicerentur è corpore istius hominis, permitteret sibi intrare in magnum ibi pascentium porcorum gregem. Et ipse tantâ refertus bonitate, ut nec maximis inimicis suis abnueret quidquam, annuit ipsorum votis. Circa quod sanctus Remigius prudenter observat, quod petere non fuerint ausi, ut sibi in corpora aliorum hominum liceret intrare; eò quòd videntes Majestatem Dei omnipotentis, coram quo præ pavore contremiscebant, corpore indutam humano, profundissima ferebantur reverentia erga totam humanam naturam. Non petiit, ut in alios homines mitteretur, quia illum, cujus virtute torquebatur, humanam speciem gestare videbat.

Ipsi dæmones reverentur naturam humanam post mysterium Incarnationis.

S. Remigius in cap. 8. Marci.

Christiane, quid respondebis exprobrationi faciendæ tibi à dæmonibus immundis? agnoverunt illi dignitatem quandam, quam reverebantur in natura tua humana post mysterium Incarnationis, & tu tam parvi æstimas ipsam, ut non erubescas prostituere illam fœdissimis peccatorum spurcitiis? Quando puritatem haberes Angelorum, nondum sufficeret illi, qui fruitur honore, ut sit ejusdem cum Deo Homine naturæ; & tu in seriem bestiarum hanc audeas dejicere naturam, quam Deus elevavit super Angelos, usque ad suæ gloriam Divinitatis? JEsus Christus recognoscit te in se, tibique divinas suas communicat excellentias; tu recognosce JEsum Christum in te, & reverere exhibitum tibi ab ipso honorem, quo tantâ se tibi propinquitate voluit conjungere, ut proprius ipsius existas frater, & vivum corpo-

Æstimare non possumus honorem, quo fruimur, dum fratres Christi JEsu sumus.

corporis ipsius mystici membrum.

O si dignitatem nôssemus æstimare, quam possidemus, dum sumus Christi JEsu, dum tanta necessitudine conjungimur ipsi? Majus hoc est, quàm esse fratres summorum mundi Imperatorum; excellentius hoc est, quàm conditioni accenseri Angelorum & sublimissimorum Seraphinorum in cœlo: admirantur ipsi felicitatem nostram, & nos non agnoscimus ipsam; illi honori sibi ducunt, se nostros esse ministros: *Omnes sunt administratorii Spiritus;* Heb. 1. eò quòd intueantur in hominibus divinam quandam propinquitatem, quâ ipsi inventi non fuerant digni; & nos tamen nostram non collocamus in eo gloriam, ut exhibeamus nos fideles ministros Christi JEsu? Maximo deputatur honori, deputatum esse servitio domestico, magísque familiari cujusdam Regis, caro emuntur pretio primaria aulæ & curiæ ipsius officia, ostentant dum ostendunt publicas servitutis suæ tesseras, velut speciosissima, quæ haberi possint ornamenta. Eheu! quid sunt cuncti Reges terræ respectu solius JEsu Christi? Nonne minoris sint, quàm sit pulviculus respectu orbis universi? Et nemo quasi se credit honoratum, dum fidelem præstat ipsi famulatum; procul abest, ut gloriam aucupetur ex eo? Potius suffundimur pudore, dum ipsius induimur & adornamur insignibus, quæ sunt adversitates, contemptus, paupertas. O quàm pauci sunt, qui portent hæc cum gaudio, quíque credant sibi illa esse honori? O JEsu! qui tanti æstimâsti homines, ut ipsas etiam illorum amaveris miserias, quàm parum agnoscaris, parum æstimaris, parum amaris à plerisque hominibus? ô divine JEsu! ostende nobis pulchritudinem eorum omnium, quæ sunt in te, & persuadebimur luculenter, nihil esse excellentius, quàm servire tibi, te imitari, tibi assimilari.

CONSULTATIO VI.

De Cæcitate Judæorum, & omnium eorum, qui non credunt Adventum Christi JEsu.

Sumus omnes peregrini in terrâ.

1. Paralip. c. 29. v. 15.

NOn est effatum melius illo, quod S. Rex David bina vice in Scripturis edidit: *Peregrini sumus super terram.* Verum quidem est, non omnes homines iisdem implicari vitæ negotiis; omnes tamen eodem ambulant passu in cursu vitæ. Nec

Psalm. 38. v. 13.

Nec unicus est, qui singulis momentis suum non prosequatur iter, tendátque incessanter ad terminum communem, æquali ratione finientem omnium vitam hominum, quantumvis vias ambulent valde diversas, unusquisque juxta consilia, vota & affectus suos particulares, à quibus trahuntur, quin & rapiuntur in diversa. Accidit fermè multitudini hominum, quòd innumeris illis confusè vagantibus in aëre atomis, quos levis concitat motus, congregat & separat, conjungit & dividit, commiscet & distinguit perpetuò agitatione inordinatâ, quæ finem non habet.

Homines commiscentur in terra, sicut atomi in aëre.

Si quilibet homo in particulari consideraret cursum vitæ suæ & ponderaret, quot millenos in medio tot aliorum hominum fecerit motus inordinatos atomorum, vadens & veniens, abiens & rediens inter multitudinem sodalium, quorum unus nesciat, quò vadat alter, nec de quo cogitet, nec quid desideret; & quoties ex inopinato sese adjunxerit alicui societati certo conclusæ numero, qui modò sit auctus, modò imminutus, & postea omninò dissipatus; quot insuper sese conjunxerit aliis, quos etiam jam deseruerit, abs eo, quod amplius sciat, quò devenerint primi, quibus familiariter utebatur; sicut & hi ex parte sua ignorant, quid acciderit ipsi, quâve usus fuerit sorte: Bone Deus! quot motus, quot circumagitationes, quot mutationes continuas videre esset vitæ humanæ, ubi omnes homines quasi nunquam geminatâ vice in eodem reperiuntur statu! Cùm interim magnus ille providentiæ Patris cœlestis oculus hæc omnia fixo aspiciat intuitu, eáque certis ac infallibilibus dirigat legibus ac regulis, quæ infallibiliter sua in opus deducant consilia, quæ in æternitate sua super quemlibet formavit hominum!

Affirmo hac occasione nostri itineris, ubi providentia Dei, postquam nos ejusmodi homines conjunxerat simul, quibus omnes præcedentes Consultationes poterant esse utilitati, nos tandem separavit ab invicem, ob diversa, quæ quilibet capiebat consilia, quibus in omnem dividebamur terram, nisi quod noster Ecclesiasticus & ego manserimus simul ab invicem inseparabiles. Sed non diuturno tempore perstitimus soli: Nam secundo die occurrerunt nobis in via duo alii, quos primitùs credideramus esse mercatores aut viros negotiis occupatos: ipsorum physiognomia gravis & paulisper severa, ipsorum colloquium valde serium, cui ambo defixâ intendebant mente, nos ita fecerat judicare: hinc non absque difficultate induximus ani-

animum congrediendi cum illis; nihilominus invenimus ipsos satis affabiles, satísque benevolos in nostra acceptanda conversatione, quamvis repugnantiam sentire debuissent in illa; invenimus enim quantocyus ipsos non esse, quos credebamus.

Fortuitus occursus duorum Rabbinorum, qui præbebant materiam Consultationi.

Erant duo Judæi, & duo ex illis, qui nuncupantur inter ipsos Rabbini vel Legis Doctores, deplorantes inter se infelicitatem Synagogæ suæ, quæ plurium sæculorum decursu tantis à DEO locupletata favoribus, ut præcipuè videretur cordi habere illam divina ipsius providentia, quæque tantis è cœlo repleta beneficiis, ut cunctorum adversum se cieret invidiam populorum, jam sese contemptam lugebat, & cæterorum hominum expositam persecutioni ac odio: quasi ipsi, postquàm elevati fuerant suprà conditionem humanam, indignos sese reddiderint tenere locum inter homines, à quibus pejus, quàm bestiæ ipsæ exciperentur.

Breve compendium miseri statûs moderni Judæorum.

Desuper admodùm prolixè, quasi commovere nos vellent ad compassionem, exposuerunt nobis miserabilem statum suum, quem modò tenebant; quòd nimirùm in universo orbe, nullo sibi stare liceret loco, ubi vivere & frui possent libertate; quòd ubivis locorum haberentur omnes velut mancipia; quòd alibi abscondere se cogantur sub nomine & specie alterius populi, velut serpentes, quibus non liceat prodire in lucem, ne lapidibus fortè obruantur; quòd suavissimam sibi videantur possidere conditionem, quando quempiam invenire poterunt angulum, ubi carò sibi emere permissum sit libertatem vivendi, respirandi aërem, & ambulandi super terram cum cæteris hominibus; quòd indigni habeantur, qui possideant in aliqua mundi parte, vel tantillum fundi sibi proprium, ubi suum figere possint pedem tempore vitæ, & sua abscondere corpora post mortem; quódque totius mundi sustineant persecutionem, quasi publici universæ naturæ humanæ forent inimici.

Sed quô maximè affligebantur, esse, quòd nullum quasi amplius appareat vestigium antiquæ illius majestatis, quâ sua olim refulgebat religio; quòd nihil amplius videre sit magnifici illius templi, Altarium, Sacrificiorum, Prophetarum, Pontificum, cæremoniarum; & tandem nihil quasi amplius, quòd videri posset remansisse è Religione illa omninò sancta, quàm Patres sui acceperant à Deo, quámque hucúsque tot sæculis sartam tectam magnâ conservaverant cum veneratione. Hæc miseriarum, quas admodùm affectuosè quamvis breviter nobis recensebant, syllabus

nos aliquâ tangebat compassione; hinc charitas boni nostri Ecclesiastici exstimulabat ipsum ad interpellandum illos, & ostendendum eis, quòd manifestum ex hoc ipso deducatur argumentum adventûs promissi olim patribus suis Messiæ.

ARGUMENTUM.

Quòd status miserabilis Judæorum argumentum sit evidens, quòd Messias advenerit.

Articulus I.

Quo tempore natio Judæorum fuerit extirpata.

INterrogat ipsos: A quo tempore decidistis à statu tam felici, in quo erant Patres & Majores vestri, in hanc miseriarum abyssum, cui modò immersos vos lugetis? responderunt ipsi: Erunt circiter mille sexcenti & aliquot anni, quando nempe Jerosolyma destructa & excisa fuerat ab exercitu Romanorum, & magnificum illud templum Salomonis in universo famosum orbe, quódque fuerat velut augustum Religionis nostræ solium, profanatum, & exin adæquatum solo ab inimicis Dei. Videbantur ruinæ magnæ hujus civitatis natare in sanguine incolarum suorum; plures horum milliones jugulati, velut victimæ, immolati sunt furori incircumcisorum: illi, qui victorum evaserunt gladium, deducti sunt in captivitatem & venditi velut mancipia, vel acti in fugam in diversas dispersi mundi partes. Et posthæc omnis generis aliis calamitatibus obruti, nunquam à strage, quam toleravimus, nos potuimus sublevare.

Vana spes Judæorum.

Et nihilominus Deus Israël, qui oblitus non est miserationum suarum, in medùs justitiæ suæ, quos in nos exercet, rigoribus, post tot jam elapsa sæcula, non permisit filios Abrahæ fidelis servi sui, nec reliquias familiæ Jacob amici sui omninò perire & extingui. Nos constamus, perstamus & consistimus semper, obluctantibus in vanũ omnibus viribus humanis, quæ conspirârunt adversùm nos, ad delendum & extirpandum nos funditùs; nósque vivimus cuncti in firma spe, quòd Messias, quem promisit Deus Patribus nostris, venturus sit tandem, ut liberet, emat & redimat nos; ipsius præsentia dissipabit omnes inimicos nostros, velut sol tenebras; siquidem potentissimus ipse erit Monarcha, qui supremo dominabitur jure super omnes Reges terræ, quique populum suum felicissimum ac beatissimum reddet super omnes nationes mundi. O mi-

O miseri obcœcati, respondit illis Ecclesiasticus, quantum deploro vos, dum pasci vos video felicitate nonnisi futurâ & imaginariâ, dum interim nonnisi veras & præsentes toleratis miserias? Eccur non vestros reseratis oculos, ut videatis, incassum vos exspectare Messiam, quem Deus promiserat Patribus vestris, quémque necessariò oportuit jam à longo venire tempore? Calamitates tam diuturnæ, támque crudeles, quos ab ipsius adventu toleratis, tam manifesta hujus præbent argumenta, ut mirum valdè sit vos illa non intueri, nec sentire. Siquidem quam ob causam putatis tam severè vos accipi ab ultrice manu Dei? quæ crimina commiserunt Patres vestri tantæ enormitatis, ut traxerint tum suprà se, tum supra vos sedecim sæculorum supplicia, & maledictionem tam visibilem, tam universalem, támque terribilem, ut omnium sæculorum præteritorum memoria nihil afferat, quòd vel à longè ad rigorem tanti supplicii accedat.

Calamitates Judæorum argumento sunt, Messiam venisse.

DEus non est injustus, ut puniat homines suprà id, quod meruerunt; sed potius justitiæ suæ rigores magnâ lenit & temperat miseratione. Quoties Patres vestri id proprio suo didicerunt experimento? quando committebant impietates, idololatrias & sacrilegia, Deus punivit illos quidem, modò per serpentes igneos, modò per suorum gladium inimicorum, & modò per captivitatem. Sed nunquam horum aliquod suppliciorum universum involvit populum, ita ut nec unicus inveniretur, qui ab illo foret exemptus: nunquam eòusque suam in illos exercuit ultionem, ut privaverit ipsos sanctissimis quibúsque Religionis exercitiis, veluti excommunicatos: nunquam in eas redegit ipsos angustias, ut velut vagabundi dispergerentur in omnem terram more Cainorum, ad exponendum ipsos odio totius gentis humanæ: Nunquam denique severissima, quibus ultrix Dei manus percusserat unquam Judæos, supplicia, per integrum absque interruptione duravêre sæculum, uti patet in captivitate Babylonica, quæ pœnarum omnium maximè diuturna, nonnisi annis duravit septuaginta. Quid est hoc?

Deus punivit olim Judæos, sed jam exterminat.

Quodnam ergò crimen est tam novum, tamque execrandum, quô se Patres vestri obstrinxerunt, ut æquissimo jure promeruerint supplicium tam universale, quod integram involveret nationem, nec unico excepto: mulctam adeò severam, ut cœlum & terra adimerentur ipsis, id est, bona spiritualia æquè ac temporalia, quin & ipsa Religio, cujus non plus residuum sit,

Supplicium inauditum Judæorum arguit, quòd occiderint Messiam.

quàm levis quædam ſpecies & tenue phantasma, uti vos ipſimet confitemini: pœnam tam probroſam ac infamem, ut contemptui, horrori ac abominationi eſſent cunctis viventibus: Et denique ultionem tam diuturnam, ut videatur eſſe perpetua; cum ultra mille ſexcentos annos duret absque minimo ſolatio ac minima ſpe, quòd imminuenda ſit aut finienda. Quid ergò commiſerunt? quodnam ipſorum crimen? procul dubio abominatione ſuâ longè excedet ſine ulla comparatione idololatrias, ſacrilegia, & omnes impietates, quas omnes Judæi ſimul commiſerant unquam, eò quòd omnipotentem Dei manum nunquàm non premere & aggravare faciat univerſam nationem, & tanto quidem cum pondere ac rigore, qualem nunquàm cuncta aſpexerunt ſæcula. Perpende pauliſper, quale hoc ſit peccatum.

Judæi pronuntiârunt contra ſeipſos ſententiam condemnationis ſuæ.

Si non maximâ, quæ eſſe poſſit, percuſſi eſtis cœcitate, aut omninò dati in ſenſum, nonnè probè videatis, Meſſiæ eſſe ſanguinem, tanta cum impietate ac rabie à Patribus veſtris effuſum, qui vindictam clamet adversùm filios ipſorum? Nonnè manifeſtè aſpiciatis, juſtitiam Dei aliud non facere, niſi quòd horrendam illam exequatur ſententiam, quam pronuntiârunt ipſimet tum in ſe, tum in poſteritatem ſuam, dum urgendo judicem, qui declarabat ipſum innocentem, ut condemnaret illum ad mortem, unanimi exclamârunt voce, veſtro perciti ac furore: *Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Matth. 27. Imò, toleratis adhuc hodiè, & tolerabitis usque ad finem ſæculorum horribile hoc decretum, quòd enecare deberet terrore pronuntiantes idipſum, quod univerſam naturam induit mœrore ac luctu, quódque ipſas mundi concuſſit & quaſſavit baſes.

Totus mundus videt Judæos puniri ob mortem Filii Dei.

Quinimò vindicta hæc eſt ſanguinis Meſſiæ, quam traxerunt ſuprà ſe, & ſuprà vos, quam toleratis adhuc hodiè; vos ſoli, qui ſuffertis illam, ipſam non videtis, dum interim mortales cæteri veſtram intuentes miſeriam, non tamen ullam intuentes commiſerationem, altùm exclamant & clarè aſſerunt: Mirum non eſt, quòd tam dirè percutiantur à manu Dei, cùm ſint perfidi illi, qui ſacrilegas ſuas lavârunt manus in ſanguine Meſſiæ & Salvatoris ſui: Venerat is è cœlo, ut ipſis afferret vitam, & ipſi tam crudeles, támque impii fuerunt, ut propriis manibus inflixerint ipſi mortem: non ſufferrent ſupplicium, quòd Deus unquàm inflixit ſeveriſſimum, niſi commiſiſſent crimen, quod unquàm ab hominibus commiſſum eſt, atrociſſimum.

Quod

Quare DEus conservet semper reliquias nationis Judaicæ.

Quòd Deus conservet ipsos in media hac calamitatum omnium inundantia, quâ prorsùs per tot sæcula debuissent consumi, id ideò est, ut semper habeat, quod in ipsis ulciscatur: eâ ferè ratione, quâ semper conservat infelix esse damnatorum, ut semper exerceat in ipsos terribiles justitiæ suæ rigores in omnem æternitatem. Et per hoc enuntiat & divulgat cœlum universæ terræ veritatem de Verbi Incarnatione; cùm omnes omninò nationes magis luculentum habere non possint argumentum adventûs Messiæ, quàm supplicium Judæorum, quod tam visibile est, ut nemo id possit ignorare, quódque nunquàm non patenter imminuit ipsis per cuncta sæcula ex quo impiis manibus occiderunt illum.

Affectus cœci & furore pleni Judæorum.

Responsum hoc, quod Ecclesiasticus magno pronuntiavit cum fervore, haud parùm irritavit duos Judæos, qui asperè & voce admodùm durâ contemptim reposuerunt illi: Ecce usitata vestra, vos Christiani, delira, quibus pudor extorquere deberet animam, quòd tantæ sitis crudelitatis, quâ persuadeatis vobis, hominem sententiâ justitiæ condemnatum ad mortem, publicè per manus carnificum ob sua crimina extremo affectum supplicio, quorum erat præcipuum, quòd abolere voluerit æternam hanc legem, quam accepimus ab ipso Deo per manus Moysis, quódque asserere fuerit ausus, esse se Filium Dei, sive promissum Patribus nostris Messiam. Ubi est ratio vestra, quòd adoretis hunc hominem suffixum cruci inter duos latrones, velut Deum vestrum?

Rationes apparentes Judæorum.

Ità verò, adorate Deum mortuum, si vobis sic placet; quantùm ad nos, adoramus Deum vivum & immortalem. Adorate Messiam, qui seipsum tueri non potuit, quin in extremam, quæ homini accidere possit, caderet miseriam. Quantum ad nos, exspectamus Messiam, qui liberet Israël ex omni miseriarum genere, nósque præ omnibus populis terræ felices reddat ac beatos: submittite vos, si vultis, legi ab homine hoc ex propria sua auctoritate vobis datæ; quantum ad nos, quidquid fiat, recedere nolumus à lege Patrum nostrorum; cùm certi simus, hanc accepisse ipsos ex ore ipsius Dei. Profitemini tandem Religionem vanam & novam à particulari quodam homine ex capite suo excogitatam; quantum ad nos, honori nobis vertimus, quòd nunquàm nos avertamus à sola vera Religione, quæ ejusdem cum mundo antiquitatis potest affirmari, quæque alias omnes ad pedes suos aspexit prostratas.

Rationes efficaces & constringentes contra Judæos.

Eja quæso, bona verba, Domini mei, inquiebam ipsis; aberratis à via vestra, deflectitis à proposito; nôsse non cupimus sensa vestra, quæ nos haud latent: respondere oportet argumento vobis proposito, quod plausum meretur, vósque constringit fortiter. Eccur post tot sæcula omnium hominum estis miserrimi? Nonnè verum est, venisse aliquem JEsum à Nazareth, qui prædicaverit Jerosolymis, qui dixerit Messiam se esse vestris promissum Patribus? abnuere hoc ipsum non potestis. Nonnè verum est, ipsum plura insignia patrâsse miracula, ad confirmandam eorum, quæ prædicabat, veritatem; veluti erat, dare cœcis à nativitate visum, resuscitare Lazarum à diebus quatuor jam defunctum, & plurima alia, quæ referuntur ab omnibus Historiographis contemporaneis, etiam profanis? Hæc veritas tam est manifesta, ut nullum prorsùs dubitandi relinquat locum. Nonnè verum est, quòd Patres vestri, pro eo, quòd receperint ipsum velut verum suum Messiam, ipsum persecuti sint, ac mortem ipsius urgere non destiterint, quoad viderint ipsum suffixum in cruce? Quando veritatem miraculorum ejus admittere non vultis, dubitare saltem vobis non licet de adventu ipsius, de persecutionibus, quibus affecistis ipsum, & de morte, quam sustinuit à vobis. Omnia hæc vera sunt, dixerunt ipsi, sed positis his omnibus non sustinemus, ipsum verum fuisse Messiam; siquidem Messias, qui venturus est, longè aliam habebit potentiam, quàm homo, qui passus est suffigi se in cruce.

Manifestum est, vindicasse Deum mortem unigeniti Filii sui.

Quare igitur, protraxi sermonem, tanta cum severitate hanc mortem vindicavit cœlum? Nonnè verum est, quòd triginta octo annis ab hac elapsis, obsessa fuerit Jerosolyma ab exercitu Imperatorum Vespasiani & Titi, quódque experiri inceperit ipsa ultionem magis horribilem, quàm unquàm fuerit conspecta? Quid commisit fastuosa hæc Jerosolyma, olim DEO tam chara? an adorabat idola? an deseruerat veri DEI cultum? an affirmari potest, ipsam commisisse aliam quandam abominationem inauditam intra spatium horum triginta octo annorum, quæ attrahere potuerit super illam stragem hanc in perpetuum irreparabilem? Interim ipsa directa ac devastata est, non velut civitas Romanorum potentiæ rebellis & refractaria; his namque consuetudo non erat hâc ratione accipiendi devictos: sed velut civitatem sacrilegam, impiam, rebellem Deo suo, & obnoxiam occisioni unigeniti Filii sui. Legite enim omnes eos, qui tragi-

tragicam & cruentam exavârunt historiam de omnibus iis, quæ acciderunt, præcipuè Josephum, qui vobis tanquam unus ex vestris, suspectus esse non potest.

Joseph. de bel. Judaico.

Aspicietis clarè, non tam fuisse manum hominum, quæ ciebat bellum, quàm manum Dei, quæ ipsorum utebatur manibus ad ulciscendum se de illis; & fatebimini, non tam illatum esse illis bellum ab extra, quàm ortum duxisse è proprio ipsorum sinu: tres partes adversæ, quas formaverunt in civitate, plus effuderunt sanguinis unico die, quàm totus exercitus Romanorum pluribus septimanis; hácque ratione experiebantur manifestè, crudelissimum se persequentem inimicum intra seipsos castrametatum, húncque esse crimen in personam JEsu Christi à se commissum.

Et ut dubitari de hoc non possit, visi sunt summa cum rabie rapi in ipsum templum Dei vivi, cujus occiderant Filium: Hic loci pars illorum, quos zelosos nuncupabant, cùm evasissent victores, impleverunt totum hunc locum sanctum abominatione, homicidiis sacrilegiis, támque multiplicatis profanationibûs, ut ipse hostis, à quo obsidebantur, conceperit ex eo horrorem. Imperator Titus, qui Princeps erat valdè clemens, tam vehementi exin correptus fuit dolore, ut peracri perstrinxerit ipsos reprehensione, Deos patrios testatus, innocuas esse manus suas à tanta abominatione, manifestè asseverans, se non tantum id non fecisse, sed potius, ne fieret, fuisse obstiturum. *Quid in templo etiam mortuos conculcatis, ô nocentissimi? Testor Deos Patrios, non ego vos violare hæc compellam.*

Brevis historia excidii Jerosolymitani.

Nihilominus cœco pergentes furore, ut ostenderent per crudelitatem, quâ sæviebant in templum, sævitiem illam, quâ insaniebant in ipsam personam Dei vivi, qui templum ipsorum sanctificabat, totos torrentes effundebant sanguinis, trucidando Presbyteros, mactando ipsos suos fratres, & totum hunc locum sacrum implendo cædibus, ita ut mortuorum cadavera natarent in lacu sanguineo, veluti in mari rubro. Appono propria Josephi verba: *Stagnum fecerat diversorum cadaverum sanguis.* Et pro eo quod se defendere cogitarent contra Romanos sibi imminentes, gladiúmque jam jugulo quasi apponentes, ac si parva nimis foret tota adversùm se Imperii Romani potentia, proprias suas contra seipsos obarmabant manus, ut quantum poterant, adjuvarent justam Dei iracundiam, ad capiendam de se ultionem. Quis manifestè non intuetur, non esse profectos hos ictus à percutiente manu hominis, sed omni-

potens

potens DEI fuisse brachium, ulciscentis unigeniti sui mortem Filii.

Tandem celebris hæc Jerosolyma desiit esse caput & asylum nationis Judaicæ, & æviternum facta est sepulchrum populi hujus olim tam famosi, & religionis ipsius anteà tam splendidæ, támque ex illa, nisi mœsta ejusdem memoria, & fragmenta ruinarum ipsius ultrà mille sexcentos annos semper dispersa manserint per universam terram; quin se unquàm reunire potuerint ad componendum unum populum, monstrandô per hoc, se non esse deinceps in mundo, nisi ut per totum orbem infelices agant testes adventûs Messiæ, quem egerant in crucem, cujúsque sanguis persequatur ipsos adhuc, ipsorúmque ulciscatur crudelitatem. Quid respondere mihi potestis ad hæc? non sunt fabulæ, quas vobis refero, sunt veritates nimis quàm perspectæ vobis, quia didicistis propriô vestrô easdem experimentô. An non ceditis, nec manus datis hisce argumentis?

Rem accipis in malo sensu, ipsi dicebant mihi! Verum quidem est, miserias nostras, quibus à pluribus sæculis obruimur, summas esse & absque exemplo; sed ignoramus, nósque latent desuper consilia DEI. Novimus quidem nos peccatores esse, & peccatorum nostrorum minimum majoribûs adhuc dignum esse suppliciis: forsitan DEUS per tam diuturnas calamitates disponit nos, ut tantò suavius olim degustemus felicitatem, quâ fruemur, dum Messias ex contingentiis non fundamus fidem nostram, sed in verbo Dei, quod habemus in manibus nostris, in quo certam tenemus promissionem de mittendo nobis Messia, qui felices nos reddet ac beatos: præsentes nostræ miseriæ luculenter nobis insinuant, ipsum nondum venisse: Novimus enim fidelem esse DEum in promissis suis. Et ecce solidum spei nostræ fulcimentum.

Vanæ excusationes Judæorum.

ARGUMENTUM.

Quòd Judæi convinci debeant de adventu Messiæ è Scripturis veteris Testamenti.

Articulus II.

Oportet Messiam vel jam venisse, vel nondùm venisse.

OPtimè novi, Messiam promissum esse hominibus, reponit illis bonus noster Ecclesiasticus, assentior in hoc vobis; sed dissentimus, an venerit, an nondùm venerit? Vos dicitis, quòd nondùm venerit, quódque exspectetis ipsum adhuc: Et ego dico,

dico, quòd venerit ante mille sexcentos octoginta quatuor annos, neque is deinceps sit exspectandus ultrà. Non dicimus ambo veritatem; sustinet enim omninò contrarium uterque; non dicimus etiam ambo falsum: Nam suppositâ certâ promissione, in quam consentimus, debet necessariò vel jam venisse, vel nondum venisse. Oportet ergò è duobus unum demonstrare veritatem, quam sustinet, & huic alterum dare manus. Per quid judicare nos vis de facto?

Ex libris nostris, dicit Judæus; siquidem hi purum complectuntur Dei Verbum; hi Scripturas continent antiquissimas & maximè authenticas totius mundi. Non est hic liber particularis cujusdam hominis, sed integri alicujus populi; non est liber unius duntaxat temporis, sed omnium prorsùs sæculorum. Non est liber humanus, sed divinus, cùm compositus sit à Prophetis, qui non scripserunt nisi id, quod didicerunt à DEO ipso, & locuti sunt res tam sublimes, támque admirabiles, ut inveniri & excogitari non potuissent ab intellectu hominum. Ex his haurimus cognitionem promissi nobis Messiæ; & tu ipse non cognovisses illum, nisi nostros lectitâsses libros; hi legitimi sunt judices, quorum est nostram dirimere causam. Admitto illos, respondet Ecclesiasticus, æquè ac tu credo firmiter, quidquid in omnibus veteris Testamenti libris est exaratum: aspicio hìc clarè sicut tu promissiones de adventu Messiæ, sed certitudinem hic non video, quòd nondùm advenerit; imò potius videtur mihi per signa manifestissima ipsis promissionibus annexa, quòd necessariò jam venisse debuerit.

Scripturæ veteris Testamenti recipiuntur tam à Christianis quàm Judæis.

Messias veniet, dicunt omnes Scripturæ; hoc est certum: Nam impossibile est, promissionem DEI manere promissionem, absco, quòd unquam impleatur. Sed quando veniet? quæ signa, ut cognoscatur, quando venturus sit, & quinam effectus exspectandi ex adventu ipsius è cœlo in terram? Omnia hæc tam clarè observata sunt, támque evidenter adimpleta sunt in persona JEsu Christi, ut more vestro quis debeat cœcutire, qui id non videat.

I. Nonnè verum est, quod annotatur in quadragesimo nono capite Geneseos: Non auferetur Sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, id est, Reges de familia ejus, donec veniat qui mittendus est, scilicet promissus Messias? Jam Sceptrum & regnum non erant amplius penes domum Juda, quando JEsus Christus venit in mundum; & in ipso actu, quo Patres vestri

Genes. 49.

Sceptrum ablatum est à domo Juda, ergò Messias venit.

procurabant mortem ejus, manifestè omninò contestabantur, se Regem non habere, nisi Cæsarem: fatebantur igitur ipsimet, præter mentem suam, quòd venerit Messias, eoquòd non haberent amplius alium Regem, quàm extraneum, nec etiam alium vellent quàm illum.

II. Nihil distertius est, quàm septuaginta hebdomada Danielis, ubi ad amussim annotatur tempus, non solùm, quando Messias venturus sit, sed etiam, quando sit occidendus; quódque populus, qui eum negaturus est, non futurus sit amplius populus ejus, quódque civitas sancta dissipanda sit à populo & Duce venturo: quódque finis belli futura sit vastitas & ultima desolatio, quæ perseverabit usque in finem? Sed hæc nonnè singulatim acciderunt? JEsus Christus occisus est, & populus ejus, qui negavit eúm ceu Messiam suum, non est amplius populus ejus, & Jerosolyma devastata est, quin unquam in priorem poterit redigi statum: manifestè igitur patet, Messiam promissum jamjam venisse. Dices, quòd tempus septuaginta harum hebdomadum Danielis non possit tam exactè numerari, nec sciri, quando inceperint, eò quòd Propheta non satis clarè hac de re loquatur, nec etiam, quando finiendæ sint, ob diversas Chronologistarum supputationes: sed tota hæc controversia non attingit ad summum nisi annos ducentos; & ecce jam plures quàm mille sexcentos elapsos, ubi nullam invenire poteris rationem eòusque illas extendendi. Oportet ergò vel pertinaciter claudere oculos absque ratione, vel candidè fateri, Messiam jam venisse, & non amplius esse exspectandum.

Dan. 9.

Prophetia Danielis est evidenter impleta: ergò venit Messias,

III. Nonnè dictum, & toties iteratò dictum est in Prophetis, quòd Messias futurus sit Filius David, & nasciturus in Bethlehem. Jam, ubi est modò familia David? ubi est Bethlehem? omnia hæc quasi annullata sunt, ita ut ne quidem eorum supersint vestigia, jam antè plura sæcula. Necessariò igitur jam à longo tempore venisse debuit Messias, eoquòd extiterit Filius David & natus in Bethlehem: Vel dicendum est, ipsum nunquàm venturum & promissionem de illo mittendo factam à Deo, nunquàm mittendam in effectum. Ecce igitur tempus adventûs ejus tam accuratè támque signanter notatum, ut omnis ratione præditus clarè videat, id jamjam effluxisse.

Familia David & Bethlehem non sunt amplius; ergò venit Messias,

Si posthæc considerès signa particularia, quæ data sunt ad cognoscendum tempus adventûs ejus; nonnè vides omnia illa, quæ à Prophetis exarata sunt, con-

conſpecta & verificata eſſe in
Malach. 3. perſona Chriſti JEſu. Mala-
chias ſcripſit, ipſum habiturum
aliquem præcurſorem; ſanctus
Joannes Baptiſta præcurſor fuit
Mich. 5. Chriſti JEſu; Michæas naſcitu-
rum eſſe in Bethlehem; Iſaias,
Iſa. 1. ipſum cognoſcendum fore in
medio duorum animalium; Za-
Zach. 11. charias & regius Vates, ipſum
Pſal. 15. 21. & 66. fore reprobandum, non agno-
ſcendum, tradendum, venden-
dum, colaphizandum, illuden-
dum, potandum felle, manibus
Omnes Pro- pedibusque perforandum, in fa-
phetiæ de cie conſpuendum, ſuper veſti-
Meſſia factæ, menta ejus mittendam ſortem,
conſpectæ ipſum tertiâ die reſuſcitandum,
ſunt in Chri- & tandem aſcenſurum in cœlos
ſto Jeſu: ergò ac ſeſſurum ad dexteram DEI.
Meſſias venit. Et omnia hæc tam particularia
nonnè ſigillatim acciderunt in
perſona Chriſti JEſu, eâ ratione,
quâ prænuntiata ſunt à Prophe-
tis, quin unquam aliquis vel an-
tè, vel poſt eum fuerit viſus, qui
ſimile quid habuerit, quíque di-
xerit, ſe Meſſiam eſſe? decipi
igitur non poſſumus dicendo,
ipſum veniſſe.

Tandem, ſi quæras, ubi ſint operationes & effectus adventûs ejus, annotati à Prophetis, ipſum nobis promittentibus, nonnè hi omnes patent ad oculum? præ-
Jerem. 31. dictum eſt à Jeremia: *Ecce dies venient dicit Dominus, & feriam domui Iſraël & domui Juda fœdus novum; non ſecundùm pactum, quod pepigi cum Patribus veſtris, in die, quâ apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti: ſed hoc erit pactum, quòd feriam cum domo Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam; & ero eis in DEum, & ipſi erunt mihi in populum.* Ab eodem: quòd Judæi reprobaturi ſint Chriſtum JEſum, & conſequenter reprobandi à Deo. Prædictum eſt ab Ezechiele: *Diſperdam ſimulachra* Ezech. 30. *& ceſſare faciam idola de Memphis &c.* quódque ab omnibus nationibus muudi offerendum ſit Deo vero Sacrificium mundum, quod non amplius futurum ſit ex animalibus. Prædictum eſt ab Oſea: quòd populus, qui fuerat Oſe. 1. populus ejus, non amplius futurus ſit populus ejus. Et à pluribus Prophetis: quòd omnes nationes terræ venient ad eum in multitudine. Et à Joële: quòd Joël. 2. effuſurus ſit Spiritum ſuum ſuper eos, & daturus illis cor novum, ut ambulare eos faciat in viſis ſuis. Jam quis non videt, omnia hæc accidiſſe, ſicut prædicta ſunt, tempore adventûs Meſſiæ? dubitandum ergò non eſt amplius, quin venerit.

Omnes effectus adventûs Meſſiæ à Prophetis prænuntiatos videre erat in Chriſto: ergò ipſe eſt Meſſias.

Siquidem nonnè verum eſt, novam jam eſſe legem, quæ dominetur in univerſa terra, quæque obliviſci faciat veteris Teſtamenti? Quis efficere hoc potuit, niſi potentia veri Meſſiæ?

Nonnè verum est, Judæos non amplius esse populum dilectum Deo, postquàm Messiam occiderunt? apparet hoc ex miserabili, in quem redacti sunt, statu. Nonnè verum est, omnia idolorum templa esse subversa, omnia animalium sacrificia deleta, nec aliud modò sacrificium offerri Deo, quàm illud Altarium Religionis Christianæ? Nonnè verum est, quòd pro Judæis à DEO reprobatis, qui non erant nisi pugillus populi, venerint gentiles turmatim ad adorandum verum Deum & componendam Ecclesiam Christianam? quíque pro eo, quòd in infidelitate constituti vitam duxerint prorsùs animalem, exin colla subdentes jugo & legi sancti Evangelii, in maximo visi sunt numero, qui vitam ducebant Angelicam? renuntiárunt Principes suis dignitatibus, déseruerunt divites suas divitias, suam virgines consecrárunt Deo virginitatem; quin & tantâ fuerunt animi magnitudine, ut suam illi sacrificarent per Martyrium vitam; suos pueri reliquerunt Parentes, penes quos millenîs fruebantur deliciîs & concesserunt in deserta, ad amplexandas ibi summas vitæ austeritates. Quis efficere poterit hæc omnia? unde tam ingens orta est mutatio, quam videre licuit in mundi facie, quæque tam diuturno perseverat jam tempore, & indies magis magisque perficitur? Estne hæc virtus ficti cujusdam & imaginarii Messiæ, quæ operari hæc omnia potuit prodigia nonnisi omnipotenti Dei brachio possibilia? Nonnè cernis hic certas adventûs promissi Messiæ notas, quæ ipsâ luce meridianâ sint clariores?

Effectus admirabilis adventûs Messiæ.

Duo Rabbini, quorum offuscaverat ingens hic splendor oculos, inquirebant velamen quoddam ad imminuendam, quâ obruebantur, claritatem. Verum est, dicebant, persuadere potuisse hæc illos, qui facilè credunt: sed quanta alia ex parte habemus argumenta tam evidentia, támque certa, quòd promissus Messias nondum advenerit, ut omninò negari non possint? Depinxerunt illum Prophetæ coloribus tam vivis, tamque illustribus, ut impossibile sit, ipsum non cognitum iri à mortalibus, dum advenerit: Siquidem debebit is esse Rex regum, & Dominus dominantium; regnum erit in manu ipsius, potestas & imperium; populo suo conferet victorias adversum inimicos suos; divitiîs & honoribûs locupletabit illum; cùm scriptum sit: Gloria & divitiæ in domo ejus: Et nos nihil horum omnium vidimus; sed potius populus Deo dilectus nunquàm majori oppressus fuit miseriâ, quàm

Deceptio & cœcitas Judæorum.

quàm post adventum existimati vestri Messiæ: Longè abest, quòd ipse sit Messias: verus enim Messias benignissimus erit Salvator & Redemptor omnipotens, qui nonnisi bona conferet nobis, & hic nonnisi malis nos affecit.

O quàm estis adhuc carnales, respondit illis Ecclesiasticus! Ecce vobis infelicitatem Patrum vestrorum & vestram. Ipsi erant carnales, & vos estis; ipsi sic erant assueti rebus sensibilibus, ut parvam spiritualium haberent cognitionem. Promittebatur illis, quòd à Messia ad se venturo implendi forent omni bonorum genere: sed hoc verbum, *Bonorum*, est æquivocum, quod intelligi potest vel corporaliter, vel spiritualiter; patres vestri noluerunt illud intelligere nisi corporaliter. Sed nonnè judicare potuerunt, alia esse bona quam corporalia, cùm quædam sit vita spiritualis & invisibilis, & anima immortalis sine comparatione nobilior corpore? Nonnè absque intermissione ipsimet loquebantur de Jacob, Isaac, Abraham, qui amplius non habebant esse corporale, sed anima ipsorum semper manebat immortalis? An nesciebant, quòd cùm Deus incomparabiliter pluris æstimet animam corpore, ipse missurus nobis esset Messiam, ad afferendum nobis è cœlo bona potius spiritualia & invisibilia, quàm corporalia & visibilia? Nonnè judicare poterant, quòd, si quæstio foret de bonis corporalibus, non opus fuerit adventu Messiæ ad ipsos locupletandos? quæ majora bona dare illis poterat, quàm quæ jam acceperunt? an possidendam illis traderet regionem magis jucundam & fœcundam? sed talis non erat in mundo: an redderet illos magis liberos, nullique omninò subjectos? sed ipsimet dicebant: Filii Abrahæ sumus & nemini servivimus unquam. An liberaret eos à captivitate magis dura, quàm fuerit illa Ægypti vel Babylonis? sed durior & intolerabilior illâ non erat, quantum spectat ad corpora. Quid ergò? an majora in favorem ipsorum patraret prodigia? sed impossibile erat majora videre, quàm transitum maris rubri, manna præparatum ipsis in deserto, & tot alia, quæ stupore impleverunt omnes mundi partes.

Intelligendum est spiritualiter, quod Judæi intelligunt corporaliter.

Opùs igitur erat venire Messiam de cœlo, ad afferendum illis bona longè majora, magisque stolida, quam corporalia, quæque tantùm superarent illa in dignitate, quantum corpus superatur ab anima. Bona corporalia non erant nisi figuræ, quia more figurarum sunt transitoria: sed bona spiritualia sunt veritates, quia invariabilia sunt & æterna: jam veritas semper sine

Quòd JEsus Christus nobis afferat vera bona, quorum Judæi nonnisi figuras habebant.

comparatione nobilior est, quàm figura. Liberatio è captivitate Ægypti nihil erat, adducta in comparationem cum liberatione è tyrannide peccati, quam secum Messias nobis attulit. Transitus maris rubri nihil erat comparatus cum amaris pœnitentiæ lachrymis, & adorando sanguineo balneo Redemptoris, quod transire nos oportet non in terram promissionis, sed in terram viventium, quæ est patria nostra cœlestis. Manna deserti nihil erat respectu sanctissimæ Eucharistiæ, in qua pretiosô suô nos pascit corpore. Victoria de inimicis visibilibus nihil erat intuitu illius, quam reportare nos facit de invisibilibus. Et tandem omnes corporales divitiæ nihil erant æquiparatæ inæstimabili gratiarum & meritorum ipsius thesauro, quem nunquàm non aspectum servat ad nos locupletandos.

Res mira! quòd eòusque Judæi amaverint figuras, ut illas deserere nunquàm voluerint etiam in præsentia veritatis. Sed nonnè videtis, figuras datas non esse, ut semper durarent, & apparente lumine migrandum esse tenebris: Relinquite ergò tandem, relinquite figuras vestras, transite ad veritatem.

Occursus alicujus Atheiargumentum præbens continuandæ Consultationi.

Dum his intendebamus; tendebat è curiosorum & ignavorum illorum, qui ubivis sese insinuant congressibus nihil ad se spectantibus, numero quispiam ad nos, & postquam aliquandiu nostro discursui præbuisset aures, & audîsset afferri à nobis plures Scripturæ textus, sive verè Atheus fuerit, sive talis apparere voluerit, irrisoriè & contemptim dicit nobis: Admiror, dum tantùm inniti vos video historiis temporis jam elapsi: an ignoratis plerásque illarum fabulis scatere ac figmentis? plurimos in vita mea lectitavi apologos, quasdam etiam legendo evolvi historias, & speciosas ubivis comperi imaginationes. Sed fateor, librum illum, quem vestra nuncupatis Biblia, compactum esse è lepidissimis, quos unquam legerim, apologis. Ad hæc Rabbinorum quispiam interpellando ipsum, sermonem adoritur pro defensione veteris sui Testamenti, & magno accensus zelo ita ad eos fari cœpit.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Argumenta efficaciſſima probantia veritatem Scripturarum veteris Teſtamenti.

Articulus III.

NOn eſt in mundo, qui vel unicam habeat ſalis, qui dubitari poſſit de veritate Scripturarum veteris Teſtamenti: ſiquidem liber hic non eſt alicujus particularis, qui ediderit ipſum in lucem, ad exponendas proprias ſuas idæas: Liber hic univerſalis eſt cujusdam totius ingentis populi, ſolicitè conſervantis id, quod Deus ipſe in hoc libro juſſit exarari. Dico quoque audacter, librum hunc eſſe communem omnium in mundo hominum, cùm nullam certam quam ex hoc libro non hauſerint, habeant veritatem; ita ut, qui cognoſcerent ipſius excellentiam ac certitudinem, dubitare non poſſent, quin ea, quæ complectitur, ſint veriſſima. Quare hoc, interpellat alter? Dabo tibi, replicat Judæus, hujus rei ſex rationes tam efficaces, támque evidentes, ut obluctari illis haudquaquàm poteris. Attende & videbis.

Sex rationes, quibus irrefragabiliter probatur veritas Scripturarum veteris Teſtamenti.

I. Prima eſt, quòd hic liber ſit ante omnes alios; nemo unquàm vel ſcivit, vel ſcripſit aliquid magìs antiquum eò, quòd ipſe enarrat nobis; ipſe ſolus recenſet nobis primam mundi originem, nósque informat, unde venerit, quíque talem, qualis eſt, effinxerit, quis illius ſit Auctor, quantúmque impenderit temporis ad conficiendum opus tam exquiſitum, quinam primi ipſius fuerint inquilini, quæque horum acta & facta: nihil unquàm & usquàm invenietur prius illo, quod nuntiat ipſe. Sed quis excogitavit hæc omnia? interrogat viator: Eſtne contemporaneus quisquam, qui literis commiſit, quod oculis hauſit?

Prima ratio ipſius antiquitas.

Reſpondeo, dicit alter, quòd Moyſes, qui exarare cœpit hunc librum, non fuerit quidem contemporaneus omnibus iis, quæ exaravit; nihilominus fuerit iis valdè vicinus, adeóque habere potuerit teſtes, tum qui partem eorum viderint, tum qui audiêrint à patribus & majoribus ſuis cætera omnia, quæ ſcripto conſignavit; & ecce quomodò? Vita hominum tempore illo protracta eſt plerumque ad octingentos ſaltem vel nongentos annos ante diluvium; erant ipſis filii numerantes quadringentos vel quingentos ætatis annos: conſequenter hi filii diù valdè & longiſſimo tempore ſuis convivebant

Quòd Moyſes dicere non potuerit falſum in eo, quod ſcripſit.

vebant Patribûs, à quibus accuratissimè addiscebant ea, quæ noverant ipsi; cúmque nondùm haberent nec scientias, nec artes, quibus multum occuparentur, omne suum in eo collocabant studium, ut exactissimè addiscerent historiam, acta & facta majorum suorum.

Horum filii vivebant quoque diuturno admodùm tempore, & cùm filios maturè quoque haberent, pluribus sæculis vixerunt cum ipsis, eósque docuerunt, quæ didicerant à patribus suis. Et hi pari ratione cum suis producebant posteris. Cùm igitur verum sit, vitam hominum maximæ fuisse diuturnitatis, hinc sequitur, nonnisi admodum paucas extitisse generationes successivas ab Adam usque ad Moysen, qui monumentis tradere incepit totam majorum suorum historiam, & ea quæ acciderant majori consideratione digna, à creatione mundi usque ad tempora sua, quæ tunc debebant esse tam publica, perspecta, comperta, explorata per continuam hanc traditionem patrum ad filios, ut, si aliud quàm veritatem exarâsset millies millenos habuisset testes, à quibus perstringeretur & argueretur mendacii; sicque liber ipsius velut fictus & commentitius condemnatus fuisset à toto mundo, nec subsistere potuisset; cùm disipentur quantocyùs figmenta & mendacia. Nos autem ex adverso intuemur, universum mundum recepisse ipsum, velut saccum quoddam depositum, quo conservetur præteritorum sæculorum veritas; quique velut talis semper fuerit existimatus æviternis temporibus.

II. Secunda ratio, quæ validè firmat & suffulcit primam, est, quòd Moyses non scripserit res particulares, nonnisi pauciſsimis personis notas; sed recenseat res exploratissimas, & facta tam inusitata, támque inaudita, ut, cùm ex seipsis velut incredibilia existant, nisi certissima & compertissima fuissent cognitioni totius mundi, illáque non accidissent verè eâ ratione, quâ describit ipsa, facillimum fuisset convincere ipsum fraudis ac impostura. Siquidem, exempli gratiâ, si diluvium universale, quod totum submersit & inundavit mundum, fuisset fabula primùm à Moyse excogitata, quin ullus ejusdem rei habuisset cognitionem; quâ ratione invenisset fidem, quando primùm id enarrare incepit, si eòusque fuisset quid inauditum inter homines? Quâ ratione similiter liberatio è captivitate Ægypti, transitus maris rubri, habitatio in deserto, manna descendens è cœlo, introitus in terram promissionis, & cætera omnia, quæ recensuit, pro-

Secunda ratio: Ea, quæ dixit, sunt publica & valdè inusitata.

prodigia, non fuissent habita pro fabulis, commentis & figmentis? siquidem hæc facta sunt, quæ non concernunt solùm personas quasdam particulares, sed regna & populos integros, quorúmque veritas vel patere & constare debebat omnibus viventibus; vel velut ficta & commentitia reputari. Et quâ ratione Scriptor aliquis contemporaneus, qui viderat exitum Israëlis de Ægypto, & reliqua, quique tantæ erat penes populum Israël auctoritatis, res tam inusitatas fuisset ausus exarare, illásque divulgare velut veritates, si fabulosæ extitissent?

Tertia ratio: Qualitates Moysis, qui magnam partem scripsit veteris Testamenti.

III. Adjungo pro ratione tertia, quæ duas præcedentes magis adhuc confirmat; quòd Moyses non solùm fuerit Historiographus fidelis, qui decipere non potuerit nec semetipsum, nec alios in hoc, quod exaravit, ob eas, quas jam allegavi, rationes: sed habuerit insuper tres qualitates eximias omninò speciales, è quibus deducatur, impossibile esse, quin omnia ea, quæ scripsit, sint verissima. Prima est, quòd fuerit magnus Propheta; secunda, quòd fuerit vir sanctissimus; tertia, quòd fuerit intimus Dei amicus, & singularem cum Deo habuerit familiaritatem.

Quòd fuerit magnus Propheta, dubitari non potest; siquidem prænuntiavit innumera, quæ postmodùm eâ, quâ prædixerat, ratione acciderunt. Et hoc concludit optimè, quòd cætera omnia, quæ ipsum præcesserunt, quæque recensuit, absque eo, quod viderit, velut creatio mundi, diluvium, & reliqua fuerint verissima.

Quòd fuerit Vir sanctissimus, patet ex hoc, quòd omnes vitæ ipsius actiones fuerint quasi tot miracula; ex hoc, quòd docuerit custodire legem Dei tam exemplis suis, quàm verbis; ex hoc, quòd fuerit habitus quasi Deus visibilis à populo; ex hoc, quòd debuerit subtrahi ipsius corpus post mortem cognitioni hominum, ne forsan velut Deum adorarent ipsum.

Quòd denique fuerit intimus amicus Dei, singularissimâ ipsi familiaritate conjunctus, specialis ipsius est character, & illud, quod celeberrimum occurrit in ipsius vita, per quod à cæteris omnibus discernitur mortalibus, quorum nec unicus ingenti hâc fruebatur prærogativâ: agebat familiariter cum DEO, velut amicus cum amico; cujus divinas edoctus voluntates, referebat & nuntiabat illas populo; Et toti exploratum fuit orbi, quod ascenderit ipse in montem accepturus legem de manu Dei, & consignaturus illam manibus hominum. Quæ-

ro, an credere quis posset, talem ac tantum virum fuisse vel tantæ insciticæ, vel tantæ malitiæ, ut scribere quidpiam falsi vel voluerit, vel potuerit in libris suis.

Quarta ratio: Omnes alii, qui scripserunt post Moysen, fuerunt sicut ipse, sancti & Prophetæ,

4. Quarta ratio, quam allego concernit omnes, qui scripserunt post ipsum, quorum quilibet statutis temporibus apposuit partem suam, ad prosequendum & componendum totum hunc liberum divinum & Moyse inceptum. Fuerunt hi omnes, uti Moyses, Prophetæ inspirati & illustrati à Deo: siquidem videmus, ipsos prænuntiâsse innumera, quæ eâdem, quæ prædixerunt, ratione contigerunt. Insuper erant omnes Sapientes, qui cognitiones suas trahere non poterant, nisi è cœlo: scripserunt enim res tam sublimes, tamque incomprehensibiles, ut nunquam intellectus naturalis hominis illas excogitare potuisset, cum etiam illas intelligere non possit, nisi illustratus quodam radio Spiritûs Dei. Adhæc extiterunt homines sanctissimi, qui plerumque suam exposuerunt vitam ad propugnandam Dei gloriam, non cessantes, incredibili cum ardore invehi in vita nonnisi exstimulantes ad virtutem, dantes præcepta vitæ tam sanctæ, ut dubitari non posset ex iis, quæ scripserunt, quin repleti omninò fuerint Spiritu Dei. Ecce qui fuerint auctores componentes hoc sacrum volumen veteris Testamenti: & exin optimè concludo, non esse hominem ratione præditum in terra, qui recipere non debeat omnia in libro hoc exarata, velut oracula cœli.

Quinta ratio: Liber hic divinus est, quia se ipsum semper conservavit contra omnes adversarios,

5. Annecto huic pro quintâ ratione, quod hic sit liber tam miraculosus, ut videatur habere quoddam genus Omnipotentiæ; eoquod absque ullo auxilio humano, semetipsum conservaverit in integritate & puritate suâ cunctorum decursu sæculorum, quamvis âb innumeris semper oppugnatus fuerit adversariis, siquidem ex unâ parte habet omnes affectas mundi, & vanitates ejus, quos perstringit, quos obiurgat, quos condemnat, quibus severissima minatur supplicia, ipsis etiam proponens sui similium exempla, quibus horrendæ à Deo inflictæ sunt pœnæ: Et nemo unquam in terrâ tantæ fuit auctoritatis & potentiæ, ut publico huic censori imponere potuerit silentium. Ex alterâ parte habuit pro adversariis omnes fabulorum inventores auctorésque cunctos vanarum superstitionum Gentilitatis.

Hìc viator interpellat ipsum, putans huic Rabbino se mox præscidisse totum orationis filum, dicendo: Nihil quasi videdeo

deo in vestro hoc libro, quod non inveniam in aliis libris Poëtarum, Philosophorum, & omnium aliorum, qui verba faciunt de Diis: probè adverto, ipsos, quæ habent, hausisse ab invicem, nec unum plus complecti veritatis, quàm alios.

Sed nonnè cernis, respondet Judæus, quòd impossibile sit, librum nostrum, cùm antiquissimus sit in toto mundo, sicut tibi demonstravi, hausisse quidquam ex alio se antiquiore. Sed omnes alii homines, qui non habebant cognitionem veri Dei, quique nihilominùs sequentes instinctum naturæ vivere non poterant, quin aliquem agnoscerent Deum, volentes sibi juxtà cœcum animi sui impetum aliquam fabricare religionem, quæ videre haberetur aliquid superhumanum, hauserunt ex libro hoc divino deliriorum suorum materiam, & aliud non fecerunt, quàm quòd nostras obvelaverint veritates, suas exin comminiscendo fabulas.

Quomodò omnes auctores falsarum Religionum hauserint è Scripturis veteris Testamenti, quas corruperunt.

Cùm quispiam ipsorum legeret in Isaia, quòd virgo quædam paritura esset Deum, finxit quandam Danäen, quam Jupiter reddiderit fœcundam per pluviam auream, quam dilabi faciebat in sinum ejus ad pariendum quempiam Semi-Deum. Alius cùm legeret historiam diluvii depopulantis universum orbem, hunc tamen exin innumerabili hominum multitudine denuò repletum, finxit quendam Deucationem, qui projiciens retro se lapides, naso fecerit tot homines, quibus denuò repleretur orbis vacuus & inanis. Alii cùm viderent, quòd Deus verus in Scripturis nostris depingeretur omnipotens, æternus, infinitè sapiens, Deus exercituum, & ejusmodi, sumpserunt ansam fingendi tot falsos Deos, quot nominari audierant perfectiones veri Dei: Loco æternitatis ipsius invenerunt Saturnum Patrem temporum; loco omnipotentiæ ipsius commenti sunt Jovem Supremum Deorum; loco infinitæ ipsius sapientiæ excogitârunt Apollinem & Mercurium; & pro Deo exercituum fabricati sunt Martem sanguinarium: & sic de reliquis.

Post excogitatos ità pro arbitrio suo Deos, oportebat divinos ipsis exhiberi honores, & certam quandam introduci religionis formam: hinc invenerunt quoque in libris nostris cæremonias à Deo nobis præscriptas, ad erigendum ipsi altaria, accendendum ipsi incensa, sacrificandum ipsi victimas. Et quia per corruptionem res optimæ evadunt pessimæ, ex actu sublimissimo & sanctissimo, quem possit homo exercere in terra, offerre nempè sacrificium vero Deo,

formârunt ipsi omnium abominationum maximam & horrendissimam, dum idipsum obtulerunt idolis & dæmoniis.

Hâc ratione impletus est mundus falsis Dijs, fabulis & superstitionibus Gentilitatis, quæ se dilatârunt per universum quasi orbem, ita ut sola Religio vera, quæ erat in mundo, inclusa manserit in angusto quodam terræ angulo, & à solo observata Israëlis populo, qui nonnisi parvus hominum erat pugillus respectu cæterorum hominum. Et nihilominùs innumeris his veritas circumfusa mendaciis permansit in integritate sua; & Scripturæ nostræ à tot aliis oppugnatæ semper perstiterunt puræ, quin unquam vel in minimo ipsarum vel violata vel immutata fuerit veritas; & Religio nostra à tanta superstitionum Gentilium multitudine obsessa & agitata, nunquam non se conservavit inviolatam, quò minùs ullam in sanctitate sua passa fuerit alterationem. Quis diffitebitur, hoc ingens esse prodigium omnipotentis manûs DEI, idque solùm sufficere ad persuadendum cunctis mortalibus ratione utentibus, firmam & inconcussam adhibendam esse fidem omnibus iis, quæ in hoc exarata sunt libro.

VI. Nihilominùs ad convincendum te, sextam denique affero rationem, quæ omnes præcedentes haud parùm confirmat. Considera hunc librum solum in mundo esse, qui sit opus quasi omnium sæculorum; siquidem in ipso concinnando non tantùm impensi sunt quingenti vel sexcenti anni; sed à Moyse, qui ipsum incepit, usque ad tempora Machabæorum, ubi finitus est, saltem duodecies vel decies ter centeni effluxerunt anni, sub quorum decursu viri plurimi conditione & ingenio valde diversi, singulatim aliquid adjecerunt, absque eo, quòd se invicem aliquando viderint, vel sua communicaverint consilia; & tamen tam perfectè conveniunt in veritatibus, quas docent, ut manifestè appareat, nonnisi eundem Dei Spiritum esse, qui direxerit ipsos. Omnia hæc argumenta nonnè sufficiant abundè, ad concludendum de indubitata veritate omnium Scripturarum veteris Testamenti?

Sexta ratio: Quia est opus multorum, qui absque ulla inter se communicatione, conveniunt perfectè.

Videbam quidem omnes has rationes optimè demonstrare & evidenter deducere veritatem veteris Testamenti; sed non minus persuasos voluissem circa veritatem novi tum Judæum, tum viatorem peregrinum; ideò easdem vel similes, proferre volui rationes, ad probandum hanc illis efficacissimè, uti videbis.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Efficaces demonstrationes veritatis Scripturarum novi Testamenti.

Articulus IV.

Sex irrefragabiles probationes veritatis Scripturarum novi Testamenti.

I. IN primis si Scripturæ veteris Testamenti indubitatæ sint, quia continent figuras & umbras veritatum, quas promiserat nobis Deus; illæ novi Testamenti non minoris sunt, eò quòd complectantur veritates ipsas umbris his & figuris significatas, quódque sigillatim per singula capita verificatum videmus in hoc, quòd aliud prædixerat nobis.

I. Probatio: Novum Testamentum est veritas figurarum Testamenti antiqui.

Duo hæc Testamenta tam ingentem habeant inter se conjunctionem, ut unum non sit plenum nisi promissis eorum, quæ in altero ipso debent opere compleri; & hoc non sit plenum nisi executione eorum, quæ in primo fuerant promissa: ita ut, cùm ambo non sint nisi duo quasi partes eundem componentes librum, antiquitas unius sit antiquitas alterius; & affirmari possit, novum Testamentum, quod dependet ab antiquo velut conclusio à præmissis, esse sicut illud, primam & antiquissimam Scripturam, quæ existat in mundo.

II. Probatio: Est opus Filii DEI & Apostolorum.

II. Si firmiter credendum est, quòd antiquum Testamentum sit verum, eoquòd magna ex parte exaratum fuerit à Moyse, intimô DEI amico, utpote singularissimam habente familiaritatem cum ipso, & totum residuum à Prophetis, qui sanctissimi fuerint homines inspirati & illustrati à Deo: quantò firmius credenda sit veritas Testamenti novi, eoquòd maxima ex parte dictatum & edoctum sit ab ipso proprio ore Filii DEI in carne humana, veluti quatuor Evangelia; reliqua scriptis consignata ab Apostolis, viris sanctissimis, & in schola ipsius optimè informatis, ac plenis Spiritu sancto, quem in forma visibili acceperunt? Ipsorum sanctitas evidenter omninò apparebat in vitæ, quam ducebant, innocentiâ; in innumeris, quæ patrabant, miraculis; & in Martyrio, quòd omnes fere sub êrunt pro defensione gloriæ DEI.

III. Probatio: Apostoli & Evangelistæ non potuerunt scribere res falsas, cùm innumeros habuissent testes, qui ipsos falsi arguissent.

III. Tertiô, si manifestum est, Moysen non potuisse scribere falsum ob innumerabilem multitudinem testium, quos sibi habebat contemporaneos, qui potuissent ipsum arguere falsitatis, præcipuè cùm scripserit res tam inusitatas, ut nullam inveniissent fidem, nisi omnium hominum cognitioni fuissent prorsùs ex-

ploratæ : quantò magis verum Apostolos & Evangelistas exarare non potuisse falsum, cum exarare non potuisse falsum, cùm exaraverint res adeò stupendas & insolitas, ut nunquam similes fuerint conspectæ oculisque usurpatæ; velut dedisse visum cœco nato, resuscitâsse ad vitam quatriduanum Lazarum defunctum, quorum miraculorum oculati fuêre testes præcipuè habitatores Jerosolymæ; saturâsse quinquies millenos homines in deserto quinque panibus tam parvis, ut illos parvus portare & afferre potuerit puer, quod prorsùs à nemine potuit ignorari, cum quinquies milleni hujus rei adfuerint spectatores, ipsis suis oculis intuiti prodigium; hæc scripsisse, hæc evulgâsse, hæc palàm enuntiâsse, locô & tempore, quô hæc omnia patrata sunt? quâ ratione id facere fuissent ausi, nisi asseruissent veritates omninò exploratas, compertas & maximè indubitatas? Judæi, qui maximi erant veritatis ab ipsis annuntiatæ adversarii, quique aliud non quærebant nisi obluctari ipsis, nonnè ipsos arguissent, probróque exposuissent velut maximos orbis impostores? Hæc ratio tam fortiter stringit ut nihil effugii patiatur.

IV. Quartò si consideres, quòd Apostoli & Evangelistæ, qui literis consignârunt Testamentum, exstiterint viri simplices, nullâque exculti doctrinâ, quòd nulla fuerint usi vel arte vel dolo, quòd non absconderint humiliationes & opprobria Magistri sui; quódque nihilominùs scripserint res adeò sublimes, omnémque captum intellectûs humani superantes, ut sola prima verba sancti Joannis, *in principio erat Verbum*, & sequentia in stuporem rapuerint maxima mundi ingenia, ipsáque coëgerint fateri, quòd impossibile sit ita loqui hominem mortalem. Si consideres, ipsos fuisse viros rudes, nullâ rerum spiritualium intelligentiâ imbutos; nihilominùs tradidisse dogmata tam divina, támque sublimis perfectionis, ut omnes confuderint Philosophos, qui eorum, quæ dicebantur ab ipsis, attingere non poterant cognitionem: si aspicias, fuisse ipsos viros pauperes ac infirmos, nullius existimationis, auctoritatis aut potestatis in mundo, nihilominus annuntiâsse veritates tam validas solidásque, ut tota Gentilitatis suffulta ab Imperatoribus potentia duodecim cesserit viris inopibus, seque edoctæ ab ipsis submiserit legi; hæc omnia optimè arguunt, cunctipotentem fuisse veritatem, quam suo depromebant ex ore, eoquòd hâc ipsâ dissipare potuerint mendacia innumera, & do-

IV. Probatio: Scriptores novi Testamenti erant viri simplices & absque fraude.

dominantes ubivis in mundo errores. Totius mundi conversio miraculorum est maximum, quod exigi possit in veritatis confirmationem.

V. Probatio: Puritas novi Testamenti conservatur contra innumeros adversarios.

V. Quintò longè melius affirmare possum de Testamento novo, quàm tu affirmaveris de antiquo; quòd liber hic divinus videatur quasi omnipotens, qui universo jura det mundo, quíque suam semper conservaverit puritatem & integritatem innumeris oppugnatam & obsessam hostibus, mundo, inferno, hæresibus, cunctis passionibus ac inordinatis animi affectibus, cunctísque vitiis.

Siquidem nonnè ipse est, qui publicè arguat omnes errores sæculi, omnes depravatas inclinationes, omnia peccata hominum? Ipse loquitur magnis ac parvis; ipse Monarchas æquè reprehendit ac subditos, & verbîs ex hoc libro depromptîs majori licèt auctoritate loqui ad ipsos, quàm ipsi ad suos loquuntur subditos; ipse non solùm magna objurgat vitia, sed noxas etiam minimas; ipse non tantùm statuit leges, quoad externa, quod spectat ad jurisdictionem justitiæ humanæ, sed pertingit usque ad interiora & intima cordis arcana, quod est nonnisi DEI solius. Et cùm tantum sibi vendicet jus in cunctos homines, ut prohibeat id illis, cujus maximo tenentur desiderio, quoque suis rapiuntur inclinationibus; insuper æterna minitetur supplicia sibi renuentibus obtemperare: nullus tamen unquam fuit hominum, quamvis potentissimus qui arrogaverit sibi potestatem imponendi ipsi silentium. Quid sibi hoc vult, nisi quòd complectatur veritatem & auctoritatem DEI ipsius.

Nonnè ex altera parte videre fuit innumeras hæreses cunctis sæculis ab inferno excitatas, quæ vel immutare contendebant veritatem Scripturæ in hoc libro contentæ, vel illam in perversum detorquere sensum, ad stabiliendum errores suos super ruinam veritatis? Et videre, quòd reluctantibus in vanum hisce omnibus, suam conservaverit integritatem tam puram, tamque inviolatam, ut ne quidem unicum verbum, nec verbi syllaba fuerit immutata, sed nec unicus veritatis inversus apex? Quid sibi volunt hæc omnia, nisi quòd necessariò esse debeat hæc veritas divina & æterna, quæ ita triumphet de mendacio, à quo nunquam non cunctis sæculis fuerat sævissimè oppugnata?

VI. Probatio: Testamentum novum habet veritates claras, pro eo, quòd vetus non habeat nisi figuras obscuras.

VI. Sed tandem ut finem imponam sextâ quâdam ratione: Si maxima nobis sit certitudo de veritate Scripturarum veteris Testamenti, quâ ratione minimum oriri nobis possit dubium circa

circa illas, quas complectitur novum Testamentum? Illæ Testamenti veteris sunt involutæ figuris, quibus non parum est obscuritatis; hæ Testamenti novi sunt claræ omninò, nec sunt nisi historia simplex & candida absque affectatione, absque exaggeratione, absque eo, quòd minimùm invehantur in maximos JEsu Christi inimicos, quorum acta & facta fideliter describunt absque ullo fuco, sine ambagibus ullis. Testamentum vetus non complectitur nisi ænigmata, quorum explanatio plurimum habet difficultatis; novum horum quasi nullum proponit, vel si proponit quodpiam, mox illius claram & luculentam affert intelligentiam. Testamentum novum benè haberi ac censeri posset pro veteri: benè enim DEus nobis dare posset Messiam, quin anteà promisisset ipsum; sed Testamentum vetus non posset accipi pro novo; nam omnes, quas complectitur, promissiones forent inutiles absque actuali adventu Messiæ. Verum tamen est, quòd unum non sit inutile alteri, cùm se mutuò conservent, unúmque alteri fidele reddat testimonium de veritate ipsius. Antiquum Testamentum dicit: Omnes promissiones, quas dedi, sunt veræ; nam earum vos videtis executionem in novo. Et hoc dicit: Omnes veritates, quas affero & offero, sunt verissimæ ac omninò indubitatæ; siquidem vos videtis, omnia illa, quæ concernunt Messiam, eâ prorsùs ratione accidisse, quâ fuerunt prænuntiata & promissa in Testamento veteri. Sic ambo sibi invicem porrigunt manus, & concordant ad confirmandam unam eandémque veritatem; ita, ut amplius dubitari non possit de veritate utriusque, cùm amborum eadem prorsùs sit ratio.

Mirè, tam benè concordare vetus & novum Testamentum Christianum & Judæum sibi non concordare.

Verùm cira quod ita disceptatis, dicit nobis desuper viator, cùm tantam habeatis certitudinem circa veritates Scripturarum vestrarum, illæque tam benè concordent. Haud parum admiror, tam concordes vos esse, & tamen utrumque non profiteri eandem Religionem. Respondetur ipsi: Nonnisi id oritur ex eo, quòd se invicem non intelligant; veritas enim est in veteri Testamento, & eadem veritas est in novo. Jam veritas non disjungit, sed potius conjungit animos; sed hoc est, quòd non intelligatur. Monstrabo vobis hìc, quomodò conveniant, si res benè accipiatur.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Quòd Judæus & Christianus conveniant, si se invicem benè intelligant, quódque ambo eandem profiteantur Religionem.

Articulus V.

Verus Judæus & verus Christianus concordant, falsus Judæus & falsus Christianus discordant.

VIdetur tantam esse oppositionem Judæum inter & Christianum, ut sibi invicem non ità adversentur dies & nox. Christianus recipit veritatem veteris & novi Testamenti; Judæus recipit veritatem veteris duntaxat, & repudiat illam novi. Christianus agnoscit Christum JEsum ceu verum Messiam, illumque ceu suum adorat Deum. Videtur igitur impossibile, ipsos concordari posse.

Nihilominus certissimum est, verum Judæum & verum Christianum concordare tam benè, ut ambo nonnisi eandem profiteantur Religionem: dabo tibi desuper demonstrationem tam evidentem, tamque certam, ut dubitari de ipsa non poteris; quod ut videas, supponendum tibi est, semper inter homines inventos esse bonos & malos. Non omnes Judæi, qui vixerunt labentibus sæculis, fuerunt boni, nec etiam omnes fuerunt mali: dicendum igitur est, semper extitisse veros Judæos, qui veram profitebantur religionem, & falsos Judæos, qui, ut verum eloquar, nullam habebant religionem. Idem ergò dicendum de Christianis; quòd nimirum semper veri Christiani & falsi Christiani extiterint in Ecclesia. Relinquamus modò falsos Judæos & falsos Christianos, & loquamur solummodò de veris.

Veri Judæi norunt legem antiquam fuisse figuratam.

Nonnè verum est, illos veros extitisse Judæos, qui recipiebant legem Dei, & intelligebant Scripturas veteris Testamenti in vero suo sensu? Indubitatum est hoc; veri erant Judæi. Jam lex in vero suo sensu erat figurativa, cùm tota consisteret in Prophetiis & promissis; & qui dicit figuram dicit quid aliud, quàm id, quod videtur: figura enim & promissio non sunt propter se ipsas, sed propter quid aliud, quod repræsentant, quódque sperare faciunt. Nemo inhæret figuræ, quâ sibi faciat satis, sed vult veritatem, quam ipsa significat; nemo etiam satiatur solis promissis, sed vult effectum ejus, quod ipsa spondent. Hoc optimè concludit, veros Judæos, cùm semper respexerint figuras veteris Testamenti velut figuras & promissiones, nunquam adhæ-

fisse soli apparentiæ, nec illi, quod sensibiliter & materialiter exprimebat litera; sed ex transverso harum umbrarum aspexisse bona magis solida, & aliquid spirituale.

Et DEus ipse sæpius ingessit illis intelligentiam hanc spiritualem, velut quando appellati sunt filii Abraham, id est, filii DEI, cujus Abraham erat figura, & non hominis istius mortalis, qui Abraham nuncupabatur: *Tu enim Pater noster, & Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos; Tu Domine Pater noster, Redemptor noster, à sæculo nomen tuum.* Et ex hoc benè intelligebant, filiationem hanc Abrahæ, quæ respiciebat Patrem cœlestem, non se terminâsse ad solum populum Israël, sed ad quemlibet, qui acceptus erat Deo, etiam inter Paganos, huncque meritò censeri potuisse filium Abrahæ.

Isa. 63.

Similiter, quando Scriptura tam frequenter loquitur de circumcisione, veri Judæi benè intelligebant, non esse id, nisi figuram, quæ per abscissionem parvæ cujusdam particulæ carnis, significabat abscissionem vitiorum ab anima. Hinc DEus dicebat illis: *Circumcidite igitur præputium cordis vestri, & cervicem vestram ne induretis amplius.* Et alibi promittebat illis: *Circumcidet Dominus DEus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum DEum tuum in toto corde tuo.* Sic de centum aliis locis, ubi clarè videtur, Scripturam exprimere bona spiritualia & bona animæ sub figura bonorum temporalium.

Deut. 10. v. 16. & 30. v. 6.

Intelligentia spiritualis est sæpius expressa in Scripturis veteris Testamenti.

Ità omnes veri Judæi qui aspiciebant semper legem & scripturas veteris Testamenti velut figuras aliorum bonorum magis perfectorum, quàm sint illa, quæ cortex indicabat literæ; quando legebant, quòd Messias futurus esset magnus Rex, intelligebant ipsum regnaturum superanimas, quæ velut totidem magna sunt regna. Quando legebant, quòd liberaturus esset populum suum è potestate & oppressione inimicorum suorum, intelligebant, ipsum liberaturum se à peccatis suis, quæ lethales inimici erant hominis. Quando promittebatur illis, quòd apportaturus esset suis abundantiam bonorum & honorum, dignitatis & gloriæ, credebant intelligenda esse per hoc bona spiritualia, & dignitates supernaturales. Ecce spiritum & religionem verorum Judæorum. Sed horum pauci erant, qui id cognoscerent; nam plerique falsi erant Judæi, omninò carnales, & omnia sibi dicta materialiter accipientes.

In hac animorum suorum dispositione, cùm venisset Messias, veri Judæi non obstupuerunt, quòd non viderent in ipso excellentias & magnificentias corporales,

Veri Judæi non mirabantur videndo JEsum Christum; & quare.

rales, nec ex eo, quòd nulla illis afferret bona caduca; sed viderunt, quòd afferret sibi gratias, quòd liberaret corpora à possessione diaboli, & animas à tyrannide peccati. Falsi Judæi, qui carnales erant, exin scandalizabantur & interrogabant: Quis est hic homo, qui blasphemat? quis potest dimittere peccata, nisi solus DEus? sed veri Judæi, qui spiritales erant, agnoverunt ipsum ex hoc Messiam; & hi primi sunt, qui receperunt ipsum antè omnes alios.

Sanctus senex Simeon, qui exspectabat à longo tempore redemptionem Israël, cùm teneret in templo divinum hunc infantem inter brachia sua, præ gaudio plorans dicebat: *Viderunt oculi mei Salutare tuum;* & petebat dimitti animam suam in pace, non desiderans amplius vivere ab auspicato hoc momento.

Luc. c. 2. v. 30.

Veri Judæi receperunt JEsum Christum, & facti sunt Christiani, absque eo, quòd mutaverint religionem.

Sanctus Petrus & omnes alii Apostoli ac discipuli cum universa multitudine admodùm copiosa eorum, qui primitùs receperunt Christum JEsum, velut verum promissum Messiam, erant parvus & tenuis grex verorum tunc Judæorum in populo Israël; & hi facti sunt Christiani, absque eo, quòd mutarent religionem: id quod clarè verificat propositionem à me prolatam, quòd nempe verus Judæus & verus Christianus Religionem habeant unam & eandem: siquidem nonnisi eadem religio erat eadémque Ecclesia, quæ post longas pollicitationes recipiebat denique effectus, & post ingentem numerum figurarum aspiciebat tandem veritatem.

Quid factum esset, si JEsus Christus veniens non inveniret nisi veros Judæos.

Si totus populus Israël tantam possedisset felicitatem, ut non nisi ex veris fuisset compositus Judæis, habentibus eandem cum his dispositionem mentis, ipsúmque, sicut hi, velut verum absque contradictione recepissent Messiam, factus fuisset transitus tam insensibilis à figura ad veritatem, & à veteri Testamento, quod promittebat, ad novum, quod dabat Messiam, ut dici non potuisset, factam esse aliquam in mundo mutationem Religionis: nonnisi una eadémque fuisset res Judæum esse, & esse Christianum. Sic cùm Judæi & Christiani nonnisi eandem professi fuissent Religionem, poterat Judæus, qui desinebat esse sub lege Moysis, affirmare: Mea religio non finitur, sed perficitur, quia aliud non facit, nisi quòd transeat à figura ad veritatem, jamque possideat id, quod exspectabat: incepit ipsa cum mundo, nunquam non se pascens & nutriens promissis; non finietur ipsa nisi cum mundo fruens felicitate sibi olim promissâ.

Quid ergò conciliavit ingentem hanc eversionem, quæ visa est in toto mundo, & in-

Multitudo falsorum Judæorum causavit ruinam religionis suæ.

gram hanc separationem Religionis Judæorum à religione Christianorum? Nil aliud, nisi innumera multitudo falsorum Judæorum, qui intelligentes carnaliter & materialiter omnia, quæ exarata sunt de Messia, respuerunt JEsum Christum, eoquòd in ipso non viderint potentiam & pompam quandam externam, quòd non expugnaverit & subjugaverit armatâ manu nationes, quòd non locupletaverit populum suum bonis caducis. Magna existimatio, quâ prosequebantur hunc pulverem terræ, quem manus DEI tam liberaliter elargitur nationibus barbaris, reddidit ipsos obstinato animo, ne reciperent JEsum Christum pro vero suo Messia, videntes ab ipso sibi non communicari hæc bonorum genera; & quia ceu verum Messiam non recepeperunt ipsum, tota periit natio Judaica, & amplius non habet religionem; & ideò dixi, nullam religionem habere omnes falsos Judæos.

Falsi Christiani non habent nisi speciem religionis.

Ipsorum in album recenseo omnes falsos Christianos, qui contenti portare nomen Christiani, & quasdam externas exhibere cæremonias, non absimiles illis, quas exhibent & præseferunt veri Christiani, credunt id sufficere ad satisfaciendum obligationi religionis suæ. Miseri sane imitatores ruditatis falsorum Judæorum, qui externis tantummodò immorabantur apparentiis! quod erat apprehendere nonnisi corpus, absque eo, quòd unquàm amplecterentur verum Spiritum religionis. Quid prodest omnibus falsis Christianis, quòd ulterius non promerentes gradum; in exterioribus tantummodo sistant religionis exercitiis? Nonne hæc exhiberi quoque possent ab aliquo Pagano vel Atheo, qui propterea verus Christianus non esset? Verus Christianus est ille, qui vero indutus & imbutus est religionis suæ spiritu, in quo consistit ipsius essentia, & sine quo nihil prorsùs habet religionis.

Qualis sit spiritus veri Christiani?

Si quæras, quid est verus Spiritus Religionis Christianæ? Est Spiritus JEsu Christi ipsius, qui non cognoscit ullum verum malum, quod oporteat odisse, nisi peccatum solum & unicum; qui non cognoscit ullum verum inimicum, de quo oporteat inquirere & reportare victoriam, nisi solum peccatum; qui non respicit ullam veram servitutem, quæ debeat extorquere homini gemitus ac suspiria, nisi illam solius peccati. Verus Christianus non credit, se majus excellentius beneficium posse recipere à Messia, quàm liberari à vero hoc malo, quod solum conferre illi potest beatitudinem. Spiritus verorum Christianorum est Spiritus Messiæ,

siæ, quem receperunt, quémque agnoscunt pro Deo suo, qui docet ipsos veras invenire divitias in bonorum omnium caducorum contemptu; verum honorem in humilitate & amore abjectionis; veras & solidas voluptates in cruce & adversitate: Unico verbo habere sensa & desideria omninò contraria illis mundi & omnium mundi assectarum, est recepisse Messiam usque ad intima cordis sui, & indutum esse vero ipsius Spiritu.

Modus conveniendi inter Judæum & Christianum.

Sed, ô DEus, quàm exiguus est horum numerus! nam omnes fermè homines vivere volunt spiritu mundi, & omnibus suis satisfacere propensionibus naturæ, contenti recepisse Christum JEsum, secundùm speciem externam, exhibere quandam Religionis suæ apparentiam, cùm interim nil habeant Spiritûs aut veritatis in intimo cordis sui. Et ideo velut certissimum assero, omnes falsos Christianos, non magis quàm omnes falsos Judæos ullam habere religionem, tandémque ex hoc deduco duo hæc verba: Desinite falsos agere Judæos, desinite falsos agere Christianos, & habebimus ambo non plures, quàm unicam solam, eandémque religionem.

ARGUMENTUM.

Divina lumina, quæ Christus JEsus attulit in mundum, clarè cunctis hominibus ostendunt, ipsum esse Messiam.

Articulus VI.

QUamvis peccatum non exuerit omninò hominem, ratione, ità tamen debilitavit ipsius cognitiones ac lumina, ut nihil quasi amplùs illi habeat, quàm quòd cognoscat, se esse miserabilem. Intuetur ipse solummodò, quòd suam amiserit felicitatem; sed nil aliud conservavit ex illa, quàm confusam quandam cognitionem, quæ gemitibus ipsum obruit, ipsíque conciliat inquietum hoc desiderium, quo fertur ad requirendum illam, ubivis locorum: sicut illi, qui nôrunt quidem, se perdidisse rem alicujus momenti; sed ignorant, quid sit, nec ubi perdiderint id, quod quærunt.

Miseria hominum regentium se, nonnisi cognitione sensuum.

Peccatum, postquàm depressit hominem usque ad conditionem bestiarum, cogit ipsum plerásque suas cognitiones bestiarum more è sensibus haurire externis; sed hi non ostendunt ipsi, ubi sit objectum felicitatis, quam quærit, quæque sola ipsum potest exsatiare ac reddere contentum: procul abest, ut hanc detegant ipsi; sed potiùs tantò magis ab-

ſcondant, quantò magis ipſos conſulit, quia pro eo, quòd ipſum attollant ad cognitionem DEI, qui ſolus eſt ipſius felicitas, deprimunt ipſum ad cognitionem rerum ſenſibilium, quarum ipſi ingerunt amorem in contemptum Dei. Et quia plerique hominum hunc tenent ſtatum, plerique miſerabilem ducunt vitam, ſemper immerſi ſenſibus, ſicque affixit creaturis, ut aliam non cognoſcant felicitatem, niſi quam affert caducorum poſſeſſio bonorum. Nihilominus experiuntur, hanc non eſſe felicitatem ſuam, ſed tormentum ſuum, & quantò plus quærunt ſibi hâc viâ ſatisfacere, tantò magis ſe invenire, undè affligantur.

Qui ſolo ſe dirigunt rationis lumine, non ſunt beati.

Sapientiſſimi quique adverterunt fraudem, non imeritò perſuaſi, quòd, cùm nobiliores ſint beſtiis, opus habeant ad ſatisfaciendum ſibi felicitate longè ſublimiori, quàm ſit illa beſtiarum. Ecce quare illam non ampliùs quæſierint in rebus, quæ nonniſi exſatiandis idoneæ ſunt ſenſibus; ſed aperuerunt oculos lumini rationis, & invenerunt id eſſe velut ſolem affixum cœlo animæ ſuæ, cujus radiante ſplendore dirigere ſe debeant in inquirendâ felicitate ſuâ; & econtra lumen ſenſuum in comparatione non eſſe, niſi parvam faculam, quæ portaretur in manibus ad dirigendum ſe difficulter in media noctis caligine: affulgente radioſo hoc rationis lumine, attollentes ſe Philoſophi ſuprà ſenſus & omnes res ſenſibiles, aſcenderunt ad cognitionem primi entis, primi alicujus principii, primæ cujusdam veritatis, quam contemplati ſunt velut præcipuam felicitatem ſui intellectûs, qui incomparabiliter majori cum delectatione paſcitur veritate, quàm corpus eſcis materialibus.

Non perveniuntur ad felicitatem ſolo rationis lumine.

Sed modus hic cognoſcendi Deum ſolo lumine rationis, paucorum eſt. Nonniſi fuerunt Philoſophi, quorum numerus ſemper admodum exiguus fuit, reſpectu cæterorum hominum, qui ſe ſolis dirigebant ſenſibus, quique majorem, quàm animalia, non habebant divinitatis cognitionem: quin & hæc cognitio ſapientûm, quos reſpiciebant velut intelligentias cæteris hominibus ſuperiores, erat ſicca, ſterilis, & millenis involuta obſcuritatibus ac tenebris: ita ut, cum illis non conferret poſſeſſionem puram, integram & certam veritatis, quam nonniſi à longè pauliſper conſpiciendam præbebat ipſis, etiam nonniſi ſemiplenâ & dimidiata ſatisfactione ipſorum demulceret intellectum. Et nihilominùs ſufficiens hæc fuit, ut induceret ipſos ad contemptum voluptatum carnalium, quia hâc longè majorem

rem

rem deguſtabant in ſtudiis ſuæ, cui vacabant, Philoſophiæ. Verum quidem eſt, hos meliorem arripuiſſe viam, ad obtinendum veram felicitatem, quàm præcedentes; nihilominùs illuc hâc viâ, utpote minùs adhuc abjectâ, pertingere non valebant.

Hinc DEus tactus commiſeratione ignorantiæ & imbecillitatis humanæ, mittere illis voluit divinum è cœlo lumen ut ſeſe oſtenderet & demonſtraret ipſis: Et hoc lumen eſt fides infinitâ ratione tranſcendens ſenſus & rationem. Verum eſt, obſcurum eſſe hoc lumen, eſt tamen certum, non oſtendit quidem clarè divinitatem; facit tamen cognoſcere illam admirabili cum certitudine. Siquidem cùm ſit quidam radius egreſſus ex oculis primæ veritatis, ad docendum nos, quòd DEus ſit, quòd creati nos ſimus ab illo, quódque is eſſe debeat æterna poſſeſſio eorum, qui famulantur ipſi, impoſſibile eſt, ut ipſa nos decipiat in cognitione, quam nobis ſuppeditat de exiſtentia, eſſentia & excellentiis DEI.

Quàm præclara res ſit dirigere ſe lumine & cognitione ſupernaturali.

O quàm multò nobilior & excellentior eſt hic modus cognoſcendi DEum, omnibus illis Philoſophorum! non ſolummodò quia certior eſt, purior & facilior; ſed etiam, quia latior & amplior eſt, cùm non tantùm ſe extendat ad ſapientes & ſcientiis excultos, ſed ſe omnibus communicet indiſcriminatim; quin & ſimpliciſſimi ſæpius hìc ſint magìs illuminati ſapientibûs mundi, & magìs ignari magnis Doctoribûs doctiores.

Quàm obſcura fuerit fides & limitata in veterî Teſtamento.

Divinum fidei lumen pauliſper quidem conſpiciendum ſe præbuit mundo, cunctis ſæculis adventum Meſſiæ præcedentibus. Sed id non erat niſi velut aurora ſpiſſis adhuc involuta nubibus: volo dicere, omnem cognitionem DEI, quam fides communicabat antiquis, ſic implicatam fuiſſe, umbris & figuris veteris Teſtamenti, ut una ex parte lumen ſuum latius non extenderet, niſi in ſolam Judæam: *Notus in Judæa DEus*; totus reliquus orbis privatus illô mane- Pſalm. 75. bat: & ex altera parte, cognitio, v. 2. quam illis largiebatur de divinitate, quamvis certiſſima, tam tenuis tamen, támque confuſa eſſet, ut quaſi nihil de præcipuis noſtris myſteriis conſtaret ipſis. Illud Trinitatis, illud ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, illud Incarnationis ſecundæ Perſonæ Trinitatis, & pleraque alia ita abſcondita fuerant ſub velo figurarum ſuarum, ut vix ſapientiſſimi & doctiſſimi quíque ex tranſcurſu & ſtrictim illa pauliſper poſſent intueri. Nil aliud conſtabat ipſis, niſi quòd DEus eſſet ſupremus Dominus, qui ſolus velit adorari,

rari, qui suam exerceat providentiam in vitam hominum, quique missurus sit ipsis aliquem Redemptorem.

Nihilominùs has inter tenebras, promissiones habebant certas ac divino firmatas testimonio, quòd visuri essent aliquando oriri lumen magnum, allaturum sibi plenum veritatis diem: *Populus, qui habitat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Quis dubitare potest, quin divinum hoc lumen, quod DEus promiserat illis, fuerit Messias? Nonne ipse est, qui alibi nuncupatur Doctor justitiæ? *Dabo vobis Doctorem justitiæ;* & cui sit ambigendi locus, quin Doctor hic & lumen hoc sit JEsus Christus, qui ipsemet dixit: Ego sum lux mundi; quique tam clarè ostendit, nihil esse tam cœcum, quòd non videat admirabiles effectus ab apparitione magni hujus luminis in universo mundo productos.

Isa. 9.

Jam mundus est illuminatus, unde patet, ipsum accepisse Messiam promissum, qui debebat esse lux mundi.

Joël. 2. v. 23.

Nonnè manifestè videtur, cognitionem DEI non ampliùs esse inclusam, sicut olim in parvo mundi angulo, dum reliqua omnia tumulata fuerant tenebris idololatriæ? Sed quasi non amplius esse regionem in orbe, ubi verus DEus non cognoscatur: quis efficere potuit ingentem hanc mutationem? nisi quòd Doctor justitiæ, qui promissus erat, venerit; quódque populi, qui habitabant in regione umbræ mortis, viderint lucem magnam suis affulgentem oculis?

Nonnè insuper conspicitur, nullam modò amplius esse cognitionem confusam & figuris involutam; sed clarè omninò explicatam, detectam, & patefactam? Siquidem fatendum est, homines modò sine comparatione magis esse illuminatos in sublimissimis mysteriis religionis, quàm fuerint omni tempore veteris Testamenti: cognoscunt enim modò distinctè adorandum mysterium Trinitatis; noverunt distinctionem divinarum Personarum, quódque secunda fuerit incarnata pro salute nostra; sunt probè informati de perfectionibus divinitatis; penetrant etiam intellectu admirandam directionem Spiritûs DEI, & diversos effectus, quos gratiæ ipsius producunt in animabus nostris. Quis ergò effudit splendorem hunc magnum, qui antè non videbatur, nisi quòd Messias, divinum hoc lumen è cœlo nobis à Deo promissum descenderit in terras? Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

Altissimæ religionis veritates modò valdè clarè cognoscuntur per lumen JEsu Christi.

Nonnè ulterius patet, non solùm magna ingenia & homines eruditos depositarios esse scientiæ salutis, sed illam frequentius communicari magis simplicibus?

Animæ simpliciores sunt sæpiùs magis illustratæ.

bus? Quot videre erat simplices puellas cunctis sæculis post adventum JEsu Christi? Et quot viros nullâ scientiâ acquisitâ imbutos, qui adeò illustrati fuerunt in profundissimis Divinitatis arcanis, ut maximis Doctoribus maximæ fuerint admirationi? quoties ab his consulti fuêre velut oracula, docentes illos, quod homo mortalis docere non potuisset? unde venit hoc? nisi quòd Verbum caro factum sit, quódque hæc æterna Patris Sapientia uti videtur, sibi complacuerit incarnari hâc ratione in simplicibus, qui nonnisi videbantur caro esse & stupiditas, quantum ad omnes res humanas: & hæc est executio promissionis à Deo factæ: *Videbit omnis caro Salutare DEI.*

Luc 3. v. 6.

Plures bonæ animæ fruuntur privilegiô Moysis, loquendi familiariter cum Deo, velut cum amico suo.

Sed quod magis stupendum est, quódque nullum relinquere deberet ambigendi locum, quòd verè Deus unigenitum suum miserit Filium, ut carnem assumeret humanam, seque redderet hominibus familiarem: Nonnè videmus magnum illud privilegium, quod ità deprædicatum est in Moyse, loquendi familiariter cum Deo, velut loquitur amicus cum amico suo, post adventum JEsu Christi, extensum & dilatatum esse ad innumeras bonas animas orationi mentali addictas? Siquidem illæ agunt cum Deo tam familiariter, tamque confidenter, ut amicorum sit nullus, qui tantâ sinceritate, tanto candore aperiat cor suum amicorum suorum optimo, sicut Deo complacet manifestare se illis per copiosa lumina infusa, quæ pro illis tantum habent certitudinis, quantum habent revelationes fidei pro tota Ecclesia; cùm de ipsis dubitare non possint. Et quod speciale est, magisque admirandum in hisce manifestationibus, quas Deus exhibet de se ipso intimis suis amicis in oratione, est, quòd hæ certitudini fidei adjungant evidentiam quandam & claritatem, à qua producuntur in cordibus ipsarum voluptates & consolationes ineffabiles, quæ transcendant omnes hominum cogitationes, quæ explanari non possint verbis, quæque veræ sint prægustationes voluptatum illarum, quæ sanctè inebriant Beatos, qui clarè intuentur faciem DEI in cœlis.

Unde id oritur? nisi quòd Verbum caro factum sit, quódque habitet in nobis, ut sit nostrum lumen, utque ubivis gentium, ubi est, magnum diffundat splendorem cognitionis Dei, quam nemo nisi id solum dare possit. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus. Hæc argumenta tam sunt manifesta, ut non videam, quâ ratione quis

Joan. 1.

rationis compos de iis valeat dubitare: Ecce tamen tibi adhuc alia, quæ validiora mihi videntur, magisque constringentia!

ARGUMENTUM.

Scientia practica Christianorum efficaciter probat cunctis hominibus in mundo, JEsum Christum verum esse Messiam.

Articulus VII.

LOquor hìc de scientia practica Christianorum, quæ nonnisi pauciſſimis est perspecta; nam plerique possident tantùm speculativam, contenti scientiâ veritatum sublimium à Christo JEsu edoctarum, quibûs ipsi suum præbeant assensum. Sed tantum abest, quòd illas redigant in opus, ut ferè semper agant potiùs contrarium illi, quod nôrunt, quódque edocti sunt in religione, quam profitentur. Jam id genus scientiæ purè speculativæ & à praxi falsorum Christianorum oppugnatæ, non tantùm nil habent efficaciæ ad persuadendum mundo adventum Messiæ, & veritatem Religionis Christianæ, sed potius dissuadet utrumque, & effectus affectúsque prorsùs contrarios aspicientium imprimit animis. Libenter igitur obducerem velum oblivinis æternæ, ad abscondendam illam cognitioni cunctorum hominum, velut probrum & dedecus Religionis Christianæ.

Christiani ignavi dissuadent religionem.

Sed verba duntaxat facio de scientia practica parvi gregis verorum Christianorum: hæc tam mirabilis mihi videtur, tam sublimis, tam fortis & efficax, ut sola illius consideratio convincere debeat animos maximè protervos & obfirmatos. Nam si consideremus, quô scientiæ genere repleat JEsus Christus animas doctrinam suam recipientes, hæc eousque transcendit omnia lumina & omnes cognitiones rationis humanæ, ut hæc non solum ipsam non possit comprehendere, sed potiùs primo ipsius intuitu confundantur, obtundantur & quasi stupefiant.

Pulchritudo scientiæ verorum Christianorum.

Congrega mihi acutiſſima quæque ingenia Philosophorum, quos coluit antiquitas; & dic illis, quòd thesaurus in paupertate pateat absconditus, qui majoris sit possessione omnium regnorum mundi; quódque ut summas quis acquirat divitias, & possideat omnia, oporteat omnes mundi divitias calcare plantis & contemnere. Dic illis, quod separatio universalis ab omnibus creaturis incomparabiliter majori sit solatiô, quàm ipsorum fruitio, quódque,

Philosophi nihil capiunt in scientia practica JEsu Christi.

que, ut beatus & contentus quis vivat, oporteat suis subtrahere sensibus omnia, in quibus hi suam collocant delectationem, & insuper portare continuò mortificationem crucis in suo corpore, imò & crucem interiorem pœnosissimarum desolationum in sua anima; quódque in his omnibus inveniatur campus tam jucundarum, tamque solidarum voluptatum, ut longè transcendant id omne, quidquid voluptuosissimi quique in suis voluptatibus degustare possunt jucunditatis.

Adjicias insuper, summum gloriæ apicem latere in profundissima contemptûs abysso; quódque melius sit hic subesse, quàm elevatum sedere super solia, quod oblivione sepeliri, & quasi annihilari cognitioni cunctorum hominum, status sit melior, conditióque felicior, quàm omni præconiorum genere per orbem extolli universum. Dic illis denique, nihil suavius esse in vita recordatione & spe mortis, nihilque majus, nihil desiderabilius esse quàm sacrificare vitam suam pro Deo. Omnem move lapidem, ut probes illis omnes has veritates validissimis & efficacissimis quibúsque, quas invenire poteris, rationibus, & soli huic operæ annos impende integros; an evicturum te credis, ut persuadeas id illis? imò potiùs videbis, ipsos majori contra te irritatos contumaciâ, accepturos te velut stolidum & mentis impotem, utpote talia proferentem, quæ omni sanæ adversentur rationi.

Et nihilominus JEsus Christus persuasit ea omnia ingeniis tum magnis, tum mediocribus, tum innumeræ hominum multitudini diversorum statuum ac conditionum; & hoc paucis admodum verbis, nudis, simplicibus, & absque allegatione alicujus rationis. Quis induxit ipsos ad recipiendum doctrinam sensibus adeò contrariam, & omni humanæ rationi adversantem? unde oriuntur hæc lumina ab universali opinione hominum adeò remota & aliena, quæque illa veteris Testamenti omnia, quamvis à magnis Prophetis edocta, attingere nunquam potuerunt?

JEsus Christus persuasit doctrinam suam, proponendô duntaxat ipsam, quamvis omnibus sensibus adversam.

Quantam igitur auctoritatem, quantam potestatem occultam habeat ille, qui ejusdem receptionem usque in cordis penetralia persuadere potuit, proponendô solummodò illam? Quis diffitebitur, hunc esse non posse hominem quendam vulgarem, nec solummodò magnum quendam Prophetam, sed esse oportere ipsummet Deum Prophetarum? Et ecce tibi primum, quod admirabile invenio in doctrina, quam veri Christiani receperunt à JEsu Christo: potuisse nimirum ipsam com-

comprehendere, ipsius accuratè observâsse pulchritudinem, ipsam adamâsse, ac firmiter eidem adhæsisse, ubi primùm fuit proposita: hoc prodigium est, quod omni consideranti obstupescendum prorsùs videbitur.

Secundum adhuc magis admirabile est, quòd reddiderit hanc scientiam practicam, & roboraverit imbecillitatem humanam in innumerabili multitudine hominum, diversorum statuum & conditionum, ut vivere possent juxtà præscriptum hujus doctrinæ, in statu tam sublimi & superante vires naturæ, ut velut totidem æstimari possent miracula. Quantos videre fuit Monarchas, sua ad plantas prosternentes diademata, ut amplecterentur cum gaudio altissimæ paupertatis thesaurum, in qua pretiosius quid aspexerunt, omnibûs mundi gazîs & divitiîs: Aliquem Carolomannum in Francia, aliquem Sachisium, Regem in Longobardia, aliquem Isaac Comœnum Imperatorem in Oriente, aliquem Lotharium Imperatorem in Occidente, aliquem Veremundum in Hispania, tantósque alios, quorum abundè meminerunt historiæ.

Exempla magnorum Principum doctrinam Evangelii in opus redigentium.

Quantæ subiêrunt oculorum aciem personæ, conditione & corporis constitutione admodùm fluxæ, molles, imbelles, quæ è medio voluptatum abundanter sibi à mundo instructarum sese proripuerunt, ut profiterentur hic in Eremo; alter in Asceterio vitam omninò crucifixam in austerrimæ pœnitentiæ rigore; confitentes etiam, se plùs hic invenisse solatii, quàm in omnibus voluptatibus mundi? Et visi sunt vivere in hoc statu adeò contenti ac consolati, tantóque delibuti gaudio, ut invidiam cierent iis, qui vel maximè aucupantur sensuum voluptates.

Et quot extitêre alii qui gloriâ & honore circumfusos se videntes in sæculo, harum fastidiô affecti sunt vanitatum; & quia sine comparatione quid majus contineri credebant in contemptu, voluntariè sese abjectos reddiderunt in domo Dei; & hi quidem recedendô solùm mutatô nomine in regiones incognitas, uti sanctus quispiam Alexius; alii totos vivos sese tumulandô in spelæa horrida, ut sese absconderent, & quasi annihilarent cognitioni hominum, ubi nonnisi cum morte faciebant verba & cum cogitationibus æternitatis? Et hi, quibus se præbebat occasio, sacrificandi vitam suam pro Deo, veluti Martyres, concurrerunt majori cum gaudio ad torturam, quàm ad torum, majori cum jubilo supplicia, quàm ad nuptiarum illicia. Hæ non sunt imaginationes & ideæ in aëre; sunt veritates omninò palpabiles, quarum

Plurimi fugerunt gloriam, ut quærerent contemptum.

rum nunquam ab adventu JEsu Christi defuerunt exempla.

Mirabilis effectus adventûs Messiæ.

Quid dicere potest mundus, videns scientiam hanc practicam verorum Christianorum, quæ pudore suffundit sapientissimos quosque, & terrore percellit maximè generosos? Unde est, ejusmodi sensa, similes praxes, paria exercitia non conspici, nisi in sola religione Christiana? Nam in cunctis cæteris religionibus conspicitur nec unicum. Et inter Judæos toto tempore veteris Testamenti, quamvis veram habuerint religionem, quasi nec unus, nisi pauci admodum Prophetæ, & hi rarissimè ejusmodi quid operati sunt: sed in religione Christiana totas legiones ejusmodi Heroum cunctis licebat sæculis intueri. Hoc nonne luculentissimè probat, quòd Verbum caro factum sit, quódque verè venerit Messias ad nos instruendos? eoquòd similia facta non sint, nisi postquàm Filius Dei carne nostrâ indutus est mortali, ad ostendendum se oculis hominum pauperem, afflictum, contemptum, solitarium, calamitatibûs oppressum, & denique confixum cruci, ubi propriam suam vitam sacrificare voluit & mori ex hominum amore. Nonnisi à tempore hoc ii omnes & soli, qui probè ipsum agnoverunt, quique ipsius spiritum, ipsius dogmata, ipsius sensa usque ad intima cordium suorum receperunt penetralia, maximas cæperunt intueri, pulchritudines in horroribus summis, quos Verbum incarnatum sanctificavit, & divinos quasi reddidit in Persona sua.

Perpende tecum ipse, quis unquam comprehendere potuisset ejusmodi doctrinam; & posito, quòd comprehendi potuisset, quis unquam illam amâsset, quis affici erga ipsum potuisset? Et posito etiam hoc amore & affectu, cui unquam fuisset tantum roboris ac animi, ut ejusmodi moliretur opera, nisi fuisset roboratus à virtute quadam divina, quæ infinitâ ratione excedit omnem illam naturæ? Hoc unicum si benè perpendatur judicio quodam sano & ab omni inordinata propensione libero. Nonnè evidentissimè convincit, quòd JEsus Christus, qui operatus est hæc prodigia, non fuerit nudus & simplex homo, sed quòd portaverit divinitatem sub humana apparentia absconditam, adeóque extiterit verus à Deo promissus Messias? Sanè imbecillitas nostra humana nunquam indutam se vidisset virtute tam divina tamque potenti, nisi omnipotentia Verbi Dei induta fuisset nostrâ imbecillitate humanâ. Quid dicitis ad hæc, vos Judæi?

Probatio evidens adventûs Messiæ.

Nôsse percuperem, an alter ille, quem exspectatis, fictitius Messias,

quique venturus sit, uti dicitis, velut Rex magnus summa cum potentia ac majestate, ut imperet & jura det omnibus Monarchis mundi; qui pro arbitrio dispositurus sit, uti putatis, cum omnibus thesauris terræ, quos in suis habebit manibus; quique impleturus sit, uti speratis, populum suum divitiis, honoribus, consolationibus, & omnis generis temporaneis prosperitatibus; percuperem nôsse, an non potiùs arrepturus sit medium & viam damnandi, quàm salvandi homines?

Existimatus Messias Judæorum eâ ratione, quâ ipsum exspectant, potiùs damnaret quàm salvaret homines.

Anne hoc esset morbo mederi avaritiæ, quæ omnium origo est malorum, si bonis temporalibus repleret homines? imò hoc potiùs foret nutrimentum & escam suppeditare ipsorum concupiscentiæ: Et quando uni soli omnia dedisset mundi bona, non satiâsset adhuc inextinguibile illius, quô accenditur, habendi desiderium. Si tamen omnia hæc contulisset uni soli, quid conferendum ipsi restaret aliis?

Anne hoc esset remedium apponere ardentissimæ febri, quâ succenduntur voluptuosi, si magis adhuc succenderet ipsorum concupiscentiam fruitione voluptatum sensualium? quis diffitebitur, quòd potiùs hoc foret in bruta convertere animas, illásque reddere ineptas elevandi se ad ad Deum? quódque commentitius hic Messias, qui per viam hanc deduceret homines, ipsos potiùs ageret in ruinam, quàm dirigeret ad salutem?

Anne hoc quoque foret medicamentum insigne ad sanandum infirmitatem ambitionis humanæ, quæ satiari omninò non potest, si conferret ipsis honores, si illustres redderet illos splendore gloriæ, si attolleret ipsos ad solia, suprà cæterorum verticem hominum? Verùm si existimatus vester Messias hâc ratione felicitatem conferre vellet hominibus, quam veniret allatum illis, quotnam ex illis reddere posset felices? Nonnè videtis unicum solum, quem attolleret super alios, ab eo duntaxat felicitandum, vel ad summum tenuem omninò ipsorum numerum, quorum verticibus sua decerneret diademata, quorum manibus sua consignaret imperia, dum interim relinqueret cæteros omnes in sua miseria. Manifestum prorsùs est, hæc esse impossibilia.

Probationes evidentes contra Judæos.

Ex hoc optimè deducitur, omnia bona, omnes prærogativas, omnes prosperitates, quas Scripturæ promittunt vobis in adventu Messiæ, intelligi non posse de temporalibus & materialibus, sed necessariò intelligendas esse de spiritualibus. Quantùm ergò volueritis philosophamini, ut efformetis vobis alium Messiam juxtà idæam & imaginationem vestram, qui veniet è cœlo in terram,

ram, ut obeat officium Salvatoris hominum; excogitare poteritis nullum, qui magis congrua, magísque efficacia arripere posſit media, quàm arripuerit Christus Jesus ad expellendum è mundo peccatum, ad liberandum homines à servitute vitiorum, & pravorum affectuum, ad deducendum illos cum securitate in viam salutis; & unico verbo ad reparandum perfectiſsimè omnes ruinas, quas natura ſubiit humana per lapſum primi hominis: Et conſequenter, absque eo, quòd vosmet ipſos decipiatis, imaginari non poteſtis verbis, alium exſpectandum eſſe Meſsiam.

Duo Rabbini, qui audiebant hæc omnia, probè videbant, illa eſſe tam rationi congrua, tamque plauſu digna, ut non haberent, quod contradicerent: nihilominùs, quia præoccupati erant averſione horrendâ, quam omnes infelicis iſtius nationis homines nunquam non ſentiunt & fovent in corde ſuo contra Chriſtum JEſum, cujus ſolum nomen ipſis eſt intolerabile, nullum exhibuerunt ſignum, omnes has tam efficaces rationes vel minimum quid commotionis reliquiſſe in cordibus ſuis; niſi quòd eandem conceperint animo curioſitatem, quam ſapientes Areopagi conceperunt prædicante ipſis ſancto Paulo reſurrectionem mortuorum, quæ ipſis res erat inaudita, quamque æſtimabant impoſsibilem: citrà id, quòd vel approbarent, vel damnarent, dixerunt illi: Audiemus te de hoc iterum. Hi quoq; demonſtrarent nobis deſiderium aliam hac ſuper re inſtituendi Conſultationem: promiſſio deſuper eſt facta, diesq; determinatus, & Conſultatio fuit ſequens.

CONSULTATIO VII.

De Conſolatione illorum, qui profitentur Religionem Chriſtianam.

Differentia inter cæcitatem corporalem & ſpiritualem.

QUid prodeſt cæco portare in manibus facem? alios quidem illuminare poteſt, ſed ſeipſum illuminare non poteſt. Cæcitas ſpiritualis in hoc pejus habet, quàm corporalis, quòd ille, qui cæcus eſt corpore, benè id nôrit; cæcitas ipſius & tenebræ extorquent ipſi gemitus; ſed ille, qui cæcus eſt ſpiritu, non novit, nec cernit illud, adeòque non conquequeritur, ſed potiùs ſuam amat cæcitatem, hancque credit ingentem eſſe lucem: Et hoc cæcitatis ipſius eſt ſumma miſeria.

Ecce

Ecce tibi statum miserabilem, quò omnes premuntur Judæi: hinc exprobrabat illis sanctus Paulus, quòd velamen positum haberent super cor suum, quo impediebantur, ne viderent veritatem, quam legebant in Scripturis veteris Testamenti, concernentibus Christum JEsum, illisque luculenter demonstrantibus, ipsum esse Messiam promissum: Dum dicebat illis, quòd haberent velamen, demonstrabat ipsis, quòd essent cœci; dum inquiebat, quòd positum id haberent super cor, exprobrabat ipsis suam proterviam; quódque, si tenebras habeant in intellectu, majorem adhuc habeant in voluntate.

2. Cor. 3.

Nihilominùs consultò DEus conservat hunc populum per universum orbem dispersum, portantem in manibus suis Scripturas veteris Testamenti, ubi Messias prædicitur, promittitur, depingitur. Tenent illi hos libros apertos, quos monstrant omnibus hominibus, ut videant in illis veritatem, quam ipsimet non vident ibi. Hi sunt cœci, qui in manibus suis portant faces ad illuminandum universum mundum, dum interim ipsi persistunt in cœcitate sua.

Judæi sunt cœci, portantes facem ad illuminandos alios.

Nostri Legis Doctores, qui optimè se præparaverant, ad propugnandas egregie partes suas in hac Consultatione, instructi erant plurimis textibus, è libris Prophetarum depromptis, qui loquebantur nonnisi de excellentiis, de divitiis, de potentia, de gloria, de Majestate formidanda Messiæ, putantes, se clarè videre ex his testimoniis, quòd JEsus Christus esse non posset verus DEus eoquòd ejusmodi nil visum & conspectum fuerit in ipsius persona. Sed cùm bonus noster Ecclesiasticus non citâsset ipsis æquè ingentem numerum aliorum textuum, ex eisdem Prophetis depromptorum, qui nonnisi loquebantur de paupertate, de humiliatione, de dolore, de persecutione, de patientia & morte Messiæ, & de repudiatione ipsius, à populo suo facienda, quæ omnia manifestè videbantur in Christo JEsu, urgebat illos ad sibi dicendum, an crederent, quòd omnes hi textus, qui videbantur ita oppositi, æqualis essent inter se, ac ejusdem omninò veritatis.

Fateri cogebantur, se apparentibus hisce Scripturarum suarum contradictionibus intricari, nec videre, quomodò evolvere se possint! Nihilominùs, reponit Ecclesiasticus, cùm omnes æquali ratione divinæ sint Scripturæ, & à Spiritu Dei, qui veritas est, dictatæ, pari ratione ipsas veras esse oportet: vos modum illas conciliandi non videtis, quia oculos aperire non vultis, ut videatis veritatem; hoc obdurationis velum, quod

Non possunt esse veræ contradictiones in sacra Scriptura.

vestro

vestro impositum circumfertis cordi, ab eo vos impedit. Verùm, si modò prompto animo cognoscere vultis veritatem, absque difficultate ostendam vobis, quomodò omnes Scripturæ, ubi aliqua apparet oppositio, mirum in modum conveniant, ad demondemonstrandum nobis manifestissimè, quòd verus Messias sit Christus JEsus.

ARGUMENTUM.

Quòd apparentes Scripturæ contradictiones pulcherrimè conveniant ad ostendendum nobis, Christum JEsum verum esse Messiam.

Articulus 1.

Contradictio, ut ajunt Philosophi, est affirmatio & negatio ejusdem de eodem, eodem tempore, & eâdem ratione. Juxta hanc regulam omnia plena sunt contradictionibûs impossibilibus in Scripturâ, quando fit sermo de Messia, pro iis, qui nil distinguunt in ipsius Persona, quique textus Scripturæ in eodem accipere volunt sensu.

Regulæ ad conciliandos omnes Scripturæ textus, qui contradictorii videntur.

Sed distinguendum est inter duos adventus Messiæ promissi, unum, quo jam advenit ad salvandos homines, & alterum, quo adveniet ad homines judicandos: agnoscendæ sunt duæ naturæ in ipsius persona, una divina, & altera humana; indagandi sunt duo sensus in textibus sacræ Scripturæ, unus materialis & alter spiritualis. Et posito indubitato hoc principio, omnes apparentes contradictiones, quas complectitur Scriptura, pulchram constituunt harmoniam, & mirificè conveniunt, ad demonstrandum nobis, quòd omnia, quæ promissa & prænuntiata sunt de Messia, adimpleta sint, & singulatim verificata in persona Christi JEsu.

Talia asseruntur de Messia, ut spectare non possint, nisi ad Deum; alia dicuntur de illo, quæ non conveniant nisi homini: oportet igitur ipsum esse utrumque, & affirmandum, quod verus Messias sit Deus-Homo & Homo-Deus. Attribuuntur ipsi excellentiæ divinæ; hæ igitur non sunt excellentiæ temporales & visibiles, cùm excellentiæ Dei æternæ sint & invisibiles: attribuuntur ipsi etiam vilitates ac infirmitates velut novissimo hominum; siquidem describitur pauper ac nudus, persecutionibus oppressus, colaphis cæsus, contemptus, velut terræ vermiculus, ductusq; ad mortem quasi agnus. Ecce ergò quæ spectanda & exspectanda nobis sint in ipsius persona, & nullatenus prærogativæ temporales, quæ cum illis sunt incompatibiles. Affirmantur de

Applicatio harum regularum.

ipso talia, quæ manifestè sunt falsa, si sumantur materialiter & juxtà quod sonat litera; sicut quòd Deus collocaverit ipsum à dextris suis; cùm Deus non sit corpus, quod dexteram habeat vel sinistram: oportet ergò illa vera esse in sensu spiritali, & fatendum, duos esse sensus in Scriptura. Enuntiant Prophetæ venturum ipsum formidanda cum majestate, in sono tubæ, & congregaturum omnes homines ante tribunal suum, ad pronuntiandum in eos sententiam æternam, velut ipsorum judicem: asseverant autem & contrarium, quòd venturus sit tam blandè, quasi foret ros decidens in vellus, absque eo, quòd ullum excitet rumorem, & quòd aliquis id percipiat: necessariò igitur distinguendi sunt duo ipsius adventus, unus ad salvandum homines, alter ad homines judicandos; primus in dulcore, ad exhibendam misericordiam, secundus in rigore, ad exequendum justitiam.

Quomodò omnia, quæ scripta sunt de Messiâ, verificata sint in Christo JEsu.

Hoc posito, jam quæro ex vobis, vos Legis Doctores: Quid afferre potestis ex omni eo, quod exaratum est in Lege & in Prophetis de Messia, quòd verificatum vobis non demonstrem sigillatim & in singula capita, de Persona Christi Jesu? Omnia illa, quæ concernunt potentiam & excellentias divinas, velut remittere peccata hominum, adorari ab omnibus nationibus mundi, conveniunt ipsi, quia Deus est: Omnia illa, quæ concernunt humiliationes ærumnas, mortem & summam annihilationem, conveniunt ipsi quia homo est. Omnia illa, quæ spectant ad formidabilem illam potentiam & splendidâ majestatem, quâcum Messiam venturum prænuntiârunt Prophetæ, congruunt illi, quia venturus est judicare vivos & mortuos in fine sæculorum: & omnia ea, quæ spectant ad summam illam mansuetudinem, quâ prædixerunt ipsum descensurum in terram, congruunt ipsi, quia ingressus est mundum imperceptibiliter in silentio noctis.

Promissum est, venturum Messiam ad liberandum populum suum à servitute inimicorum suorum. Hoc fecit Jesus Christus. Ipse enim liberavit homines à tyrannide peccatorum, quæ maximos animarum agunt inimicos. Promissum est, ipsum suos locupletaturum, omnique repleturum felicitatum genere. JEsus Christus hoc fecit: ipse enim consignavit ipsis possessionem omnium thesaurorum gratiarum suarum, omniúmque meritorum suorum, illísque procuravit æterna bona gloriæ, quorum possessio minima infinitâ ratione antecellit cuncta mundi imperia. Prænuntiatum est, regnum Messiæ futurum æternum; prænuntiatum est quoque, ipsum moriturum: Et ambo verificata sunt in JEsu Christo: Nam regnum ipsius durat & durabit in æternum; & mors

mors ipsius tam vera est, ut abnuere ipsam non possitis. Unico verbo, perscrutamini omnes veteris Testamenti Scripturas de Messia loquentes, nec unicum solum invenietis textum, qui non clarè depingat JEsum Christum, vel secundùm suam divinitatem, vel secundùm humanitatem; vel in primo, vel in secundo adventu suo; vel penès exspoliationem corporalem, vel penès divitias spirituales.

Quando per impossibile exipectandus foret alius Messias, totus deberet esse talis, qualis est Christus JEsus.

Plùs adhuc dico, quòd si per suppositionem, quæ non est, exspectandus foret aliud Messias, necessariò talis esse deberet, qualis est JEsus Christus: aliàs impossibile foret in ipsius Persona verificare ea omnia, quæ annotata & prænuntiata sunt de ipso in Scripturis. Et insuper adhuc dico, quòd impossibile sit venire unquam alium, in quo verificari possit id, quod totum manifestum est, & ad oculum patet in Christo Jesu: siquidem is ampliùs non veniret in tempore, quod nuntiatum est à Prophetis; & populus Judæorum, & totus mundus non ampliùs est in Scripturis declarato & expresso, quando nominatim designârunt tempus adventûs Messiæ.

Nonnè ergò erratis, ô Judæi, dum alium exspectatis? An exspectatis Messiam plenum magnificentiâ, potentiâ & majestate, venturum ad vos formidanda cum potestate & gloria? Ita videbitis, illum; sed hic erit ipsemet Christus Jesus, qui venturus est judicare omnes homines in fine sæculorum, & severissimâ condemnaturus justitiâ eos, qui misericordiæ suæ clementiam, in primo adventu suo ipsis oblatam noluerunt accipere.

Argumentum efficax contra Judæos.

Noluistis acceptare JEsum Christum pro vestro Messia, eo-quòd apparuerit vobis pauper, contemptus, & ærumnis oppressus. Si non tolerâsset hæc omnia ex amore erga vos, sed vixisset in splendore, in honore, in voluptatibus, minorem habuissetis causam acceptandi illum, minorémque obligationem ipsum amandi; potuissetis enim dicere: quid fecit, aut quid passus est, ut meam mereatur gratitudinem? Jam ubi est cor vestrum, dum dicitis: Contemno ipsum, quia omnis generis contemptus subiit amore mei; repudio ipsum, & non agnosco pro Redemptore meo, quia magis amavit me propriâ vitâ suâ, mortémque in cruce pati voluit, ut meæ vitam daret animæ: certè enim majorem rationem non habetis, quæ vos urgeat ad contemnendum ipsum quàm ipsius paupertatem, ipsius contemptum ac mortem, quibus se subdidit, ut officium obiret Redemptoris hominum, & hoc potius est, quòd acriores vobis addere deberet stimulos ad ipsum agnoscendum, ac majori prosequendum honore. Nonne tam

vecors confundat vos ingratitudo?

Judæus nullam habet positivam rationem, quòd Messias nondùm advenerit.

Verùm non assentior, ipsum hæc omnia passum esse amore mei replicabat Rabbinorum unus: siquidem arctè semper teneo vestrum Jesum Christum non esse verum Messiam, quia Messias nobis promissus, quemque exspectamus, nondùm advenit. Quam certitudinem de hoc habes, reponit ipsi Ecclesiasticus? Nonnè eædem Scripturæ, quæ tibi promittunt ipsum venturum, tibi quoque affirmant, ipsum jam advenisse? an unicum reperias textum in omnibus veteris Testamenti libris, qui monstret tibi nondùm advenisse Patribus tuis promissum Messiam, quique tanta cum certitudine te assecuret, ut dicere possis: Ecce tibi, cui absque metu innititur fides mea & spes salutis meæ. Quæso te per Deum, pondera benè discursum, quem desuper efformo tibi.

Efficax discursus contra Judæos, qui etiam certificat fidem Christiani.

Si Lex Moysis, quam profiteris, esset veritas; deberet ipsa semper durare; nam veritas manet in æternum, & nunquam mutari deberet. Sed probè nôsti, ipsam non esse datam, ut semper duret, ipsámque mutari debere, eoquòd promittat aliud, quàm ipsa sit: ergò vel jam mutata est, vel adhuc mutabitur; hoc est omninò indubitatum. An adhæreas huic legi, velut rei, quæ nunquam debeat mutari? an mundus semper erit in figuris, quin unquam videat veritatem? an usque in finem sæculorum persistes in promissis & exspectationibus, citra id, quòd unquam obtineas opus? Dicis, non: Certus sum, mutandam esse legem meam, & exspecto omnium figurarum finem, quando videbimus veritatem, quam non solùm exspecto, sed etiam desidero. Ille, qui promissa tenet magnæ cujusdam felicitatis, magis solicitus est de obtinendo fine, quàm de durationis promissionis sibi factæ; & maximum ipsius est desiderium videndi cessare ipsam, ut possidere, quod exspectat, liceat bonum.

Sed quando exspectabitis hoc? Nonnè vides te ita amare tuas figuras, tuasq; promissiones, ut iis semper affixus hæreas, etiam postquam præteriêre? Nam à quo tempore dat Deus vobis amplius nec figuras, nec promissa? Quamdiu durare illas voluit, conservavit ipsas, adjiciens identidem figuras figuris, promissa promissis, excitans propterea cunctis sæculis aliquos vel Prophetas, vel sacros Scriptores, usque ad tempora adventus Messiæ promissi, ubi misit Prophetarum maximum, S. Joannem Baptistam, celebrem illum Præcursorem à Vate Malachia prædictum: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Et hic non solùm vaticinatus est, & promisit Messiam sicut alii Prophetæ; sed ostendit illum præsentem & mon- Malach. 3.

& monstravit digito Synagogæ
Joan. 1. v. 29. populo, dicens ipsis: *Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi.*

Ex hoc tempore, elapsis jam mille septingentis annis, sub quorum decursu non amplius recepistis nec figuras, nec Prophetias, nec promissiones, omnes vestri Scriptores tacent, omnes vestri Vates obmutuerunt, omnes vestræ promissiones novis promissionibus non confirmantur. Quid sibi hoc innuit? nisi quòd desinat promissio, ubi jam datum est, quod promittebatur; quódque figuræ & umbræ dispareant, ubi primùm præsens est veritas; opúsque Prophetis non sit amplius ad prænuntiandas res velut futuras, cùm ultimus, qui illas vidit, dixerit: Ecce tibi præsentes illas! Quomodò ergò adhuc inhiare potestis vestris promissis, vestris figuris, quæ procul absunt, probè videntes, Deum ipsas amplius non conservare, ipsas evanuisse ad adventum JEsu Christi, ipsáq; à longo tempore jam præteriisse?

Quare Judæi non habeant amplius Prophetas.

Doctor Judæus, qui audiebat hæc omnia, probè videbat, se non habere, quod congruè respondeat; nihilominùs protervè adhuc dicebat, se omnibus his non persuaderi; quódque, si omnibus his, quæ sibi dicta sunt, assentiretur, hæc omnia nondùm concludunt, JEsum Christum verum esse Messiam in lege promissum. Oportet igitur, inquit Ecclesiasticus, me novam tibi exhibere demonstrationem, sed tam luculentam, ut, si non profuerit ad te illuminandum, saltem tibi effossura sit oculos, teque magis adhuc cœcum redditura.

ARGUMENTUM.

Quòd si JEsus Christus non esset verus Messias & proprius Filius DEI, sequeretur exin DEum nullum esse.

Articulus II.

PRobè novi, veritates fidei non tam facilè recipi ab intellectu alicujus infidelis, cùm magnitudo ipsarum longè excedat parvitatem rationis ipsius naturalis; sed probè quoque novi, ipsas non posse omninò ab eadem repudiari, cùm bona ratio maximam cum veritate habeat sympathiam. Non leve est comodum inquirenti veritatem, dirigere se in hac inquisitione sanâ & bonâ ratione, quæ rectà studeat incedere, quæ in nullo deflectat ad sinistram, quæ oderit simulationes ac figmenta, quæ nullo præoccupari se sinat impetu cœco, quæque libenter cedat veritati, ubi cognoverit illam. Nonnisi unicam hanc dispositionem exoptarem cuicunque ratione prædito, circa argumentum, quod hic propono: quòd nimirùm inquirat veritatem,

Bona ratio quomodò necessaria.

veritatem, non ut oppugnet illam velut oppositam opinioni, quâ jam præoccupatus est, sed ut illam amplectatur, si invenerit conformem sanæ menti. Adnitar, ut clarè hanc illi demonstrem, cui spero, quòd infallibiliter suum sit adjecturus calculum.

Nullus unquam hominum dixit esse Filium Dei, excepto JEsu Christo.

Nunquam nec aliquis hominum, quantùm legi, nec quispiam Angelorum dixit, solum se esse verum Filium Dei, excepto Christo JEsu: sed ipse expresè hoc dixit in Evangelio, & dixit in occasione, ubi clarè oportebat ipsum loqui, nempè in ipso actu criminalis judicii circa se formandi, ubi judex interrogabat illum, ad extorquendam è proprio ore ipsius veritatem. Postquàm locutus is fuerat sublimi valdè ratione de Patre suo æterno, hanc inde Judex trahit consequentiam: *Tu ergò es Filius Dei?* an ergò vis dicere per hoc, te Filium Dei esse? Et ipse clarè confirmavit illis magnam hanc veritatem: *Vos dicitis, quia Filius Dei sum:* Et ob sinceram hanc confessionem, mortis in eam tulerunt sententiam: *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Et antehac eandem ob causam voluerunt ipsum lapidare: *Lapidamus te, quia tu homo cùm sis, facis teipsum DEum;* ita ut dubium non sit, quin declaraverit semetipsum verum Filium Dei.

Luc, 22. v. 70.

Marci, 14.

Ultrà adhuc progressus est; siquidem non tantùm attribuit sibi nomen DEI; sed assumpsit sibi quoque potentiam & auctoritatem supremam: siquidem immutavit ipse ipsam religionis essentiam, quam dederat Deus Judæis, abolendô sacrificia & omnes cæremonias legales, quas Deus observari præceperat sub pœna mortis; & ipsemet aliud instituit sacrificium, & alium religionis cultum, alia dans præcepta, alia instituens Sacramenta, aliúdque Sacerdotium; & hæc omnia ex propria sua auctoritate: dimisit peccata hominum; promisit illis vitam æternam, præcepit dæmonibus exire ab obsessis, quin aliô, quàm suô, id faceret nomine; quæ omnia nonnisi soli & vero conveniunt DEO. Certum igitur est, quòd sibi attribueret divinitatem; manifestum hoc est, & absque contradictione.

JEsus Christus usus est potestate absolutâ, nonnisi spectante ad Deum.

Verùm si machinatus id est contra veritatem, iniquus & tyrannicus usurpator est divinitatis; quanta blasphemia, quàm execrandum scelus, quàm horribile facinus! Nonnè foret scleratissimus, & maximus qui unquam fuerit, vel esse posset Dei inimicus? Lucifer rex dæmonum ejusmodi nihil est molitus; siquidem non anhelavit ipse esse Deus, sed solumodò similis Deo: Omnes in inferno damnati nunquam consimili se obstrinxerunt facinore; siquidem totum ipsorum scelus erat in hoc, quòd vel ignoraverint, vel contempserint divinita-

Si JEsus Christus non esset verus Filius Dei, maximus omnium foret inimicus Dei,

nitatem; sed nunquàm sibi ipsam usurpârunt. Unicô verbô, philophamini, discurrite, indagate, quantum voluetitis, nihil magis monstruosum, nihil magis execrandum subire potest cogitationes vel hominum, vel diabolorum, quàm iniquè usurpare, quàm sibi attribuere divinitatem.

Jam quæro: Si JEsus Christus fuit tam magnus, támque execrandus Dei inimicus, quomodò duxit vitam adeò sanctam, adeò innocentem, ut maximos suos invitaverit & exstimulaverit inimicos ad exprobrandum sibi peccatum vel minimum? *Quis ex vobis* Joan. 8. *arguet me de peccato?* Et unde venit, quòd, postquàm accuratissimâ trutinâ examinârunt ipsius tum dicta, tum facta, aliud objicere ipsi non potuerint, nisi quòd dixerit se Filium Dei, & talia machinatus sit opera, quæ nonnisi Deo conveniunt. Quæ nova justitiæ forma est hæc, ubi Deus solùm committit crimen, & crimen committens nullius est reus, nisi quòd sit Deus? Inusitata forma justitiæ erga Christum exercita.

Quæro iterum: Si JEsus Christus non fuisset nisi abyssus plurimùm execrandæ malitiæ, iniquè sibi usurpans divinitatem; unde tanta hausit bona, quæ contulit mundo? unde proficiscitur hæc lex tam sancta, quam dedit nobis? perfectio tam sublimis, quam suasit nobis? hæc sensa de divinitate tam eximia, quæ inspiravit nobis. Si cognoscitur arbor ex fructu suo; an mala erat arbor illa, ex qua hosce collegimus fructus? Homo malus proferre non potest nisi malum è malo thesauro cordis sui: si fuisset ipse sceleratorum sceleratissimus, quas non morum depravationes inveniisset? quas non morum depravationes inveniisset? quas non injurias, quos non despectus veri DEI, cujus palmaris fuerat inimicus, non excogitâsset? Argumenta evidentia, quòd Christus non potuerit esse malus.

Sed quæro adhuc: si tam facinorosus fuerat; eccur facinorosis non consensit? sed videmus, nil magis ipsum habuisse cordi, quàm ut converteret peccatores. Eccur cum diabolis nil habuit commercii? sed videmus, ipsum ubivis gentium hos expulisse, & abrogâsse cultum, qui per universum orbem ipsis deferebatur? Quisnam fuisset ille, cui non conveniisset nec cum cœlo, nec cum inferno, nec cum vero Deo, nec cum diabolis? Et quantam habuisset potentiam, quam nec Deus omnipotens qui regnat in cœlo, nec omnes falsi Dii, qui regnabant in terra, cohibere potuissent, quin erigeret se in Deum, quin aboleret falsorum Deorum cultum, & veri Dei cum lege mutaret religionem?

Hic noster Judæus irritatus aspere respondit nobis: fraudulentæ hypocrises cum arte magica, quibus addictus fuerat, nonne efficere poterant hæc omnia? facilè Confessio malitiæ Judaicæ.

externis

externis decipimur apparentiis; sed cordium arcana non licet intueri nobis. Scelestè, repositit illi Ecclesiasticus, ut quid malum judicas, ubi vides nonnisi bonum? Cùm non intuearis arcanum cordis, quis asseruit tibi ipsum malum esse, cùm nonnisi omnia bona ex eo videas proficisci; nisi quòd malignum cor tuum te impellat ad judicandum alios juxta malitiam tuam? sed luculento malitiam tuam confundam argumento, quod obstruet illi os, ipsámque faciet elinguem.

Si Christus JEsus fuisset inimicus DEI, DEus puniviſſet ipsum velut Luciferum.

Quando per impossibile JEsus Christus in fundo cordis sui abscondisset tam profundam malitiæ abyssum, quantam exterius exhibuit & produxit bonorum immensitatem; nonnè verus cœli Deus, qui rimatur intima cordis, conspexisset idipsum? an impunem permisisset abire illum? ubi est cunctipotens Monarcha in regno suo, qui videret malignum usurpatorem assumere sibi nomen regis, suam aucupari & occupare auctoritatem, suas immutare leges, & supremo imperare dominio, qui non omnem suam collocaret potentiam ad exterminandum ac proscindendum hunc rebellem? ubi est igitur cunctipotentia Dei? ubi est zelus gloriæ si tantum suum conspexisset inimicum, propriæ suæ divinitatis usurpatorem, absque eo, quòd funditus delevisset illum, & sequaces ejus, qui sua intorsit fulmina in Luciferum & omnes malos Angelos, præcipites ipsos agens è vertice cœlorum, in profundum abyssi, ob unicam duntaxat superbam cogitationem? Eccur non reserare jussit terram os suum, ut deglutiret Christum JEsum & discipulos ejus, si pejores fuissent Lucifero, & sequacibus ejus, ambitiosè sibi usurpando divinitatem? An ideò, quia non potuit? ergò est impotens: an ideò, quia non voluit? ergò est injustus: si injustus est, vel impotens, non est Deus. Et hæc omnia necessariò evincunt veritatem à me prolatam: Quòd si JEsus Christus non esset verus Messias & proprius Filius Dei, sequeretur nullum omninò esse DEum.

Si JEsus Christus fuisset Dei inimicus, Deus benè dixisset Judæo, quòd occiderint ipsum.

Sed ut ultimâ quâdam concludam ratione, quæ maximè movere nos debeat, ô Judæi, cùm vos concernat: Nonnè arguitis & creditis, quòd si Christus JEsus non fuisset verus Filius Dei, sed magnus ipsius inimicus, & iniquus Divinitatis ipsius usurpator, vos nunquam exantlare potuisse opus magis heroicum, magis sanctum, magis eo glorioſum, quàm execrandum hoc illidere, elidere, obterere, & proterere monstrum? O quàm copiosas unica hæc actio, quæ plus habuisset splendoris omnibus, quas omnes simul homines conficere potuissent unquam, benedictiones attraxisset vobis de cœlo? totus mundus excipere

cipere vos plausu, congratulari vobis debuisset: Et verus Deus, cujus tam egregiè propugnâsletis gloriam, suos exhaurire debuisset thesauros, ut condignâ vos afficeret remuneratione. Ubi jam vestrum ex eo est stipendium, quòd suspenderitis & egeritis ipsum in patibulum? Estne hoc, quod paulò pòst civitas vestra Jerosolyma ab exercitu Romanorum fuerit direpta, devastata, excidio deleta, ac plerique illius incolæ mactati fuerint velut victimæ iræ Dei? Estne hoc, quòd templum fuerit dirutum, extincta religio, tota Judaica natio quasi redacta ad nihilum? Estne hoc, quòd vindicaverit ita se Deus de inimico suo? vel quòd vestras laveritis vos manus in sanguine Filii Dei?

Unde oritur, quòd nunquam non ab eo tempore persequatur vos ira Dei, velut Cainos, per universum orbem? Ut quid tam manifestè circumfertis maledictionem cœli jam ultrà millenos sexcentos annos, ut quid non vestras exponitis Deo querimonias? Domine, an ità nos accipis ob acceptam à nobis de inimico tuo, quem habuisti in terris, maximo ultionem? an hoc nostrum est præmium de perempto & in furcam acto homine, qui tua abolevit sacrificia, tuámque subvertit religionem, dicens se Deum esse, & temerariè sibi arrogans propropriam tuam divinitatem? Estne igitur hæc tota merces de impenso tibi tam ingenti obsequio?

Sceleratissimi, diceret vobis, condignum id vobis habetis præmium, quòd vestras in cruore Filii mei tinxeritis manus. Ultio Dei in nationem vestram nota est nimiùm, abnuere id non potestis; nimis manifesta est universo mundo, cùm nemo ipsam possit ignorare; & ex maximo hoc suppliciorum omnium, quibus Deus unquam afflixit homines, cunctis patet ad oculum, reos vos esse maximi, quod unquam ab hominibus commissum sit criminis. Hoc argumentum fortiùs vos urget, quam ut arguere possitis illud infirmitatis; plus quàm nimiùm vobis constat illius robur, cùm elidat, nec eludere illud possitis. Sed vobis est animus, ubi desperatis hominibus, perire malentibus, quàm rogare pro vita. Perite igitur, & vivite, ut, cùm velut damnati sitis in hac vita, circumferatis in conspectu totius universi probationem duarum harum evidentium veritatum: Unius, quòd DEus sit omnipotens & infinitâ ratione justus, qui ita ulciscatur mortem Filii sui unigeniti: alterius, quòd JEsus Christus verè sit Filius unigenitus Dei vivi, cùm omnipotentia brachii sui ita vindicet mortem ipsius.

Terribile supplicium Judæorum est probatio evidens Divinitatis JEsu Christi.

Non habes, nisi quòd exprobres nobis miserias nostras, reponit unus Rabbinorum subiracundus. Sed vos Christiani, nonnè

Sanguis Judæorum & sanguis Christianorum effusus ab iisdem Romanis.

æquè ac nos experti estis magnitudinem iræ Dei? Si vos dicitis, sanguinem Judæorum à potentia Romanorum Jerosolymis effusum, esse ultionem è cœlo in eos, qui in crucem egerunt Christum JEsum: quàm copiosum sanguinem Christianorum eadem Romanorum effudit potentiâ tum Romæ, tum in universis mundi partibus per trecentos omninò annos! Nonnè majori cum ratione dicere possum, id quandam extitisse vindictam è cœlo in eos, qui hâc injuriâ affecerunt Deum, quòd acceptaverint vestrum JEsum Christum ceu verum Messiam.

Totum ex adverso, reponebat ipsi suaviter Ecclesiasticus; hæc tam cruenta, támque diuturna Imperatorum idololatrarum persecutio, argumentum est efficacissimum, unde JEsu Christi deducatur & concludatur divinitas. Et ecce quâ ratione!

ARGUMENTUM.

Triumphus JEsu Christi super omnem creatam potentiam, probat ipsum verum esse Messiam & Filium DEI.

Articulus III.

Pulchra differentia inter excidium Judæorum & Martyrium Christianorum.

QUando verum esset, quòd persecutio Imperatorum idololatrarum effudisset plus sanguinis Christiani in universo orbe per trecentos annos, quàm exercitus Romanorum extraxerit è jugulo omnium Judæorum in excidio Jerosolymitano: semper tamen notabilis hæc intercedit differentia, quæ omninò manifesta est, quòd, quando trucidârunt Judæos, vindicaverint injuriam veri Dei adversùs Deicidas, & quando Martyriô affecerunt Christianos vindicaverint injuriam falsorum Deorum suorum, adversùs sanctos. Hinc est, quòd unicum bellum paucorum mensium abundè fuerit ad proscindendam in perpetuum totam nationem Judaicam, quæ nonnisi adhuc trahit tristes cædis & ruinæ hujus reliquias, quin se unquam ex hoc tempore erigere, & in statum pristinum potuerit collocare: pro eo, quòd persecutio ultra trecentos protracta annos, & maximâ, quæ excogitari possit, crudelitate desæviens in Christianos, eorúmque religionem adhuc tam debilem, ut nonnisi nasci videretur, aliud nil effecerit, nisi quòd fecerit ipsam augeri, roborari, dilatari, stabiliri ubique locorum, tanta cum potentia & auctoritate, ut tandem obtinuerit & totius mundi possèderit imperium.

Sed alia notatu adhuc dignissima occurrit differentia, quæ ciet admirationem, quòd Judæi trucidati fuerint versantes manibûs arma, séque ex totis suis viribus defendentes contra potentiam Roma-

Romanam: nihilominùs hi, qui in suis legebant Scripturis: *Quòd unicus è suis persequeretur mille, & duo fugarent decem millia*, dum adhuc erant dilectus populus Dei, defendere non potuerunt nec libertatem suam nec vitam suam, nec bona sua, nec religionem suam, nec templum suum, eòquòd amplius non habuerint Deum exercituum pro se, sed contra se: pro eo, quòd Christiani, cùm se nunquam defenderint contra persecutores suos vi armorum, sed more agnorum permiserint se mactari, imò plerique turmatim cucurrerint ad mortem velut ad triumphum, se conservârint, se multiplicârint, suámque solidè stabilierint religionem, quæ semper visa est tantò magis florere & extendi, quantò contendebat magis potentia Imperatorum toto orbe dominantium, per decreta mortis, quæ velut fulmina intorquebant & evibrabant Christianos, extinguere ipsam. Quid hoc sibi innuit? quæ major quam illa Imperatorum potestas ipsos conservavit? nisi quòd omnipotens manus veri Dei defenderit adoratores JEsu Christi, velut fideles unigeniti Filii sui servos ac ministros.

Deut. 32.

Judæi occisi sunt defendentes se armis, Christiani occisi velut agni.

Adjicio huic aliud prodigium adeò stupendum, ut omnis intellectus, qui voluerit illud defixâ mente considerare, ex eo futurus sit totus attonitus & extra se abreptus. Nunquam per cuncta sæcula à creatione mundi, nisi duo extiterunt Religionis genera intra homines. Cœlum habebat suam, quam sola profitebatur natio Judaica, quæque erat Religio veri Dei. Infernus habebat similiter suam, quam omnes alii in mundo populi amplexabantur, quæque erat Religio falsorum Deorum.

JEsus Christus venit in mundum, in medio sæculorum, qui non convenit nec cum Religione cœli, nec cum illa inferni; sed ex his auctoritate suâ propriâ stabilivit quandam tertiam, in quam resolvit & univit duas alias, nolens amplius in mundo esse, nec Religionem Judæorum, nec illam idololatrarum, sed solam voluit religionem suam extendi per universum orbem. Quantum opus est hoc? quantam oportet esse potentiam, ad exequendum id tanta cum fortitudine, sicut factum est? siquidem, dum pari ratione delevit Religionem cœli, quæ erat illa veri Dei, & religionem inferni, quæ erat illa falsorum Deorum, debuit æquali ratione oppugnari à cœlo simul & inferno. Quomodò ergò suam stabilire potuit religionem, reluctantibus cunctis viribus utriusque.

JEsus Christus delevit religionem Judæorum & Paganorum, ut non relinqueret nisi suam in mundo; quantum prodigium!

Quis non videt, necessariò debuisse habere ipsum omnipotentiam Dei suis consignatam manibus; quódque, ut religionem cœli mutaret in suam, convenire ipsi debuerit cum illo? Nam quo-

modò omnipotens Deus, qui non permisit, quòd tota falsorum Deorum multitudo, nec omnis inferni potentia destruxerit religionem Judæorum omni, quam per quinquies millenos annos adhibuêre, contentione permisisset aboleri illam ab unico duntaxat homine, per annos solummodò tres, quos impendit ad tradendam aliam hominibus religionem? Quomodo convenire hæc possent, nisi verum esset, extitisse hominem illum verum ac proprium Dei Filium; nisi omnipotentiam divini Patris sui suæ habuisset consignatam potestati; nisi habuisset cum ipso eundem animum, eandémque voluntatem; & ut unico dicam verbo, nisi fuisset idem DEus, qui instituerat olim veram religionem Judæorum?

Probatio evidens, JEsum Christum esse verum Deum omnipotentem.

Nonne clarè apparet, quòd unigenitus hic veri Dei Filius eo nomine missus fuerit à Patre suo, ut suam mutaret legem, non destruendo ipsam omninò velut malam, sed reducendo ipsam in meliorem velut imperfectam? Et hoc ipsemet declarare voluit in Evangelio: *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Absit quòd religionem Judæorum extinxerit totam, ipsam immutandò in Christianam; sed potiùs perfecit ipsam, velut veritas perficit figuras; meliùs stabilivi ipsam, quia ex ipsa fecit religionem quandam æternam, quæ immutabilis & inconcussa persistet, ita, ut nec unicus ex ea immutandus sit apex, usque ad consumationem sæculorum. Ecce igitur, quomodo conveniat ipsi cum vero Deo, quando immutat religionem cœli in suam!

Matth. 5. v. 17.

Num exin quærendum sit, an habuerit potestatem extirpandi & prorsùs delendi religionem inferni, quæ erat illa falsorum Deorum? Deus omnipotens est, qui ex universo fugavit & expulit orbe innumerabilem falsorum Deorum illum seducentium multitudinem, ità, ut hodierno die non sit amplius in mundo nec religio imperfecta Judæorum, nec falsa religio idololatrarum, sed sola religio Christiana, quam JEsus Christus super ruinas fundavit utriusque, quæque modo dominatur in universa terra. (siquidem secta Mahometi, quæ tam magnam partem mundi occupat, non est religio, uti mox demonstrabo.)

Efficax discursus, probans JEsum Christum verum esse Deum omnipotentem.

Quando quis mentis compos considerat hoc prodigium, & desuper discurrit sanâ cum ratione, quæ ab omni præoccupatione immunis, non quærit nisi juxta æquitatis normam judicare de rebus, ita concludere necesse est. Ecce duas religiones, quæ conservatæ fuerant in mundo à creatione mundi, inter cunctos dispertitæ homines; illam cœli, & illam inferni; unam conservatam ab omnipotentia Dei, quæ infinita est; alteram propugnatam ab omnibus

bus potestatibus inferni, quæ formidandæ sunt. JEsus Christus venit abrogaturus utramque & dicit cœlo. Non habebis amplius eandem religionem tuam, quam ferè conservâsti per quinquies millenos annos. Idem dicit inferno: Tu etiam non habebis amplius religionem tuam falsam, quam dilataveras tam longo tempore per universum orbem, ut divinos tibi conciliares honores; instituere mihi mens est quandam tertiam, quæ absorbebit duas alias, & mea erit religio: fecit sic, quòd manifestum est, nostrísque patet oculis: quid feras circa hoc judicii?

JEsus Christus delevit idololatriam, ergò est verus Deus.

Quando vides, quòd fugaverit è mundo idololatriam, & omnem falsorum Deorum cultum, nonnè duo exin deduci necesse est? Unum, quod habuerit potestatem divinam, superiorem omnibûs dæmonibûs, eoquòd è fanis suis expulerit ipsas, illorum subverterit altaria, ac divinos ipsis subtraxerit honores, quos hucusque usurpaverant sibi, quamvis hæc omnia ab universo propugnata fuerint inferno, & à sublimissimis potestatibus mundi. Alterum, quod bonitatem habuerit divinam, eòquòd ita obstiterit malitiæ dæmonum, & zelum infinitum gloriæ veri Dei; eoquod imposuerit finem infinitis atrocissimis injuriis, quibus affici poterat ab hominibus, quas tolerabat, dum supremi exhibebantur honores dæmonibus, qui nonnisi ipsi soli debebantur.

JEsus Christus mutavit religionem Judæorum, ergò verus est Messias & Filius Dei.

Et quando vides, quod mutaverit veram religionem Dei in aliam, reducens religionem imperfectam, quam dederat Judæis in religionem aliam perfectiorem, quam dedit Christianis; nonnè concludendum est, quod facere non potuerit contra voluntatem veri Dei, & reluctante ipsius potentiâ? aliàs habere debuisset potentiam superiorem & fortiorem omnipotentiâ DEI, quod est impossibile. Necesse est igitur ipsum hoc fecisse per voluntatem & per omnipotentiam veri Dei, sicque illum esse verum Deum ipsummet, eòquòd id egerit velut omnipotens. Hâc ratione exstructio religionis Christianæ super ruinas religionis utriusque, Judæorum & idololatrarum, quæ dominabantur tot sæculis universo orbi, quod exquisitissimum est opus JEsu Christi, cunctis manifestum mortalibus, sola & unica sufficit pro irrefragabili argumento, ipsum verum esse Messiam, proprium Filium Dei, & verum hominem in antiqua lege promissum Salvatorem.

ARGUMENTUM.

Quòd Secta Mahometi plurimùm conferat ad probandam Divinitatem JEsu Christi.

Articulus IV.

ADigi quidem possunt dæmones virtute exorcismorum, ut reddant gloriam Christo JEsu; frustrà tamen torqueris equuleô Judæum; nec enim extorquebis ore illius nisi blasphemias contra ipsum. Hi duo Rabbini, quos luculentis argumentis adducere studuimus ad agnoscendam ipsius divinitatem, non abhorrebant opponere nobis Mahometum, abominandum hoc monstrum, qui congregâsse videtur in persona sua, omnes fœditates, quæ humanam conspurcârunt naturam ab Ismaële, à quo creditur suam traxisse originem.

Horrenda est impietas in comparationem adducere JesumChristum cumMahometo.

Nunquid inveniantur, dixerunt ipsi, totidem & tanta prodigia in Mahometo, quot & quanta in Christo JEsu? Nonnè æquè extenditur, æquè floret ac viget utriusque secta? Uni suum est Evangelium, alteri suus est Alcoranus: Unus suam condidit legem, cui aliquid immiscuit ex legeDei; alter eâdem ratione suam fabricatus est legem. Si vos certos esse creditis de bonitate vestræ religionis, sequendo Christum JEsum, alii eâdem certitudine tenent, tenere se rectum iter, suum sequendo Mahometum, vos putatis decipi ipsos, & ipsi vos decipi putant; nihil ergò certi ex neutra intueor parte: nihilominùs admittis ambo, Deum verum dedisse legem suam Moysi, & per hoc agnoscitis, ipsam bonam esse & sanctam. Hanc nos profitemur, & ideo certi sumus, nos solos bonam, quæ in mundo sit, amplexari religionem; alibi non video nisi jurgia & incertitudinem.

Magna inter ipsos oppositio.

Bonus noster Ecclesiasticus, qui vehementer commoveri sentiebat cor suum ex instituta æquiparatione Mahometi cum JEsu Christo, filô sermonis abreptô, & sanctô animatus zelô affatur ipsos: O quàm manifestè vestram declaratis imbecillitatem, eòúsque redacti in angustias, ut in succursum evocetis ipsos Turcas. Ah! itáne! tanta est vestra cœcitas, ut non videatis, tantam esse oppositionem inter Christum JEsum & Mahometum, quanta est inter lucem & tenebras? an creditis, tam indignâ, tamque nefandâ comparatione vos obscuraturos gloriam, vel imminuturos excellentiam Christi JEsu? prorsùs ex adverso, vos opponitis album nigro, ubi magis quàm unquam ipsorum apparet differentia: Nunquam magis aut meliùs relucet splendor infinitæ sanctitatis JEsu Christi, quàm quando opponitur brutalitati & turpitudini dogmatum Mahometi, cùm manife-

nifestum omnino sit, unum non studere, nisi quâ ratione immergat homines carni, ut efficiat ipsos bestias; & alterum ex opposito non contendere, nisi quâ ratione attollat animas supra sensus, ut homines vivere faciat velut Angelos corporis expertes.

Mahomet nunquam collimavit ad instituendum aliquam religionem, sed Monarchiam.

Nunquam, ut veritati adstipuler, Mahometo fuit animus instituendi aliquam religionem, quæ collimaret ad honorandum DEum & perficiendum animas, sed ad stabiliendum potentem quandam Monarchiam, cujus possessione longè latéque dominaretur in orbe. Et Jesus Christus econtra nunquam versabat consilia erigendi imperium quoddam temporale, sed sanctam aliquam instituendi religionem, quæ non tenderet, nisi ad honorandum summè DEum, & sanctificandum animas.

JEsus Christus & Mahomet usi sunt mediis omninò contrariis.

Mahomet, cùm proposuerit sibi finem, qui est totus naturalis, arripuit media proportionata, quæ naturalia quoque sunt, quæq; in omnibus lenocinantur quidem propensionibus humanis, sed quod spiritale est, quódque attollere posset animam supra terram, totum destruunt ac convellunt. At JEsus Christus econtrà, cùm præfixerit sibi finem prorsùs supernaturalem, adhibuit media quoque proportionata, quæ prorsùs divina sunt, ad destruendum omne id, quod est corporale, ad oppugnandas inclinationes naturales, & subruendum id omne, quod relinquere ipsis posset vel minimum affectum erga res omnes terrenas. Si Mahomet prosperum assecutus est eventum, magnámque sibi conflavit sectam humanô modô per ea, quæ arripuit media; Christus JEsus ergò non debebat humanô modô auspicatum obtinere successum, nec sibi acquirere multos sectatores, per ea, quibus est, media, cùm hæc illis omninò sint contraria. Sed uterque auspicato potitus est eventu; uti constat, per media prorsùs opposita, cùm nonnisi oppositos sibi fines haberent præfixos.

Mirum non est, si Mahomet viâ naturali comparaverit sibi innumerabilem multitudinem sectatorum, cùm omnia, quæ ipsis proposuit, sint ejusmodi, quæ naturales ipsorum demulceant inclinationes; promittit ipsis magnificentiam, potentiam, divitias, honores, voluptates, nec vel unicam interdicit ipsis sensuum voluptatem, sed potiùs spondet paradisum sensuum oblectationibûs refectum, ubi referant omnes, quò sibi faciant satis. Et videre, quòd omnes adhæreant ipsi, nihil complectitur prodigii; sed ingens sanè prodigium foret, si ipsi non adhærerent.

Ut deduceret suos ad finem sibi propositum, abstulit illis cognitionem omnis alterius boni majoris, quòd sibi imaginari poterant, si mentis

mentis & animæ invigilarent culturæ; & ideò interdixit illis omnia literarum studia; utque in maxima viverent ignorantia, incumbere illos voluit iis omnibus, quæ caderent sub sensus; alios quidem artibus mechanicis & negotiationi ad comparandas divitias; alios armis & bello ad obtinendos honores, potentiam & auctoritatem; quâ ratione omnia aufert menti ac animo, & omnia confert sensibus & corpori; sicque omnis ipsorum contentio, intentio, attentio & attentatio non tendunt nisi ad res externas, & sensibiles. Jam videre, quòd in omnibus his prosperâ utantur sorte, adaucti facultatibûs, honoribûs, voluptatibûs, potentiâ, nihil arguit portenti; sed portentosum, omninò foret, si hæc non acciderent ipsis ad vota.

Mahomet aufert omnia animo, & tribuit omnia corpori.

Tandem, cùm probè nôsset se innumerabiles numeraturum instituti sui asseclas, quibus omnibus arrisura esset hæc vivendi ratio sensibus accepta, instruxit ipsos, ut conservarent se vi ac robore armorum, occidendô inimicos suos, invadendô omnia, quibus satis virium non esset resistendi sibi. Et videre, quòd hâc ratione conservati sint, quòd latè suum extenderint imperium, illúdque indies adhuc augeant, nihil inusitatum, nihil mirandum est. Alexander & Cæsar, omnésque victores id effecerunt cum Mahomet; & nullus est hominum, qui id æquè efficere non posset, si easdem in manibus haberet vires.

Sed maximum omninò miraculum est, quòd JEsus Christus tantam post se trahat multitudinem hominum, omnis conditionis & statûs, non proponendô ipsis nisi res, quæ directè oppugnant inclinationes ipsorum naturales. Quæ promittit illis, sunt humiliationes, paupertas, persecutiones, afflictiones, cruces; interdicit ipsis sensuum voluptates, & vult, ut incessanter in suis corporibus circumferant mortificationem; nullam spem illis facit, nisi paradisi cujusdam invisibilis, quò difficilis admodùm deducat via, cujus porta arcta sit & angusta, ad cujus ingressum, sicut ipsemet declarat, multi quidem sint vocati, pauci verò admittendi, qui ingenti hâc fruituri sint felicitate. Quâ ratione fieri potuit, ut tanta alliceretur hominum multitudo propositionibus adeò molestis, magísque aptis, ut absterrerent omnes, neminem non agerent in fugam? Quis diffitebitur, hoc valdè ingens esse prodigium, cùm, humanâ ratione loquendô, nullum debuisset habere sectatorem.

JEsus Christus aufert omnia corpori & tribuit omnia animo.

Ad deducendum suos ad finem sibi propositum non vult, ut cœcô incedant modô, nec prohibet illis instructionem, quâ videant, an benè vel male ipsos deducat; sed potiùs exigit contrarium, ut exquirant & indagent veritatem: ableget ipsos, ut consulant omnes

Scri-

Scripturas de se loquentes, ut ex ipsarum edoceantur testimonio, an ipse sit verus in Lege & Prophetis promissus Messias? interdicit ipsis anxiam circa res mundanas solicitudinem, & vult, ut primùm quærant regnum Dei & justitiam ejus, suas deserant divitias, cætera relinquant omnia, ut magis liberè ambulare possint viam Dei & cœli: hâc ratione aufert omnia corpori, & confert illa animo. Jam dicere, quòd adeò numerosi hominum cœtus amplexati fuerint illa, à quibus naturatam ingentem concipit horrorem, quódque turmatim, uti patet, ipsius presserint vestigia; quis abnuet id ingens esse prodigium?

Mahomet obarmat omnes suos, & JEsus Christus omnes suos armis exuit.

Denique cùm nondùm haberet, nisi duodecim Apostolos & tenuem admodùm discipulorum gregem, qui erant velut semen totius suæ Ecclesiæ, quam plantabat in terra, exuit ipsos armis prohibet ipsis possidere argentum, sicque dispergit ipsos per universum orbem, velut agnellos, quos mittit inter lupos, cum addito præcepto, ut mactari se sinant, abs eo, quòd vel minimùm resistant, velut innocentes victimæ. An congruum hoc erat medium ad se conservandum, ad se multiplicandum, ad extendendum latè suam, quam instituebat, religionem. Et nihilominùs hujus virtute triumphavit de inferno & de mundo, omnibúsque potestatibus se ipsi opponentibus, suumque per universum orbem stabilivit imperium. Quis negabit hoc insigne fuisse prodigium, luculenter demonstrans ipsius divinitatem. Quis enim efficere hoc potuit nisi Deus omnipotens.

In omnibus, quæ Mahomet fecit, nil nisi naturale est: Et omnia, quæ fecit JEsus, sunt supernaturalia.

Omni igitur sanæ menti adversatur velle in comparationem adducere cum Mahometo Jesum Christum, sub obtentu, tenere utrumque ingentem sectatorum numerum, qui dispertiantur inter se universum quasi mundum; sicut qui comparare vellet cœlum cum inferno, ex eo, quòd duæ hæc sint æternitates, quæ omnes inter se dividant homines. An majorem in mundo invenias oppositionem, quàm illam, quæ observatur in omnibus JEsum Christum inter & Mahometum?

Mahomet erexit imperium abundans & potens divitiîs, gloriâ, voluptatibûs, auctoritate, quòd conservat se armorum vi ac robore; in omnibus his, nil, nisi naturale invenias. JEsus Christus fundavit Ecclesiam, cujus basim jecit in humilitate, in paupertate, in afflictione, in submissione, quæ per suam se conservat patientiam, in omnibus suis nil nisi, quod divinum est, occurrit.

Mahomet tradit doctrinam, quæ nihil in se constringit, nisi quod naturale est; ipsius cuncta dogmata sunt sensuum lenocinia, effata ipsius Ethica nonnisi sunt carnalia, adeóque etiam nonnisi idonea ad edocendum homi-

nes bestiarum agere vitam: ipse utrinque tum è veteri, tum è novo Testamento est suffuratus ad compilandum suum Alcoranum; & quod de suo adjecit, deliria & ridiculæ sunt ineptiæ. JEsus Christus docuit & condidit legem, quæ tota est supernaturalis, effata ipsius sunt prorsùs divina, moralia ipsius, dogmata tam sunt pura, tam sublimia, tamque admirabilia, ut qui solerter adimpleret illa, vitam viveret Angelorum.

Mahomet erat homo brutus, nec unquam aliquod in tota vita sua patravit miraculum. JEsus Christus est Homo-Deus, qui ingentem maximorum miraculorum accumulavit numerum, quorum veritas tam est explorata, ut negari non possit, cùm maximi ipsius inimici horum oculati fuerint testes, nec illa potuerint diffiteri.

Mahomet se firmavit trucidandô inimicos suos: JEsus Christus firmavit se, permittendô ab inimicis suis trucidari suos. Mahomet fecit id, quod quivis alius homo facere potest, lucrari nimirùm homines lenocinandô ipsorum inclinationibus: JEsus Christus fecit, quod nullus alius homo facere potest, allicere nimirùm, omnes ipsorum inclinationes opprimendô. Denique nihil conspicitur in Mahometo, nec in lege ejus, neç in Secta ipsius, quod non sit vel naturale, vel vitiosum, vel insulsum: Nihil invenitur in Christo JEsu, quod non sit ex oppositio totum supernaturale, totum divinum; ipsius lex est perfectissima & sublimissima, quæ unquam data fuerit hominibus; & ipsius Ecclesia tam est sancta, tamque pura, ut non sit perfectio homini possibilis quam ipsa vel non præcipiat, vel non suadeat.

Hâc ratione Secta Mahometi mirificè inservit ad probandam Divinitatem JEsu Christi, ob summam oppositionem sanctitatis hujus Dei-Hominis, respectu scelerum monstri hujus infernalis; sicut nunquam apparet meliùs radiosi decor luminis, quàm adductus in comparationem cum tenebris.

ARGUMENTUM.

Quòd nemo hominum in terra magìs sit certus, quàm Christianus, Religionem suam esse veram.

Articulus V.

NIl tanti nostra refert, quàm scire, an adoremus Deum verum, an veram profiteamur religionem, & securè ambulemus in via salutis nostræ? desuper incurium esse, maximam argueret vel stupiditatem, vel desperationem, eòquòd nil minùs dependeat ab hoc, quàm vel felicitas, vel

Maximi ponderis nobis esse debet religio.

vel infelicitas æterna, qui hoc non æstimat, desperatus est; & qui æstimat, nec tamen laborat, an teneat viam vel felicis vel infelicis æternitatis, creaturarum omnium se demonstrat stupidissimam: nulla enim ex omnibus est, quæ non omni contentione ad suum collimat centrum, ubi suam receperit beatitudinem.

Omnes homines, qui naturaliter beati esse desiderant, habere se putant aliquam certitudinem, quòd bonam teneant, quâ illuc perveniant, viam: sed Christianus de hoc ex omnibus magis est certus: Nam ecce tibi discursum solidum, optiméq; fundatum, quem format secum ipse, quemque nullus præter ipsum formare potest.

Discursus evidens, qui afferat consolationem Christiano.

Certum est, quòd Auctor, qui dedit mihi esse, sit Deus, quem adorare, cui famulari, quem amare debeo: verum est, me ipsum non cognoscere; probè tamen novi, ipsũ producendô me impressisse animæ meæ certam quandam legem, quæ mihi naturalis est, quam ignorare non possum, quam nemo me docuit, quamque nemo eruere mihi potest ex animo. Quæro igitur ipsum agnoscere, ut ipsi adhæream; & hæc lex, quam impressit animæ meæ, servit mihi ceu facula ad me deducendum: aspicio quidem inter omnes mundi nationes leges plurimas & religiones diversas; sed probè novi ex omnibus non nisi unicam esse veram, quam amplecti debeam; & nonnisi unicum me habere medium cognoscendi illam, quod me non possit fallere. Illa, cui melius convenit cum lege, quam cordi meo circumfero insculptam à manu illius, qui mihi dedit esse, mihi est amplectenda; in hoc decipere me non possum.

Impossibile est hominem falli; profitendô religionem Christianam.

Apprehendo igitur manibus legem Christi JEsu, illamque attentè considerans confero cum lege, quæ mihi naturalis est & congenita, & illas invenio tam similes inter se, ut dubitare non valeam, quin is, qui fecit unam, fecerit & alteram: impossibile igitur mihi est, me falli profitendô hanc religionem, cùm proprio meo noverim experimento, hanc esse ejus, qui esse mihi dedit, religionem. Hoc est, quod dicere voluit Tertullianus, quòd omnis homo naturaliter Christianus sit; id est, quòd portet secum congenitam quandam facem, quæ est hæc lex omnium hominum inscripta cordi, quæ deducat ipsum ad eligendam religionem Christianam præ cunctis aliis, velut magis conformem lumini naturali conscientiæ suæ. Et hoc est verum illud lumen, de quo loquitur S. Joannes, quod illuminat omnem hominem, qui venit in hunc mundum; quia afferimus nobiscum omnes eandem hanc facem, dum egredimur è sinu matrum nostrarum, & mundum ingredimur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. 1.

Tertullianus.

Lex naturalis non est, nisi Lex Christiana perfecta & exculta.

Novi probè, verba sancti Joannis litteraliter intelligenda esse de Christo JEsu, qui ipsemet dixit, se esse lucem mundi; & hoc excellenter impletur, cùm ipse sit lumen divinum, quòd venit, ut illuminet lumen nostrum naturale. Lex admirabilis, quam attulit nobis è cœlo, quasi aliud non facit, nisi quòd denuò designet nobis lineamenta legis nostræ naturalis, quæ quasi deleta erant in anima nostra per tenebras peccati; ipsa illustrat, quod erat intricatum immoderatione passionum; ipsa magis distinctè me docet, quod jam noveram confusè; ipsa perficit imaginem similitudinis Dei, cujus jam rudem apportaveram delineationem, egressus è sinu matris meæ. Haud difficulter igitur agnosco legem Christianam pro religione mea, quamprimùm apparet mihi, seque meis exhibet oculis, amplector illam cum gaudio, ipsique dico: Tu eadem ipsa es, quam interiùs gerebam absconditam, & jam mihi exterius appares. Ecce tibi id, quod cor meum volebat dicere, non video ante oculos meos, nisi id, quod gerebam in fundo cordis & animæ meæ.

Omnis homo nascitur Christianus ruditer delineatus.

Affirmari securè potest, omnem hominem, qui nascitur in mundum, esse Christianum ruditer delineatum, nihilque facilius esse, quàm facere ex ipso Christianum perfectum. Nam si mox instrueretur, antequam aliquo imbutus esset errore, tam facilè admitteret religionem Christianam in animam suam, sicut corpus ipsius naturaliter sugit lac ex uberibus matris suæ, eòquòd sentiret optimè, aliud non fieri, nisi quòd ipsi clarius explicaretur id, quod implicatum & involutum jam gerebat naturaliter in fundo cordis sui: nolo dicere, ipsum naturaliter habere fidem; novi enim hanc esse virtutem infusam & supernaturalem; sed dico, quòd nihil haberet oppositionis ad recipiendam doctrinam, quam fides docet, eòquòd hæc maximam habeat convenientiam cum principiis luminis sui naturalis.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes, dicebat olim sanctus Rex David, *sed non ut Lex tua.* Quæcunque alia mihi proponatur doctrina, non sentit hanc sympathiam animus meus, quam sentit, dum tua proponitur illo; cor meum non recipit illam ea cum complacentia, illa cum benevolentia, quâ tua recipit mandata; & anima mea non gustat in illa hanc suavitatem, quâ tranquillitatem obtineat & consolationem: in vanum cæteros omnes audio discursus; nil ejusmodi hìc invenio, quod experior in lege tua; degusto ipsam certâ quâdam ratione, quæ certum me reddat, me non decipi, ipsámque verè esse vitam animæ meæ. Psal. 118.

O quàm verum est, infinitam quasi differentiam esse inter legem

Lex Evangelica infinitâ ratione nobilior cunctis aliis legibus

gem sancti Evangelii, & omnes alias leges, unquam hominibus datas. Nam aliquæ manifestè adversantur sanæ rationi, velut illæ tot nationum idololatrarum, quæ firmant & approbant crimina, quæ adorant divinitates infames, quæque nonnisi vanis imaginationibus replent animum: aliæ deprimunt & rectæ rationi inurunt maculam, dum illam instituunt nonnisi vivere pro corpore bestiarum more, sicut Lex Mahometi, quæ tota quanta carnem sapit: aliæ constringebant animam in statu admodùm rudi, inculto, & imperfectissimo, utî lex veteris Testamenti, quæ nonnisi figuras dabat, & nonnisi in externis consistebat cæremoniis.

Sed doctrina Evangelii tantæ est sanctitatis, ut non tantùm condemnet omnia peccata etiam minima; sed nec unicam sufferat ac tolleret imperfectionem voluntariam: tantæ est puritatis, tamque divina, ut non solùm non dirigat animam ad vivendum pro nutu & arbitrio corporis, sed potiùs oppugnet omnes sensuum inclinationes, & attollere contendat homines ad vivendum vitam plus quàm Angelicam & prorsùs cœlestem. Illa tantæ sublimitatis est in suis luminibus, ut tales nobis manifestet & detegat veritates, quæ naturaliter subire nunquam possent mentes hominum. Tandem tam excelsa est & elevata supra naturam in sensibus suis & affectibus, quos nobis inspirat, in operibus & exercitiis, quæ nobis proponit, ut necessariò attollere nos debeat suprà nosmetipsos, nobisque suppeditat auxilium gentiæ supernaturalis & prorsùs divinæ, ad conferendas nobis vires adimplendi id, quod nobis præcipit.

Quanta differentia inter vitam Christiani, & cæterorum hominum.

Totum percurre mundum, quantum volueris, indaga; & vide, an inventurus sis aliam legem, quæ vel parùm accedat ad eximiam perfectionem illius, quam edocuit nos Christus JEsus examina reliquorum hominum, cujusque fuerint religionis, mores ac vitam; an invenias unicum solum, qui vel à longè attingat sanctitatem perfecti Christiani? Dico plus. Imaginare tibi aliam quamcunque vitæ excellentioris rationem, vel statum quemcunque magis perfectum illô, ad quem aspirare nos jubet; & videbis, an ejusdem solummodò efformare tibi poteris vel levem idæam. O DEus! quanta securitas Christiano profitenti legem hanc sanctam, tam puram, tam sublimem, tamque perfectam! & quantum illi gaudium, dum dicere potest: Certus sum ob conformitatem, quam conspicio manifestam inter legem hanc divinam & naturalem, quam ipsemet Creator meus inculpsit cordi meo, quòd illam profitendo adorem eum, serviam illi, qui creavit me: & consequenter solatio mihi

est, firmam ac indubiam mihi esse certitudinem, quòd profitear solam veram religionem, quæ sit in mundo, & ambulem absque satisfactione rectam salutis meæ viam: certitudinem hanc cæteri homines habere non possunt, sicut Christianus.

Verus Christianus tantam habet certitudinem circa veritatem religionis suæ, ut dubitare de illa non possit.

Sed totum hoc, quod dixi, nihil est respectu infallibilis illius certitudinis, quam recipiunt animæ, quæ verè cognoscunt Christum JEsum, quando placuerit ipsi esse lumen illorum, quando se illis manifestat in arcano & abdito cordis sui, quando ostendit illis pulchritudinem veritatum à se edoctarum, quando dogmatum suorum propinat illis dulcorem & excellentiam; & tandem quando regnum suum erigit in corde ipsorum, & divinus suus Spiritus ibi gubernat, imperat, & absolutum ipsius obtinet dominium. Tunc enim anima aspicit veritates, quæ sibi tam inusitatæ, támque admirabiles videntur, ut rapiatur ab ipsis extra se, & tota maneat attonita; sublatam se tunc cernit in luminum divinorum regionem, in qua probe videt quòd seipsam non potuerit collocare, & in qua tam firmam recipit certitudinem, spectare se ad Deum, & Deum ad se, ut Beati, qui vident ipsum in cœlo clare, quasi certiores non sint, quòd possideant ipsum per gloriam, quàm certa est ipsa, quòd possideat illum per gratiam: diceres, ipsam ampliùs non indigere fide, tantam habet evidentiam & certitudinem de hac veritate.

O JEsu, quàm pretiosus es thesaurus animæ te possidenti! ô JEsu, quàm radiosus & splendidus appares Sol animæ te possidenti! Sed nemo cognoscit te benè, nisi cui dignatus fueris temetipsum manifestare. Si cœcus forem, incassum mihi fieret sermo de pulchritudine solis & luminis; integro namque anno ipsum usurpans auribus, nihil fermè haurirem de eo cognitionis: sed si Deus aperiret mihi oculos, & ego versùs solem vibrarem eos, meliùs is mihi se ostenderet in momento per radiorum suorum minimum, quàm omnes homines mundi simul, omni discursu suo mihi ostendere potuissent.

Non possumus cognoscere JEsum Christum nisi ipsemet nos illustret divino lumine suo.

Eheu! invanum contendimus cognoscere te, ô divine JEsu! incassum millenos impendimus conatus ad comprehendendum aliquid de excellentiis tuis! Omnes nostræ meditationes, & omnes nostri discursus, quasi nihil illarum ostendent nobis. Sed tu ipse, ô splendide Sol æternitatis, in momento ostendere & manifestare te potes animæ, ratione quâdam, quâ demulceatur, quâ oblectetur summè, sed quam aliis explanare non possit: degustat illam, & manet in pace, tantâ cum dulcedinis & gaudii abundantiâ, ut præferat ipsam omnibus mundi sceptris & soliis.

An

An ergò nunquam, ô mi JEsu! agnoscam te! Admiror in parvo hoc opere ostendere te aliis; sed quomodò hoc faciam tam parum ipsemet cognoscens te? Ah cognoscam te, ô mi amabilissime JEsu! an nunquam tam ero auspicatus, ut aspiciam aliquid ineffabilis pulchritudinis tuæ? ô quàm mallem unico duntaxat instanti videre te, quàm omnes mundi pulchritudines totâ vitâ meâ! *Ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Sed prærogativa hæc est, quam non largiris nisi animabus, quæ se illâ reddiderunt aliquâ ratione dignas diuturnâ perseverantiâ in te quærendô, tibi vacandô, tibi famulandô, téque amandô. Prosequar igitur loqui de te, téque considerare in omni statu tuo. Hìc exordior à Nativitate tua. Psalm. 79. v. 4.

CONSULTATIO VII.

De Ingressu JESU CHRISTI in mundum, qui abjectus quidem videtur, sed clarè ostendit ipsius Divinitatem.

Rigor hyemis,

TEmpus Adventûs appropinquebat, & longos jam progressus fecerat hyems, quamvis nonnisi parvis accesserit diebûs. Probè vidimus, impedire nos voluisse ipsam à prosequendo nostro itinere, eòquòd unicâ nocte nobis omnes subtraxerit vias, absecondendo illas sub ingenti tapete candido, quem instraverat & extenderat super universum orbem. Incidit bono nostro Ecclesiastico cogitatio, magnum id esse linteum, quod præparatum ipse servabat ad sepeliendos omnes homines, quos occidendi frigore ardebat desiderio. Et certè vidimus optimè, id ipsam voluisse universo mundo: siquidem inusitatâ crudelitate, quam indiscriminatim exercebat in omnes, non parcendô etiam innocentissimis, ipsos omnes tenebat captivos in propriis suis ædibus, ubi obstringebat ipsos cunctis Ergastulariis esse fideliores, in servandis nunquam non januis & fenestris suis probè clausis, arctè firmatis.

Si invenerat quenquam tantæ temeritatis, ut egredi indè præsumpserit se invitâ, protinùs involavit in corpus ejus, tanto excipiens illud cum rigore, támque malè habens, ut tremore concusserit generosissimum quemque, ità, ut illicò cogeret ipsum reverti in suum carcerem, quò totus redibat pallidus, affirmans, se esse magis, quàm semi-mortuum.

Ut

Ut nos muniremus ab assultu ipsius, subterfugiendô universalem hanc totius naturæ adversariam, statuimus nobiscum subsistere quibusdam mensibus in parva quadam civitate, quæ admodùm commodè non procul aberat à via nostra. Providentia DEI deduxit nos in domum illustris cujusdam Dominæ, quæ credebatur virtuti & devotioni haud parùm addicta; sed devotioni, quæ suam aucupari novit commoditatem; adeóqu ex illarum devotarum numero, quæ pietatem accommodare nôrunt suo genio; eòquòd, dicunt ipsæ, Dominus noster dixerit: *Jugum* Matth. 11. v. 30. *suum esse suave, & onus leve*; non crederent, se verè portare jugum ipsius, si aggraverent se exercitiis, quibus foret vel minimum ponderis. Hæc tam mollî & fluxâ erat corporis temperie, ut tremeret jam præ frigore, quod tolerandum ipsi erat post mensem eunti ad Missam mediâ nocte: Maritus ipsius, qui intemperantis aliquantisper erat licentiæ, irridendô interrogat ipsam: Ut quid vellet quærere Deum lucente cereo? quantum ad se, promittere se sibi faciliorem ejusdem inventionem pleno die, meliúsque in lumine, quàm in tenebris.

Post verba quædam faceta, quæ tolerare primitùs oportebat, ne difficiles accideremus societati, instituimus seriam quandam, & admodùm tum argumentô, tum emolumentô gravem Consultationem de introitu Filii Dei in mundum. Paterfamilias interrogavit nos, quamobrem, cùm eo venerit nomine, ut se manifestaret mundo, ingredi potiùs voluerit ipsum ratione quâdam, quæ magis idonea erat ad abscondendum ipsum, & subtrahendam cognitionem ipsis hominibus? Eccur advenit mediæ noctis horâ, ubi omnes sepulti erant somnô, quasi metuisset, ne suus adverteretur adventus? Ut quid ingressus per vile stabulum, quod non erat nisi bestiarum receptaculum; primâ fronte se abscondens sub palea, quasi foret ex hominum fæce miserrima? Ut quid absque comitatu, absque satellitio, & absque ulla magnificentiæ vel minimæ notâ, cùm tantus támque potens fuerit Monarcha? Si ipsi fuisset animus subtrahendi se omninò cognitioni hominum; quid ultrà poterat facere, quàm occulere omnia sub arcano, sub caligine, sub silentio?

Omnes illi, qui noluerunt ipsum agnoscere, nec recipere ceu Filium DEI, nonnè sint excusabiles? & qui receperunt ceu talem, nonnè videantur egisse imprudenter? Magni Monarchæ haud absimiles sunt sideribus, quæ suum abscondere non possunt jubar; & in hoc solummodò impotentes sunt, idque detrimenti habent

habent infrà plebem, quod quandóque est incommodum, ut latere in occulto non possint: nunquam non dimanat ex ipsis nescio quis magnificentiæ splendor ubivis concomitans ipsos, ac inofficiosum hoc ipsis exhibens officium, ut invitis se semper debeant esse in propatulo. Quâ ratione potuissent sibi homines quidquam magni imaginari in JEsu Christo, videntes intrâsse ipsum tam vili cum apparatu in mundum?

Inconveniens, Christum JEsum aliter intrare mundum, quàm intravit.

Sed in hoc ipso ipse prorsùs est admirabilis, respondit pius noster & sapiens Ecclesiasticus. Si ingressus fuisset mundum cum omni externo ingentis triumphi splendore; Ecce tibi, quid accidisset. Imprimis hic modus fuisset omninò oppositus proposito sibi consilio tolerandi contemptus, dolores, persecutiones & denique mortem pro salute nostra. Secundò pro eo, ut nos doceret humilitatem & mundi contemptum, docuisset nos exemplô suô magni æstimare ejusdem vanitatem. Tandem non feciſſet nisi id, quòd homines facinorosissimi quique etiam possunt facere: Alexander, Pompejus, Cæsar, omnésque Victores hâc ratione ingressi sunt in devictas & subjugatas sibi regiones. Nihil tam usitatum est, quàm ostentare se Monarcham, sibíque timorem conciliare inter homines, si armatâ quis incedat manu, magnísque circumfusus copiis. Sed intrare mundum in statu prorsùs despicabili, ut mundi obtinent principatum, & non tantùm efficiat, ut reverentiam & obedientiam à cunctis accipiat hominibus velut sublimis Monarcha, sed etiam adoretur, & cultum latriæ accipiat ceu verus Deus. Quis inficiabitur id excedere omnes vires naturæ, & nonnisi DEum omnipotentem esse, qui possit hoc efficere?

Magnificentiâ sub abjectâ specie.

Verum est, ipsum se hìc abscondisse sub specie abjectissima, illósque qui ulteriùs non intendunt aciem, nisi quod oculis corporeis attingere possunt, non visuros hic, quod despectum, quod abjectum, quod contemptibile non sit. Sed amoveamus tantisper hæc velamina, quæ apparent tam vilia, & ostendam vobis sub illis splendores tam mirificos, ut respectu illorum splendidissimi & fastuosissimi quique Imperatorum Romanorum triumphi visuri vobis non sint, nisi vilitates frivolæ, futiles, indignæ, quæ oculis usurpentur. Audi & percipe benè, quod tibi jam dixi, & assentieris mihi, nonnisi DEum omnipotentem fuisse, qui hâc ratione suum potuerit ingressum facere in mundum, sed nec alium magis dignum fuisse infinitâ ipsius majestate.

Postquàm consideraverimus, quid præcesserit, quid stipaverit, quid subsecutum fuerit ingressum ipsius in inferiorem hunc mundum, haud abnuere poteris, nihil ejusmodi conspectum unquam fuisse in omnibus maximis Monarchis à creatione mundi. Incipiamus ab eo, quod præcessit.

ARGUMENTUM.

Tubæ & victoriosa vexilla, quæ præcesserunt introitum JEsu Christi in mundum, enuntiant ipsius Divinitatem.

Articulus I.

Tubæ annuntiantes introitum Filii DEI in mundum.

PRimæ voces, quæ annuntiant gloriam alicujus Monarchæ invehentis magnificâ cum pompâ in urbem, sunt tubæ, caduceatores, insignia, vexilla, Hieroglyphica, quibus extolluntur splendida ipsius facinora. Et hæc semper sunt, quæ triumphalem alicujus Regis invectionem præcedere solent. Sed an unquam conspectus est quispiam, cujus tubæ & caduceatores ipsius famâ repleverint orbem, pluribus annorum centuriis antè, quàm suum faceret in urbem ingressum? an quispiam inveniatur, qui promissus fuerit & prænuntiatus, laudibúsque evectus in æthera quinquies millenis annis ante adventum suum? an verba fiunt de alio quodam Monarcha, qui tantâ polluerit æstimatione ut exspectatus fuerit & desideratus cum suspiriis & lachrymis, velut universalis humani generis felicitas à creatione mundi? Subiit id nunquam nec memoriam nec cogitationem hominum.

Nonnisi JEsu Christi erat, suam præparare invectionem in mundum tantis támque numerosis cœlorum tubis, quantos numerabat vetus Testamentum Vates, qui annuntiârunt & promiserunt ipsum hominibus; tantis insuper támque magnificis caduceatoribus, quanti extiterant Patriarchæ, qui suis ipsum ornavêre præconiis, velut cunctis desideratum populis ac gentibus; tantis adhæc insignibus, vexillis, hieroglyphicis, quot præcesserant figuræ, repræsentantes ipsum velut universalem felicitatem totius universi. Illustris hæc gloria, quæ nonnisi JEsu Christo debetur, præparavit ipsi suum in orbem introitum tanta cum magnificentia, ut infinitâ ratione excellat omne, quidquid unquam visum est circa Monarchas maximos, quos cuncta sæcula aspexêre regnantes.

Fuit promissus à creatione mundi.

A creatione mundi, Adam, qui lapsu suo totum prostraverat genus humanum, primus fuit, qui promissa

promiſſa accepit de Salvatore è fœmina naſcituro. Labentibus ſæculis ſemper videre erat Sanctos, qui ardenti cum deſiderio exſpectârunt ſuaviſſimæ hujus promiſſionis executionem, veluti Abel, Enoch, Noë, tantíque alii; quæ magnifica promiſſio confirmata & renovata fuit filiis ac poſteris ipſorum, Abraham, Iſaac & Jacob; quorum hic ultimus fatis ceſſit hæc effatus: *Exſpectabo Salutare tuum Domine.* Exſpectabo, ô mi DEus, eum, quem promiſiſti mihi Salvatorem.

Gen. 49. v. 18.

Prophetæ annuntiârunt ipſum cunctis ſæculis.

His ſucceſſerunt Prophetæ velut tubæ, qui majorem & clariorem excitârunt de ipſo rumorem, magìs apertè & diſtinctè loquentes de ipſo, magísque luculenter promittentes ipſum hominibus ex mandato DEI. Ille, cujus vertex inſignitur diademate, velut nobiliſſimus omnium, ſanctus Rex David, quaſi aliud non cantat in omnibus Pſalmis ſuis. Iſaias, qui non minus principatu ac dominio, quàm vaticinio, utpote proximâ agnatione conjunctus Regi Manaſſi, magnus fuerat & clarus, miſſus fuit in mundum, ſeptingentis quinquaginta circiter annis ante adventum Chriſti JEſu, ad inſinuandum ipſi adventum ejus, & annuntianda ipſius præconia: hinc & DEus inuſitatâ ipſum ditare voluit eloquentiâ, ut dignè loqueretur de Verbo Incarnato, quod infinita eſt eloquentia Dei Patris ſui. Et verum eſt demulcere ipſum tum aures tum animos audientium, dum deſcribit nobis, quàm ſuavi & amabili cum majeſtate regnaturus ſuper nos: *Ecce*, dicit, *Virgo concipiet & pariet Filium*, manens ſemper Virgo; *& vocabitur*, nomine Auguſto, *Emmanuel*, quod eſt nobiscum DEus. Et alibi dicit: *Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, DEus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.*

Iſa. 7.

Iſa. 9.

Paucis annis poſt Iſaiam, Baruch, qui unus eſt è minoribus Prophetis, magna hæc verba in univerſum enuntiavit & divulgavit orbem: *Hic eſt DEus noſter, & non æſtimabitur alius adverſùs eum: hic adinvenit omnem viam diſciplinæ; Poſthæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Quæ verba effatus eſt de Meſſia, qui eſt Chriſtus JEſus.

Baruch. 3.

Prior his omnibus Propheta Michæas longo tempore ante nativitatem JEſu Chriſti (vixerat enim circa annum ter milleſimum ducenteſimum, quinquageſimum à creatione mundi) annuntiaverat adventum ejus, & ipſum, ubi naſciturus erat, deſignavit locum, manifeſtè dicens: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te mihi aggredietur, qui ſit dominator in Iſraël, &*

Mich. 5. v. 2.

egressus ejus ab initio, à diebus aeternitatis.

Sibyllæ prænuntiârunt adventum Jesu Christi.

Sub tempora Vatis Isaiæ, aut circiter, florebat Sibylla Eusthræa, cujus mirabiles versus de Nativitate & Resurrectione JEsu Christi citantur à sancto Augustino in libro de Civitate DEI, velut oracula cœli & vaticinia, quæ DEus inserere voluit ori infidelium, qui nullam habebant divinarum Scripturarum cognitionem, ut adventus unigeniti Filii sui prænuntiaretur ab omni vocum & idiomatum genere, non solum populo suo. Sed etiam nationibus incredulis, totique mundo.

S. Aug. de Civ. DEI. lib. 18. c 23.

His ita positis, an dicas adhuc, introitum ipsius in mundum factum esse absque rumore, & absque, quòd perciperetur? Quis unquam promissus fuit, tam longo tempore? quis clariùs promulgatus, antequam palam & coram factus? an si triumphales omnium victorum mundi invectiones simul uniantur, vel fundantur in unam, quidquam ostendere aut ostentare possint acclamationis & magnificentiæ, quæ vel à longè accedat ad illam Christi JEsu.

Figuræ præcesserunt velut vexilla plena Hieroglyphicis.

Sed non satis est percepisse sonitum tubarum, quæ detulerint rumorem adventûs ejus ad aures omnium sæculorum ipsum præcedentium: oportebat & oculos sua habere oblectamenta aspectu vexillorum Hieroglyphicis exornatorum, quæ longo ante se voluit præire intervallo, ad exhibendum nobis, nostrósque statuendum ob oculos in his Emblematibus excellentias suas divinas, antequam ipsas in sua persona nobis liceret intueri.

Moyses cum velamine in facie.

Nonnè statim in fronte præeuntem cernis Moysen, qui post habitum familiarem cum DEO sermonem, sicut habere solet amicus cum amico, supra montem, descendit ex eo, facie tantos ejaculante Majestatis & gloriæ radios, ut oculi mortalium supportando illius splendori haudquaquam fuerint pares? Oportebat necessariò velamine obducere faciem ejus, quo absconderetur splendor hic divinus, ut videri posset à populo, isque accedere ipsos, ad instituendum illos in lege, quam acceperat à Deo, quámque ipsi recipere debebant à se, & tandem, ut remedium haberent conservandi cum eo, absque ullo pavore. Quid observas in his omnibus? Nonne excellens hoc est mysterium, quod optimè repræsentat Christum JEsum descendentem de monte æternitatis suæ, ubi familiariter conversatur cum Deo Patre suo; qui cùm veniret ad nos, operit infinitæ suæ gloriæ splendores carnis nostræ mortalis velamine, ut à nostris conspici posset oculis, & ipse edocere nos amabilem sancti Evangelii

sui

sui legem, quam annuntiandi nobis à Deo Patre suo acceperat mandatum. Nonnè jucundus & deliciis plenus est vexilli hujus aspectus? Nonnè spem facit aspiciendi mox aliud magis stupendum?

Jonas projectus in profundum mare.

Videas sequi bono temporis spatio interjecto, Jonam projectum in mare, ut exortam sedaret tempestatem, & exindè abeuntem in Ninivem, ubi prædicabat pœnitentiam tanto cum zelo, támque auspicato cum successu, ut omnes populosæ hujus civitatis incolæ, à Rege ad ultimum è plebe, induerent saccum, aspergerent se cinere, jejunarent; plorarent, se humiliarent coram Deo, tam vehementi oppressi & afflicti dolore de ipsius offensa, ut Ninive jam condemnata ad interitum, liberatam & salvam se conspexerit per prædicationem Jonæ. Quid videre te credis in hoc prodigio? Nonnè hoc est vexillum exornatum Hieroglyphico, pulcherrimo inquam mysterio, repræsentante tibi JEsum Christum, qui sese immersit in magnum humanarum nostrarum miseriarum Oceanum, ut pacaret tempestatem, quam venti ambitionum, quam furor nostrarum passionum, quam rabies malitiæ nostræ excitaverant, extollendò nos insolenter adversùs cœlum, quique prædicandò nobis pœnitentiam tum effatis tum factis suis maximis persuasit peccatoribus, ut se converterent, & pœnitentiæ suæ operibus placarent iram Dei, quæ jamjam ipsorum imminebat verticibus? An quidquam sit vel speciosius vel magnificentius ad repræsentandum tibi consilium de adventu Filii Dei in terram, quàm insigne hoc Emblema ipsi venturo præmisisse?

S. Bern. serm. 3. de Nat. Dom.

Sanctus Bernardus, qui defixâ id mente probè consideraverat, tantâ abreptus fuit admiratione, tantóque succensus amore, ut totus hæreret attonitus extra seipsum: non possum non referre vobis eximium ipsius affectum, quem concepit animô hujus intuitu prodigii. Ludebam ego, inquit ipse, foris in platea, & in secreto regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis. Audivit hoc Unigenitus ejus, exiit posito diademate, saccô vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens & ejulans, quòd damnatus esset servulus ejus; sicque totus afflictus dolore, totus suffusus pudore, & quasi in nihilum redactus, mihi petiturus gratiam suum accedit Patrem. Intueor ipsum subitò sic procedentem stupeo novitatem, causam percunctor; & dicitur mihi ipsum in has redactum angustias amore mei. Audio, quòd cùm sciret promeruisse me mortem, & jamjam esse condemnatum, venerit

Pulcher affectus sancti Bernardi circa id, quòd Christus JEsus se oneraverit nostris criminibus.

festinanter, prosternens se ad pedes patris & efflagitans veniam pro me. Hoc intelligens & ipsemet aspiciens; quid facturus sum, inquiebam, adhucne ludam & deludam lachrymas ejus, statúmque miserabilem, quo involvit ipsum amor mei? an non movear nec pudore criminum, quorum reus sum, nec metu supplicíorum, quorum damnatus sum, nec indulgentiâ bonitatis illius, dum ita voluntariè se offert pati & sufferre illa pro me? Væ mihi, si eoúsque insanus sim! Si non insaniam totus, nonnè cessandum mihi erit à ludis meis & vanis voluptatibus? Nonnè amplectar saltem conditionem & statum illum pauperem, humilem & afflictionibûs plenum, in quo se mihi præbuit visendum? Nonnè ipsius premam & teneam vestigia, meásque cum suis commisceam lachrymis?

Alius pulcher affectus circa id, quòd crimen in morte Filii Dei commissum abo-leat omnia alia crimina.

Egregius hic pietatis affectus produxit mox alium in anima personæ cujusdam præsentis, qui tum admirationem, tum commotionem haud levem ciebat animo. An igitur verum est, inquiebat ipsa, sic DEum placari, quando nostrorum magnitudo criminum æquissimam ipsius provocavit iracundiam? quàm insolens est hæc reparandi ratio? peccatum meum sufficiat gloriam Deo, & infinitâ ipsum afficit injuriâ, ipsius contemnendô leges & præcepta: Et dicitur mihi, quod tota reparetur noxa, si Filio suo unigenito tollatur vita. Ah! Itane mi Deus! Quis comprehendat hoc? An peccatum sit minùs abominabile, quando occidit proprium Filium DEI, quàm quando offendit ipsius Patrem? Dicere, quòd sola hæc mors, quæ enormitate omnia excedit crimina, omnium sit reparatio criminum contra Deum commissorum: fateor, me horum nil capere, hisce totus abripior, absorbeor totus. Siquidem, ô Deus! qualis reparatio, dum criminum maximum devorat & annihilat cætera omnia, ipsa non sunt ampliùs, & illud ipsum ampliùs non est, postquàm semel est commissum.

Magnæ bonitatis abundantia JEsu Christi ergà nos.

Quoúsque se extendit abundantia bonitatis tuæ ô amabilissime JEsu? Quis perscrutari poterit arcanam Philosophiam amabilis amoris tui? Tu permittis, ut committatur deicidium in adoranda persona tua; & pro eo, ut torqueas manibus fulmina ad conterendum mundum in tam nefandi facinoris supplicium, dicis: Quàm execrandum hoc crimen, omnium, quæ committi ab hominibus possint, criminum maximum premit & obruit me, totum plenum, totúmque refertum infinitâ multitudine aliorum criminum totius naturæ humanæ, quin vel unicum

cum solum excludatur ab illo: sed novero ego benè totam hanc infinitam malitiam immergere in abyssum longè majorem bonitatis, amoris & misericordiæ, quam foveo in corde meo, & convertere hoc deicidium cum omnibus generis humani criminibus, quibus fartum & refertum erit, in fontem gratiarum & abundantissimæ satisfactionis, quam incessanter effundam super omnes homines. Comprehendat, qui poterit, quoúsque se extendat hic bonitatis excessus. O infinitam bonitatem JEsu! O bonitatem immensam Patris misericordiarum! annon vi factâ eruas omnium corda hominum è pectoribus ipsorum, illáque præ amore mori facias, hujus aspectu prodigii?

Posthæc Ecclesiasticus resumere voluit discursum suum, & pergere in ostendenda multitudine & magnificentia splendidorum ejusmodi vexillorum, procedentium tam pulchrâ serie cunctis sæculîs, quæ præcesserunt Nativitatem JEsu Christi, quorum unumquódque modô diversô insignitum & exornatum erat figurîs repræsentantibûs excellentias infinitæ hujus Majestatis, quæ exspectabatur in mundo: obiter aspiciebat ipsarum plures, quas volebat explicare longiùs; sed paterfamilias, pro quo potissimùm intendebat loqui, interpellavit illum, ipsíque dixit:

Verum est, bonas dispositiones has esse, quæ juxtà dicta tua promittebant magìs splendidum, magísque pomposum & magnificum, quàm unquam visus fuerit, introitum. Sed tandem, quem hæc omnia assecuta sunt finem? desiêrunt in nihilum, vel minùs quàm nihilum: nihil enim conspectum fuit in introitu JEsu Christi in mundum, quòd affinitatem habeat cum omnibus iis, quæ exspectari debebant: sed ex oppósito prorsùs intravit absque strepitu, in silentio & in tenebris noctis, quin quisquam aliquid ex eo perciperet: fateberis mihi, nil magìs incongruum, nil magìs indignum esse introitu tanti Regis. Sed Ecclesiasticus egregiè respondit illi, ipsúmque à concepto exemit errore, utì percipies.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Introitus JEsu Christi in mundum comites habet circumstantias, quæ clarè annuntiant Divinitatem illius.

Articulus II.

DIes sereni, splendida lumina, carmina lætitiæ, applausus in cœlum elati à populorum multitudine magnum adjicere possunt ornatum, augere decorem dum magnificus Magnatum cuipiam hujus mundi adornatur introitus. Sed omnia hæc nimis quàm vilia, nimiùm abjecta & indigna sunt magnitudine infinitâ Dei; tenebræ & silentium habent nescio quid sublime & augustum, quod melius inserviat nobis ad horrendam sumè ipsius majestatem, quæ ineffabilis nobis est, & incomprehensibilis.

Silentium & tenebræ magis congruunt majestati Dei, quàm lumen & strepitus.

Hinc est, quòd voluerit Deus, ut sanctuarium, quod videbatur velut particulare solium majestatis Dei super terram, collocatum esset in tenebris. Non erat permissum nisi soli Sacerdoti magno illuc intrare, & hoc maxima cum reverentia & non absque tremebundo pavore: non audebat illuc aliquod deferre lumen, sed solùm in manu thuribulum, quasi magis adhuc aucturus tenebras per fumum incensi. Non licebit ipsi ibidem vel unicum effari verbum, sed altissimum servabat silentium, ad percipiendum, an dignaretur Deus loqui sibi? Carmina laudum honorabant ipsum in templo, & lampades ibi semper tenebantur accensæ, sed solum silentium & tenebræ honorare ipsum poterant in sanctuario templi, ad demonstrandum nobis, utrúmque magis dignum esse homagium infinitatâ majestate Dei.

DEus dat legem suam Moysi in tenebris.

Quando dare voluit legem suam populo per manus Moysis in monte, ipsum totum circumfundi voluit tenebrîs ac nubibûs, quæ ipsius aspectum subtraherent populo, & magnam illi conciliarent reverentiam ergà majestatem hanc in caligine absconditam: *Erántque in eo tenebræ, & nubes & caligo.* Deut. 4. Hâc ratione magnus cœli DEus conversatur & agit cum hominibus in terra; adeóque non solùm nil parere debet admirationis, quòd JEsus Christus ingrediens mundum elegerit sibi silentium & tenebras; sed potiùs hæc melius declarant nobis magnificentiam Divinitatis ejus.

S. Paulus reversus è tertio cœlo, dicit sibi loqui non licere, quid viderit.

Magnus Apostolus reversus è magna illa extasi, quâ elevatus fuerat in tertium cœlum, ad communicandum cum Deo de maximi ponderis negotio, conversione nempe gentilium, quorum volebat ipsum esse Apostolum, aliud

aliud dicendum nobis non habuit, nisi quòd *oculus non vidit & auris non audivit*, id est, tenebras & silentium, quibûs suus obvolvebatur raptus. Sed ecce tibi aliam extasim, quâ Filius Dei egressus extra se ipsum, per magnum bonitatis suæ ergà nos excessum, dilapsus est in terram, quasi amoris patiens deliquium nostra inter brachia. Nonnè meliùs dicendum sit de raptu hoc divino, quàm de illo Apostoli Pauli. Nec oculi viderunt, nec aures audiêrunt. Oportebat silentium & tenebras obducere velamen reverentiæ & admirationis magnæ huic extasi Dei, quando venit ad nos.

1. Cor. 2. v. 9.

JEsus Christus venit quærere peccatorem absconditum in tenebris.

Si proto-parentes nostri, intuentes nuditatem & pudorem, quô præcipites acti fuerant à peccato, absconderunt se præ verecundiâ, quando descendit ad ipsos Deus in Paradisum terrestrem, ad arguendum ipsorum inobedientiam: *Vidi quòd nudus essem, & abscondi me*; Nonnè putas, quòd simile quid hìc accidat? Tota natura abscondit se præ pudore, & involvit se tenebris, erubescens videre nuditatem suam & statum miserandum à peccatis suis sibi partum & paratum, comparere non audens ante oculos Majestatis Dei ad se descendentis. Sed ipse plenus bonitate & misericordia, quærit ipsam, ubi est, in duplicatis nempe tenebris tum ignorantiæ suæ, tum peccatorum suorum, non ut ipsam puniat, sed ut ipsi indulgeat; non ut expellat ipsam è Paradiso terræ, sed ut ipsam introducat in Paradisum cœli.

Gen. 3. v. 10.

Verùm quid multa? Id quod ostendit nobis altissimum sapientiæ Dei consilium in mysterioso hoc silentio & hisce tenebris, quas comprehendere non possumus, est utrumque præparatum ab æternitate, velut sola & unica magnificentia, quæ digna erat introitu Filii DEI in mundum: Et hoc verbîs expressîs prædictum erat in Scripturis: *Dum medium silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, à regalibus sedibus venit.* Oportebat nempe omnes mutescere creaturas, & suo privari verbo, præ admiratione hujus prodigii; oportebat illas suos claudere oculos, ut cœcô crederent modô, quod ipsis erat incomprehensibile.

Silentium & tenebras prædixit Scriptura.

Sap. 18. v. 15.

Nescio, quid pluris æstimem, vel has tenebras, vel hoc silentium. Tenebræ quidem, ut verum fatear, augustæ sunt & magnificæ; sed universale hoc in mundo silentium habet nescio quid admirabile, ad honorandum introitum Verbi æterni in mundum, ubi ipsummet vult esse in silentio. Siquidem quid dicere potuisset totum universum, aspiciendo tam ingens prodi-

Quid augustius sit silentium, an tenebræ in introitu Filii Dei in mundum.

gium? nonnè percelli debuisset stupore perpetuo, quo omnes suæ suspenderentur cogitationes, & omnia sua supprimerentur verba? Sanctus Basilius conformiter loquens huic oraculo Vatis Zachariæ: *Loquetur pacem gentibus*; ubi promittit, quòd veniens Messias in mundum silentium impositurus sit quibuscunque tumultibus terrenis; affirmat, quòd, sicut aquila conspecta universale imponit silentium omnibus aliis avibus, quæ vocem emittere non audeant in ipsius præsentia. Sic Verbum æternum Dei descendens in inferiorem hunc mundum obmutescere fecerit omnium ora ac verba hominum, & altissimum cunctis creaturis injunxerit silentium: *Aquilâ advolante*, inquit ipse, *silentium indicitur aviculis; veniente è cœlo, & in terris nascente Christo (verâ aquilâ) siluêre Duces & Reges, siluêre arma.*

Zach. 9. v. 10.

S. Basil. Sermon. in Ascens. Dom.

Silentiô igitur, & non strepitu cantûs sui agnoscit grex pennatus aquilam pro rege suo, ipsique sua exhibet, & reddit homagia: sic etiam venerabundô silentiô, & non infirmô verborum lenociniô tota natura humana homagium reddere debebat Verbo æterno, quod omnium verborum Rex est, cùm solum id sit, quod dignè enuntiare possit magnitudinem Dei. Profundum silentium, quod proficiscitur ex admiratione ineffabilium harum excellentiarum, & sincerâ cognitione impotentiæ nostræ loquendi de ipso, dignissimorum homagiorum est unum, quod præstare possimus Majestati ipsius.

Quantas videre est animas præstantes, præsepio infantis JEsu advolutas, quæ maximo cum fervore desiderantes honorare humanam ipsius nativitatem, modo quo potuerint perfectissimo, altissimo defixi manent silentio, quin vel unicum effari possint verbum. Admiratio suspendit ipsarum animum, amor accendit ipsarum cor, ipsarum oculi effundunt suavissimas charitatis tenerrimæ lachrymas, dum intuentur illas ex oculis amabilis hujus infantis dimanantes: nihil est, quod ipsas non demulceat, non summè oblectet; sed impossibile illis foret, unicum verbum, vel interius vel exterius enuntiare.

An dicas, quòd profundum illarum silentium minus honoret infantem JEsum in mysterio nativitatis suæ, quàm strepitus exterior aliarum, quæ hymnis & canticis conantur revereri ipsum? si igitur silentium alicujus animæ particularis majori afficiat honore introitum Filii DEI in mundum, quàm verba plurium aliarum; nonnè fatearis quoque universale silentium totius mundi, in instanti, quô suum fecit introitum,

troitum, maximum & dignissimum fuisse homagium, quod poterat ipsi exhibere?

Cur bonæ animæ amant silentium & solitudinem?

Haud obscurè video, desuper inquit hospes noster, si ita res sumatur, contineri quidpiam magni & augusti in hoc silentio, & in his tenebris, quod non omnes observant: hinc non miror, quòd pleræque animæ devotæ silentium quærant & tenebras, ad familiariter agendum cum Deo in oratione sua. Sed plebs hominum tam spiritualis non est, ut refulgere videat majestatem Dei in tenebris, & resonare audiat ipsius excellentias in silentio; optarent ipsi quidquam magis exploratum sensibus, magisque suæ accommodatum ruditati congenitæ, quo imprimeretur sibi cum metu reverentia Deo debita.

Difficile est persuadere nobis aliquam excellentiam, quam non videmus; quando intuemur nonnisi vilitates abjectiones, infirmitates, palpabiles & manifestas, quæque cum excellentia subsistere non possunt. Jam nil aliud quasi video, nisi has in modo, quo JEsus Christus ingredi voluit in mundum. Ah! quænam sunt illæ, reposuit Ecclesiasticus.

ARGUMENTUM.

JEsus Christus usus est supremô Monarchâ in terris regnante, quando mundum suo consecravit introitu, velut suô Cæremoniariô, ad manifestandum nobis, quòd DEus sit.

Articulus III.

AN negare potes, inquit ipsi hospes, quòd Christus JEsus, nascendô obstrinxerit se actione quâdam servili, quod procul abest à majestate alicujus Monarchæ solemni cum pompa suam celebrantis invectionem? Siquidem Evangelium nos docet, quòd Cæsar Augustus, qui tunc dominabatur mundo, publicaverit edictum in toto suo imperio, quo omnes ipsius subditi obstringebantur comparere in loco, unde suam trahebant originem, omnes sua dare nomina, & insuper certum aliquod pendere tributum. JEsus Christus adhuc concluſus in utero Matris suæ, eô nomine portari voluit in Bethlehem, eòquód fuerit de familia Regis David, qui in parvo hoc loco fuerat natus. Vadit igitur obtemperatum Principi, antequam ipsius nasceretur subditus; & Joseph, qui ipsius censebatur parens, dato suo nomine,

Luc. 2.

Videtur JEsus Christus ingrediens mundum commisisse opus servile.

solvit tributum pro ipso, nascitur ergò obiens munus & onus subditi, pendens tributum & vectigal summo suo Principi, nihil hoc est certius, cum verbis expressis id referat Evangelium. Non ergò amplius facienda mentio est de excellentiis, velut in introitu alicujus Monarchæ, cùm reverà manifesta hæc signa sint vilitatis & abjectionis, quæ conspiciuntur in pauperis cujusdam subditi nativitate.

JEsus Christus intravit mundum velut supremus Monarcha.

Omnia sanè hìc magna sunt, reponit Ecclesiasticus; sed nil video, quod magìs ipsius attollat & magnificat gloriam, quàm id ipsum, quod tu accipis pro vilitate. Prænuntiârunt Prophetæ, futurum ipsum Principem pacis, & Regem pacificum: Ecce quare voluerit totum potiri mundum in adventu suo, altissimâ & universalissimâ pace, quæ unquam conspecta fuerit inter homines, sicut in Spiritu præviderat Isaias:

Isa. 14. *Conquievit, & siluit omnis terra:* Et ad stabiliendum illam, misit ante se Imperatorem Augustum velut suum Vicarium: probè enim nôsti, non nisi ipsius auctoritate & potentiâ, omnes mundi Principes legitimè jura dare & impe-

Prov. 8. v. 15. rare populis: *Per me Reges regnant.*

Hanc ob rem locupletavit magnum hunc Principem dotibûs adeò rarìs, ut non procul absint ab illis Regis Salomonis: cumulavit ipsum felicitate, prosperitate, benedictione temporali, consultò volens regnare ipsum longo tempore, ut juxtà inclinationes clementiæ suæ congenitæ, universalem firmaret pacem in toto suo imperio: quod tam auspicato confecit eventu, ut quadragesimô secundô annô Imperii sui, claudi & obfirmari jusserit templum Jani, quod tempore belli semper servabatur apertum, & quiescere omnia jussit arma, ut universo orbi gustandam propinaret dulcedinem pacis, quâ fruebatur.

JEsus Christus consignavit imperium Augusto, ut disponeret mundum ad se recipiendum.

Eo tempore eximium illud exantlavit opus, pro cujus executione supremus cœlorum Rex ipsum miserat in mundum, támque auspicato felicitaverat regimine. Elegerat ipse viginti quatuor Magnates, & sui Optimates Imperii, quibus mandatum dedit, ut universalem conficerent suorum subditorum recensionem, ipsorum annotarent nomina, & tributum acciperent ab ipsis. Et hæc primâ vice peracta fuit recensio universalis totius Imperii Romani, ubi Judæi tam benè quàm alii populi recensiti sunt, suum solventes tributum, & subditi declarati Romanorum.

Stupendus numerus militantium sub Cæsare Augusto.

Inveniebantur viginti septem milliones, & septingenti milleni homines, omnes idonei ad capessenda arma, exceptis fœminis, parvulis & senibus. O sapientia DEI, quàm es admirabilis in dispo-si-

spositione tua! Imperatori Augusto fortassis non fuerat animus, nisi ut cognosceret Imperii sui vires & amplitudinem; vel ut suum locupletaret thesaurum ex tributis, à tanto subditorum numero sibi porrectis. Sed ignorabat, servire se altissimo providentiæ magni Dei viventis consilio, qui non tradiderat ipsi in manus totius mundi imperium, nisi ut uteretur illô velut magnô Cæremoniariô ad disponendum benè omnia in inferiori hoc mundo, pro Introitu Filii sui unigeniti.

Drexel. de Christo nascente. p. 1. c. 1. § 2.

JEsus Christus usus est Augustô ad faciendam recensionem populi sui.

Inusitatum hoc Imperatoris Augusti edictum, non erat nisi executio occultorum mandatorum cœli, ad deducendum JEsum Christum velut in triumpho Bethlehemum, & collocandum ipsum suprà solium Imperii sui, quòd illud erat Regis David, unius ex avis suis, juxtâ hoc tam manifestum Isaiæ affirmantis vaticinium: *Super solium David & super regnum ejus, sedebit Rex in æternum.* Hæc descriptio imperii, ubi omnia nomina subditorum id constituentium, annotata fuêre, nullô exceptô, non erat, nisi ad significandum juxtà mentem sancti Gregorii, quòd *Ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate.* Tributum hoc, quod pendere voluit cum omnibus aliis, non erat servitus, sed liberalitas magnifica, quâ dare voluit arrham solutionis universalis, quam facere intendebat, solvendo omnia nostra debita, ad satisfaciendum justitiæ DEI Patris sui, inexhaustos nobis aperiens thesauros divinarum divitiarum suarum, gratiarum, meritorum & satisfactionum. Et denique omnia, quæ egit Augustus Imperator, non erant, nisi ad exequendum, abs eo, quòd id nôsset, mandata majoris se Imperatoris, quô utebatur velut publici statûs Administro, cùm ipse semper infinitâ ratione sublimior fuerit in paupere nativitatis suæ stabulo, quàm Cæsar in imperii sui solio: *Celsior in stabulo Christus, quàm in culmine Imperii Augustus.*

Isa. 9.

S. Greg. hom. 8. in Evang

S. Thomas rem admirandam observat, quòd Imperator Augustus regnaverit adhuc quatuordecim annis à nativitate Domini nostri; sed quod à die intoitûs hujus Dei absconditi in terram, condiderit decretum ex inspiratione cœlorum speciali, & citrà hoc forsan, quòd sciret, cur id faceret? quâ inhibebat, ne ullus in toto regno suo se appellat Magistrum vel Dominum. Qui mysterium sub hoc absconditum intellexisset clare, id esse, quòd supremus mundi Monarcha sit natus, omnésque mundi homines deinceps se non debeant æstimare, nisi humiles ipsius subditos?

Signum, quod Cæsar Augustus non fuerit nisi minister JEsu Christi.

Cedrenus Nicephorus, & post ipsos Baronius in Prolegomenis

JEsus Christus nascens apparuit Augusto Cæsari, qui noluit ampliùs appellari supremus Monarcha mundi.

super Annales suos, plus adhuc asserunt, quòd ipsemet Augustus nuncupari non voluerit supremus Imperii Dominus; quódque traditio velut certissimum teneat, ipsum tam inusitatum non concepisse consilium, nisi ex eo, quòd JEsus Christus in Bethlehem nascens, ipsi Romæ apparuerit in Capitolio, quódque, cùm se ipsi manifestâsset velut supremum Monarcham, qui descenderit de cœlo ad afferendam salutem hominibus, supremos ipsi exhibuerit honores. Aliqui adjungunt, quòd honorari voluerit admirandum illum apparitionis locum, & nuncupari *Aram cœli*; insuper erigi jusserit altare nulli alias sacratum idolo, sed reservatum honori solius illius Dei, quem descendere viderat de cœlo; quódque semper hunc locum singulari prosecutus fuerit veneratione, & majori, quàm loca, ubi Dii imperii adorabantur.

Vide Cornel. à lap. in Dan. c. 2.

Origio Ecclesiæ Ara cœlitanæ, quæ Romæ spectatur.

Credibile est juxtà omnem verisimilitudinem, hanc eandem esse traditionem, quæ vigebat adhuc tempore Magni Constantini Imperatoris, quæ permovit hunc Principem pietate plenum ad exstruendam speciosam Ecclesiam in eodem loco in honorem Infantis JEsu, & sanctissimæ Matris ejus, semper Virginis, quæ hodiedum adhuc consistit penes magnum Cœnobium Religiosorum sancti Francisci, qui dies noctésque decantant laudes DEI in hac Ecclesia.

Magnificus introitus Filii Dei in mundum.

Post hæc, te interrogo, an nondùm videas magnificum factum ab ipso in orbem introitum, eòquòd non solùm firmaverit pacem in toto universo, sicque omnes rapuerit creaturas in admirationem & silentium; sed etiam, quòd tantâ cum gloriâ fuerit usus servitiis & obsequiis Imperatorum. Quantô demulceor cordis gaudiô, ô adorandissime JEsu! quòd non obstantibûs cunctis in speciem abjectîs vilitatibûs, quibûs amore mei obvolvere & abscondere voluisti divinas excellentias tuas tempore nativitatis tuæ, illæ tamen videantur resplendere, tu agnoscaris, tu adoreris ubique, eòquòd æquali ratione ubique sis Deus! sed dissipa quantocyùs omnes nubes, quibûs obvolveris, ô divine Sol! exurge è sinu auroræ, & conspiciendum te præbe toti universo in pulchritudine tua: rapies ad te omnium corda hominum.

Dices forsan, hæc omnia non videri; nec constare quòd Augustus Imperator cuncta hæc fecerit pro obsequio, & pro gloria Christi JEsu: maximè cùm nil videatur in ipso, quod quidquam habeat splendoris, nec per quod luculenter discerni possit à cæteris hominibus. Nonnè in universo mundo conspicienda se præbeant inusi-

inusitata prodigia, quando Majestas DEI eo nomine descendit de cœlo, ut ritu solenni suum in orbem faceret ingressum? Ita est, conspecta sunt illa tum valdè stupenda, tum admodùm numerosa, juxtà bonorum Auctorum testimonia, quorum tibi hìc annotabo nonnulla.

ARGUMENTUM.

Plura prodigia, quæ conspecta sunt intrante in mundum JEsu Christo, quæmanifestè probant, ipsum esse DEum.

ARTICULUS IV.

Cur magis deferamus miraculo, quàm rationi?

NAturaliter videre desideramus quidquam insoliti; solum & unicum prodigium à nobis conspectum, quódque nostrum attonitum reddet animum, plùs roboris habebit ad persuadendum nobis, quàm plures rationes optimæ cum toto valore suo, totâ evidentiâ suâ. Hoc forsan oritur ex eo, quòd, cùm ratio non excedat nostras vires, ipsam non tanti æstimemus; quódque prætendamus defendere nos contra ipsam per alias rationes ab intellectu nostro inventas, quas ejusdem esse roboris nobis persuademus. Sed unicum miraculum inserit nescio quam animo nostro æstimationem illius potentiæ, quæ est suprà nos, cui confestim judicamus, nostrum submittendum esse judicium.

Tenemur omnes curiositate videndi miraculum.

Omnes homines innatô flagrant desideriô aspiciendi prodigia, quæ transcendant vires naturæ: dæmones naturaliter feruntur eò, ut fingant illa, ad decipiendos homines; sed Deus solus prodigia vera, cùm placuerit illi, operari potest ad homines tum instruendos, tum commovendos. Deum esse oportet, vel continere potestatem Dei in manibus, ad patrandum aliquid, quod vel vires naturæ superet, vel ordinarias ipsius leges subvertat. Tanta conspecta sunt prodigia in pluribus mundi partibus & in cunctis naturæ sedibus, tempore nascentis Christi JEsu, ut totus mundus evidenter observans, manum Dei hanc esse, quæ illa operetur, non immeritò judicare potuerit, magnum quid & prorsùs insolitum accidere debuisse in terris, cùm tot mutæ creaturæ ipsius loquerentur oculis modo tam inusitato, tâmque stupendo, ad illud ipsi annuntiandum.

Plura prodigia apparuerunt nascente Domino.

1. Tres soles apparuerunt in cœlo, qui conjunxerunt se in unum, ad insinuandum hominibus, quòd tres naturæ, quæ sunt divinitas, anima rationalis & corpus

Tres soles conjuncti in unum,

pus humanum, conjungi debeant in unica persona Christi JEsu, ad componendum nonnisi unicum Solem æternitatis, qui divina sua diffunderet lumina. Prodigium hoc contigit uno anno ante Imperium Augusti; & Baronius, qui id refert in suis Annalibus, idque desumpsit ex Lippomano, affirmat, duos ex hisce solibus circumdatos fuisse circulo aureo, & tertium apparuisse, quasi circumcinctus foret coronâ spineâ, quæ ardere videbatur.

Ex Drexel. de Christo nascente. p. 1. c. 2.

Globus splendidus suprà Romam,

2. Globus splendidus, qui similitudinem referebat ingenti sphæræ ex auro solidissimo & fulgentissimo apparuit suprà urbem Romam, velut descendens è cœlo in terram, ubi cùm multò major esset factus, ascendit denuò è terra in cœlum. Osorius hoc refert libro 8. historiæ suæ, capite 18. Semper creditum est, globum & splendorem esse Symbola divinitatis. Prodigium hoc nonnè clarè loquebatur hominibus, quòd divinitas descenderit è cœlo in terram, ut reascenderet è terra in cœlum, ratione quâdam facta major, accessu novæ gloriæ, quam sibi acquisivit afferendô salutem peccatoribus.

Osorius l. 8. histor. c. 18.

Templum pacis corruens.

3. Sed prodigium hoc non erat tam manifestum toti mundo, nec loquebatur tam clarè cunctis hominibus. Sicut illud de subitanea & inopinata ruina templi pacis in urbe mundi capite. Romani post pugnas plurimas, nec pauciores victorias, quibus potentiam regni dilatârunt in magnam orbis partem exstruere voluerunt templum pacis; & cùm tantæ soliditatis conficere id vellent, ut provocare etiam posset tyrannidem temporis cuncta devorantis, immensos fecerunt sumptus ad erigendum, utì sperabant, æternum paci penes se habitaculum. Absolutâ totâ mole consuluerunt oracula, interrogantes: quanto tempore subsistere debeat, & substiturum sit templum hoc magnificum; & responsum acceperunt: *Donec Virgo pariat.* Crediderunt ergò, iunuere hoc velle, substiturum ipsum absque metâ & in æternum; eòquòd impossibile crederent unquam Virginem parituram. Et ipsâ nocte, quâ sanctissima Virgo divinum suum Infantem peperit in Bethlehem, templum pacis corruit Romæ casu inopinato, cujus nullam videre fuerat causam: Prodigium hoc, quod nunquam exspectassent, magno concussit terrore totum Imperium Romanum, & sapientissimi quique meritò judicârunt, potentiam suâ majorem eripere sibi velle pacem, incassum se reluctantibus. Sed nesciebant JEsum Christum è cœlo venisse in terram ad turbandam falsam peccatorum pacem, & apertum denuntiandum bellum vitiis mundi:

Lyppoman. tom. 8.

Sur. tom. 6.

Matth. 10. v. 34. di: *Non veni pacem mittere, sed gladium.*

Fons olei fluit. 4. Fons olei scaturiens Romæ in loco, qui nuncupabatur *taberna meritoria*, fluxit usque in Tiberim, satisque diu fluxum tenuit, ut ab universo spectaretur populo; & ut totus raperetur in admirationem mundus, nemo tanti prodigii percontari potuit causam.

Statuæ Capitolii vel contritæ vel subversæ. 5. Plures statuæ in Capitolio fuerunt susque deque versæ, aliæ contritæ & quasi in pulverem redactæ, & aliæ etiam colliquefactæ. Imagines Romuli & Remi, qui prima jacerent urbis fundamenta, & figura lupæ, quæ ambos lactavit, inventæ sunt destructæ à visibili quadam potestate. Literæ, qua celatæ erant in columnis æreis, ut totus mundus legeret in eis fundamentales imperii leges vel deletæ, vel inter se invicem commixtæ & confusæ sunt. Quanta prodigia, quæ patrari non poterant, nisi à majori quadam potentia, quàm illa fuerat magni hujus imperii! Infans JEsus, qui clam & in occulto ingrediebatur mundum, exercet jam omninò visibiliter potentiam suam invisibilem in magna hac urbe, ubi firmare aliquando volebat præcipuum imperii sui in terris solium.

Idola, quæ dabant oracula, obmutescunt. 6. Omnia idola, quæ assuevérant se consulentibus reddere oracula, obmutuerunt; & cum primis Apollinis, quòd Imperator Augustus singulari prosequebatur veneratione. Cùm hic Princeps ipsemet litâsset illi sacrificium, ad eliciendum ex ore ipsius aliquod oracului quòd cognoscendi magnò ardebat desiderio, nihil responsi dedit: undè cùm adjiceret secundum, urgendô ipsum ad manifestandum saltem causam silentii sui & denegationis, quâ satisfacere abnuebat Imperatori, quem universus adorabat mundus; tandem respondit in hos versus, qui referuntur à Suida & tot aliis bonis Auctoribus:

Me Puer Hebræus, Divos Deus ipse gubernans,
Cedere Sede jubet, trîstémque redire sub Orcam.

Adhibenda est meritò quædam fides humana historiis. Haud ignoro, omnia hæc prodigia & mille alia ab Auctoribus tum sacris, tum profanis relata, non esse articulos fidei divinæ, qui necessariò credendi sint; nihilominus tamen sunt articuli fidei humanæ, quam necessariò adhibere debemus testimonio Auctorum gravium, & celebrium, qui præteritorum sæculorum conservârunt nobis memoriam. Siquidem cujus spiritûs essemus, si nihil unquam credere vellemus ex omnibus, quæ dicunt nobis homines. Quantæ etiam proterviæ incurreremus notam, si nil unquam credere vellemus eorum, quæ à viris tantâ auctoritate

tate pollentibus affirmantur nobis, sub prætextu, quòd, cùm tantæ infallibilitatis non sint ficut Deus, decipere nos possint, sicut & ipsimet decipi: oporteret ergò plerásque nostras suspectas habere, adeóque repudiare cognitiones, quas aliâ viâ habere non possumus, nisi adhibendô fidem humanam iis, qui illarum dederunt nobis informationem.

Credere omnia & credere nihil, sunt duo extrema æqualiter vitiosa.

Non minus malum est credere nihil, quàm credere omnia. Qui credit omnia, facilè decipitur, capútque sibi opplet falsitatibus & erroribus; & qui nihil eorum, quæ sibi dicuntur, credit, privet seipsum plurimîs veritatibûs ac pulcherrimîs cognitionibûs. Invenire est Auctores, qui digni non sunt, ut fidem inveniant: sunt verò etiam, qui merentur, ne suis fides abnuatur testimoniis. Sanctus Thomas, S. Antoninus, S. Bonaventura, Tostatus, Beda & ejusmodi, qui recensent ingentem numerum prodigiorum, quæ acciderunt in diversis mundi partibus, vel eodem tempore, vel tempore vicino nativitati JEsu Christi, quæque ostendunt, omnipotentem manum Dei cunctas exstimulâsse creaturas, ut magnum instruerent apparatum pro receptione Filii sui unigeniti, quando hic mundum suo honorare voluit ingressu, sunt Scriptores tantæ auctoritatis, qui mereantur non argui, quòd fabulas pro veritate nobis voluerint recensere.

Est quidem aliquid, reponit ad hoc hospes noster, sed ut verum vobis fatear, hæc omnia nondum mihi faciunt satis. Optarem in propria persona JEsu Christi, & ipso in loco, quem suo consecravit ingressu, aliquid, quod nobis ipsius declaret excellentiam. Hæc paupertas, hic locus abjectus, hæc universalis exspoliatio rerum omnium offendit me, nec digna mihi videtur majestate illius, qui agnosci debeat pro Monarcharum omnium maximo. Ex his bonus noster Ecclesiasticus & suum & nostrum fortiter incitavit animum, ostendendô nobis in ipsis hisce apparentibus vilitatibus, majori cum fulgore resplendere infinitas JEsu Christi excellentias.

ARGUMENTUM.

Pauper status, in quo JEsus Christus nascens apparuit, evidenter probat ipsius Divinitatem.

Articulus V.

SI Christus JEsus ingredi voluisset mundum totus refulgens excellentiâ humanâ & corporali, quam probationem attulisset

Si JEsus ingressus esset mundum magna cum potentia, ansam credendi non habuissemus ipsum esse Deum.

lisset Divinitatis suæ? si possidere voluisset omnes thesauros ad se pertinentes, & si potentem composuisset exercitum ex omnibus Imperii sui subditis, quos recenseri & quasi conscribi more militum voluit, per edictum Cæsaris Augusti, tempore, quo invectus est in mundum, sicut modò diximus; siquè immensis cum divitiis & potentiâ formidandâ venisset subjugaturus sibi orbem: quid ingentis in hoc patrâsset prodigii? Tantum abest, hoc certo fuisse argumento ad credendum ipsum Deum, ut potiùs præstitisset omninò contrarium; omnes namque dixissent: Nemo est hominum in mundo, qui præstare non posset quod ipse, modò easdem haberet divitias, eandem, quam ipse potentiam.

JEsus Christus non anhelavit excellentias corporales.

Excellentias reperire est materiales & sensibiles, quas tanti pendunt carnales, ut alias æstiment nullas; sed sapientes illas faciunt flocci, eòquòd nôrint omnia, corporalia inferioris ordinis esse homine, qui meliori sui parte spiritualis est; nec tam nobiles sunt hæ, ut ipsi quidquam adjicere possint magnitudinis. Nihiominùs Optimates mundi, & præcipuè Monarchæ, etiam sapientissimi solicitè aucupantur exteriores has & sensibiles excellentias, eòquòd fulciri illis ac stabiliri magnificentias & coronas suas putent; non desiderant nisi thesauros inexhaustos, numerosissimos exercitus, cùm illîs indigeant, probè gnari, quòd conficere nil poterint absque illis.

Sed JEsus Christus nihili facit omnes excellentias & visibiles; noluit possidere divitias nec potentiam temporalem, quòd illis non indigeret ac probè nôsset, se sine his omnibus conficere cuncta posse, quæ volebat, in quo demonstrare voluit, se Monarcham esse alterius conditionis & ordinis, quàm omnes sint alii. Ne igitur ejusmodi excellentias quæras in ipso, repudiavit has omnes, utpote se indignas; possidet autem alias longe sublimiores. Sed quænam sunt istæ.

Dantur excellentiæ spirituales nobiliores corporalibûs: has etiam Christus non anhelavit.

Inveniuntur aliæ excellentiæ spirituales & invisibiles, quæ nullo apud carnales sunt loco, eòquòd ipsarum ignorent valorem ac pretium; sed sapientes tanti faciunt ipsas, ut omnes corporales, quando etiam forent thesauri regum, ipsorumque potestas, nihil in comparatione videantur ipsis. Siquidem videre erat Philosophos, qui noluerunt sua deserere studia, quorum adminiculo se incessanter locupletabant excellentiis spiritualibus, ut possiderent medietatem alicujus regni sibi oblati: visi sunt etiam, qui, cùm tolerare non possent importunitatem curarum, quibûs pungebant mentem, pauca illa,

quæ possidebant, bona temporalia, non permittendo cum libertate frui bonis animi, commiserunt & immerserunt illa fluctibus maris, ad liberandam se illicò ab illorum tyrannide: *Abite, vanæ solicitudines; mergam vos, ne mergar à vobis.*

Cur JEsus Christus non voluerit demonstrare eloquentiam.

Homines sapientes, quibus constat valor excellentiarum spiritualium, non indigent corporalibus, cùm non sint ex ordine & serie illarum, in quibus suam collocant felicitatem. Sed hi magno cum zelo inhiant spiritualibus, eòquòd in his inveniant suam gloriam, suum regnum, suas divitias, suas voluptates, suam abundantiam, & omnia illa, quibus facultas est efficiendi se beatos, seque extollendi supra cæteros hominum. JEsus Christus poterat quidem intrare mundum totus irradians splendoribus excellentiarum spiritualium, eòquòd includeret in se omnes thesauros sapientiæ & scientiæ DEI Patris sui. Sed an medium hoc fuerat ad probandam irrefragabiliter ipsius Divinitatem? si mox ab exordio demonstrâsset clarè omnem pulchritudinem scientiæ suo intellectu concluſæ; si locutus fuisset hominibus, iis divinæ suæ facundiæ illecebris, cujus divitias & gazas omnes in suo circumferebat capite; & si effudisset torrentes admirabilis istius sapientiæ, cujus inexhaustos fontes gestabat in semetipso: absque dubio omnes inescâsset animos, & omnium comparâsset sibi corda hominum.

Sed quid grandis portenti in hoc fuisset conspectum? an agnitus fuisset pro Deo, quòd ita omnes rapuisset homines suæ dulcore eloquentiæ, sicut rapuisse fingitur Orpheus post se arbores scapulos, feroces belluas suæ sonitu cytharæ? Neutiquam: siquidem constat, magnam esse eloquentiæ vim, quæ demulceat aures, & quantò hoc est major, tantò magis demulcere illas. Humanæ conditioni familiare est admodùm, scientiarum decorem placere animo, illúmque lucrari? & quantò scientia sublimior & excellentior fuerit, tantò magis lucraturam animos, tantóque facilius devincturam ipsos. Naturæ omninò conforme est, quòd sol omnem splendorem suum effundens in meridie, suâ luminis abundantiâ omnes offuscet, & caligine involvat faculas, quas accendere possumus in terris. Si ita apparuisset velut omnium sol ingeniorum, ad absorbendum parva illorum lumina, sui luminis immensitate, dici quidem potuisset: Ecce tibi sapientissimum & eloquentissimum hominum; sed quòd DEus esset, ex hoc cognosci neutiquam potuisset: quin potiùs ex opposito, quæcunque fecisset, adscripta fuissent scien-

scientiæ & eloquentiæ artificio.

Cur JEsus Christus repulerit à se excellentias corporales & spirituales.

Oportebat ergò ipsum longè à se propellere duo hæc excellentiæ corporalis & spiritualis genera ut homines intuendo ipsum absque illis magnum, agnoscerent & confiterentur; aliud ipsius personam complecti debere genus excellentiæ, quæ superaret illas; & hæc excellentia est divina. Si enim non possidendo aliquam excellentiam materialem, nec demonstrando, sicut potuisset, aliquam spiritualem, non possedisset tertium aliquod genus excellentiæ, quâ exaltatus & elevatus fuisset super omnes excellentias corporales & spirituales; ut quid non semper mansit contemptus & despectus?

Erat excellentia quædam procul dubio in ipso: hanc enim cognoscimus modò per effectus visibiles, qui summi ac supremi, quibus afficimus ipsum, honores, velut Regem regum, & Dominum dominantium. Sed qualem demonstravit demum excellentiam, dum orbem suo felicitavit adventu?

Si JEsus Christus ostendisset in se omnia tria excellentiarum genera, fuisset res ambigua.

Si conjunxisset in persona sua omnia tria excellentiarum genera; materiales, spirituales & divinas, res mansisset ambigua. Nonnulli attribuissent absolutum imperium, quo subjugâsset mundum, excellentiis ipsius materialibus; aliqui excellentiis ipsius spiritualibus; alii, sed pauciſſimi, excellentiis ipsius divinis. Sed quia habere non voluit nec excellentias materiales, nec excellentias spirituales, sublata est ambiguitas; & manifestè videtur, solas divinas excellentias esse, quæ contulerint ipsi imperium mundi. Ecce quare dixerim, quòd pauper status, in quo nascens apparuit, mirum in modum ipsius demonstret & refulgere faciat divinitatem.

In quo JEsus Christus sit admirabilis.

Hoc igitur est, in quo Christus JEsus extitit admirabilis; hoc est, quod manifestè ostendit divinitatem ipsius habenti oculos ad intuendum illam: hoc est, quòd, cùm dives non fuerit, nec potens exterius, quin ullas ostenderit intellectûs sui divitias, infinitâ tamen ratione magnus fuerit, sed magnitudine, quæ cùm non sit humana, esse non potuit nisi divina, quæque triumphare novit in medio contemptuum, paupertatis afflictionum, ignominiis crucis suæ, & maximis quibúsque opprobriis, quibus hominum miserrimi poterunt esse immersi. Quòd suæ gloriam divinitatis in his omnibus resplendere super hæc omnia fecerit triumphare; quis evidenter non aspiciat, quòd, si magnus non fuisset magnitudine divinâ, alias omnes superante magnitudines, hæc omnia fuissent ipsi impossibilia?

Quare omnes homines parvi faciant excellentias JEsu Christi.

Magnitudo admirabilis revera, eòquòd per hanc extra semetipsum Deus sit magnus; sed cognita & explorata non est, nec iis, qui æstimant magnitudines & excellentias carnales, nec iis, qui non æstimant, nisi magnitudines & excellentias spirituales, cùm hi sat luminis non habeant ad conspiciendam magnitudinis hujus pulchritudinem & veritatem. Omnis multitudo hominum sectatur, venatur, aucupatur excellentias corporales, eòquòd palpabiles hæ sint & visibiles, sibique promittant, inventuros se in illis felicitatem suam, citrà id, quòd ullas pendant aut æstiment alias: sed hæ omnium sunt infimæ, & homine prorsùs indignæ, cùm ipsum deducant ad agendum vitam, quæ magis accedat ad vitam bestiarum, quàm illam hominum, fermè omnes illi, qui pollere volunt animo parvi faciunt excellentias has materiales & caducas, sed inhiant excellentiis spiritualibus, eòquòd hæ magis dignæ sint homine, nec credunt esse alias, quæ suam satiare & explere possint animam. Sed & hæ nimiùm adhuc abjectæ sunt & viles pro Christiano, cùm idoneæ non sint, nisi ut faciant ipsum magis accedere ad vitam Philosophorum gentilium, quàm Seraphinorum in cœlo.

Cur tam pauci Christiani cognoscant & æstiment veras excellentias Christi JEsu.

Sunt rari nantes, etiam inter Christianos, qui cognoscant excellentias divinas, quique eo teneant ipsas loco, quem merentur. Nam si excellentiæ spirituales infinitâ ratione excedant & superent carnales, excellentiæ divinæ magis adhuc transcendunt & antecellunt spirituales. Sed quàm pauci sunt, qui probè hanc cognoscant veritatem, eòquòd omnia lumina naturalia, quæ fermè in omnibus sequimur, nihil hic capiant, nihil comprehendant! siquidem dum dicitur, quòd excellentiæ hæ divinæ consistant in divitiis invisibilibus & supernaturalibus, in gratiis in virturibus, in perfectionibus in anima absconditis, quarum nihil videmus, nisi quòd ille, qui absconditum hunc invenit thesaurum, perfundatur voluptate, si vivere sibi liceat in contemptu, in paupertate, in afflictionibus, in persecutionibus, & tandem in cæteris omnibus miseriis humanis: quæ tanta oculorum sit acies, quæ aliquam in his omnibus intueatur excellentiam? Omnes offenduntur sensus unico propositionis hujus intuitu; tota se opponit natura, sermo si fiat de ipsius receptione; ipsa irritatur ratio, & asserit, id sanam oppugnare mentem; denique vox publica & multitudinis exemplum est quasi torrens, rapiens post se omnia, & totum persuadens oppositum.

tum. Quis firmus adversùm tantas consistat oppositiones, ut credat, excellentias ibi esse, ubi omnia vociferantur, non esse nisi vilitates & abjectiones?

Veræ excellentiæ Christi JEsu videri non possunt nisi per lumen cœli.

Verum est, excellentias has videri non posse, nisi per lumina cœli; illa terræ, cum omni, quam facere poterunt, contentione, non pertingent illuc. Sed quando placuerit Deo illarum pulchritudinem manifestare animæ, ô Deus, quàm ingens admirationis argumentum illa fit sibi ipsi, & omnibus aliis, eòquòd hic intuitus, quo obruitur & abripitur, operetur in illa effectus, qui totidem videantur prodigia! Illa nonnisi vilitates contemptibiles in omnibus iis, quæ mundus æstimat, intuetur; econtrà autem pulchritudines, quibus mirificè demulceatur, aspicit in omni eo, quod mundus contemnit.

Quilibet sectatur excellentiam, quàm æstimat.

Omnes aucupantur excellentiam, in qua videre se putant pulchritudinem aut prærogativam, cujus possessione reddantur felices. Carnales aucupantur divitias, honores, voluptates, dignitatum munera, præcipua officia; & his solis invenire se credunt felicitatem suam: Et omnes quasi ipsorum assentiuntur opinioni. Anima illustrata lumine cœli, cujus virtute intuetur pulchritudinem excellentiarum divinarum, non aucupatur, nisi paupertatem, contemptum, afflictionem, solitudinem, & vitam absconditam à mundo se prorsus abstrahentem, & recensentem quasi inter mortuos, cùm firmissimè sibi persuadeat, se suam in his reperturam felicitatem; & omnes quasi contemnunt ipsam, ac infelicium recensent in album: sed ipsa novit optimè, decipi ipsos; se autem decipi non posse. Et ecce quare?

Plures pulchræ differentiæ inter illos, qui inhiant excellentiis carnalibus, & eos, qui inhiant divinis.

Imprimis diriguntur carnales suorum lumine sensuum, quos sibi communes habent cum bestiis: dici ergò potest ipsos dirigi & deduci velut bestias, quamdiu sectantur ea, quæ blandiuntur sensibus: nihil abjectius, nihil rudius, sensibus fraudulentius est nihil. Hæc econtrà luminibus dirigitur cœli, quæ sunt infallibilia; dici ergò potest, ipsius directionem esse supernaturalem & omninò divinam, quamdiu sectatur excellentias sensibus & rationi humanæ incognitas, hásque ipsi ab alio, quàm à Deo demonstrari non posse. Nihil ergò est hoc certius.

Secundò, carnales nonnisi inhiant excellentiis perituris & caducis, quas possidere longo non possunt tempore. Hæc excellentiis inhiat divinis, quas possidere potest in æternum. Carnales aucupantur excellentias, quæ carô admodùm veneunt pretiô; ut ac-

ut acquirantur, oportet magnas absorbere molestias; & sæpiùs se mutuis conficiunt vulneribûs homines, quis habeat illas; sed nec habent illas, quando volunt. Hæc invænit ubique divinas, quas amat excellentias, quarum possessione fruitur in pace, nec est, qui illam perturbet.

Si carnales sensibili aliqua demulcentur voluptate in possessione corporalium suarum excellentiarum, non potest hæc esse, nisi valdè levis, eòquòd dependeat à sensibus nonnisi valdè limitatam virtutem habentibus. Hæc quidem nullâ sensibili perfunditur delectatione in divinis, quas amat excellentiis; sed perfunditur voluptate aliâ longè sublimiori, puriori, suaviori, tranquilliori, & abundantiori absque comparatione, eòquòd consoletur & repleat animum, non tam arctis circumscriptum limitibus, sicut sunt sensus.

Anima cognoscens excellentias divinas, magis delectatur illis, quàm mundani carnalibûs.

Hinc est, quòd carnales plurimùm æstiment & ament excellentias suas materiales; hæc incomparabiliter magis æstimat & amat excellentias suas divinas, illásque tanto prosequitur affectu, ut deserere illas non vellet pro cunctis totius mundi imperiis. O Deus, quam insigne miraculum! quàm dignum cœlorum oculis spectaculum, eòquòd his careat terra ad illud conspiciendum! O quàm jucundum est videre animam, quæ clarè divinarum excellentiarum intuetur pulchritudinem, quam mundus intueri non potest: quantùm transcendit hæc id omne, quod æstimat mundus! Et quando ipsa benè in hoc animi fundata est sensu, nonnè omnia ipsius attentata quasi totidem sunt portenta?

Pulcher affectus animæ cognoscentis veras excellentias JEsu Christi.

Mundi optimates, vestras amate divitias, quanto placuerit vobis cum ardore; ego meam amo paupertatem incomparabiliter majori cum æstimatione; majori ex illa demulceor voluptate, eòquòd intuear in illa excellentias divinas & æternas, quas vestræ non complectuntur divitiæ. Ambitiosi mundi affectæ vestros amate honores, vestras dignitates, vestra munera, quantâ volueritis cum affectûs vehementia: Ego meam amo abjectionem, meam humiliationem, meum contemptum, in quibus cor meum plus solidi invenit solatii, plus quietis & pacis, quia aspicio in illis excellentias divinas & coronas æternas, quas nesciunt vestri honores. Voluptuosi mundi amatores, immergite vos deliciis vestris sensualibus, velut magno felicitatum vestrarum Oceano; ego amo afflictiones vitæ meæ mortificatæ, laboriosæ, pœnosæ, non obstante sensuum meorum repugnantiâ; & ego majori deputo felicitati,

tati, unico pati die, quàm omnibus vestris innatare deliciis, toto curriculo vitæ meæ, eòquòd in meis afflictionibus excellentias conspiciam divinas, quas vestræ ignorant deliciæ.

Quanti mundus æstimet eos, qui ipsum contemnunt.

Mundus obstupescit, totúsque hæret attonitus, dum bonam animam hâc ratione audit loquentem; credens, has non esse nisi puras imaginationes, ipsámque labiis duntaxat extremis hæc facere verba; sed si percipit ipsam effari veritatem, & ipso opere tam eximios cordis intimo insculptos circumferre animi sensus, ambiguitatem immutat in admirationem, & fatetur transcendere hoc omnes excellentias terra, nihílque tam magnum esse in mundo; & in arcano cordis sui cunctis verticibus coronatis hanc præfert & reveretur animam, malens ipsius statu frui, quàm elevari super solia.

Solus defectus fidei nostræ nos impedit, ne verè magni simus.

Eheu! cùm amemus naturaliter excellentiam, eccur non ardentissimè venamur veras hasce excellentias divinas, quas Sapientia infinita Dei ostendit & manifestavit nobis in terris. Totius rei cardo consistit in hoc unico, ut credamus firmissimè, verum esse, imò esse verissimum, contineri in his omnibus excellentias divinas, & excellentias æternas, quæ infinitâ ratione transcendant omnes excellentias terræ. Et quid valeat id persuadere nobis, si non sufficit, quòd Deus ipse suo firmaverit verbo, id verum esse? si non sufficit, quòd Filius unicus, qui est Sapientia infinita Patris sui, nobis id demonstraverit in propria persona sua, cùm omnes alias tum corporales, tum spirituales repudiaverit excellentias, ut has conservaret solas, velut solummodò dignas Majestate DEI? Si non sufficit, quòd omnes Sancti gubernati à Spiritu Dei; illas quæsiêrint ardentissimè, seque maximo cum gaudio immerserint illis, contemnendô omnes alias? Et videmus obtinuisse ipsos per has gloriam æternam coram Deo & coram hominibus. Si hæc omnia nos non convincant, quid unquam convincere poterit?

Admirabilis conditio animæ, quæ nova cognoscere & amare veras excellentias Christi JEsu.

Imaginare tibi, quàm profunda pax, quanta dulcedo, quis Paradisus terrestris foret, si tota Ecclesia, si omnes Christiani, sicut deberent, firmissimè crederent sublimes hasce veritates, & juxtà ipsarum agerent præscripta. Nemo esset, qui disceptaret, quis habeat facultates & opes, quis honores, quis dignitatum munera; sed tota foret disceptatio, quis non haberet illa? Nemo inhiaret voluptatibus & deliciis vitæ, quæ tanti constant, tantasque conciliant strages, sed fugerentur velut pestes; esset nemo, cui starent vel minimo. Contemptus, persecutiones, afflictio-

nes & cruces vitæ humanæ, quæ supplicio nobis sunt, tantásque ex ore nostro extorquent querimonias, nostras constituerent delicias, & idipsum, quod reddit nos miseros, nos redderet beatos. Et totum hoc denique consistit in puncto unico, ut credamus firmissimè, in his omnibus consistere veras excellentias divinas, quæ infinitâ ratione transcendunt omnes excellentias terræ, quæque fons & origo sunt maximæ cujusvis felicitatis, ad quam aspirare possimus. O JEsu lux mundi! aperi oculos nostros, nósque clarè fac intueri hanc veritatem.

ARGUMENTUM.

Unde veniat, quòd plerique Christiani ambulent viâ tam oppositâ viæ & vitæ JEsu Christi.

Articulus VI.

Mirandum, quòd Christiani tam parum sint Christiani.

QUantas illecebras habet veritas, quibus omnes animas ad sui allicit amorem, si vel paulisper aspicere illis liceat ipsius pulchritudinem! Illustris illa domina, quæ hucusque actum servaverat silentium, continere se non poterat, quin ostenderet se commotam esse, tam æstimatione ejus, quod audierat, tum magnâ admiratione illius, quod videantur Christiani ignorare fundamentale hoc punctum totius moralis doctrinæ Christianæ. Unde venit, dicebat ipsa, quòd Christiani sint tam parum Christiani; quòd, cùm probè sciant, JEsum Christum, quem velut exemplar suum se profitentur imitari, contempsisse omnes excellentias, quas tu nuncupas carnales, omnesque illas, quas appellas spirituales, & nonnisi solas elegisse divinas, quæ sub contemptibili specie latent absconditæ; ipsi econtrà nonnisi has solas contemnant & maximi pendant cæteras omnes? Nonnè videtur, ipsos Christianos non esse, nisi solo nomine, anti-Christianos autem opere & professione? cùm tamen optimè nobis constet, in magno judicii die, omnes recepturos juxtà sua opera, & non juxtà sua nomina. Unde est, quòd tam multi glorientur speciosò hoc nomine, támque pauci ejusdem verè assumant spiritum & affectus.

Tres fontes nostrarum cognitionum, sensus, ratio, fides,

Respondebatur ipso: Causa hujus est manifestissima, si vel leviter duntaxat consideretur. Inde est, quòd anima nostra omnes suas cognitiones non hauriat nisi è tribus principiis; vel sensibus, vel ratione, vel fide: his ducto-

ductoribus dirigitur in omnibus, quæcunque facit.

Sensus æstimandas ipsi proponunt excellentias carnales; omnes enim alias ignorant: ratio docet ipsam pendere pluris excellentias spirituales: sed divinæ ipsi non sunt cognitæ: sola ergò fides est, quæ conferre nobis possit tum cognitionem, tum æstimationem excellentiarum divinarum.

Fermè omnes homines reguntur sensibus.

Jam quæso te, considera, quisnam sit communis hominum vivendi modus in præsenti vitâ, Nonnè verum est, plerósque dirigi & gubernari nonnisi à sensibus? Nonnè videntur materiæ semper immersam suam circumferre animam, quin vel unquam suprà sensus corporis attollant ipsam? Id, quod vident, quod tangunt, quod audiunt, quod gustant, totum omninò est, quod omnem ipsorum constituit occupationem. Jam omne id, quod sub sensus cadit, tam procul abest ab excellentiis divinis, ut etiam longè inferius sit excellentiis spiritualibus; sed hæ nuncupantur excellentiæ carnales. An mirandum sit, quòd tota hominum multitudo, quorum anima fermè non aliud, nisi ad ejusmodi feratur excellentias? Non agnoscunt ipsi alias, veráque apud ipsos est parœmia: *Ignoti nulla cupido?*

Haud levis erat operæ, quòd eò redacti sint, ut quandoque suam à sensuum servitute expediant animam, & mediam saltem horam collocent indies in seria consideratione, an homines sint ratione præditi, vel an agant bestias. Sed quantos invenire est, qui ferè nunquam deserunt perpetuum, quod habent cum sensuum objectis, commercium, à quo nec unico horæ quadrante cessant, ut ingrediantur in semetipsos, & semel saltem de die agant, conversentur & differant cum ratione sua. Et hæc continua animæ cum sensibus conversatio, rapit illam in inevitabilem quandam necessitatem, ut nonnisi carnales æstiment & requirant excellentias, eòquòd aliarum nullam prorsus habeant cognitionem; hæc vera & solida est ratio, cur quasi omnes se illis committant, illas amplectantur. O quàm procul absunt ab amplexu excellentiarum divinarum, cùm nec modum nec medium habeant, se attollendi usque ad spirituales, quæ infinitâ ratione adhuc inferiores sunt supernaturalibus & divinis! Tertullianus appellabat ejusmodi homines, quibus scatet mundus, Psychicos, id est, Christianos naturales, qui totam vitam suam consumunt reptando in natura corporea.

Valdè pauci ducuntur lumine rationis.

Amantur ardenter excellentiæ spirituales scientiarum, quem amorem nemo reprobat.

Nihilominus invenire est semper non levem numerum bonarum mentium, quæ se attollunt supra sensus, magisque intendunt luminibus & cognitionibus rationis. Hæ comprehendunt probè, excellentias spiritales longè nobiliores esse corporalibus; hinc illas magis amant, illas præferunt, illásque inquirunt contemnendo alias; majori deliniuntur gaudio, dum suum imbuunt pulchrâ quâdam cognitione animum, quàm avari dum suas replent cistas argento; absque comparatione malunt in musæis suis cum suis codicibus miscere sermonem, quàm immiscere se in aula quibusvis sæculi vanitatibus, voluptatibus, dignitatibus; semperque majori tenentur aviditate benè suum collocandi tempus, ut suum locupletent & notitiis augeant intellectum, quàm aularum asseclæ inquirendi occasiones, quibus suam amplificent novis commodis & muneribus fortunam.

Nemo sibi piaculo ducit amare ardenter excellentias spirituales: frustrà dixeris illis, quòd decipiantur, quòdque nonnisi distineantur crepundiis, quæ indignâ sint animâ Christianâ; quòd JEsus Christus divinus ipsorum Magister non pluris æstimaverit excellentias spirituales corporalibus; quódque Christianus, si divini hujus Magistri verè agere velit discipulum ac imitatorem, majoris quàm ipse æstimare illas non debeat, sed anhelare unicè, ardenter desiderare excellentias divinas, quæ consistunt in humilitate, in cruce, in separatione ab omnibus rebus mundi, utpote, quæ solæ sint dignæ animâ Christianâ.

Cur tam ardenter inhiemus studiis, quæ satisfaciunt intellectui?

Ratio humana non capit hoc; & intellectus illustratus, sapiens, & insigni quâdam eruditione excultus, vi cujus extollatur super alios, ipsiúsque effata audiantur velut oracula, ita insecatus est hoc genere excellentiarum naturæ suæ rationali convenientium, ut non credat, his alias esse magis amabiles, plurisque æstimandas. Si quis diceret huic homini tam ingenio, quàm scientiâ pollenti, omnes has excellentias spirituales, quas tanti pendat, nihil esse respectu scientiæ, quâ quis benè noverit JEsum Christum crucifixum, ipsius imitari mansuetudinem & patientiam, communicare ipsius doloribus ac opprobriis, mori sibi ipsi, & ejusmodi: hoc comprehendere non potest, eòquòd magna hæc sapientia humana, quâ abundat, divinam hanc oppugnet fatuitatem & insipientiam: non credit absconditas hic esse, & intus latere excellentias divinas; sed omnes has veritates haud aliter intuetur, quàm velut animi abjecti infirmitates, quas summo habet ludi-

ludibrio, quásque tantò capiet minùs, quantò magis contenderit examinare ipsas discursu suo naturali, & lumine scientiæ suæ acquisitæ: *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelásti ea parvulis.* Matth. 11. v. 25.

Nec mirandum est, cùm æquè impossibile sit cunctis rationis humanæ viribus, cognoscere unicam solam veritatem divinam & supernaturalem, ac impossibile est sensibus corporeis comprehendere discursum aliquem Philosophiæ. Et quia magna hæc ingenia ita rapiuntur pulchritudine excellentiarum suarum, ut deserere illas nolint; rediguntur in absolutam quandam impossibilitatem, non concipiendi unquam nec æstimationem, nec amorem ergà veras excellentias divinas, eòquòd hæ illis semper sint incognitæ: Et ideò tam paucos videre est è magnis hisce Thrasonibus, suâ inflatis & distentis scientiâ, qui benè repleantur Spiritu JEsu Christi, quíque magnâ fruantur familiaritate cum ipso in oratione. Facilius esset, quòd ille, qui solicitè inhiat excellentiis corporalibus, suo se exueret errore, & amorem ac æstimationem conciperet excellentiarum divinarum. Hæc res meritò humiliare deberet & tremore convellere mundum, qui de hoc nullam admittit cogitationem.

Facilius esset facere è carnali spiritualem, quàm è curioso verum Discipulum Christi.

Non est opus nisi sensibus corporalibus ad cognoscendum & amandum excellentias spirituales, sed opus est fide, quæ lumen est cœli, ad cognoscendum, quid sint excellentiæ divinæ: nec sensus, nec ratio humana comprehendunt hìc aliquid, cùm ipsæ infinitâ ratione transcendant omne id, quod sentire nos possumus aut comprehendere. An quærendum nunc sit, quare ipsæ tam universaliter ignorentur & quasi à nemine æstimentur, amentur quærantur? Omnes quasi suos sequuntur sensus, vel rationem suam humanam, & quasi nemo sequitur pura lumina fidei: reveremur illa, quia novimus, ipsa esse infallibilia, sed illis non obtemperamus, cùm proponant nobis talia, quæ injucunda & molesta sunt naturæ.

Pauci spirituales sunt, cùm pauci gubernentur fide, sed sensibus & ratione.

Oporteret omnes sensus arguere mendacii, ne credere id nos, quod videmus, quod tangimus, quod gustamus, quod experimur: oporteret obcœcare rationem suam, & non videre id, quod ipsa evidenter nobis demonstrat verum, & reluctantibus omnibus nostris cognitionibus naturalibus evidentissimis ac certissimis, videre pulchritudines & excellentias in rebus, ubi non apparerent nisi honores & vilitates. O Religio Christiana, quàm potenter imperas hominibus! quàm perfectum exigis sa-

crificium omnium nostrorum sensuum, & rationis nostræ humanæ, ad præstandum homagium & obtemperandum veritati æternæ, quando loquitur nobis! Si quæratur, quinam sint, quibus id faciendi sit animus? nonnisi admodùm pauci invenientur.

Evidens probatio, valdè paucos veros Christianos esse in mundo.

Nihilominùs verum est, quòd, sicut assimilamur bestiis per sensus, & homines non sumus nisi per rationem; sic Christiani non simus, nisi per fidem. Tollas homini rationem, nec relinquas ipsi, nisi sensus, amplius nil erit nisi bestia. Tollas homini Christiano fidem, & non relinquas ei nisi rationem humanam & alius non erit nisi paganus. Et ecce tibi totum, quod sumus, quando nos ferè in omnibus non gubernamus nisi per sensus aut rationem. Si nunquam vivamus velut Christiani, nisi quando sequimur lumina & cognitiones fidei, fatendum nobis erit, nos rarissimè fore Christianos; & si nunquàm quæramus vera bona, divinásque excellentias, nisi quando dirigimur illuc per lumina fidei, longè absumus, ut ipsas vel inveniamus vel possideamus, cùm ferè nunquam ipsius sequamur lumina.

Quare sapientes rarò sint admodùm spirituales.

Illi, qui anxiè inhiant excellentiis corporalibus, uti faciunt plerique hominum, procul absunt à divinis: nemo de hoc dubitat. Qui solicitè aucupantur excellentias spirituales, minùs absunt ab iis in uno sensu, sed magis ab iis absunt in altero: hinc est, quòd difficilius sit illos errore expedire, ipsísque persuadere, quòd malè faciant; eòquòd, cùm nil videant criminis, sed nec aliquid indecentiæ in eo, quòd ardenter ament excellentias spirituales, adhæreant ipsis absque scrupulo, illis ceu singulari se excolant ornamentô, credentes rem esse eximia dignam recommendatione, quin unquam contendant & intendant se attollere sublimiùs, nec advertentes sub pulchra hac apparentia absconditam fraudem, quæ consistit in hoc, quòd inquisitio & possessio excellentiarum divinarum æquè impossibilis sit iis, qui sectantur excellentias spirituales, ac iis, qui non aucupantur nisi carnales, eòquòd æqualiter versentur in statu, qui non excedat naturam, quódque in hoc statu permanentes attingere nunquam possint quidquam supernaturale.

Ingens periculum amantium excellentias tum corporales tum spirituales.

Æqualis igitur ambobus facienda foret exhortatio: Attendite vobis, referate oculos, & videte, quantum decipiamini; non pertingitur per vias naturales, quales vestræ sunt, ad finem supernaturalem, qualis est divinarum possessio excellentiarum, quæ solæ vos reddere possunt beatos

beatos in æternum. Emendate vias vestras, ut emendetis vitia vestra; discite contemnere æqualiter excellentias carnales, quæ abjecta sunt sensuum vestrorum, & excellentias spirituales, quæ intellectûs vestri sunt irritamenta & lenocinia, sequamini pura fidei lumina, quæso te deducere vos possunt ad cognoscendam pulchritudinem excellentiarum divinarum, quas nec sensus, nec ratio humana detegere & ostendere possunt; & memores estote, vos Christianos non fore, quoad privati fueritis veris hisce excellentiis, quas mundus ignorat, quásque solas JEsus Christus in sua refulgere voluit persona.

Firmum propositum, quærendi unicè excellentias divinas.

Tacete modò sensus mei, vos me decipitis, dum dicitis mihi delicias corporales esse bona: mortificationes & cruces, quæ vera sunt bona, amore me prosequi oportet; siquidem id Deus mih dixit; est illi major mihi adhibenda fides, quàm vobis. Claude oculos, mea ratio, tu malè me ducis, dum persuadere mihi vis, quòd honores, dignitates, divitiæ, omnes excellentiæ tum carnales, tum spirituales, quas mundus æstimat, bona sint, quæ amare debeam: potiùs status humilis & abjectus, segregatus ab omnibus, & à mundo despectus, verum bonum est, quod teneor amare: siquidem infinita sapientia Dei eo nomine venit è cœlo in terram, ut in hac me instrueret & instituere veritate; huic magis me credere oportet, quàm tibi. Tu sola summo jure ac dominio impera in anima mea, ô fides divina, méque doce, ut infinita præferam ratione excellentias divinas à mundo despectas, omnibus excellentiis carnalibus & spiritualibus, quas æstimat mundus. Veni, fides divina, sola esto animæ meæ facula, evidenter demonstra mihi, firmitérque persuade, quòd contemptus toleratus pro Deo, majoris sit valoris ac pretii, omnibûs vanis honoribûs mundi; quòd universalis exspoliatio ab omnibus creaturis, saltem animo & voluntate, longè sit pluris possessione omnium thesaurorum terræ; quódque sufferre omnis generis afflictiones in unione illarum Redemptoris mei, & ex amore ipsius, incomparabiliter excedat pretio omnes totius mundi consolationes.

CON-

CONSULTATIO IX.

JESUS CHRISTUS imperans Regibus ab incunabulis Nativitatis suæ, demonstrans se esse DEUM.

Duo genera divitum.

DUplicis generis divites numerat mundus, inter quos valdè magna extat differentia. Nonnulli possident divitias corporales, quæ cùm attollant ipsos paulisper suprà vulgus attrahunt post ipsos magnam famelicorum & avidorum copiam, qui ipsos consumant, consumatósque despiciant. Alii divitiis affluunt spiritualibus, quæ cùm illos discernant à plebe velut homines eximios, frequentem illis conciliant affluxum virorum laudatissimorum, qui ipsorum oblectentur conversatione ipsósque admirentur.

Divitiæ materiales difficulter acquiruntur & cum labore possidentur.

Plurimò stat primis, ut suô modô evadant divites; maximas oportet ipsos portare curas, quarum sibi retinent nonnisi incommoda, ut totum illarum commodum relinquant aliis. Siquidem domus ipsorum haud absimiles sunt hospitiis publicis, ubi benè excipiuntur omnes, quibus parata & in promptu esse debent omnia, citrà id, quòd curæ sibi sumant, unde hæc veniant? Et pro eo, ut hospites solvantur probâ monetâ, solvunt hi ipsos nonnisi reverentiis & protestationibûs, se esse ipsis ad servitia: sed ita loqui non est nisi ludere cum ipsis, cùm hi reverà aliorum sint servi.

Non ita divitiæ spirituales.

Qui in suo circumferunt capite thesauros divitiarum spiritualium, nihil ex iis tolerant incommodi, nisi quòd unica ipsis non sufficiat præsentia, ad satisfaciendum iis omnibus, qui voluerint ipsas habere, cùm omnes ipsarum teneantur desiderio: sunt ipsi innocentes omnium societatum deliciæ; esse cum ipsis, est assidere convivio perpetuo, cùm nunquam non habeant, unde exquisitissimas ingeniis tersissimis dapes apponant, absque eo, quòd depauperentur, vel exhaurientur; & sicut ipsi omnes suæ capiunt dulcedine conversationes, ita omnes adnituntur capere ipsos mille blanditiis, ut diu retinere ipsos, ipsorúmque frui valeant familiaritate.

Fruebantur ab aliquot diebus in domo, quam intraveramus, eximiâ hâc prærogativâ in persona cujusdam amici sui, quem appellabant Carpophorum. Erat hic

hic vir magnæ eruditionis, genii suavissimi, & conversationis adeò jucundæ, ut non formatus esse videretur, nisi ad demulcendum omnes oblectatione, perfundendum cunctos voluptate: non discernebatur, in quibus magis esset versatus, discurrebat de omnibus, quæcunque dicebantur, sed nunquam nisi præclarè, nisi luculenter. Incidebat die quodam mentio historiæ, in qua quòd esset versatissimus, jucundissimum nobis, quæ haberi possit, exhibuit notam.

Pulchra historia de Principe reportante victoriam adhuc in cunis.

Recensuit prodigium, quod contigit anno millesimo, quadringentesimo, de Godefrido Tertio, Duce Brabantiæ, qui cùm adhuc infans stringeretur cunis, nec primum adhuc ætatis suæ superâsset annum, potentem ac validum coëgit exercitum, cui ipsemet in persona præfuit, cum hoste conflixit, & nominatissimam de inimicis ditionum suarum reportavit victoriam. Verum est, non concessisse ipsum in pugnam in ætate hac tenera, nisi deportatum aulicorum suorum brachiis; non ordinâsse ipsum sui directionem exercitûs, nisi per suos hipparchos & copiarum prætores; non jussa dedisse ipsum nisi per ora suorum Centurionum; non oppugnâsse inimicum, nisi per brachia suorum militum: nihilominus persuasum fuit omnibus, nonnisi ipsummet reportâsse victoriam, meruisse triumphum, non quòd fuerit in statu, quo ageret ipse, vel sciret tantummodò, præsentiam suam vires & animum addere universo exercitui: sed sufficiebat, portâsse ipsum in venis illustrium majorum suorum sanguinem, qui vincere assuetus in viris ætatis perfectæ, impediri non poterat, quin palmas colligeret in infantis infirmitate.

Lipsius l. 2. c. 9.

Tota societas admirabatur factum hoc insolens, velut unicum hujus generis, affirmans recensendum id esse inter prodigia, velut Phœnicem inter volucres, & impossibile esse inveniri aliud ejusmodi per omnem sæculorum decursum. Nonnisi bonus noster Ecclesiasticus erat, qui cùm nullam abire sineret occasionem evulgandi divini Magistri sui excellentias, quibus cor & animum habebat refertum, ansam exinde arripuit extollendi gloriam infantis JEsu, cùm ipse adhuc in cunis suis infantilibus longè superaverit gloriam hujus infantis Principis.

Victoriæ JEsu Christi in cunis suis majores fuêre.

Ergò non legistis, inquit illis, quod asserit nobis Propheta Isaias, describens prodigia infantis JEsu: *Antequam, sciat Puer vocare patrem & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ:* Et nonnè observâsti, quomodò Evangelium detractat nobis executionem hujus Prophetiæ, quando

Isa. 8.

nobis exhibet infantem JEsum in cunis suis, tenentem jam prostratos ad plantas suas Reges, ad recipiendum ab eis adorationes & tributa, velut servitutis suæ testimonia; tremore concutientem alios, qui abnuebant sua ipsi reddere homagia; & coronas dispertientem ingenti regulorum numero, pugnantium pro se usque ad effusionem sanguinis, & suam consecrantium vitam pro honore suo. De hoc nascente Monarcha jure dicere poteritis, ipsum prodigium esse inauditum, cui nil simile conspectum fuerit unquam in omni sæculorum serie.

Cur infans JEsus potens fuerit in cunis suis?

Si interroges, quomodò exantlare potuerit tam præclara facinora, in ætate adhuc tam tenera; non est ex eo, quòd præpotentem habuerit exercitum, pugnantem pro se, lucro & commodo suo: sed quòd portaverit in venis suis sanguinem Davidis, Salomonis, & aliorum Regum in Israël majorum suorum. Hoc reddebat ipsum potentem; sed omnipotens non fuisset ad distribuendum ita coronas, si in persona sua non portâsset ipsemet divinitatem. Hæc prima verba exstimulârunt curiositatem Societatis, credentis quidpiam magni dicendum occurrere circa potentiam, quam infans JEsus jam in suis demonstravit incunabulis; cum primis præ omnibus Carpophorum, quem nec dicere, nec audire delectabat nisi quid dignum sui acumine ingenii; qua super re prolixam instituerunt Consultationem, è qua omnes plurimum hausimus delectationis. Ecce tibi, quomodò fuerit peracta.

ARGUMENTUM.

Infans JEsus adoratus à Regibus terræ in suo stabulo, declarat nobis, esse se Regem cœli.

Articulus I.

COelum fuit, incipiebat Carpophorus (nam quia refertum insigni scientiâ habebat animum, voluit semper ostendere inter primos, posse se loqui de omni eo, quod dicebatur) fuit cœlum, dixit, quòd antevertit terram, prærogativâ frui volens exhibendi supremos honores infanti JEsu, ante cæteras omnes creaturas. Dicendum omninò est, ipsum suis invigilâsse oculis ad observandum tempus & horam, quâ ingressurus esset mundum, quia cum tota terra adhuc esset illius ignara, jam cœlum habuerat ejusdem notitiam.

Quan-

Cœlum dedit signum, natum infantem JEsum esse Regem suum.

Quando video, ipsum misisse in ipso instanti, quo natus est, legationem valdè magnificam, ad præstandum ipsi homagium, plures militiæ cœlestis regiones, & omnes has legiones compositas ex Principibus curiæ Regis regum: Quis est ergò, interrogo, cui totum cœlum Empyreum tantos concernit & confert honores? probè video, hunc alium esse non posse, nisi supremum cœlorum Monarcham.

Quando conspicio supremæ hujus regionis incolas turmatim venire ad præsepe in ipso, quo natus est, instanti, descendentes quasi in unico momento de cœlo in terram, per incredibilem illam sibi congenitam agilitatem, replentes applausibus & cantibus lætitiæ aërem, sicut populi terræ facere consueverunt in triumphis & magnificis invectionibus Regum ac Principum suorum; deduco exin: Oportet igitur necessariò ipsum esse Regem Angelorum.

Et quando resonant ipsi insigne illud melos & Carmen Mulices suæ Angelicæ, quo annuntiant gloriam exhibitam Deo in Altissimis, & in terris pacem hominibus bonæ voluntatis, agnoscentes & colligentes ex hoc, quòd cœlum novam recipiat gloriam, cujus fons est in terris, in persona infantis JEsu, quódque ex debita & grata recognitione magnæ hujus gloriæ, quam terra mittit in cœlum, ipsum remittat illi pacem & benedictionem Dei, interrogo: quanta est igitur potentia illius, qui tanta operatur in cœlo & in terra? Et quam haberet is potestatem reconciliandi simul, & promulgandi inter illa pacem, nisi verè esset Salvator mundi?

Suavitas Mulices Angelicæ auditæ ad præsepium infantis JEsu.

O DEus! quanta debuit fuisse dulcedo Musices hujus Angelicæ! Siquidem si unica vox Angeli plus habet illecebrarum ad rapiendos & inescandos animos, quàm omnis Symphonia hominum; quid erat haurire auribus concentum integrum tantarum legionum Musicorum cœlestium? Persona quædam fide digna mihi asseruit, fuisse se præsentem exorcismo alicujus obsessi, ubi juvenis quidam, qui suavissimâ & exquisitissimâ credebatur pollere voce, sese insinuaverat ad cantandum; sed dæmonem excepisse ipsum nisu & contemptu maximo: Bonum est, inquiebat, pro vobis parvis terræ vasculis; ô si cantare vellem in medio flam̃arum me devorantium! & exin nonnisi unicum concinebat verbum, quod nonnisi triplicato inflexit sono, sed tam accepto, tam suavi, tam numeroso & harmonico, ut ex eo omnes extra se abriperentur, persuasi omnem hominum musicam nonnisi inconditum ac rude in

Dæmon quàm suaviter noverit cantare.

comparatione esse murmur. Si unicus dæmon, cujus vox magis est idonea ad protrudendos horribiles ejulatus & ululatus alicujus desperati, quàm affundendum auribus dulcedinem suavis & acceptæ melodiæ, tantas potuit excitare illecebras, tantâ potuit perfundere voluptate, quid credendum erit de modulis innumeræ multitudinis Angelorum cœlestium? Nonne hi rapere debuerant omnes creaturas? & an mirum sit, quòd totus mundus attentissimâ cogitatione defixus perstiterit in reverentia & silentio: *Dum medium silentium contineret omnia.* Quis est, cujus demissâ hæc cœli veneratio infanti JEsu exhibita non inferat æstimationem maximam majestatis ipsius?

Sapient. 18. v. 14.

Musica Angelica non fuit audita, nisi à pastoribus vigilantibus.

Verum est, reponit Ecclesiasticus, sed paucorum erat, hâc oblectari symphoniâ; nonnisi tenuis pastorum numerus gaudebat hâc sorte, qui vicini tunc fuerant, & vigilabant gaudio, audientes in aëre suavissimam hanc harmoniam, cui vox alicujus accesserat Angeli adhortantis ipsos, ut irent & inquirerent recens natum infantem. Sed dici potuisset, hos simplices fuisse viros, nullâ pollentes auctoritate, faciles & leves ad credendum, adeóque haud difficulter apprehendere potuisse puras imaginationes ceu veritates, insuper tam vicinos fuisse loco, ad quem fuerant invitati, ut parvo labore quantocyùs illuc exploratum veritatem potuerint concedere; & denique ipsorum iter parvum excitâsse rumorem, nec aliud ipsis promissum fuisse, nisi inventuri essent infantem pannis involutum & reclinatum in præsepio. An ergò videtur hæc omnia idonea fuisse, ad demonstrandas evidenter ipsius excellentias?

Sed quando nobis loquitur historia Evangelica de Regibus Magis, qui adorârunt ipsum & venerunt de longinquo, è plagis, orientalibus remotissimis, & quasi extremitatibus mundi, juxta opinionem sancti Chrysostomi, sancti Ambrosii, & sancti Leonis Papæ, vel saltem ex fortunata Arabia, sicut crediderunt Patres antiquiores, sanctus Justinus, Tertullianus, & sanctus Cyprianus. Et videtur ipsam conditionem munerum, quæ attulerunt, haud obscurum hujus afferre indicium; cùm obtulerint illi aurum & thus, quibus istæ regiones plurimum abundant. Cùm verum sit, tres hosce coronatos vertices suas deseruisse regiones, difficili, diuturno & periculoso se commisisse itineri, & quidem in terram incognitam, & inter populos alterius idiomatis, ad adorandum infantem, natum in stabulo, reclinatum in præsepio, & vilissimè jacentem in fœno: quàm

Unde venerint Reges Magi adorantes infantem Jesum.

lucu-

luculenter evincit divinitatem hujus infantis, qui ita ad pedes suos trahit Reges ab extremis terræ.

Quid probet Reges Magos fuisse Sapientes.

Siquidem dici non potest, ipsos viros fuisse facilis & levis fidei, sicut esse poterant pastores; erant Magi, id est, Sapientes, viri docti, & Principes insigni pollentes judicio: vivebant in regione, quæ amplectebatur & in praxin reducebat politicum illud dogma Aristotelis, qui velut certum tenet, quòd nonnisi virtuti congruat torquere sceptra, jura dare populis, quódque ad gubernaculi subsellia attollendi non sint, nisi ii, qui attolluntur supra cæteros in eo, quòd gloriam constituit hominis, nempè in ratione, in moribus, in sapientia. Et ideò nemo inter illos evasit in Regem, nisi qui excelleret prudentiâ & judicio. Et hanc ob rationem omnes ipsorum Reges nuncupabantur Magi.

Aristot. 1. polit. c. 8.

Reges Magi cognoverunt infantem JEsum Deum.

Quomodò possibile est, tres Principes ejusmodi insignitos charactere, se tam inusitato implicuisse negotio de consilio, nisi probè sciviſſent, causam, quæ stimulos ipsis addebat, id mereri optimè? Sed quis alius, nisi infans Deus, mereri potuit, ut è plantis tam longinquis venirent Reges, & ipsimet in persona profundis adorationibus venerarentur illum? Si Majestas Cæsaris Augusti, sedentis in solio Imperii Romani exegisset ab eis submissionem, abundè fuisset satis, mittere ipsi Legatos: sed noverant optimè, satis non fuisse, nisi in propria venirent persona, adoratum divinum hunc infantem, quamvis alio non divitem palatio nisi vili stabulo, nec alio residentem throno, nisi tenui fœno, exili palea; quamvis eo fuerit in statu, secundùm naturam, ut ne quidem cognoscere sibi exhibita potuerit homagia; quamvis in exterioribus viderint nihil, quod ad talem incitaret ipsos reverentiam, quâ Principes tantâ imbuti sapientiâ sese dimitterent ad committendam actionem tam inauditam, ubi tam parùm apparentis duntaxat conspiciebatur rationis, nisi conspexissent & sciviſsent optimè, sub infirmis hisce apparentiis absconditam latere divinitatem.

Probatio evidens, Reges Magos decepios non esse, adorando JEsum ut verum Deum.

Unum è duobus verificari necesse est, vel hunc infantem in præsepio adoratum, verum esse Deum, vel hos Principes adorantes ipsum, non esse Magos. Si non est, nisi infans de plebe, illi, qui tam à longè venerunt ad adorandum ipsum in paupere & despicabili hoc apparatu, non sunt Magi, nec Sapientes; maximam enim commiserunt stoliditatem. Si verè est Infans Deus, ii, qui illuminati fuerant ad cognoscendam ipsius divinitatem. sub velo tam vili, absque dubio

Magi sunt & Sapientes: maximæ enim exantlârunt opus sapientiæ. Sed quodnam è duobus? vide, quid præcesserit, quid ipsorum actionem fuerit subsecutum.

Imprimìs ingens hæc actio trium Regum prænuntiata fuit & publicata ab alio magno Rege, sancto David, pluribus, quam mille annìs priùs, quàm exhibuerint ipsam: *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent.* Sed quæ ipsorum subsecuta sunt actionem, fuerunt mira prorsùs & stupenda: siquidem videmus, exceptam esse ipsam omnium applausu sæculorum, celebratam ubique encomiis sanctissimorum & sapientissimorum Principum ultra millenos sexcentos annos. Sola hæc Regum Magorum actio, de qua dubitare nemo potest, nonnè sufficeret abundè ad persuadendam irrefragabiliter divinitatem Infantis JEsu? nuncupatur etiam Epiphania, id est, manifestatio Dei, & ubivis celebratur plausibus lætitiæ, velut unum è maximis totius Ecclesiæ Festis.

Psalm. 71. v. 10.

Adoratio Magorum non potuit esse falsa.

Quid dici ad hæc potest? an suspicari quisquam possit, latere hîc fraudem, hancque trium Magorum adorationem non extitisse, nisi speciosam quandam imaginationem, quam ab initio exceperit mundus cum voluptate, velut figmentum argutè excogitatum, quæque paulatìm è fabula evaserit historica, & è ficto ad factum transierit successu temporum? Verùm publicata ipsa primitùs fuit ab eisdem linguis, prædicata ab eisdem Apostolis, exarata ab eisdem Evangelistis, qui reliquum sancti Evangelii scripserunt, quod fabula non est; nec unquam innumera multitudo eorum, qui Evangelium receperunt, dubitaverunt de hoc minimùm, non magìs quàm de cæteris. Verum est ergò, tres Reges Magos venisse è longinquo, ad adorandum infantem JEsum positum in præsepio: hoc est absque controversia.

An dicatur ipsam fuisse actionem stolidam? sed qui exantlârunt ipsam, Principes sunt sapientissimi, exequentes in hoc vaticinio veteris Testamenti, quæ infallibilia sunt, quique gratâ admurmuratione, jucundo plausu excepti sunt à tot millionibus Magnatum, virorum sapientissimorum, famosissimorum Doctorum, ab innumero populo vitæ sanctitate & prudentiæ laude conspicuo: Actio igitur fuit sapientiæ maximæ.

Est sapientissima.

An asseratur, esse opus rationis humanæ? Sed è contrario, exilis apparatus, in quo apparebat ille, quem Reges adorabant, ubi nil videbant, quòd non refugerent sensus, quòd non abhorreret animus, quòd non adversaretur

Est opus Spiritûs Dei.

omni

omni prudentiæ humanæ, & unico verbo, quòd non potius conciliaret contemptum, quàm reverentiam, persuadebat omnibus sanâ mente præditis, ipsos exantlâsse rem contra rationem.

Necessariò igitur concludendum est, opus hoc esse totum divinum: quantum enim volueris, desuper philosophare; quò penitius, maturius, accuratius rem expenderis, discusseris, ponderaveris, eò videbis clarius, impossibile esse, quòd infans JEsus potuisset assequi, ut tanta sibi exhiberentur à Regibus honorum obsequia; in medio tantarum sese circumdantium vilitatum & abjectionum omninò palpabilium, nisi verus fuisset Deus.

ARGUMENTUM.

Pulchrum spectaculum videre introitum Regum Magorum, adorantium Christum JEsum.

Articulus II.

Descriptio admirandæ fidei Magorum adorantium infantem JEsum.

QUò conceditis magni Principes, quos intrare video hoc stabulum? *Adorare venimus infantem reclinatum in hoc præsepio.* Sed vos, qui Monarchæ estis, nonnè intuemini, non esse hoc palatium alicujus Regis, qui major sit vobis, ut mereatur, tantis à vobis affici honoribus? Haud refert, nos tamen *venimus adorare eum.* Hem! quid aspicitis in ipso adoratione dignum? Nonnè cernitis extremam hanc paupertatem, hanc paleam, hunc fimum, hunc fumum, hunc locum despectum; an arrideant hæc vobis ceu templum, in quo resideat Majestas, quæ vestras mereatur adorationes? *Nos accurrimus eo nomine ex Otiente, ad divinos ipsi reddendos honores.*

Matth. 2.

Verùm an creditis ipsum Deum, an omnipotentem Creatorem mundi, quando propriis vestris intuemini oculis ipsum impotentissimum & abjectissimum inter omnes filios hominum? Siquidem vix unus ex illis eò redigitur miseriæ, ut nasci in stabulo contingat ipsum. *Nos venimus adorare eum veluti verum DEum.* Sed ubi sunt notæ divinitatis ejus? ubi est solium ipsius gloriæ? ubi sunt legiones Principum cœlestis curiæ ipsum circumdantium? ubi est ille splendor, illa magnificentia, non separabilis à majestate Dei? *Nos non cernimus penès ipsum, nisi pauperem virum, & pauperem fœminam, & duo animalia, & venimus adorare eum ceu verum DEum.*

Itane? vos, qui estis Principes, ita vestri obliviscamini dignitatis?

gnitatis? Vos, qui estis sapientes, ita vestrâ vos abdicatis sapientiâ, non considerantes, propriam ipsius patriam nullo ipsum habere loco? an ignoratis, ab omnibus ipsi denegatum diversorium, ac proin compulsum venire ipsum in desertum hoc stabulum, ut suum hìc faceret introitum in mundum? Nonnè videtis, nec unicum ex tota civitate Bethlehem, cui melior de ipso esse debet notitia, quàm vobis, vel minimâ afficere ipsum veneratione ac reverentiâ? *Nos venimus ex Oriente, ut adoremus eum, & supremos ipsi DEO debitos impendamus honores.*

An fortasse cernitis prodire ex oculis ipsius, sicut de Augusto spargitur, radios majestatis & gloriæ, qui concutiant vos tremore coram ipso: *Diffluere cernimus ex illis lachrymas, & venimus adorare eum, nosque prosternere ad pedes ejus.* An inusitata forsan ex ore ejus dimanans vos capit facundia, quæ persuadeat, ut humilietis vos coram ipso? an ergò cognoscitis, ipsum omnipotens esse Verbum Patris, quod totum hoc universum traxerit è fundo nihili virtute sui Verbi? *Nos audimus planctus & vagitus alicujus infantis, quos frigus & mala, quæ patitur, ex ipsius extorquent ore; & ardens experimur desiderium prosternendi nos ante ipsum, demisso in terram vultu, & venerandi ipsum profundissimis adorationibus.*

Quid ergò est tandem, quòd exstimulet vos ad conficiendum opus tam inusitatum, támque inauditum in Principibus sapientiâ excultis, & eximio instructis judicio, ubi vos estis? suntne splendores magni cujusdam luminis, totum ipsius palatium adimplentis, quo vestri offundantur, offendantur & offuscentur oculi? *Non, nam locus est horrens tenebris & inamœnus.* Estne vox & clangor tubarum canorus, qui ipsius annuntiet & evulget gloriam? *Non, nam magnum est silentium, & solitudo profundissima.* Súntne ergò geminæ illæ personæ, stipantes latus ipsius, quæ verba faciant vobis, vobisque persuadeant, ipsum esse Deum? *Non, nam ambæ suos in infantem defixos tenent oculos, & obmutescunt.* Sed & nobis verba desunt, quibus explanemus ipsi affectus cordis nostri: Venimus autem adorare eum velut DEum nostrum, prosternere nos ad pedes ipsius, velut summi Regis nostri, & offerre ipsi munera, nostra velut homagia, & servitutis nostræ indicia, submissionis nostræ testimonia.

Solum lumen divinum incitabat Magos ad faciendum id, quod fecerunt.

Christiane, qui legis has lineas, quantum hic vides spectaculum? ad hoc quid dicis prodigium? an nondum tibi satìs persuasum est, divinum hunc infantem verum esse DEum, qui suâ potentiâ creavit te, quique

Christianis erubescendum est, quòd non adorent Jesum Christum in templis suis.

que eo nomine descendit de cœlo in terram, ut suâ redimeret misericordiâ? Tua est insensibilitas, tua stupiditas, quòd non movearis exemplo magnorum horum Principum, ut venereris ipsum sicut illi, profundis adorationibus: Si fuissemus ex ipsorum comitatu, fecissemus sicut ipsi, modò quid facere possumus, nisi quòd approbemus & ratam habeamus ipsorum devotionem ac zelum?

Quid faciendum est Christianis, qui nôrunt eundem JEsum Christum nunquam non dignari manere nobiscum in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento? Itane? non id tibi sumas, id subeas difficultas, ut exeas è domo tua & adeas Ecclesiam, ad adorandum ipsum in suo tabernaculo; cùm Reges ab extremis mundi accesserint plagis, ad adorandum ipsum in stabulo? Vos, Christiani, qui vivitis in plena meridie fidei, quàm devotio plurium, quàm sedecim sæculorum confirmavit, quámque lumina, cognitiones & scientiæ decies centenorum millium Doctorum illustrârunt; vos illum non agnoscatis velut vestrum DEum in majestate templi sui; cùm Reges, qui illum nondum adorari viderant ab ullo homine in mundo, ipsum agnoverint & adoraverint repositum in paupere præsepio.

Injuriam mihi facis, inquies: vado enim ad Ecclesiam & adoro JEsum Christum, velut Deum meum in sanctissimo Sacramento. Haud ignoro, te ire ad Ecclesiam; sed an credere possum, concedere te illuc ad ipsum adorandum, dum video, sanctum hunc locum te frequentare minore cum reverentia, quàm frequentant conclave viri alicujus honorati? Nonnè diceretur tibi potiùs, te venire illuc, ut ipsum contemnas, dum conspicitur, te ibi permanere absque modestia & absque reverentia, te ibi blaterare liberè velut in plena platea, te ibi verba quoque facere de rebus profanis; sed neque videri, te percipere, ipsum tibi esse præsentem? Estne hoc, quod tu nuncupas, adorare teipsum velut Deum tuum? Consule cor tuum, & perpende seriò, quid agatur tecum in temetipso. Nonnè verum est, non esse affectum Religionis, nec impulsum veræ pietatis, quæ ducat te ad Ecclesiam, sed consuetudinem & meram cæremoniam, ut facias id, quod faciunt & alii? Nonnè verum est, quòd dum ibi peraguntur formidanda mysteria, tam parum mente intendas DEO, tamque parum moveatur exin anima tua, ac si perficeres opus quoddam indifferens? Et audeas adhuc dicere, te quærere Christum JEsum in templo

Videtur Christianos non frequentare Ecclesiam, ut ibi adorent Christum JEsum.

ſuo, ut adores ibi illum ceu DEum tuum?

Quomodò oporteat verè adorare Deum?

An probè nôſti, quid ſit adorare? an nôſti, id eſſe ſupremam DEI agnoſcere majeſtatem; infinitam, quam in te habet, poteſtatem; abſolutam, quâ ſubderis ipſi, ſubjectionem; & in hac confeſſione te profundiſſimè coram ipſo humiliare, cum ſincera & candida agnitione tui nihili? Optarem ergò videre te in ſtatu & habitu corporis humillimo, & maximè ad omnem venerationem, quantùm fieri poteſt, compoſito. Optarem ergò interiora tua, & cor tuum magis adhuc humiliari & annihilari, coram formidanda hac majeſtate; animum tuum non revolvere cogitationes alias, niſi quæ excitare poſſent fidem ipſius, ut credat firmiter, quòd jam non credit, niſi ſocorditer; mentem tuam & affectum tuum accendi totum ardoribus divini amoris ſui. Optarem denique intueri te ita collectum in temetipſo, ita intentum & defixum Deo ſoli, ut non abſimilis eſſes Angelis in cœlo, adorantibus ipſum cum timore & tremore: adorant Dominationes, tremunt poteſtates. Et tunc crederem, te eo nomine veniſſe, ut adorares ipſum cum reverentia in templo ſancto ſuo.

Sed redeo ad vos, magni Principes, quos proſtratos adhuc video ante præſepe infantis JEſu, quique monſtrâſtis nobis exemplum adorationis perfectiſſimæ; nonnè adhæc dicitis nobis motiva efficacia, quibus exſtimulati eſtis ad exhibendos ipſi tantos honores, videntes ipſum in loco tam vili & abjecto? *Vidimus ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum?* Percuperem igitur nôſſe, quid ſit hæc ſtella, quæ tam mirabiles effectus in ipſis potuit operari?

ARGUMENTUM.

Admiranda cœli facula, quæ deduxit Reges in ſtabulum Bethlehemiticum, ad adorandum ibi JEſum Chriſtum.

Articulus III.

Cœlum eſt magnus liber, & aſtra ſunt characteres.

VOlumen ingens eſt cœlum, ubi dexteræ DEI exarare complacuit veritates adeò ſublimes & abſtruſas, ut ſi legere poſſemus radioſos hos luminis, quibus ſignificantur, characteres, univerſa natura nihil haberet arcani, cujus perfectum non haberemus notitiam. Carpophorus, qui oblectabatur plurimùm ſtudio Aſtrologiæ, quique cum longo tempore indagâſſet naturam,

ram, diſpoſitionem & virtutes ſpeciales aſtrorum, credebat, ſe arcana eruiſſe & in lucem protuliſſe paucis explorata, declarare nobis voluit, quid meditationibus ſuis hauſerit cognitionis circa novum hoc aſtrum, quod in cœlo apparuit, naſcente Domino Salvatore noſtro?

An ſtella Magorum fuerit Cometa.

Credideram primitus, dicebat nobis, id eſſe potuiſſe aliquem Cometam, ea ex cauſa apparentem, ut prænuntiaret calamitates vitæ ipſius, quæ tota miſeriis obruta, tandem crudeli & probroſo fato fuerat terminanda. Sed memetipſum correxi, revocans in mentem, nil funeſtum nec tragicum eſſe poſſe, reſpectu perſonæ Chriſti JEſu, cùm omnia, quæ in ipſo & circa ipſum peracta ſunt, cauſa ſint felicitatis in toto univerſo.

Stella Magorum non fuit una è ſtellis fixis, annexis cœlo à creatione mundi.

Nihilominùs mecum concluſi, ipſam eſſe non poſſe unam è ſtellis, quas fixas nuncupamus, quæque affixæ ſunt firmamento eòquòd ſituatio hujus aſtri fuerit valdè diverſa, cùm apparuerit proxima terræ infrà mediam regionem aëris; deindè ipſius duratio non erat durationi aliarum æqualis: cæteræ enim ſtellæ ejusdem cum mundo ſunt antiquitatis, cùm collocatæ ſint in cœlo unà cum ſole quarto creationis die, & ejusdem futuræ durationis cum cælo, cujus nonniſi ſunt partes cæteris ſplendidiores: & novum hoc ſidus apparere non cæpit in mundo, niſi ipsâ nocte nativitatis infantis JEſu, & paulò pòſt diſparuit, nunquam nec anteà nec poſteà ampliùs conſpectum; & deindè motus ipſius nec erat circularis, nec rapidus, ſicut ille ſtellarum, quæ rapiuntur per motum primi mobilis, ut ſingulis diebus ſuum circa mundum conficiant circuitum, Novum hoc aſtrum tenebat iter directum & motum ſatis moderatum, ut accommodaret ſe itineri Principum, quos conducere & comitari debebat. Non fuiſſe igitur ſtellam quandam ordinariam omninò eſt ſtatuendum.

Stella non ſolùm erat ignis lætitiæ, quem cœlum accenderet in nativitate Regis ſui.

Poſthæc arbitratus ſum, ipſam forſan non eſſe, niſi quoddam phænomenon, id eſt, apparentem quendam ignem, quem cœlum accenderit, ad demonſtrandùm ſuum gaudium in nova nativitate ſui Regis conceptum, ſicut mos habet in pluribus locis, quòd populi accendant ignes lætitiæ, flammas feſtivas in nativitate ſuorum Principum; quódque etiam hic ignis, qui habere videbatur directionem rationi conformem, deportatus fuerit ab aliquo Angelo, eâdem ferè ratione, quâ aliquis Ephebus teneret in manibus faculam, ad deducendos hos Principes ad pedes ſummi Monarchæ orbis totius.

Nihilominùs cùm ab Evangelio nuncupetur ſtella, & quidem

Nec erat astrum præsidens nativitati infantis JEsu.

Matth. 2.

stella propria infantis JEsu : *Vidimus stellam ejus*; dubitari non potest, quin hoc astrum creatum sit de novo ad obsequia illius. Et si tenenda est opinio plurimorum antiquorum Astrologorum, affirmantium, omnes infantes nasci mundo sub dominio stellæ alicujus particularis, quòd regula sit ipsis vitæ ac morum, sicut & origo omnis vel felicitatis vel infelicitatis, per totum vitæ decursum; quamobrem etiam asseverant, illos qui magis scientiâ Astrologicâ exculti sunt, infallibiliter prædicere posse eventura circa infantem nascentem, ex aspectu astri, quod dominatur in horoscopo nativitatis ipsius; hâc inquam stante opinione, non fuisset astrum in cœlo, quòd habuisset virtutem tam nobilem, ut præsidere potuisset nativitati infantis JEsu : oportebat ergò omnipotentem Dei manum datâ operâ novum creare sidus excellentioribus locupletatum donis ac proprietatibus, ad conferendum ipsi suarum influentiarum virtute totius mundi imperium.

Hæresis Priscillianistarum.

Quid inquis, Domine, interpellat ipsum Ecclesiasticus; nonnè vides te prolabi in hæresin Priscillianistarum? An ignoras, omnes sanctos Patres condemnâsse hanc opinionem, velut superstitionem periculosissimam, utpote repugnantem libertati liberi nostri arbitrii, & suavissimo influxui gratiarum Dei? Non statuenda est astris absoluta potestas in libertatem nostram, ut determinet nos ad sequendum cursum suum, suarum virtute influentiarum, cùm nec ipse DEus, qui omnipotens astrorum est Conditor, sibi assumere voluerit hoc imperium, sed intactum nobis semper conservare velit jus libertatis, nobis semel concessum.

Quam virtutem in nos habeant astra, quæ præsunt nostræ nativitati.

Non tamen nego absolutè, quòd astra habeant influxum admodùm fortem, qui nuncupari possit species quædam imperii, in corpora sibi subjecta; ipsemet credo, ipsa habere dominium quoddam in nativitatem & vitam hominum, quantùm spectat ad functiones animæ animalis, ad destruendam vel conservandam naturæ temperiem, ad concitandum passiones, ad promovendam vel infirmitatem vel sanitatem. Sed affirmare, quòd astra, quæ sunt corpora, habeant dominium quoddam in animas spirituales, quæ ordine superiores sunt corporibûs, error est : Et excogitare, quòd insuper habeant potestatem absolutam in libertatem, quæ nobilissima animæ rationalis est prærogativa, quæque etiam habere videtur parvam quandam umbram independentiæ Dei, hæresis est condemnata à Conciliis. Impossibile

bile igitur est, cognoscere ex aspectu astrorum, quis futurus sit vitæ cursus alicujus hominis in rebus dependentibus ab ipsius libertate, vel etiam libertate alterius? Quoties conspecti sunt Principes confudisse temeritatem certorum Astrologorum gloriosius se jactantium, infallibiliter prædicere se posse res eventuras mortalium? ubi cras eris tu, qui mihi prædicis hæc? Ego ero in tali loco, respondebat Astrologus, faciámque rem talem juxtà influxum sideris mei: Ego impediam te ab eo, reponebat Princeps; & mox concludi jussit ipsum ergastulo. Ecce tibi argumentum, ubi nihil inveniebat, quo solveret!

Argumentum absque responso.

Fateor hæc omnia, inquit Carpophorus; nihilominùs admittenda est exceptio quædam regulæ hujus universalis circa factum Magorum, & stellam, quæ contulit illis cognitionem JEsu Christi. Quando enim nobis dicunt; vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum; manifestè hoc innuit, quòd cognoverint ipsum per stellam, tum quòd natus sit, tum quòd DEus sit: aliàs non venissent prosecuturi ipsum honoribus supremis soli Deo debitis.

Hoc esse non potest, reposuit Ecclesiasticus; nam si astra ostendere non possunt ea, quæ concernunt statum & conditionem vitæ humanæ, in rebus etiam naturalibus, si referantur ad aliquid, quod spirituale est, vel quod dependet à libertate; quantò minùs ostendere poterunt res supernaturales & divinas, quæ sunt effectus gratiæ? Omnia divina sunt & miraculosa in persona infantis JEsu. Quòd sidus efficere poterit, ut legat in ipso Astrologus: Virgo concipiet & pariet Hominem-Deum, patrabit is miracula, salvabit peccatores moriendô pro ipsis. Omnia ingentia hæc prodigia, quæ maxima arcana sunt consiliorum Dei, an exarari poterunt in frontibus astrorum! Et tandem infans JEsus non dependebat à stella Magorum, sed stella dependebat ab ipso: Illa ergò esse non poterat regula eventuum futurorum cum ipso, sed ipse dirigebat eventus futuros stellæ; siquidem ipsa apparuit, quando is uti voluit ipsius servitio, & disparuit quamprimùm is jussa dedit: *Non ad decretum dominabatur, sed ad testimonium famulabatur.* S. Aug. lib. 2. cant. Faust. c. 5.

Solus aspectus stellæ non poterat ostendere Magis, quis esset infans JEsus.

Sed tandem, reponit Carpophorus, quis ergò manifestavit Regibus Magis, quòd stella, quæ ipsis apparuit in Oriente, extiterit vox cœli annuntians introitum supremi cœlorum Monarchæ in hunc mundum inferiorem? opus enim fuerat re quâpiam præpotenti, quæ persuaderet Principibus tam gravibus,

tam severis, támque prudentibus, ut è plagis adeò remotis venirent ad ipsum quærendum & adorandum?

Plus æquo scrutaris, replicat ipsi Ecclesiasticus; licet nobis ratiocinari circa res naturales, sed non circa divinas: rimari permissum est illas, quia nostrum non superant captum; sed adorare oportet has, quia sunt suprà nos. Quâ ratione usus fuerit DEus stellâ, quæ Magis apparuit, ut se ostenderet illis, ipsósque vocaret ad pedes Salvatoris mundi: arcanum est reservatum divinæ ipsius cognitioni.

Non examinanda sunt arcana Dei.

Non me latet, plures sanctos Patres, qui circa hoc philosophati sunt prodigium, velut S. Basilius, S. Hieronymus S. Leo Papa, & plures alii, observâsse quòd hi Principes extiterint posteri & nepotes, Vatis Balaam, qui ex traditione majorum suorum noverant, ipsum vaticinatum esse, quòd oritura esset stella ex Jacob, ex qua velut ex certa nota addiscerent nativitatem Regis Judæorum, cujus absolutum imperium se extensurum esset per universum orbem, quódque illi, qui ex primis sua illi præstarent homagia, futuri essent beati: Conservabant insuper in manibus versùs Sibyllæ Erythrææ, qui confirmabant hanc promissionem, & magnâ custodiebant solicitudine hanc traditionem, velut speciale arcanum familiæ suæ concreditum, & maximo cum desiderio exspectabant apparitionem hujus stellæ, utpote allaturæ sibi tam bonum augurium.

Num. 24.

Quomodò Reges Magi instructi fuerint & persuasi à stella, ut irent & adorarent JEsum Christum.

Hinc nunquam non habebant cordi, suos edocere filios scientiam astrorum, deputantes insuper à Patre in filios semper aliquem è sapientissimis, qui habitaret in quodam palatio hunc in finem in monte Victoriali exstructo, cui aliud non incumberet, nisi dies noctésque contemplari cœlum, ad observandum ortum & apparitionem stellæ tam diuturno tempore exspectatæ; quam tandem spectárunt de cœlo ad se descendere & subsistere suprà præfatum montem, in quadam distantia suis imminentem verticibus.

Stella apparuit suprà montem Victorialem.

Si circa hoc credere volumus Auctori operis imperfecti super Matthæum, quod attribuitur sancto Chrysostomo, apparuit ipsa in forma parvi infantis, portantis crucem super humeros suos: affirmat insuper, quòd allocuta fuerit ipsos, & specialiter informaverit circa nativitatem infantis JEsu, designando illis tempus & locum, ac adhortando, ut quantocyùs irent, ipsúmque adorarent in Judæa. Si sacer codex hæc nobis diceret, nullus nobis foret reliquus ambigendi locus, quâ ratione is cognitus fuerit à Magis; sed hic

Hom. 2. in Matth. Auct. oper. imperf.

An apparuit in forma infantis & locuta fuerit.

Auctor

Auctor incertus est, cujus æstimatio non fuit tantæ auctoritatis, ut ab universa acceptaretur Ecclesia.

S. Aug. tom. 31. l. 3. c. 40. Alius quidam incognitus, qui scripsit de mirabilibus Scripturæ, cujusque opera accensentur illis sancti Augustini, credit hanc stellam fuisse ipsum Spiritum sanctum, qui apparuerit Magis sub forma alicujus sideris, ad informandum ipsos de nativitate Solis Justitiæ, sicut postea apparuit sancto Joanni Baptizanti JEsum Christum apud Jordanem, ubi vox Patris audita est : Matth. 3. v. 17. *Hic est Filius meus dilectus* ; & sicut denique apparuit in forma linguæ igneæ in cœnaculo, ut emitteret eos ad annuntiandum gloriam suam per universum orbem. Et confirmat sententiam suam ex audacia & intrepididate, quam ostenderant Magi, quando concesserunt annuntiatum Herodi ipsi, in medio Jerosolymarum, nativitatem alicujus Regis Judæorum, quod attentare nunquam fuissent ausi, nisi exstimulati, roborati & conducti à Spiritu sancto.

An ipse fuerit Spiritus sanctus.

An fuerit Angelus ? Origines & Theophylactus opinantur, fuisse Angelum, qui admonuerit Reges Magos in Oriente, sicut alius Angelus admonuit pastores in Judæa. Et alii tandem aliter locuti sunt circa apparitionem hujus stellæ, juxtà intellectûs sui cognitiones ac lumina. Sed Ecclesia nec reprobavit, nec recepit particulares ipsorum opiniones, velut veritates certas & indubitatas.

Certissimum, quod hac de re dicere possumus, est, quòd aspectus stellæ annuntiaverit Magis Regibus nativitatem Salvatoris mundi, sed nôsse, quâ ratione, arcanum est, soli Deo cognitum. Credendum est, quòd eodem tempore, quo lumen hoc visibile corporales ipsorum illustravit oculos, aliud lumen interius ipsis oculos illuminaverit animæ. Erat præcursor hic Messiæ respectu Gentilium, sicut S. Joannes Baptista postmodùm fuit respectu Judæorum ; & de uno potest dici sicut de altero : *Erat lucerna ardens & lucens.* Joan. 5. v. 35. Erat hic primus Apostolus, qui attulit fidem oculis nationum infidelium, sicut postmodùm sanctus Apostolus Paulus annuntiavit illam ipsarum auribus, cùm ambo loqui didicerint in eadem schola cœli. Dici potest de ambobus, quod sanctus Augustinus dixit de stella : *Magnifica lingua cœlorum*, quæ magnifice loquitur de excellentiis infantis JEsu. S. August.

Eodem tempore, quo stella illuminavit oculos Magorum, illuminavit Deus ipsorum animas.

Sed lingua hæc quantocyùs obmutescit & tacet, ubi appropinquat ad Verbum ; stella hæc illicò disparet, ubi accedit propiùs ad corpus Solis sui, suum cum gaudio amittens splendorem in ingenti hâc abyssо luminum.

num. O DEus! quantas hoc mysterium affert delicias animæ JEsum Christum amanti! Et quanto demulcetur gaudio, quando conspicit totam cœli & terræ gloriam simul conjunctam & unitam, absorberi & annihilari ad pedes ejus! Cœlum ostendebat gloriam suam in splendoribus novi hujus sideris, & tota terra suam portabat gloriam, quasi in triumpho in persona trium horum Regum habentium coronam in verticibus suis. Et omnia hæc prosternunt se simul ad pedes infantis JEsu, seque annihilant in gloria ejus, eòquòd maxima & summa quæque in cœlo & in terra, quasi nihil sint in ipsius præsentia. Reges non ampliùs sunt Reges, ipsorum Corona jacet in terra in præsentia magni hujus Monarchæ: Stella non est ampliùs stella, omnia ipsius lumina sunt absorpta in luminibus magni hujus Solis; non apparet ipsa ampliùs post felix & faustum hoc momentum. Ah! quomodò quærere possent cœlum & terram, postquàm semel invenerunt JEsum Christum?

Gaudium bonæ animæ, dum videt gloriam cœli & terræ ad pedes infantis JEsu.

O bone JEsu, quid ampliùs quærendum est? Nunquid sufficit animæ, postquàm jam semel te invenit? Nonnè tu amabile centrum es, quòd perfectam affers quietem, cordi te amanti? Nonnè tu bonum infinitum es, cuncta nostra explens & satians desideria? Tu solus es, ô JEsu, qui vera nostra es beatitudo, qui reples animam nostram abundantiâ ineffabilium bonorum, quæ transcendunt capacitatem ejus. Patere, mi amabilis JEsu, ut accedam propiùs ad te, ad adorandum te, ad contemplandum te, ad admirandum te, ad amandum te, & ita perdendô me totum in te.

ARGUMENTUM.

Stella Regum Magorum, immutata in Solem respectu nostri.

Articulus IV.

Cur intraverit Christus JEsus mundum per stabulum,

NOn possum cohibere me, prosequitur Ecclesiasticus, quin hic ostendam tibi mirificum augmentum luminis & cognitionis, quod JEsus Christus velut divinus Sol, copiosissimè effudit super homines. Invenit ipsos omnes in densissimis ignorantiæ tenebris; & quia versabantur in nocte, quærebat illos, ubi erant, & suum in mundum peregit introitum in noctis caligine & obscuritate. Invenit illos omnes vitam agentes bestiarum; & ideò intrare primitus voluit per vile & abjectum stabulum, quod non est,

est, nisi diversorium bestiarum; hìc quærere debebat peccatores, qui induti fuerant bestias.

Magi non habebant nisi lucem stellæ, nos habemus lucem solis.

Spectabatur is tam parum in hoc statu, quamvìs Sol esset omninò divinus, ut non videretur nisi per faces : ideò opus fuerat, ut illarum unam accenderet cœlum, quæ illuminaret Reges Magos, illósque deduceret è longinquo in Judæam, ut mediante illius lumine invenirent ipsum. Exiguus hic splendor, quem recipiebant ex hac stella, denotat exiguam cognitionem, quam receperunt primitùs, quæ non erat nisi parvus adhuc veritatis radius : siquidem cognoverunt duntaxat, natum esse Regem Judæorum, & hunc esse Messiam, tantis sæculis à suis exspectatum Patribus.

Verum est, non parum id fuisse pro infidelibus ; referebant enim secum, hanc firmam fidem, quæ primum fundamentum est totius Evangelii, illámque prædicaverunt in regionibus suis, sicut affirmat nobis S. Chrysostomus, qui nuncupat ipsos Evangelistas: *Ipse adventu tuo Magos ab Oriente vocâsti, & Evangelistas eos ad sua remisisti* ; & ideò quoque reportare meruerunt palmam Martyrii: siquidem idololatræ, cùm audirent ipsos annuntiantes veritatem unius solius Dei, qui paulò antè apparuerat in mundo, quémque ipsimet adoraverant, occiderunt ipsos velut inimicos Deorum, abolere volentes cultum ipsorum per introductionem Religionis novæ. Historia id enarrans loquitur hîs verbis:

S. Chrysost. hom. 16. ex variis in Matt.

Magi Martyriô affecti.

In Arabia fortunata, in civitate Sessania Adrumedûm Martyrium sanctorum trium Regum Magorum, Caspari, Balthasari, Melchioris, qui adoraverant JEsum Christum.

L. Dexter. Chron. ad an. 70.

Exin sacra ipsorum corpora transportata fuêre Constantinopolim, & indè Mediolanum, ubi longo tempore velut pretiosæ reliquiæ asservata fuêre, donec Imperator Fridericus Barbarossa magnam hanc diripiens civitatem, ingentem hunc thesaurum abstulerit ipsi, illúmque Coloniam jusserit deportari, ubi sacra hæc corpora modò ab universo mundo honorantur, & maximæ habentur venerationi. Ecce primum tibi jubar auroræ divini hujus Solis, & primum radium luminis, quem effudit in mundum !

Posthæc sese extulit, prodeundô ex hac caligine, sed totus adhuc circumfusus nubibûs, & valdè adhuc incognitus mundo triginta primis vitæ suæ annîs, quos transegit in domo & officina pauperis opificis, in conditione tam abjecta, ut nullius quasi subiêrit hominis vel mentem, vel cogitationem : credebatur esse filius hujus opificis, qui erat S. Joseph,

seph, quamvis reverà nonnisi matrem abs patre haberet in terris, sicut habet nonnisi patrem sine matre in cœlis. Sed quia respectu sui solam gerebat apparentiam Patris, fuit illi subditus, honoravit ipsum, sua ipsi præstitit servitia, quò ad vitam habebat superstitem, cui finem imposuit circa finem anni trigesimi vitæ Salvatoris nostri. Et admodùm verisimiliter creditur, quòd ad relinquendum rarum & inusitatum exemplum reverentiæ à filiis parentibus, patribus & matribus suis debitæ, nunquam sibi aliquam assumere voluerit auctoritatem, nec incipere magnum hoc missionis Opus, pro quo exequendo missus fuerat à divino Patre suo è cœlo in terram, quoad vixit sub obedientia illius, quem mundus velut suum respexerat Patrem.

Quomodò cognitio JEsu Christi successivè sit aucta?

Quando manifestare se incepit in Judæa, aspicere inceperunt homines novam quandam lucem se illuminantem: intuebantur vitam ipsius, quam ducebat, esse sanctissimam, (nam primò incepit facere, posteà docere) videbant ipsius miracula tam frequentia, tamque magna, ut ejusmodi viderint nunquàm, rapiebantur omnes admiratione, audiebant doctrinam ipsius, quâ reddebantur omninò attoniti. Nihilominùs plerique huic lumini claudebant oculos, & (res mira) nonnisi paucissimos reperire erat, qui reciperent illud, quando ipsemet id diffundebat. Posthæc suos misit Apostolos in universum orbem, ut idem ipsi apportarent lumen; & plures absque comparatione id receperunt ex ore discipulorum, quam ex ore ipsiusmet divini Magistri. (Beatiores illi, qui non viderunt, & crediderunt, quàm illi, qui viderunt propriam personam Salvatoris mundi & non crediderunt)

Lumen sancti Evangelii dissipavit tenebras Gentilitatis, velut sol nubes se cooperientes.

Sed hæc lux fidei nascentis, quamvis longè clarior esset, & amplior luce Magorum, erat nihilominus circumfusa multis nubibus, quas dissipare quamprimùm non poterat: diffindendæ ipsi fuerant densissimæ Gentilitatis tenebræ, quæ tam diuturno tempore populorum occupaverat animos, quibus ita dominabantur, ut ipsorum pertinaciter sibi vendicarent possessionem, quæque licet dissipari, non tamen ita funditùs deleri poterant, quin semper aliquem in anima, unde exibant, relinquerent nigrorem. Emendandi fuerant ipsi mores depravati hominum, quibus ab immemoriali tempore positum erat in more, ut nonnisi in omnibus gererent morem inclinationibus naturæ corruptæ: nonnisi magna cum difficultate redigi poterant eò, ut condemnarent vitia, quorum intueban-

tuebantur exempla in Diis, quos adorabant; & difficiliùs adhuc, ut se resolverent ad amplectenda opera vitæ austeræ & asperæ, quæ ipsis ponebatur ob oculos, & à cujus amplexu abhorrebant summè.

Persuadenda fuerat mundo doctrina, quæ juxtà apparentiam sanæ adversabatur menti; quæ docebat, adorandum esse velut Deum immortalem, hominem in cruce mortuum duos inter latrones; quæ præcipiebat relinquere omnia, ut ipsius premantur vestigia; quæ non proponebat nisi humiliationes, paupertatem, miserias; quæ non promittebat nisi persecutiones & tormenta in hac vita: quanto opus labore, persuadere mundo, hæc omnia digna esse amore! Nihilominùs se videre adhuc circumfusum superstitiosis Gentilitatis exercitiis, quæ maximæ apud ipsam erant existimationis, & non videre adhuc in principio, nisi externam speciem Religionis JEsu Christi, quæ consistebat tota in simplicitate, in humiliationibus, in afflictionibus: quâ ratione fides eorum non intricata fuerat obscuritatibus mille haud parum offuscantibus ipsius splendorem? Eâdem ratione, quantis opus fuerat prodigiis ad stabiliendum illam? quantis disceptationibus, quantis pugnis, quantis stragibus, quantis trucidationibus? O Deus, quantis fuit opus imbribus sanguinis Christiani ad dissipandos omnes nubes errorum & ignorantiarum, quibus involvebatur mundus ab initio!

Sed tandem omnes fugatæ sunt tenebræ, serenitas cœlo rediit, irradians horizonti evicit Sol, & nunc cum gaudio intuemur plenum diem veritatis Catholicæ; id, quod non fuerat nisi stella, respectu Magorum, evasit in Solem splendidum ac radiosum respectu nostri; cùm nullum quasi ampliùs videamus vestigium vanarum superstitionum Gentilitatis; cùm nulla fiat ampliùs mentio figurarum & imperfectarum cæremoniarum Judaismi; cùm nulla sit ampliùs ignorantia circa veritates Religionis, nobisque sit solatium vivendi in tempore, quo possimus dicere, Religionem Christianam plenam suam attigisse meridiem.

Modò versamur in plena meridie veritatis.

Et nihilominùs videmus, veritates Religionis non æquali ratione receptas esse ab omnibus, qui nomen gerunt Christiani. Aliqui contenti sunt id circumferre in memoria, nonnulli in intellectu, & alii in voluntate. Primi illas sciunt, sed illas non intelligunt: Secundi illas sciunt, & illas intelligunt, sed nullum habent in illis gustum: tertii & vident illarum pulchritudinem, & gustant illarum dulcedinem, & mandant ipsas executioni cum gaudio.

Tria genera Christianorum diversâ ratione aspicientium splendorem nostrarum veritatum.

Dici potest, in veritate, veros non esse Christianos, nisi hos solummodò.

Eheu! fides plerorúmque Christianorum non est quasi nisi in memoria; instruuntur primâ fronte & edocentur verba, quæ exprimant articulos fidei, sed quid significent, prorsùs ignorant. Hi nullo moventur dubio circa res fidei, credunt simpliciter, quòd ipsis asseritur, quin ulterius circà id indagent, majoremque inquirant cognitionem; & dicitur has esse animas simplices, quæ plurimùm habeant fidei. Verùm haud mediocriter hæc duo differunt, credere absque cognitione, & credere absque ratiocinatione. Beatam æstimo animam simplicem, quæ credit absque ratiocinatione, & absque eo, quòd examinare velit primitias Religionis suæ, quando Deus concessit sibi donum fidei, inclinantis cor suum ad recipiendum cum veneratione oracula, quæ fides enuntiat, & conferentis sibi dispositionem interiorem omninò sanctam, ad degustandum veritates à Deo emanantes, eòquòd cor suum illas discernat, illásque agnoscat pro magno, quo ergà se fertur, amore.

Qui non habent fidem nisi in memoria.

Sed infelicem æstimo animam, quæ credit absque ulla cognitione, quæque contenta, certa nôsse & scire verba, quæ enuntient articulos fidei, quin ampliùs se informet, quid significent, quasi res foret, cujus sua non referret, vel non tanti ponderis, ut digna sit, quam sibi sumat cordi, pro eo, quòd ab ipsa dependeat felicitas vel infelicitas ipsius æterna, quæ evitari nunquam potest. Quid discriminis faciendum est inter ejusmodi animam, & hominem infidelem, qui absque eo, quòd habeat fidem, scire potest memoriter verba, quæ significent eam, quæque pronuntiare tam benè potest, quàm ipsa?

Habentes fidem nonnisi in intellectu.

Illi, qui habent fidem in intellectu, id est, qui Christiani sunt cum cognitione, beatiores sunt, modò utantur suâ ratiocinatione solummodò ad indagandum veritates Religionis solicitè, & submittendum se illis cum veneratione, & non ad dubia, aut pertinaciter oppugnandum illas: hoc enim non esset suum captivare intellectum in obsequium fidei, sicut præcipit Deus, sed potiùs captivare fidem in obsequium intellectûs sui, submittendô ipsam indignè judicio rationis nostræ.

Non est cognitio, nec scientia, cujus nostrâ magis intersit, quam illa veritatum Religionis, quam profitemur. Omnes aliæ negligi possent, sed hæc absolutè est necessaria, cùm illa sit, à qua dependet tota nostra felicitas, vel infelicitas æterna. Nihilominùs, ut habeatur hæc cogni-

tio

tio, ratione quâdam, quæ nobis sit commodo, non sufficit recepisse illam in suo intellectu, nisi etiam approbetur, degustetur, adametur à voluntate: si meo complecterer intellectu pulcherrimas quascunque cognitiones, quas unquam intellectu suo conceperunt omnes homines, circa veritates Religionis Christianæ, & aliud haberem nihil, non sum Christianus ex eo: possem enim similiter perfectissimam habere cognitionem circa omnia ea, quæ concernunt sectam Mahometicam, absque eo, quòd idcircò sim Mahumetanus.

Qui habent fidem in corde, sunt beati.

Oportet veritates Religionis meæ occupare cor meum & lucrari voluntatem meam, ut ipsas approbem, ratas & acceptas habeam, ipsas amem, ipsis adhæream: Et tunc verè Christianus sum, si gaudio & voluptati mihi sit videre Christum JEsum secundùm exteriora, id est, secundùm ea, quæ nobis apparent in statu paupere, abjecto & afflicto vitæ suæ, secundum apparentem rigorem dogmatum & legum suarum, quæ omninò oppositæ sunt cunctis nostris inclinationibus naturalibus. Hoc durum est, non absque magno labore, non absque millenis reluctationibus huic colla subduntur jugo. Religio Christiana valdè suavis est fructus, sed durus est cortex ejus & amarus; & hoc fortassis sensu S. Paulus dixit, *quòd littera occidat.* Sed postquam anima eâ semel posita fuerit sorte, ut liceat sibi intrare in interiora Christi JEsu, id est, cognoscere & degustare Spiritum ipsius, tantas ibi invenit pulchritudines, ut mirificè demulceatur illis, & re ipsa experiatur contrarium ejus, quod visum fuerat sensibus. 2. Cor. 3. v. 6.

Siquidem ipsa videt excellentias tam divinas, tam admirabiles in omni vitæ ipsius statu, tantas divitias in ipsius paupertate, tantam gloriam in ipsius humiliatione, tamque veras delicias in ipsius afflictione; ipsa videt tantam sapientiam in apparente stultitia crucis ipsius, tantum sanæ mentis in omni eo, quod sanæ menti videtur adversari, tantum justitiæ, tantúmque virtutis, & tandem perfectionem adeò sublimem in omnibus ipsius dogmatibus ac legibus, ut nullâ re aliâ posset amplius delectari, cùm in cæteris omnibus non intueatur nisi stultitiam, vilitatem & miseriam. Et ecce tibi animam verè Christianam, cùm totam occupaverint ipsam divina fidei lumina, & penetraverint usque ad intima cordis ipsius.

JEsus Christus est verum lumen, qui venit in hunc mundum ad illuminandum omnes homines. Mirum est, quòd cùm ipse sit magnus æternitatis Sol, & infinitum lumen Dei Patris

sui, omnes homines non illuminentur hoc lumine, sed pleriqúe magis ament suarum tenebrarum horrorem, quàm hujus luminis venustatem: Omnes infideles obfirmârunt & clauserunt ipsi oculos, & soli Christiani receperunt illud, sed non eâdem ratione: siquidem tria agnosco genera Christianorum, qui recipiunt illud modô valdè diversô, ubi jam percepimus. Aliqui, qui fidem habent nonisi in memoria, absque eo, quòd considerent, vel indagent, quid ipsa doceat; & hi quasi nihil habent hujus luminis. Alii, qui habent fidem in intellectu, eoquòd addiscere & intelligere studuerint ea, quæ ipsa docet. Et hi illuminantur velut lapides à sole, exterius solùm & in superficie. Tertii, qui receperunt fidem usque in corda, qui approbant illam, qui adamant illam, qui exequuntur ipso opere illam; & hi illuminantur velut globus crystallinus à radiis solaribus, ipsum penetrantibus, ipsúmque demonstrantibus velut alterum Solem.

Ut aliquis verè sit Christianus, debet habere fidem, sicut globus crystallinus habet solem.

Quis inficiabitur horum ultimorum felicitatem esse inæstimabilem? Et quis est, qui horum numero non velit accenseri? Eheu! nonnisi in tua est potestate, & per te stat solummodò; divinus Sol non cessat unquam sua effundere & diffundere ubivis lumina; ne quæso obfirmes oculos per continuam oblivionem Dei; neque sis induratus sensúque carens lapis in rebus salutis tuæ; sis pura & munda crystallus, immunis ab omni labe peccati, & expone te solùm cum reverentia & attentione divinæ ipsius præsentiæ in oratione; vel emitte duntaxat plenum amore suspirium ex intimo cordis tui cum regio Vate, & dicito: *DEus meus illumina tenebras meas*, & divina ipsius lumina penetratura videbis intima animæ tuæ. An non vides ad hoc invitari te à Scriptura? *Accedite ad eum & illuminamini.* Psalm. 17. v. 29. Psalm. 33. v. 6.

Sponsa in sacro Epithalamio describit nobis felicem statum, quem obtinet anima sæpiùs accedens ad ipsum: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie?* plena meridies est altissimum cognitionis ipsius fastigium, quò dignatur evehere animam, cui se manifestat; & hæc anima, cui velut sponsæ blanditur, dicit; quòd duo faciat ibi, nimirùm quiescat & pascat. Ipse quiescit in illa, & illa quiescit in ipso, velut in centro suo, ita, ut ipsa se non moveat ad quærendum dilectum suum, cùm jam invenerit illum: non consistit oratio ipsius in laborando, sed quiescendo & fruendo in pace suavissimâ Dei præsentia. Sed & hìc deliciosè pascit illam, participem ipsam faciens

Quomodò Deus tractet bonam animam in plena meridie cognitionis suæ. Cant. I. v. 6.

faciens ejusdem convivii, quo tam abundanter pascit & satiat Beatos in cœlo, qui nonnisi ex cognitione & amore ipsius vivunt in æternum. Hìc ipsa non est solicita pascere seipsam cognitionibûs proprii sui intellectûs, aut affectibûs voluntatis suæ: ipsa probè novit, se hìc esse in convivio, seque totam invenit satiatam cognitione & amore DEI sui: hoc autem non impensis suis, sed ex mera liberalitate dilecti sui, & ipsa manet in pace, probè gnara, sibi jus non esse ad conquerendum: quando ipse abscondit se illi, eámque jejunam relinquit absque ullo gustu, contenta manet cum ipso, modò ipse contentus maneat secum.

Reperire est animas tam versatas in cognitione DEI, quocum tam diu egerunt, quémque per frequentatas & fortunatas cognoscunt experientias, ut fides ipsarum, nec dubio ampliùs nec obscuritati sit obnoxia: ipsæ æquali cum fiducia & securitate ambulare nôrunt, in quocunque se statu invenerint, tam nocte mediâ, quàm in meridie, in caligine privationis, sicut in lumine possessionis: *sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Ipsæ certæ sunt, se DEI esse, & DEum sui; non volunt nisi ipsum solum, totúmque ipsarum placitum est in placito ipsius; sive offuscet illas, sive illuminet, sive vivificet, sive mortificet, sive consoletur, sive desoletur, ubique & in omnibus æqualiter contentæ sunt, securæ & certæ ex longa cum ipso agendi consuetudine, se unicè ipsius esse, absque exceptitione, absque conditione, summámque suam in hoc consistere felicitatem, quòd ipsius sint eâ ratione, quæ maximè placuerit ipsi.

Animæ perfectæ æqualiter se habent in tenebris & in lumine.

ARGUMENTUM.

Rex Herodes timore perculsus homagium præstat Majestati JEsu Christi.

Articulus V.

Quatuor Herodes successivè regnârunt in Judæa.

DE quo Herode loqueris, interrogat Carpophorus; novi enim quatuor esse Principes hujus nominis, qui successivè Sceptrum obtinuerunt in Judæa, antè, sub, & post mortem Salvatoris nostri JEsu Christi. Primus est Herodes Ascalonita, qui assecutus jam fuerat trigesimum quintum annum regni sui, quando

do Christus JEsus primum exorsus est annum vitæ suæ temporalis. Secundus fuit Herodes Antipas, qui decollari jussit sanctum Joannem Baptistam, & Christum induit veste candidâ tempore passionis suæ. Tertius fuit Herodes Agrippas, qui occidit sanctum Apostolum Jacobum, quemque Angelus percussit usque ad mortem in mulctam arrogantiæ suæ, sicut refertur in Actis. Et quartus fuit alius Herodes Agrippas Junior, coram quo S. Paulus oneratus catenis egit causam suam, sicut S. Lucas annotavit circa finem Historiæ Actuum Apostolorum: posset hìc occurrere error circà nomen Herodis, quod est ambiguum; de quo tibi est sermo?

Sermo mihi est de Herode Ascalonita, qui inter memoratos quatuor primum obtinet locum. De illo scribit S. Matthæus in Evangelio suo: *Cùm natus esset JEsus in Bethlehem Judæ, in diebus Herodis Regis: Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam:* Hic Herodes fuit primus Princeps alienigena, qui in possessionem inductus est regni Judææ à Senatu Romano ad recommendationem Antonii; quique, cùm videret, quòd Sceptrum ablatum sit è manibus Juda, id est, nationis Judaicæ, suæque consignatum dexteræ, quódque hoc esset adimpletio Vaticinii Patriarchæ Jacob: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est:* credere præsumpsit, seipsummet hunc esse promissum Messiam, seque adorari debere ab omnibus Nationibus Judaicis; & ideò exstruxit templum magnificum, in quo divinos sibi honores voluit exhiberi.

Matth. 2. v. 1.

Joseph. de antiquit Jud. l. 14. & 18.

Gen. 18.

Herodes Ascalonita putavit se esse Messiam, adeóque adorari debere.

Ambitiosus hic Princeps, qui non solùm supremum jus regni sibi arrogaverat, sed etiam velut Deum se aspexerat omnipotentem, tantæ in regno suo auctoritatis Viros advenas & incognitos in ipsa civitate Jerosolyma interrogantes conspexit: *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum?* Res mira! quòd unicum hoc verbum velut fulmen emissum concusserit tremore potentem hunc Principem, & universali pavore totam civitatem Jerosolymam. O JEsu! supreme mundi Monarcha, quàm formidanda est potentia tua, cùm solum nomen tuum percellat formidine universum mundum!

Matth. 2. v. 3.

Ecce tibi terrore convulsos omnes, magnos cum parvis, Principes, Magistratus, Pontifices, populos, totam civitatem in consternatione & pavore universali, haud aliter, ac si conspexissent ad portas suas exercitum centum millenorum hominum,

Terror Herodis & totius urbis Jerosolymæ erat effectus Divinitatis JEsu Christi.

minum, jámque hostilis gladius, fatalis Rhomphæa suo immineret jugulo: Matth. 2. v. 3. *Audiens autem hæc Herodes, perturbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo*; omnia ipsis videbantur perdita. Vah! Ecquis ita vos omnes opprimit, percellit, conturbat? si non esset, nisi quis de plebe diceretur: Re opus exiguâ ad incutiendum animo vecordi pavorem. Sed Regem tam potentem, civitatem tam famosam, populum tam copiosum, sic terrefieri verbo unico, quo ipsis annuntiatur nativitas infantis JESU! Quantum Mysterium ergò latet in hoc verbo, quod nonnisi dulcorem præsefert & benignitatem? Nunquid necessariò lateat sub illo suprema quædam & summè formidanda potestas, quæ tanto percellat omnia terrore?

Sed ubi est hæc potentiâ? de nulla adhuc constat. Sed quænam est terribilis hæc majestas? nemo illam novit. Sed quid mali vobis afferet? de nullo adhuc fit sermo. Dicitur solùm, quòd natus sit Rex Judæorum, quòdque cœlum nuntiaverit idipsum Regionibus Orientis per ortum novi sideris ab ipsis conspecti. Estne hoc, unde vobis hic terror?

Est iste tam insolens, ut Herodes consilium coëgerit militare, ad prospiciendum suarum ditionum securitati. Pontifices, Sacerdotes, Doctores & ipsi, quoddam Concilii congregârunt genus, ad deliberandum de mediis, quibus suam conservant Religionem adversùs novum hunc Monarcham, qui fortassis mutare ipsam volet; alius quoque indictus & celebratus est conventus; cui incumberet consulere libros legis, ad cognoscendum locum, ubi promissus nasciturus erat Messias? Et invenerunt hunc locum esse Bethlehem juxtà vaticinium Michææ: Mich. 5. *Et tu Bethlehem, ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël.* Sed Bethlehem non est, nisi parvus & despectus locus, qui cogere non posse videtur potentiam adeò formidandam; deinde est infans iste tam pauper, ut natus sit in stabulo, qui tanti roboris agere non possit expugnatorem, ut potentem percellat tremore Regem. Et nihilominus Herodes in medio totius sui præsidii, cohorte suâ stipatus prætoriâ, & celeberrima civitas Jerosolyma cum omni fortitudine & potestate suâ contremiscunt coram hoc infante, & contremiscunt, non quia viderunt ipsum, sed quia ipsius audiêrunt pronuntiari nomen.

Non erat hic naturalis causa timoris.

Quis non conspicit, pavorem hunc universalem non complecti quidquam naturale, sed potiùs omninò adversari naturæ,

& sanam oppugnare raionem? Oportet ergò hunc infantem necessariò esse quid aliud quàm appareat; oportet divinitatem omnipotentem latere absconditam sub infirma hac humanitate, quæ tantos ejaculetur terrores usque in corda Regum, magnarum civitatum, multitudinis populorum, unicâ suâ præsentiâ, & absque ullius enuntiatione Verbi. Oportet igitur ipsum esse formidandum populorum domitorem, hostium victorem, urbium expugnatorem, Imperatorem invictum, ac imperii Amplificatorum potentissimum, cùm ità prosternat ac conterat omnes vires humanas jam in introitu suo in mundum, faciátque tremere omnia sub sui nominis majestate. O potentiam invisibilem, sed potentiam supremam! quàm eximium terrores hi omnes tum Regis Herodis, tum totius civitatis Jerosolymæ, inæstimabilibus tuis excellentiis præstant & exhibent homagium!

Divine Jesu! quantus igitur futurus est timor, qui tremore concutiet omnes nationes terræ, quando convocaverit tubarum sonitu illas coràm tribunali justitiæ tuæ in fine sæculorum? cùm jam parvulæ tuæ cunæ, ubi nonnisi diffluis dulcore, exterreant potentissimos Reges terræ. *Quid erit tribunal judicantis, quando superbos Reges cunabula terrebant infantis?* S. Augustin. de Epiph.

Sed majorem mihi ciet admirationem, reponit hic Carpophorus, quòd tota civitas Jerosolyma potiùs abrepta non fuerit gaudiô, dum obtinuit nuntium, suum sibi Messiam esse natum. Itáne? quem Patres ipsorum tam ignitis cum desideriis efflagitaverant à cœlo, cunctis elapsis sæculis; quem exspectabant velut felicitatem Israëlis, & velut omnium fontem bonorum, quibus reddi poterant fortunati; desideratum etiam ab omnibus mundi nationibus, velut illum, qui salvare omnes debebat homines, & efficere velut paradisum ex toto hoc mundo inferiori: Ecce illum tandem adveniisse, certi & securi adsunt rumores, fausti advolant nuntii. Nonnè excitare debuerant in cunctis vicis & compitis ignes festivos? Nonnè totam replere æthram odis & modulis lætitiæ? Nonnè exire omnes turmatim extra suas urbes, ut prosternerent se ad pedes ejus, prima ipsi præstituri homagia, ac demonstraturi sui jubilum cordis? ut quid tristantur? ut quid mœrore se conficiunt? unde habent, quod timeant? Eccur suis seipsos constringunt domibus, velut faci-

Urbs Jerosolyma & ipse Herodes habebant lætandi causam ob nativitatem infantis JEsu.

noro-

noroſos illigatos vinculis timoris & pavoris?

Unde eſt, quòd Herodes ipſe per univerſum ſuum regnum non publica ediderit lætitiæ ſigna: Nonnè judicare poterat, ingenti id fore ſuo commodo? Siquidem cùm videret adimpletum vaticinium Jacob, quòd Sceptrum auferendum ſit à Juda, quando miſſus fuerit, qui mittendus eſt, nempe Meſſias, argumentum erat evidens: DEum non ampliùs voluiſſe, ut Regem haberent nationis ſuæ: hoc igitur pro ipſo maxima erat certitudo, quòd Sceptrum remanere velit in manu ſua. Et pro eo, quòd exaltaret, tripudiaret, diffluere gaudio ob manifeſtam hanc imperii ſui confirmationem, contremiſcit, exterretur, conſternitur, omnia pro ſe eſſe perdita ſibi imaginatur, nec erubeſcit ſuam palam exhibere imbecillitatem ac vecordiam, non confunditur parvulum metuere pupum, vix natum timere infantem: Et unde hæc omnia?

Quid interrogas, reponit ipſi Eccleſiaſticus? proprium commodum totum excœcat mundum, & millenis cunctis hominibus perſuadet inſulſitates, abſurditates, ineptias.

ARGUMENTUM.

Peculiare & proprium ſui ipſius commodum eſt ſolus tyrannus, qui ſubmittere ſe renuit potentiæ JEſu Chriſti.

Articulus VI.

Quare non omnes afficiat gaudiô nativitas JEſu Chriſti.

VErum quidem eſt, à Nativitate Chriſti JEſu diffundi debere ampliſſimum in univerſum orbem gaudium, eòquòd ſit ipſe promiſſus Meſſias, & deſideratus cunctis gentibus, veniens è cœlo in terram pro bono totius mundi. Sed bonum hoc eſt publicum & ſpirituale. Quia publicum eſt, quilibet in particulari ſibi perſuadet, hoc ſe non tangere, nec inde ſibi aliquid affluere felicitatis; & quia ſpirituale eſt, animæ carnales, quibus ſcatet mundus, id flocci faciunt; nam bonum ſpirituale & bonum commentitium, pari apud ipſos ambulant paſſu, æqualî ponderantur trutinâ.

Cur tota civitas fuerit turbata.

Sed commodum peculiare & bonum sensibile cujuslibet hominum, mirum in modum turbat & torquet ipsos, si vel minimum quid viderint, quòd imaginantur sibi esse posse præjudicio. O si quis vidisset arcana cordium, & omnes cogitationes, quibus agitabatur animus hujus populi timore perculsi! quàm stupenda varietas affectuum, opinionum, judiciorum propemodùm tam diversorum, quot numerare erat personas particulares! Quivis enim metuebat sibi ipsi, & commodo suo peculiari. Nihilominùs non nisi unicus, unus & idem dimanabat ex hoc in omnes effectus, à Rege Herode usque ad novissimum è plebe. Et est, quòd omnes fuerint infelices, omnes turbati, omnes inquieti.

Cur Herodes timuerit.

Tu contremiscis Herodes, non id admiror; metuis, ne tua tibi vacillet in vertice corona; ne tuum tibi extorqueatur è manibus Sceptrum. Novo huic Regi non animus regnum auferre temporale, sed potiùs regnum conferre hominibus æternum. Verum tu id non credis; solum nomen Regis, quod ipsi tribuitur, offendit te; & sola sufficit imaginatio, peculiare tuum commodum, depeculari posse ipsum, ut te torqueat, te turbet, te affligat, cruciet, trucidat.

Cur Pontifices & Sacerdotes.

Vos contremiscitis, Sacerdotes, Pontifices, Legis Doctores; non eqnidem illius me tenet stupor: Vos prævidetis, quòd Messias, qui magnus & æternus est Sacerdos, veniens in hunc mundum, immutare & in alium ordinem redigere posset religionem; unde & foret periculum, vestras dignitates, vestra officia, vestra beneficia, vestros reditus pati posse jacturam: Vestra commoda, propria lucra, quæ universali totius mundi commodo præfertis, vos mactant timore, ne veniat.

Cur totus populus Judaicus.

Vos contremiscitis populi Judaici; non hujus me capit admiratio. Non malè metuitis, effrœnem vestram vivendi licentiam reprobandam fore à Messia: Omnes Prophetæ describunt ipsum velut sanctissimum, velut Sanctum Sanctorum, qui non coinquinabit manus suas in iniquitatibus hominum; & velut Doctorem justitiæ, introducturum virtutem & sanctitatem in universum orbem. Emendandæ ergò vobis erunt viæ vestræ, & mores immutandi in meliores, impotens quidquid agendi rescindenda libido: quod ergò vos angit, vestrum tangit commodum particulare.

Tu contremiscis urbs Jerosolyma, non desuper obstupesco: immu-

immutanda enim tibi erit facies; amplectendus alius rerum status; subeundæ leges aliæ, antiquæ deferendæ consuetudines: tu times, ne Messias veniens veteres sit abrogaturus cæremonias, quibus tanto tempore asseveras; tu metuis mutationem statûs, quin particulares quidam haud levia ex eo subeant præjudicia; & quivis suo metuit emolumento.

Commodum privatum incitat totum mundum contra Deum.

Et interim, dum magnus DEus de cœlo descendit in terram pro augmento gloriæ suæ & profectu salutis vestræ æternæ, malè ominata vestra commoda & lucra, quæ in comparatione nonnisi sunt crepundia, in eandem vos simul trahunt sententiam, ut ipsum repudie-

Psalm. 2. v. 2. tis: *Convenerunt adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus.* Quid prodest vobis, infelices cœci, inhiare commodis instar fumi, mox unico instanti perituris, dum interim negligitis magnum salutis vestræ commodum, quod unicum majori vobis est lucro, quam omnia simul mundi commoda? Quid confert vobis, conservare pugillum terræ, quem nonnisi paucis posfidebitis diebus; vel vitam muscæ, quam perdetis ex his diebus unâ, invitis vobis, quandò minimè credetis; vel exiguum lucrum temporale, quod deserendum mox erit, ubi deserenda est vita! Quid conducit vobis, hæc omnia pluris duxisse DEO, si perdatis cœlum, & vitam beatam, & cuncta ineffabilia æternitatis bona. O maledictum sui ipsius commodum, maximum Dei adversarium, & crudelissimum animorum tortorem ac carnificem! quomodò possibile est, ut dum ita sævis in omnes, omnésque miseros reddis ac infelices, adhuc omnes te revereantur, te sectentur & arctissimè te complectantur?

Væ alium non habenti Deum nisi proprium suum commodum.

Infelix Jerosolyma, quàm ingens tibi est ansa te affligendi, mœrore, tristitiâ ac dolore temetipsam accumulandi, non quòd Messias, Liberator tuus se tibi coràm exhibeat, sed quòd tam sis misera, ut missum ipsum facias, repudies ipsum! Omnia tua simul & semel in nihilum redigis emolumenta. Quantis repudiatio hæc stabit tibi lachrymis, quanto sanguine, quantis calamitatibus, quibûs te videbis oppressam! Infelix Herodes, luculentum tibi terroris est argumentum, non quòd incurras periculum amittendi regnum temporale, sed quòd conservando huic commodo, quod tibi videtur haud leve, cùm agatur de diademate, execranda mediteris crimina, quæ æternâ te obruent miseriâ! Ecce magnum,

quod in ruinam te rapit, commodum, quódque pavoris tibi abundans suppeditat argumentum. Væ illi, qui alium in hoc mundo non habet Deum, nisi privatum suum commodum! Eheu! quantos reperire est, qui famulentur ipsi in contemptum DEI!

Fermè omnes hoc tempore suis inserviunt commodis.

Quod deplorandum est, nonnè videmus inter Christianos indies idipsum? Nonnè, si Christus JEsus collocetur in bilancem cum lucello vel minimo, ipse infallibiliter minoris erit? Et quantos reperire est, qui ipsi serviunt secundùm speciem? Sed falsam revera speciem; cùm illi suis ipsum faciant servire commodis: magnum pietatis ostendunt zelum, modò se ostendat quidquam lucri, quod peculiari suæ suffragetur utilitati, sive sit honoris & gloriæ, sive voluptatis ac lætitiæ, sive facultatum bonorúmve temporalium, sive aliud quidquam cujuscunque emolumenti: Si ex his omnibus aderit nihil, tantæ aderunt, seque oculis objicient difficultates in oppositum, tantus coacervabitur specioſarum considerationum & rationum ex adverso cumulus, ut tandem concludatur nihil, Deique causa ita maneat deserta, ut nemo sit, qui illam velit agere, ipsius partes tueri. Et de hoc ipsemet conqueritur in Scriptura: *Quis est in vobis, qui claudat ostia & incendat altare meum gratuitò?* quasi diceret: Neminem invenio, qui mihi præstet obsequium, nisi suum indè trahat emolumentum. Malach. 1. v. 10.

Etiam boni suo incommodo, nolunt servire DEO.

Verumtamen, interpellat ipsum Carpophorus, novi ipsorum plurimos, quibus melior, quàm credas est animus: serviunt ipsi DEO purè propter DEum; nullo alio prorsùs intuitu aut commodo, nisi ipsius solius honoris & gloriæ: Eo nomine studeant pleráque sua bona opera cognitioni suffurari hominum; nullum aucupantur ex pietate lucrum; nec suum in eo, quod faciunt, sectantur placitum, sed placitum solummodò DEI.

Novi, reponit alter, haud deesse, qui famulari velint ipsi, absque eo, quòd suis famulentur commodis, modò saltem nihil indè trahant incommodi, nihil subeant præjudicii. Sed quando res agitur de sacrificandis suis pro ipso commodis, cum proprio suo incommodo; quando subeundum est periculum honoris, toleranda probra, exponenda jacturæ bona, sufferenda paupertas, exponenda sanitas, vel propria vita, tandémque statuendum animo amittere omnia ad conservandum com-

commoda & emolumenta Christi JEsu: O quàm pauci sunt horum! O quàm pauci sunt horum! quantos econtra reperire est imitatores Pilati, etiam inter ipsos, qui boni, qui devoti volunt haberi?

Hic Judex, quem sanctus Augustinus laudat velut virum probitatis moralis sat magnæ, primâ apparuit fronte bono fuisse animo ad defendendam innocentiam Christi JEsu. Judæi, quorum videbat invidiam, & immoderatas animi passiones, plures imputabant ipsi falsitates; has ipse pendebat nihili, probè gnarus, ipsas non esse nisi fœtus & partus maligni animi: pluribus urgebant ipsum instantiis, & hisce eousque congeminatis, ut speciem quasi referrent rebellionis, quibûs evincerent, ut condemnaret illum. At invictus ipse ad omnia stetit, ipsisque semper sua retorquens argumenta, cunctas ipsorum eluſit importunitates, elisit violentias: Incassum tentatis me, instigatis frustrà ad committendum injustitiam, nihil invenio causæ in eo, ut feriam ipsum mortis sententiâ. Sed unus illorum prudentior cæteris, probè gnarus, nihil proprio resistere posse commodo, dicit ipsis: Vos nescitis quidquam, sinite me facere: Accessit ipsum seorsim, & simulans se amicum, insusurrat ipsi solùm tria verba, quæ & reliqui postmodùm altè repetebant: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Attende, quid facias, exponis te periculo Cæsaris incurrendi offensam, de hoc amicè admonitum te velim, perpendè hoc benè, si habes mihi fidem. Joan. 19. v. 12.

Bonus hic judex, quem nihil hucusque poterat flectere, quique ludibrio exploserat accensum rabie totius turbulenti populi furorem, suis auribus allabi credens fulminis ictum, ecce totus exterrefactus, secum ipse pensitavit: Itáne offensam Cæsaris? Sed an meo sic officiam officio, è quo omnem meum honorem, omnem meam traho sustentationem? Sed quid meo erit filio, qui optimo apud Imperatorem in aula loco, amplissima exspectat fortunæ munera? Sed quid meis amicis, quid propinquâ necessitudine conjunctis, quos modò meâ tueor auctoritate? Sed & quid meis inimicis, qui modò me timent, quósque meâ potentiâ mihi teneo subjectos? Quanta negotiorum meorum jactura, si Imperatoris exspolier gratiâ? Verum est, hunc hominem esse innocentem; administranda mihi foret justitia; sed ità plus æquò majorem causa provehetur in moram. Adducatur denuò antè me hic homo: Pilatus aliàs satis bonus Judex, proprio suo perversus commodo.

homo: JEsus Christus adducitur ipsi. Tu vides, inquit illi, feciſſe me pro te, quod facere potueram; probè tuam agnoſco innocentiam, tuorúmque adverſariorum invidiam; ſed meâ nimis quàm intereſt, omnibûs evertar bonis, nſi ſubvertam æqitatem, & iniquis ipſorum annuam votis? Amici mei, dicit populo, jus vobis ſuffragari video, trado vobis ipſum, juxtà veſtrum agite cum ipſo arbitrium: *Tradidit eum voluntati eorum.* Luc. 23. v. 25.

Invectiva in proprium commodum, quòd conculcat Deum pedibus.

O maledictum ſui ipſius commodum! tu igitur omnia tuo ſubjicis imperio? tu igitur impellis homines, ut ipſam Majeſtatem DEI ſuas compellant ſubire plantas, calcar addis, ut calcent & conculcent ipſam? tu igitur vitâ exſpoliâſti ipſum Filium DEI, & ipſius effudiſti ſanguinem? Hoc execrandum nobis videtur: Sed nonnè indies pejora quaſi patramus? Non eſt opus minitari nobis fulmina; mox ubi de minimo agitur commodo, agitur in fugam & exulare cogitur Chriſtus JEſus, traditur oblivioni cœlum, ſalus propria, ipſa anima, ipſa conſcientia, nec felix nec infelix attenditur, aut cordi habetur æternitas: hiſce omnibus obfirmantur oculi, ut nihil aſpicere liceat niſi hoc commodum, & quandóque minoris æſtimatur Deus rudi coquinæ periculo. Ignoſce Domine, quòd tam exiguâ cum reverentia loquar de Majeſtate tua infinita. Sed heu! nimis quàm verum eſt, te ſæpiùs minoris fieri, ô magne Deus vive, ſi vel minimum occurrat commodum te viliſſimo coquinæ periculo poſtponeris; de quo conquereris ipſemet per os alicujus Vatis tui: *Et violabant me propter pugillum hordei & fragmen panis.* Ezech. 13. O quàm verum eſt, proprium commodum ingens eſſe oſtium, per quod indies milliones animarum deſcendant in infernum, eòquòd emanet ex ipſo contemptus DEI ubivis terrarum. Et vide ſolummodò, quàm ahominando crudelitatis ſcelere obſtrinxerit Herodem, quamvis invito ſe ſua evertit commoda, & mirum in modum ſtabiliêrit illa Chriſti JEſu, quæ exſcindere & ſubvertere volebat.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Innocentes occisi ab Herode, insigni comitatu aulico stipabant Christum JEsum nascentem, composito e parvis regulis coronatis gloriæ,

Articulus VII.

Perfida simulatio Herodis.

HErodes, infelix hic politicus, qui non alium Deum, nisi proprium adorabat commodum, audiens Reges Magos interrogantes: *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum?* Perculsus est haud aliter hoc verbo, quam reus capitis audita mortis suæ sententiæ. Dissimulavit nihilominus arrodentem se intus rabiem, benigno & omnis humanitatis pleno ipsos excipiens vultu, verba dans melle dulciora & favo. Ite, inquit ipsis, & interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum. Ite bonis avibus terque quaterque auspicati viatores, è tam remotis advecti plagis ad adorandum novum hunc regem, èximiâ hâc decorandi prærogativâ, quod cæteris omnibus eripueritis palmam, primis illum venerando obsequiis. Ite & omni cum solertiâ indagate, ubi natus sit hic infans, & de hoc fausta mihi referte nuntia, ut & ego vestra premens vestigia, accelerem gradum, mea eidem præstiturus homagiâ.

Matth. 2. v. 2

Ah! perfide, quàm parùm consonat tua cum corde linqua! verborum lingua propinat mel, & nonnisi felle tuum redundat cor; faciem exhibes serenam ac hilarem, dum rabies & furor tua depascitur viscera, atque perversam tuam lancinat ac discerpit conscientiam; Spondes iturum te, huic præstitum infanti honores ac homagia, & non meditaris nisi vindictam, crudelitatem, supplicia.

Aspicit deceptum se à Magis, qui post inventum & adoratum in cunis suis Infantem JEsum, admoniti fuêre ex mandato Dei, ut in regionem suam reverterentur per aliam viam, absque eo, quàm redirent Jerosolymam. Hôc irritatus dolô suam accendit rabiem, dissimulat nihilominus, editque signa, ac si nihil percepisset, integro exspectans anno, vel etiam quindecim aut sedecim mensibus, juxta supputationem Eusebii & testimonium Sancti Epiphanii, quin conceptam in corde barbariem partu excluderet manifesto.

Quando Infans JEsus deportatus fuerit in templum,

Interim Sanctissimæ Virgini & sancto Josepho otium & fa-

cultas fuit Jerosolymam deferendi Infantem JEsum, ipsúmque præsentandi in templo, quadragesimo post Nativitatem die, ad obtemperandum legi purificationis; Et exindè recesserunt in Nazareth, proprium suum habitaculum, unde sanctus Joseph in somno admonitus ab Angelo clàm fugiens, deportavit Infantem in Ægyptum, ad subtrahendum ipsum persecutioni Herodis.

Inquietudo Herodis.

Dum hæc agebantur, crudelis agitabat tyrannus millenas in mente suâ cogitationes turbulentas, excogitabat media, efformabat consilia, ad muniendum se adversus inimicum, jamiam expeditum ad exuendum se sceptro & coronâ. Et quia ex indole suâ erat suspiciosus, injuriosus, infidus, timidus & crudelis, vix sibi ipsi proprias suas committere & concredere audebat cogitationes, metuens, ne invito se dilaberentur è mente. & prolatæ in lucem, cunctis se redderent execrandum hominibus: fabricabatur consilia tam abominanda, ut, cùm ipsemet eorum tangeretur erubescentiâ, damnare cogeretur ipsa; moliebatur mox alia, quæ cum abhorrerat adhuc, mox iterum repudiabat; iniebat nova, sed & hæc concutiebant eum pavore, tam erant horrenda, quæ & illicò detestabatur. Rimatus & perscrutatus est omnes abyssos atrocissimarum Eumenidum, ad consulendum illas de remedio, quo sibi prospiceret velut munimento ad sui defensionem tutissimo; sed dulcius ac infallibilius non invenit, nisi trucidationem ac lanienam omnium infantium in Betlehem & finibus ejus, ejusdem circiter cum infante, quem metuebat, ætatis, sibi persuadens universali hâc strage infallibiliter involvendum fore illum, cujus anhelabat effundere cruorem.

Quid moliris infelix Princeps? furor hic cunctis inauditus sæculis elapsis, quem foves in corde, ad fovendnm commentitium aliquod commodum, mactando tot miseros parvulos infantes, quorum tam est amabilis innocentia, procul dubio te toti universo cum horrere exhibebit velut execrandum crudelitatis monstrum. Molestum sanè hoc est, sed mea, nisi id faciam, vacillat corona, nec mihi satis est firma. Itane? sperare potes melius firmare illam, tantis, quæ meditaris criminibus? Innoxius hic sanguis, cujus adversum te vindictam exposcens clamor cœlorum penetrabit portas, nonne auscultabitur à Deo? Imò, timendum hoc est, sed meum periculo interitûs subditur imperium; prospiciendum est huic. Ferox bestia, nullus igitur

Anxius & furore plenus discursus Herodis.

tùr residuus tibi est rationis usus? aspice canos tuos, & genua tua jamjam trementia præ senectute: comparendum tibi mox erit ante tribunal Dei; an concedes illuc totus coopertus fumante adhuc innocentium copiosè effuso sanguine? Quid timeas ab infante qui modò nascitur, tu, quem prius corrodent vermes, quàm discat ille ambulare, & gressus formare solus? Hæc omnia verascunt. Sed sceptum meum & corona mea solicitum me habent, tentanda sunt omnia, ut imperem, & solium teneam. Ah! politica detestanda! nonne orbata sis oculis, oportet, dum inquis, & Deum, & animam tuam, & æternitatem, & omnia quæcunque ponderis maximi subire possint mentem tuam, nihil esse respectu tui commodi?

Negotium magni ponderis obruit Herodem.

Nihilominus Deus, qui impedit quandoque consilia impiorum ex misericordiâ, sicut sæpius exoptatum eorum permittit successum ex motivo severissimæ justitiæ, intentavit ipsi tanti momenti, tantique periculi negotium, ut facilè inducere potuisset ipsi oblivionem consilii de trucidandis infantibus. Fuit accusatus ab Arabibus coram Imperatore Augusto, qui tam malè in ipsum affectus, tantum concepit averhionis, ut trinâ omninò vice ipsius audire recusaverit legatos: oportebat ipsummet se Romam conferre, ad excusandum se in personâ, & reconciliandum se cum Imperatore, concessit illò, & quia magnæ admodùm sagacitatis erat, effecit id tantâ cum prudentiâ, tamque auspicato cum eventu, ut meliùs quàm unquam se firmaverit in Imperatoris favore, à quo confirmatus est in suo regno, veluti novo ab ipso accumulatus beneficio.

Infelix Herodis dolus.

Et ipse ex parte suum, ut illi demonstraret, recipere se illud novo cum zelo ac desiderio exhibendi omnem ipsi submissionem, quâ fidelis subditus suo obstringitur principi, sumpsit ansam loquendi cum ipso de suis, quibus torquebatur, angustiis, quòd habeat nimirum, unde timeat invasionem iniqui cujusdam usurpatoris, eò quòd certam acceperit informationem, natum esse pauco abhinc tempore quendam infantem, qui assumat sibi jam nomen Regis Judæorum. Et desuper efflagitavit Imperatorem, ut sibi permitteret suum de novo concessum, sibi firmare sceptrum, concedendô facultatem tollendi illos, quos suspectos haberet è medio, non magis parcendô propriis pignoribus, quàm alienis, si inveniret, quod suas conspirationis quoque labe asperserint manus; cùm ampliùs obligatus

non sit fovere affectu patris filios, si hi filiorum erga patrem exuerint affectum.

Vitium Imperatoris Augusti permittentis Herodem implere furorem suum.

Creditur Augustum in hoc consensisse: mirum sanè, tunc Principem tam turpem vitæ suæ insulisse maculam, qui aliàs erat indolis tam benignæ, tantâ insignis sapientiâ ac bonitate, ut ubivis terrarum nonnisi sermo fieret de Augusti clementiâ. Verùm si altius nostras attollamus cogitationes, nonnè videtur, quòd Herodes velut Tyrannorum, qui effusuri erant sanguinem Martyrum, primus & crudelissimus, non concesserit Romam, ubi caput residebat gentilitatis, nisi accepturus mandatum, ad incipiendum cruentum hoc bellum adversùs JEsum Christum, & religionem ipsius, quòd per plura productum & prorogatum est sæcula. Efferata hæc bestia, dum exemptum se vidit metu amittendi favorem Augusti, quo timidus & vecors aliquantulum reddebatur, velut triumphans in Judæam fit redux, totus novâ exasperatus crudelitate, & tam acrî accensus sitî effundendi sanguinem parvulorum, quorum jam excidium suâ concluserat mente, & vix appulsus.

Mandatum crudele Herodis.

Agedum, exclamaret, maximâ cum solertiâ eligatur legio militum versatissimorum in armis, & generosissimorum animô, quî nullo flectantur commiserationis affectu; advolent quantocyùs in Bethlehem, & in cuncta loca vicina, cunctas perlustrent domus, & in cunctos inquirant infantes, biennio minores, jugulentur ad unum omnes, nullique, cujuscunque sit conditionis, parcetur. Ite, generosi mei, illustre hìc vestræ fortitudinis exhibete specimen, nec statuite, ut dicatur, vecorditer devictos vos esse vel à ploratibus, matrum, vel à clamoribus infantùm. Detestandum mandatum, detestanda magìs obedientia, sed executio summè truculenta & crudelis.

Excidium immane infantium.

Ah! si sciretis, matres infelices, quid propediem sit futurum, quæ exspectent vos mala! si agnosceretis pauperculi infantes, quid tolerandum mox vobis! sed ipsum hoc est, quod timebatur nunquam. Blandiebatur suo mater filio, suaque ipsi porrigebat ubera, postquam millenis ipsum innocuis demulsisset assentatiunculis: Infans econtra arridebat matri suæ, illamque amplexibus suis amore plenis oblectabat, quando avernales hæ furiæ armatas pugione manus intrâsunt, spirantes oculis furoris flammas & horrendos evomentes ululatus ore. Mater ignara adhuc, an se vel suum inquirerent pignus dulcissimum, requirebat clamoribus cœlum, & in-

& innundans torrente lachrymarum, prosternebat se in terram, exquirens misericordiam. Carnifex vult suum ipsi abstrahere è sinu filium, illa constringit ipsum arctissimè, contegit suis ipsum brachiis, uberibus, capite, tamque fortiter complectitur ipsum, ut potius seipsam in frusta concidi, quàm ipsum pateretur sibi abstrahi: miserandum in modum clamat & ejulat cum matre infans, seque tam arcte, quàm potest, adstringit ipsi: furore percitus satelles jurat utrumque se confossurum; unico pugionis ictu transferberat infantem, & cuspis se quoque insinuans in gremium matris, faciebat ipsi fidem, & hanc cessisse fatis; cadebat ipsa ex unâ & infans ex parte alterâ; hic exspirabat è vulnere suo lethali, suum in morem torrentis effundens sanguinem; altera exspirabat propè præ dolore flumina deducens lachrymarum.

Spectaculum horrendum & excerabile.

Quòd hic in unâ faciebat domo satelles, id exequebantur alii eodem prorsus tempore, unusquisque in suâ, hic tali, alter alia ratione; ubique trucidati, ubique clamores horrendi, ubique immanissimæ crudelitatis spectacula; & paucas intra horas universalis confecta est strages, cuncta mundant sanguine in Bethlehem & finibus ejus: occisorum numerus tam ingens fuit, ut Abyssini in Canone Missæ suæ & Græci in suo Calendariò, numerârint illorum ad quatuordecim millia, quamvis reverâ difficile sit captu, quod in unico parvo oppido, quale est Bethlehem, & pagis vicinis inveniri potuerit tantus infantium bimatum non excedentium numerus, ut vix inveniri posset in maximis, quas orbis complectitur, civitatibus. Quidquid sit, semper verum est, juxta relationem Historiographorum & mentem Sanctorum Patrum, numerum infantium ab Herode occisorum fuisse maximum.

Crudelis Herodes, vide quid feceris.

Vide, immanis, vide stragem, quam feciſti; veni & satia oculos spectaculo crudelitatis tuæ; sanguinariam tuam & magis quàm brutalem pasce animam aspectu tot miserorum infantium, quos exuisti vita, totque infelicium matrum, quibus eruisti cor. Aspice innoxium hunc sanguinem, qui quantus quantus est effusus, lugubrem diffundit vocem ad detestandum tuam immanitatem. Audi, quâ ratione exprobret tibi, nec ipsam naturam afferre quidquam posse excusationis, quâ commissum expiet & diluat probrum, dum adeò abominandum, quale tu es, progenuit monstrum. Itane? non moveris hoc spectaculo? tunc gaudeas feciſse tot miseros, nunquam feliciorem te credens,

quàm aſpiciendo miſerias aliorum? Ecce plangunt omnes, & tu clangis jubilo: tu ſolus, tu ſolus, infernalis furia mentita hominem, tu ſolus probrum & dedecus totius naturæ humanæ, eras idoneus ad concipiendum, ad pariendum, ad exequendum tam abominandum conſilium.

Omnia conſilia Herodis appugnant ipſum.

Sed quàm malè auſpicatum es nactus eventum, dum extinguere parabas cum vitâ honorem novo, quem perſequeris, Regi Judæorum! ſiquidem pro eo, quod offuſcaveris naſcentem hanc lucem, clarius irradiare feciſti ipſam in univerſo orbe: non erit in mundo angulus, quamvis ſubarcticus ſitus polo, quem abominandæ tuæ ſtragis non pervaſurus ſit rumor. Innumeri ubivis gentium enarrabunt factum tam inuſitatum, tamque cunctis inauditum ſæculis, & ſciſcitantibus tantæ immanitatis cauſam, dicetur, hanc eſſe, quod intellexeris, promiſſum à tot ſæculis Meſſiam Judæis, natum eſſe in Betlehem, virtutemque divinam, quam ſub imbelli ſuâ infantiâ gerebat abſconditum, te convulſiſſe tremore. Hac ratione procul abeſt, tam procul abeſt, tumulâſſe te ipſum oblivione perpetuâ, ſicut anhelabas, ut potius invito te ipſius annuntiaveris adventum in univerſo mundo.

Adverte, quomodò perverſa tua conſilia tibi conſultori ſint peſsima: tu parabas ipſi tumulum, & ecce magnificum adornâſti ipſi triumphum, quem ingens Victorum ad honorandum ipſum cominatur numerus: tu deſolari volebas locum, quem ipſe ſuâ honorabat præſentiâ; & ecce ampliſsimo ſtipâſti ipſius latus apparatu, ſplendidiſsimâ circumvallâſti ipſum cohorte, compoſitâ nempè ex tot parvis coronatis gloriâ regibus, quot immanitate tuâ effeciſti Martyres: quot plagis operuiſti ipſorum corpora, tot aperuiſti ipſis ora ad enarrandum illius gloriam, voce ſanguinis ab ipſis profuſi innoxiâ. Si oculos teneres apertos, occurrerent tibi boni ipſorum Angeli, palmas collocantes in manibus ipſorum, ipſosque deducentes ad divinum hunc infantem, ad præſtandum illi velut ſupremo ſuo Monarchæ homagium: Hic verè agnoſcitur Rex Judæorum; ſiquidem hic flos eſt totius nationis Judaicæ, qui ſacrificatur ipſi, ipſiſque ſuum annuntiat & promulgat Meſsiam: hi ſunt totidem Ephebi honoris, quos offert Judæa parvo huic principi, quosque tota ſalutat & ſalutando honorat Eccleſia per cuncta ſæcula velut cunctorum florem & floridas primitias Martyrum: *Salvete flores Martyrum.*

O JE-

Infans JEsus triumphat de Herode impio in personâ Innocentium, quos cosonat.

O JEsu! o adorande Infans! Nisi esses Deus infinitæ Majestatis, quî potuisses uti immani hoc rege te persequente ad evulgandam tam manifestè gloriam tuam? quî elargiri potuisses tot immarcesibiles coronas omnibus his parvis Martyribus, qui suam, citra id, quòd scirent, fuderant vitam pro vitâ tuâ? O quàm clarè videtur, te tuis in manibus beatam tenere immortalitatem, cùm abundanter reddas ipsis pro paucis diebus in felicis vitæ tui causâ ipsis sublatæ, felicem sine fine æternitatem! An unquam per cuncta sæcula visus fuerit infans ab Adam usque ad novissimum, qui nascitur hodie, in quo observatum fuerit quidquam simile, quod vel à longè ad tuas accedat excellentias.

O adorandissime JEsu! Tu es unicus, pro quo est nemo, qui possit perire; quantò quis magis contendit se sacrificare, seque annihilare pro te, tanto magis se confirmat in æternâ & immutabili felicitate. Unde venit ergò, o mi amabilissime Salvator, quòd tot ac tanta, quæ hâc de veritate nobis extant, experimenta, non accendant vehemens in nobis desiderium patiendi & moriendi pro te? procul dubio, quia nondum satìs inducere hoc possumus in animum. Imponam igitur finem huic consultationi magis profundâ, magisque seriâ consideratione infelicitatis inimicorum tuorum, & felicitatis famulantium tibi.

ARGUMENTUM.

Infelicitas Herodis, & felicitas Sanctorum Innocentium, pari ratione annuntiant Divinitatem & excellentias Christi JEsu.

Articulus VIII.

Duæ res oppositæ constituebant splendorem triumphi apud Romanos.

NIhil erat aspectu jucundius, quàm triumphalis Victorum introitus in Urbem Romam, quoad hæc erat mundi Domina, nunquam non demetens victoriarum palmas, ubivis locorum, quibus sua intulerat arma. Duæ res prorsus oppositæ, æquali ferè ratione contribuebant ad illustrandam pulchri hujus spectaculi magnificentiam. Spectabantur hìc summa felicitatis culmina, & imò infelicitatis barathra, gloria & opprobria, servitus & libertas, gemitus & carmina lætitiæ: unico verbo, thea-

theatrum hìc erat, ubi ſuprema felicitas conjuncta videbatur cum maximâ calamitate ac miſeriâ; Et medius inter duo hæc extrema victor diſpertiebatur gloriam & divitias, coronas & palmas victorioſis, at victos onerabat catenis, ſervitute, opprobrio, contemptu, illos poſt ſe rapiens velut mancipia currui ſuo triumphali implexa, demonſtrans per hoc, eſſe ſe arbitrum vitæ & mortis, felicitatis & infelicitatis hominum.

Nihilominus magnificentia hæc, quæ tanto irradiabat cum ſplendore, ut totum quaſi Univerſum ſuâ repleret gloriâ, tantæ exilitatis, tenuitatis ac parvitatis erat, ut eadem dies, quæ viderat eam naſcentem, viderit quoque ipſam morientem. Non fuit unquam, niſi introitus JEſu Chriſti in mundum, ejus triumphus perpetuò cunctisque ſæculis ſuum conſervat ſplendorem, ſed ſplendorem, qui repleat cœlum & terram Majeſtate gloriæ ſuæ. Et quamvis videatur, magnum hunc Monarcham ſubtrahere voluiſſe mundo cognitionem adventûs ſui, & eum ob finem elegiſſe ſibi tenebras, & ſilentium, & deſpecti loci paupertatem, velut arbitros & amicos fideles, magisque idoneos ad abſcondendum toti univerſo adventûs ſui arcanum, nihilominus introitus ipſius viſus eſt tantâ refulgere Majeſtate & gloriâ, ut omnes Cæſarum triumphi ejusmodi nil habuerint, quod ipſius magnificentiæ poſſit æquiparari.

An unquam videre erat currum triumphalem cujuscunque Victoris duobus circumfuſum faſtigiis tum ſummæ felicitatis tum infelicitatis maximæ, adæquantis tum infelicitatem Herodis, tum felicitatem Sanctorum Innocentium? unum dejectum & humiliatum usque ad centrum terræ, alios elevatos usque ad ſolium Angelorum cœleſtium, unum aggravatum catenis ſervitutis æternæ, alios portantes diademata æternitatis beatæ; unum actum præcipitem in abyſſum infinitorum malorum; alios inductos in poſſeſſionem bonorum æternorum; & inter duo hæc extrema medius Infans JEſus, demonſtrat nobis, ſe agere, quod agit ex auctoritate Dei Omnipotentis, ſe tenere duo extrema hæc in manibus, ſeque arbitrum eſſe felicitatis aut infelicitatis æternæ hominum. Tuos in utramque partem converte oculos & affirmare vix poteris, in quo divina ipſius Majeſtas majori affulgeat cum ſplendore. Vis intueri, quâ ratione accipiat & tractet impium?

Introitus JEſu Chriſti in mundum ſplendidior triumphis Romanorum.

Quî habebas, Horodes infelix, poſt immanem, hanc ſtragem, in quâ tantum effudiſti ſanguinis

nis innoxii. Ecce omnes tui mactati hostes, cuncta tua jussa executioni mandata, glorioſam reportâſti victoriam; Nonne jam plenè tibi ſatisfactum? nonne acquieſcis modò? Non, experior meam concitatam rabie animam, occurrunt menti ſpectra non intermiſſum immittentia mihi terrorem: Non video, coronam meam melius eſſe firmatam; prævideo enim neſcio quid ſiniſtri, quod meas adauget anguſtias. Et quid iſtud? habeo filios mihi ſuſpectos, ut ſecurus ſim, ſecuri ſubjaceant mortis: trucidentur illicò Alexander & Ariſtotulus gemini mei natu majores; quinto poſt die eadem fata ſubeat Antipater ipſorum frater: ſortaſſis enim moliuntur animo, ut exturbent me ſolio, exuant me ſceptro, ſecuritas mihi nulla, quamdiu ſuperſtes ipſis vita, priventur hâc, ut vita mihi ſit absque anguſtia. Ratiocinaris benè, excellens arripis ad ſtabiliendam tibi coronam, medium dum è medio tollis eos, quorum adminiculo plurimum fulcire poteras illam. Sed quid dicet Auguſtus, dum à te exercitam ſibi exploratam habebit rabiem? dicit, quod *ſit melius eſſe porcum, quàm Filium Herodis.*

Quo furore agitatus ſit Herodes poſt cædem infantium.

Occidit proprios filios.

His impletis, expleta ſaltem erit fames tua? Nonne ex tunc magnâ fruêris animi tranquillitate, cum proprium tuum effuderis ſanguinem, illaſque truncaveris manus, quæ tuum poſt fata tua poterant torquere ſceptrum, ne forſan id tibi adhuc viventi extorquerent? magno igitur perfundetur mens tua ſolatio, cum amplius non ſit, qui perturbet illam? Non experior majores prioribus anguſtias, quæ ſævius, quàm antea, in me debacchantur. Vah! quid eſt hoc? extincti ſunt filii, ſed ingenuit, quæ genuit ipſos Mariamne, ipſorumque deploravit mortem. pro eo, quod gaudere & lætari debuerat, de ipſorum letho, mihique congratulari de eo, quo perfuſus ſum, dum fudi ipſos, ſolatio. Quod illos me plus diligat, hoc affligit, hoc lancinat cor meum: eſt conjux mea, novi ipſam virtuti addictam, inſuper credo, ipſam amare me; ſed neſcio quis inſuſurrat mihi, ne fidam ipſi, cum poſſet eſſe mihi nocumento. Aſt Hircanus Pater ejus, qui magnus Sacerdos eſt, Alexandra mater illius, an videntes, quod molior, non molientur adversùs me vindictam? Non fuero ſecurus nimium, malim omnem removere ſuſpicionem, omni me eximere metu, omnes tres mors demetat, ut meum mihi ſit firmum ac ſolidum ſolatium, inſolitis, quæ me premunt, anguſtiis. Ita dubio procul, ſat

Etiam ſuam conjugem & conſanguineos.

solidum id erit, solus si fueris, neminem amplius habens tibi necessitudine conjunctum, qui vel tibi, vel ditioni tuæ moliatur insidias.

Maxima & bestialis omninò rabies Herodis.

Sed post immanem hanc cædem, an immunis omninò eris omnis anxietatis, omnis curæ? Non, totum oppositum; hucusque non erant nisi terrores perturbantes me, sed modò experior furias, quæ torquent, quæ discerpunt viscera mea, Quæ hujus est causa? Novi plures esse ex optimatibus Jerosolymæ, non optimè sentientes de me, qui nec me ament, nec approbent ac ratas habeant omnes cautelas, quibus meæ prospexi securitati: pro eo quod fundant lachrymas, perfundet hos gaudio mors mea, non moriar consolatus, orbus gaudio egrediar orbe. Sed & hic prospiciam, dùm præcipiam: concludantur omnes ergastulo, hícque maneant, quoad moneant subire fata me manes. Et exin jussa dabo, ut dum jusserit abire me mors, jugulantur ad unum omnes; universalis dolor, totam qui occupabit civitatem, omniúmque, quas invitis se profundent in morte meâ, lachrymæ, præcipuam constituent & adornabunt funeris mei pompam. O quàm egregium consilium, quo æquè execranda reddatur mors alicujus facinorosi, quàm fuerit ipsius vita!

Herodes sibi ipsi carnifex.

An tandem post hæc omnia; firmissimâ fruêris pace, cunctísque tuo commodo potiêris voluptatibus vitæ? Non, novis in singula momenta tangor & angor curis invadentibus me in morem exercitûs terrificis formidandi spectris, à quibus dum obruòr, vix non emorior. Omnia percellunt me terrore, nulla mihi quies, nullus nec unico momento in pace sommus, afficiunt fastidio dapes, sævis affligor doloribus ipsa depascentibus viscera, ab omnibus derelinqui me cerno, meam putredine corrumpi carnem, me totum vivum arrodi & consumi à vernibus, fœtore ex me profecto me suffocari: nec vivere possum, nec possum mori, & quod intolerabilius mihi est, conscientiam circumfero carnificem, quæ me dilaniat, quæ me discerpit, quæ duriora ipsâ morte infert supplicia. Omnes Historici, qui tragicum infelicis hujus principis referunt finem, omni eo, quod asserunt, terrore audientes convellunt.

Herodes affectus supplicio à Justitâ divinâ.

Ah! Ecce te, justitia Divina, agnosco te, percipio te: Omnipotens brachium Infantis JEsu, ecce persecutorem tuum quem velut monstrum prostratum tenes sub manibus immisericordis tuæ justitiæ; vidisti illum lavare manus suas innoxio sanguine tot parvulorum, tot infantium,

& su-

& sustinuisti ipsum: aspexisti ipsam ab ipso violari naturam, dum proprios mactavit filios dilectam occidit conjugem, trucidavit socerum summum Pontificem, cum Alexandrâ socru suâ, ut sacrilegium conjungeret parricidio: Et exin humani magis avidus sanguinis spe mortis pavit se, quam inferre intendebat cunctis optimatibus Jerosolymæ. Aspexisti hæc omnia, & laxâsti froenum furori ipsius, ut in cuncta hæc flagitia corrueret præceps. Tandem cum non inveniret amplius, adversùs quem suam exerceret rabiem, convertit illam in semetipsum; & quia magis infamis non erat in mundo manus, quæ serviret pro carnifice, sibi ipsi manus intulit, seque propriâ mactavit manu. Tu, o formidanda justitia, tu ipsamet es, quæ fecisti hæc omnia: Ecce victorias, quas reportas de inimicis tuis in infirmitate tuæ infantiæ. O Rex Regum! O omnipotens ultor criminum, quæ committunt homines! Ecce manifestas Divinitatis tuæ notas, sub parvo Infantis corpore absconditas! cuncta applaudent sidera gloriæ triumphi tui, & omnes latentur justi de æquissima ultione tuâ. *Lætabitur justus, cum viderit vindictam; manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Psal. 57.

Sed abunde satis tuos pavisti oculos tragico devictorum spectaculo; in alteram convertens illos partem, aspice gloriam victricium legionum præcedentium illum, quarum vestimenta perfectâ candent innocentiâ, & illustrantur mirificè effusi sanguinis purpurâ. Nonne cernis, quomodò triumphant omnes, gestantes in manibus palmas, & in verticibus coronas? quò concedat Beatorum hæc cohors, prodeuntium eodem die, & eâdem quasi hora ex Betlehem, & finibus ejus? concedunt ipsorum animæ in limbum, allaturæ patriarchis & cunctis veteris Testamenti patribus fausta nuntia de Nativitate Messiæ tantis à se exspectati sæculis; & boni ipsorum Angeli avolant in cœlum præsentaturi Deo sui incensum sacrificii, velut spoliorum primitias, quas Salvator mundi venerat reportaturus in terris. Vadunt illuc festivissima acturi tripudia pro tantorum parvorum Angelorum, suis olim inferendorum choris in omnem æternitatem gloriâ.

Pulchrum spectaculum parvorum Innocentium pro JEsu Christo occisorum.

Quàm felices vos estis Salvatores parvuli magni Salvatoris mundi! Nonne dici potest, salvâsse vos prius ipsum, quam salvaverit ipse cæteros homines, cum mortui vos sitis pro ipso, antequam moreretur ipse pro vobis? sed ut verum dicam, non mortui vos estis, sed is mortuus est in vobis; siquidem sanguis

Ipsi sunt parvuli Salvatores Magni Salvatoris.

ipsius erat, & non vester, qui quærebatur in venis vestris; vita ipsius erat, & non vestra, quæ quærebatur in vestro sanguine. Ipse erat, unico verbo, & non vos, quem jugulare mens erat: ita si mortui estis, id fuit, quasi fuistetis propria ipsius persona, & quasi tot parvuli Salvatores. Si aliorum extollitur gloria Martyrum ex eo, quod suam dederint vitam pro gloria Redemptoris sui, non tamen hâc fruuntur prærogativâ, quâ gaudetis vos, dum jugulati estis, quasi propria ipsius persona; vos solas manet gloria, ut universa vos salutet Ecclesia quasi primos flores Martyrum. *Salvete flores Martyrum.*

Innocentes componunt mare è suo sanguine ad transmittendum JEsum Christum in Ægyptum.

O Innocentes flores, quæ aspergit vos macula? quo notamini scelere, ut hæc manerent vos mala? Omne vestrum erat scelus, quod similes essetis Infanti JEsu, qui discerni non poterat à vobis; crimen vestrum erat, quod ejusdem fueritis cum ipso ætatis, patriæ, & fortassis etiam agnationis: perfecta hæc similitudo, quâ exhibebatis ipsum, speciosum fuit crimen, quæ morte tam gloriosa vos reddidit digno. Oportebat vos omnem vestrum dare sanguinem, ad componendum ex eo mare rubrum, per cujus medium videretur novus transitus in Ægyptum, magis stupendus & prodigiosus primo: non ad deducendum amplius per ipsum, Israëlis populum sub directione Moysis ex Ægypto in Palæstinam; sed ad deducendum ex adverso Israëlis Deum sub directione Mariæ & Joseph ex Palæstinâ in Ægyptum. Dum interim pugnatis vos pro ipso in Judæâ, transit ipse velut gloriosus victor in aliud illud regnum, ubi insignes reportat triumphos; concussit tremore omnes falsos Deos in regione istâ dominantes, cuncta ipsorum subvertit idola imperii sui, figit sedem in civitate Heliopoli, quod idem est ac urbs solis: *In sole posuit tabernaculum suum* auspicatissimo prorsus omine, intra paucos annos illuminandam fore Ægyptum doctrinæ suæ, & succendendam igne cœlesti, quem afferet in orbem; ipsamque evasuram in regionem sanctorum. Interim Herodes novus hic Pharao, qui commisit se mari rubro effusi vestri sanguinis, persequendo JEsum Christum ad mortem hic submersus interiit. Psalm. 18. v. 6.

Ipsi collegerunt primos fructus Redemptionis generis humani.

O millies beatas crudelitatis hujus monstro victimas infantes felicissimi, qui fermè nascendo primos collegistis fructus, redemptionis totius naturæ humanæ, infelicitatem incomparabilem, quæ quærenda non fuerat vobis, nec à vobis quæsitâ, sed quæ sponte obtigit vobis, & profecta

fecta in vos ex solâ voluntate Dei. Sed ne dicatur, promereri vos non potuisse palmas, cum illas non potueritis velle. Verum quidem est, vos aliam non habuisse voluntatem, quæ vos dirigeret, quàm illam Salvatoris vestri, pro quo vestras dedistis & profudistis vitas. Sed quis dicere audeat, non promeruisse vos, qui accenseamini Sanctorum Martyrum albo, ex eo, quòd aliàm non habueritis voluntatem, quàm illam Dei! O si permissum mihi esset vestram exoptare felicitatem? mallem, si in meo foret arbitrio ac libertate, accenseri vobis, quibus nunquam alia fuit libertas, quàm illa Dei ipsius, qui hâc locupletavit vos prærogativa, ut suæ vos sacrificaret ac devoveret gloriæ, quin minimam de hoc admiseritis unquam cogitationem; mallem & incomparabiliter magis exoptarem conditionem vestram, quàm solus tenere imperium & sedere ad clavum totius mundi, quando etiam mihi afforet securitas potiundi in pace magno hoc imperio, per annos decies millenos.

O Omnipotens mundi Redemptor, qui tàm munificè dispertiris imperia & coronas æternas servis tuis! o Bone JEsu quanta felicitatis est pati pro te! Dare sanguinem suum pro te, o quàm dignè is effusus est! moro pro te, o quàm insigniter impensa & expensa est vita! perdere se pro te, o quàm securus hic est salutis portus! sacrificari, destrui, annihilari pro te, & amore tui, quàm feliciter hoc est parvum entitatis suæ, quæ nihil est, atomum immergere in immensum essentiæ tuæ, quæ omnia est, Oceanum! o infinities amabilis JEsu, an nunquam nostras voles accipere vitas ad efficiendum ex illis homagium vitæ tuæ? Accipe saltem corda nostra ac omnes affectus nostros, & possîde illos in æternum absolutè tamque absque ulla exceptione, ut nemo præter te referat unquam ex illis partem vel minimam

CONSULTATIO X.

De Infantia, & vita abscondita Christi JEsu.

ADmiretur qui volet, excellentias Dei, me quod spectat, ipsius admiror infirmitates. Quod enim Majestatem & gloriam possideat Deus, quodque omnes creaturæ obsequiosissima ipsi præstent homagia, haud difficulter concipitur. Sed aspicere in eo vilitates, debilitates, & omnes infirmitates parvorum infantium, mihi omninò incomprehensibile videtur. Dicerem libenter cum vale: *Consideravi, & expavi.* Defeci præ admiratione, in hoc statu intuendo ipsum.

Intellectus hæret attonitus, considerans Deum æternum esse infantem.

Tota societas, quæ audiêrat, quid actitatum fuerit in consultatione præcedenti, haud mediocri delibutam se sensit voluptate, dum cognovit tot tantósque Reges præstare homagia excellentiis Infantis JEsu: aliqui ipsum adorando, aliqui ipsum metuendo, alii vitam suam pro vitâ ipsius collocando: hoc videbatur illis aliquid conferre splendoris Majestati ipsius. Sed positis his omnibus, adjunxit prudentiorum quispiam, ipse est Infans subjectus infirmitatibus ceterorum omnium infantium; Et dicere ipsum Deum esse æternum, Deum Omnipotentem, quæ mens, quis animus hâc non obruitur & obtunditur cogitatione? Ipse est Infans pauper, jacens in stabulo tenuem super paleam, qui magis derelictus videtur aliis omnibus filiis hominum; Et dicere, ipsum supremum esse Monarcham mundi, qui gloriam & divitias possideat in domo sua; nonne stupore convelli, & attonitum hærere oportet, si in hâc aspiciatur & attendatur conditione.

Pleráque pars vitæ Christi fuit absque splendore.

Et tandem hic est infans, qui mansit incognitus, quasi nullus ipsi fuerint in mundóque vel ordo vel locus. Siquidem post parvum hunc gloriæ radium, quo circumfusus fuerat in cunis suis, quemque etiam pauci admodùm perceperunt, nulla est amplius facta de ipso mentio. Quis evasit ex hoc tempore? an nihil patravit dignum consideratione? an saltem non protulit verbum, aut aliquod effatum, quòd mereatur referri in fasta, intra triginta annorum spa-

spatium, quod intervallum est in historiâ vitæ ipsius annotatum? Siquidem post pauca illa, quæ observata sunt circa Nativitatem ejus in Betlehem, vix verbo refertur unico, quod duodecimum agens annum egit in templo in medio Doctorum, & mox transitur ad ipsius Baptismum, quem trigesimo suscepit ætatis suæ anno; & de toto temporis spatio, à cunis usque ad Jordanem, nullus omninò fit sermo. Quid cogitari de hoc potest?

Toti naturæ humanæ nonne referebat plurimi, ne permitteret dilabi vel unicum vitæ ipsius momentum, quod non observaret studiosè, vel non asservaret prætiosè? Siquidem cum ipse sit Homo-Deus, & Salvator omnium peccatorum, & felicitas totius mundi, nimirum ipsius opus erat ponderis, valoris & meriti infiniti; Quivis, quem formavit in terris, gressui erat majoris, quàm affixisse stellam cœlo; quævis respiratio, quam fecit Deus Homo, superabat longè omnes Cæsarum palmas & victorias; quodvis, quàm protulit verbum, nobis fuerat majori studio custodiendum, quàm creatio totius naturæ corporalis. Ut quid omnibus his adeò pretiosis exspoliamur gazis? Juvenis quispiam princeps totam aulam, universum populum tenet suspensum, animorum oculorúmve aeie in se defixum, examinantur omnes ipsius actiones, ponderantur omnia ipsius verba, ut trahantur exin auguria, circa id, quod constituere olim debeat vel felicitatem, vel infelicitatem totius regni. Unde oritur, quod nihil observatum fuerit circa illum, qui Rex Regum est, à cujus personâ dependet felicitas totius universi?

Devotio fœminarum plerúmque fertur erga Infantem JEsum.

Videtur medietatem Evangelii impendi debuisse ad describendum accuratè primos vitæ ipsius annos, eoquod ingens multitudo hominum suâ feratur devotione majori erga Infantem JEsum, quàm erga cætera vitæ ipsius mysteria. Nonne verum est, inquiebat, meæ Dominæ, convertens se ad aliquas fœminas ibi præsentes, vehementiori vos affici devotione erga Infantem JEsum? gratia se accommodat in hoc inclinationibus naturæ, & non facit, nisi quod illas perficiat: Vos omnes amatis naturaliter infantes, & videtur vos non esse, nisi pro infantibus, in mundo sicut arbores pro fructibus: nullo majori solatio demulcêri potest vestra devotio, nisi colloquio de Infantiâ Christi JEsu.

Hâc ratione inducebat istos Dominos, qui locuti fuerant in Consultatione præcedenti, ad faciendum idipsum hìc, circa argumen-

gumentum, quod omnes audire desiderabant tantò ardentius, quantò exspectabant certius, declaranda fore ab ipsis plura abscondita mysteria, & explorata pauciſſimis arcana. Carpophorus specialiter circa hoc rèquisitus, nullámque intermittens obsequendi occasionem, ex congenitâ sibi benevolentiâ, ita fari cœpit.

ARGUMENTUM.

Infans JEsus nutritus & educatus est juxta apparentiam, more aliorum infantium.

Articulus I.

DEus produxit Adam majorem: erat is triginta jam annorum à primo die vitæ suæ.

SI dicerem vobis, quod proto parens noster Adam habuerit jam triginta annos à primo die, quo incepit vivere, crederetis me dicere vobis rem ridiculam. Quomodò enim numerare jam poterat triginta annos, cum non numeraverit adhuc nisi primum vitæ suæ diem? Nihilominus dicerem vobis rem verissimam; Siquidem cum Conditor ipsius creaverit ipsum in statu hominis perfecti, & tali, quem via naturali acquirere potuisset in ætate annorum triginta, dispensavit cum ipso in ætate faciendo ipsum majorem, & conferendo illi statum, in quo possidere posset bonum suum, quod erat totius mundi imperium, à primo momento vitæ suæ.

JEsus Christus perfectus in utero Matris suæ.

Eadem ratione, si loquendo de Adam secundo, JEsu Christo, vobis dicerem, ipsum esse Infantem, qui nunquam fuerit infans, sed qui fuerit Vir perfectus non solùm à primo Nativitatis suæ die, sed dum concluſus adhuc erat in utero Virginali Sanctissimæ Matris suæ, crederetis fortassis, me loqui contra sanam mentem, hocque esse impossibile; nihilominus est veritas tam constans, ut nunquam fuerit hæreticus, qui dubitaverit de illâ: quod ut facilius comprehendas, tres distinguendæ sunt substantiæ in Christo JEsu, ipsius divinitas, ipsius anima, ipsius corpus.

Secundùm divinitatem suam nunquam fuit infans, licet sit Filius unicus divini Patris sui, quia nunquam incepit vivere: Verùm quidem est, ipsum habere originem, sed non habet initium; verùm est, ipsum esse ab alio, sed ejusdem cum Patre est ætatis, qui dedit ipsi esse. Nunquam is crevit, nunquam augmentum perfectionis acquisivit cum ætate, cum ipse nascatur

Secundùm divinitatem suam ejusdem est ætatis cum Patre.

Deus

Deus infinitâ ratione perfectus: ab æterno inſtanti divinæ generationis ſuæ, non eſt major ætate nunc, quàm fuerit in illo momento, & unquam deinceps erit; tam eſt juvenis, ut aliud non faciat, quàm quod actualiter naſcatur; nihilominus tam eſt antiquus, ut nihil antiquius ſit ipſo, nequidem pater ipſius æternus. Verùm igitur eſt, ipſum ſecundùm divinitatem ſuam, nunquam fuiſſe infantem.

Secundùm animam ſuam eſt natus æquè perfectus, ſicut jam eſt.

Secundùm animam ſuam, verùm eſt, quod inceperit eſſe in momento, quo conceptus fuit in utero Matris ſuæ Virginis. Sed in primo inſtanti, quo ipſius anima fuit creata ab Omnipotenti manu Dei, ubi contribuit & ipſe cum Patre & Spiritu Sancto, ipſa tam fuit perfecta, quàm modò ſit: Erat jam tunc ditata pleno rationis uſu; in inſtanti fuit etiam tota repleta gratiis, adhæc illuſtrata cognitionibus ſupernaturalibus (& etiam naturalibus, quæ non dependebant ab organis corporis) tota inſuper virtutibus dives, tota accenſa perfectiſſimo amore Dei, poſſidens jam ipſam viſionem beatificam eſſentiæ Dei; Et unico verbo, tam perfecta in omnibus, quàm ſit in præſenti. Affirmari ergò non poteſt, ipſum unquam fuiſſe infantem ſecundùm animam, eoquod vir fuerit perfectus, antequàm natus, juxta hæc verba Vatis: *Fœmina circumdabit virum.* Nunquam crevit, nunquam augmentum perfectionis ſumpſit ſecundùm animam nunquam in his aliquid de novo acquiſivit excreſcentibus annis. Jer. 31. v. 22.

JEſus Chriſtus ſecundùm corpus ſuum natus eſt parvus & debilis velut omnes alii infantes.

Sed ſecundùm corpus ſuum verùm eſt, quòd fuerit infans, & totus ſimilis aliis infantibus; Et in hoc elucet admirabilis, quâ fertur in nos, dilectio. Jucundum eſt videre hoc Verbum æternum quòd tam eſt potens, ut in momento producere poſſet centies millenos mundos omnimodâ perfectione excultos è ſinu nihili, & videre eum illo magnam hanc animam, quæ ſola majori pollebat intelligentiâ & poteſtate, quàm omnes Angeli, & cæteræ omnes animæ hominum: Videre hoc Verbum Omnipotens Patris & nobilem hanc animam ſimul conjuncta in parvo hoc corpore humano, cui in inſtanti conferre poterant omnem magnitudinem, omnémque perfectionem, quàm habere poterat cum tractu annorum, quæque nihilominus illud relinquebant & tolerabant in ſuâ parvitate, eoquod Verbum æternum, cùm eo nomine factum ſit caro, ut aſſumeret in ſe omnes naturæ noſtræ infirmitates, & anima patienter exſpectare voluerint lentum & imperceptibilem naturæ progreſſum; permittendo formari paulatim

JEſus Chriſtus portare in ſe voluit omnes infirmitates aliorum infantium.

latim parvum hoc Corpus, quod ideò captivum retinebant in utero Matris suæ, usque ad tempus, quo congruam obtinuerit ad exeundum magnitudinem. Exin, cum natum esset, concesserunt ad huc necessarium naturæ tempus, ad impertiendum ipsi insensibiliter incrementum, quin darent plus virium corpori ad perficiendam conformitatem membrorum; nec plus facultatis linguæ, ad enuntianda verba, nec plus firmitatis ac roboris pedibus ad efformandos gressus; nec plus virtutis brachiis & manibus ad operandum, quàm si fuisset simplex infans sicut omnes alii. O Deus! quanta subjectio sapientiæ infinitæ, dum submittere se voluit imbecillitatibus, gressibus imperfectis & balbutiei infantum! O Verbum æternum! Verbum adorandum! eloquentia infinitâ ratione sublimis Dei Patris tui! ad quæ & quanta demittis te ex amore erga me!

Infans JEsus habitus fuit in suâ tenerâ ætate sicut alii infantes.

Verùm an opus fuit, quærebat una ex illustribus his fœminis, ut, cum esset Deus Omnipotens, tam abundanter omnem enuntians naturam, ipsemet redigeretur eò, ut lac exugeret è sinu Matris suæ? an opus fuit præbere ipsi pulmenta, instruere illi mensam, recreare illum mille blandimentis, & denique omnes alias ipsi impendere curas, quas impendimus nostris infantibus nondum præditis usu rationis? An sapientia infinita indigebat his omnibus? vel potius an admittere poterat parvula hæc oblectamenta, quæ admitteret nemo perfectioris ætatis.

Dubio procul, respondit Carpophorus: Nam cum eo nomine suspenderit Omnipotentiam divinitatis suæ, & omnes animæ suæ prærogativas, ut relinqueret naturam corporalem in eâdem conditione, cui subduntur infantes alii, videbantur in ipso eædem innocentes puerilitates, quæ parvæ huic communes sunt ætati. Verùm actiones hæ erant sapientiæ perfectissimæ, utpote directæ à magnâ hâc intelligentiâ, quæ infallibilis omnium rerum naturalium est regula; tum etiam, quia Humanitas Sanctissima, cum infinitâ ratione abfuerit à peccato, & omni imperfectione cum peccato connexionem habente, facere nihil poterat, nisi quod esset perfectum in statu suo.

Beatissima Virgo lactavit ipsamet Infantem JEsum.

Hinc sanctissima Virgo Mater ipsius, quæ divini hujus Infantis noverat dignitatem, exhibuit illi omnia, quæ perfectissimam decent Matrem, obsequia cum omni affectu, omnique fidelitate, quæ tali congruebant matri, tali debebantur Filio. Ne credas, imitari ipsum voluisse immitium illarum matrum abusum,

sum, quas Juris Consulti solummodò semi Matres appellant, quæ suos lactandi filios curam & onus imponunt aliis. O Deus! quàm procul abfuit, ut sustineret adorandum suum Filium vel unicam sumere guttam lactis alterius, quàm illud uberum suorum. Siquidem sicut ipsa sola totam subministravit materiam formando pretioso ipsius corpori, ita suppeditare quoque voluit è purissimis suis uberibus & regione cordis sui, necessarium omne alimentum, ad nutriendum ipsum in tenellâ ætate
S. Bonavent. suâ. Sanctus Bonaventura tenet, figuram & quasi Prophetiam hujus veritatis fuisse, quod Moyses adhuc infans, cum exemptus fuisset à submersionis periculo à Pharaonis filiâ, nunquam sumere nec sugere voluerit lac ex uberibus fœminæ alterius Ægyptiacæ, sed opus fuerit nationis suæ inquirere nutricem, quàm providentia divina esse voluit propriam ipsius Matrem, ita ut nulla alia lactandi ipsum potita fuerit facultate & prærogativa. Hoc non est, quod omnia entia à creatore usque ad creaturas, aspiciendo divinum hunc Infantem, velut centrum felicitatis suæ, velutque gloriam totius universi, non contribuerint, unumquódque pro modulo suo, ad suppeditandum sua ipsi alimenta, sicut tota aliqua ditio exhaurit se pro sui principis gloriâ. Sed ut intelligamus, quâ ratione? vellem hic vos vestras attollere cogitationes, ad considerandum prodigium quoddam, quod nemo fere intuetur. Advertendum est, JEsum Christum nihil habere à seipso, & omnia, quæ habet recepisse ab alio ipsumque etiam non conservare id, quod habet in seipso, eoquod nutriatur & sustentetur à quodam alio. Si aspicias ipsius divinitatem, recipit hanc à Deo Patre suo; opus est etiam, eundem Patrem suum nutrire hanc continuò, communicando ipsi propriam suam substantiam per dimanationem semper actualem, quæ nunquam interrumpatur; Et si per impossibile unico suspenderetur momento, unigenitus hic Filius non viveret amplius secundùm divinitatem suam. Si intueris sanctissimam ipsius animam, quam accepit à Deo per creationem, non habet ipsa vitam supernaturalem, gratias, cognitiones, perfectiones & sanctitatem, nisi quas accepit à Spiritu Sancto; Opus est etiam, eundem Spiritum Sanctum nutrire semper in illâ cœlestem hanc & pretiosam vitam, quam ipsi communicavit, per continuam nunquam intermissam influentiam, & si per impossibile vel unico duntaxat suspenderet hanc

JEsus Christus semper est productus & nutritus ab alio secundùm se totum.

momento, perderet mox excellentem hanc vitam. Si attendas sacratissimum ipsius Corpus, accepit hoc totum integrum à Sanctissimâ sua Matre, & dependet ab illâ, quantum spectat ad conservationem & nutritionem esse hujus corporalis. Ipsa est sola, quæ formavit illud in purissimo suo sinu, absque subsidio alicujus patris humani; ipsa est etiam, quæ portavit ipsum brachiis suis versùs regionem cordis sui, quam majori amore, quàm proprium suam lac, effudit in ipsum. Quæris, quis contribuerit ad nutritionem Infantis JEsu? Vide DEum Patrem, & Spiritum Sanctum, & Beatissimam Virginem, tres fontes nobilissimos tum essentiæ, tum nutritionis ipsius: DEus Pater dedit & nutrivit ipsi suam Deitatem; Spiritus Sanctus dedit & nutrivit ipsi suam animam; Sanctissima Virgo dedit & nutrivit ipsi suum Corpus. Quam magnifica est mensa tua Domine, & quàm lauta sunt tua fercula? quàm plenæ deliciis tuæ dapes?

Sanctissima Virgo dedit primò lac suum; deinde S. Joseph labores suos pro nutriendo Infante JEsu.

Verùm est, quòd postquam amotus est ab uberibus, Beatissimus Josephus fuerit consors gloriæ cùm Sanctissimâ Virgine, ut assumeretur ad sublime hoc munus, nutriendi unigenitum Filium DEI: Non parum contribuit ad hoc compluribus annis labore manuum suarum. O magne Sancte! quantus tibi honor, quo concitentur ad invidiam Angeli! sed quanta admiratio animæ tuæ, dum panem suppeditas ei, qui providentiâ suâ nutrit totum universum! quando videbas crescere paulatim hoc Corpus, quod debebat esse victima pro peccatis totius generis humani; quando advertebas impleri venas ipsius sanguine, quem torrentis in morem effundere debebat ad diluenda nostra crimina, & salvandas nostras animas; quando collocabas ipsum ad mensam tuam, & alloqui poteras ipsum iisdem verbis, quibus allocutus est ipsum Pater cœlestis in Majestate gloriæ: *Sede à dextris meis.* Psal. 109. v. 1. Veni, mi Fili, sede à latere meo dextro ad mensam meam, tu qui tam lautis excipies me ferculis ad mensam gloriæ tuæ in omnem æternitatem. O DEus! quàm copiosâ dulcedine divinâ replebat cor tuum pro pauxillo panis, quem parabas illi manibus tuis!

Omnes creaturæ serviunt Infanti Christo JEsu.

Sed ut verum fatear, quia omnes creaturæ ingens acceperunt emolumentum ex perfectione magni hujus operis, quod constituebat omnem ipsarum felicitatem & gloriam, credendum est, omnes conspirâsse ad suppeditandum illi, quod habebant in thesauris suis exquisitissimum, directas ita & ad hoc in-

stitu-

ſtitutus à magnâ manu providentiæ DEI, quæ exſtimulavit illas omnes, beatas ſede exiſtimantes & omni ex parte conſecratas ſi quidquam ex parte ſuâ contribuiſſent, quod ipſi poterat eſſe emolumento. Beata fidera; quæ effudiſtis in illum veſtras maximè benignas influentias! Beate ſol, qui lucis tuæ radios, usque ad ipſius evibrâſti oculos! Beata terra, quæ portâſti ipſum ſæpius, quàm ipſa Sanctiſſima Virgo, quàm Sanctus Joſephus, quàm quævis alia ex omnibus creaturis! Beate aër, qui ſolus potitus es prærogativâ tam ſæpè ingrediendi in ipſius pectus, & tangendi ipſius cor, ad afferendum ipſi neceſſarium refrigerium! Beatæ tandem omnes creaturæ, hoc inſignitæ favore, ut inſervire potuerint in aliquo neceſſitatibus Creatoris ſui!

Poſthæc Carpophorus converſus ad bonum noſtrum Eccleſiaſticum, quem magis ſe verſatum credebat in intelligentiâ Sacrarum Scripturarum, propoſuit ipſi aliquas quæſtiones, vi quarum obſtrictus fuit declarare nobis ingentia alia prodigia de Infante JEſu, ſicut percipietis.

ARGUMENTUM.

Animadverſiones quædam particulares circa excellentias Infantis JEſu,

Articulus II.

Cùm idem omninò ſit Spiritus DEI, qui direxit pennam Prophetarum veteris Teſtamenti, & illam Evangeliſtarum, unde venit, quod non eâdem loquantur ratione? Speciosa legenti occurrunt verba in Vate Iſaia, exprimentia clarè Nativitatem, Nomen, & etiam alimentationem promiſſi Meſſiæ: *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium; vocabitur Emmanuel, butyrum & mel comendet, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum.* Unde venit, quòd Evangeliſtæ non uſi fuerint eisdem verbis? Unde eſt, quòd aliud imponatur nomen Infanti, quando octavo circumciditur die? Unde oritur, quòd nulla ab his fiat mentio, quid comederit, ſicut annotatum eſt à Prophetâ! Nonne tibi videtur, omnia hæc fuiſſe neceſſaria ad declarandam executionem vaticinii in hoc, quem nos agnoſcimus velut Meſſiam?

Iſa. 7.

Nonne vides, reſpondit Eccleſiaſticus, quòd Prophetæ locuti ſint velut Prophetæ, id eſt in figuris; quodque ſub verbis,

Concordantur Prophetæ & Evangelistæ circa nomen & alimentationem Infantis JEsu.

quæ dixerunt, semper fuerit absconditus alius sensus, quem Evangelistæ expressèrunt simpliciter, absque eo, quòd uterentur aliquâ figurâ. Quot diversa reperire est nomina, quæ tribuuntur Messiæ à Prophetis?

Isa. 7. Isaias vocat ipsum *Emmanuel:* ab

Isa. 9. eodem vocatur *Admirabilis, consiliarius, Deus fortis Pater futuri sæculi, Princeps pacis* à

Jerem. 23. Jeremia nominatur *Dominus Justus noster;* à

Zachar. 3. Zacharia nuncupatur *servus oriens.* Omnia hæc nomina profectò conveniunt ipsi, quia quodlibet ipsorum exprimit aliquam ipsi congruam prærogativam & excellentiam; sed ipsa non erant, nisi quasi figuræ, quarum veritas manifestè refulget in solo nomine JEsu.

Effectus ingeniosus Optices pro gloria Cardinalis Richelii.

Assentator quidam, probè gnarus, viros magnos avides esse honoris, placere volens magno cuidam Cardinali & Ministro regio, penicillo curavit exprimi totum Collegium Cardinalium, quemlibet ad vivum; sed ita dispositos secundùm regulas opticæ, ut si quis oculos suos ferret in certum quoddam punctum aspectûs, omnes disparerent, quin vel unicus ex illis in particulari discerni posset, & omnes ipsorum species sese unirent, ad repræsentandum exactissimè solam faciem magni hujus Cardinalis, cui hâc inventione blandiri volebat; vel quòd splendor ipsius gloriæ omnes offuscaret alios, vel quòd omnium Eminentiarum perfectiones fundendæ forent in unum ad componendum virum ipsi similem. Hæc ingeniosa erat vanitas, ad oblectandum hominem cupidum gloriæ.

Sed magna est veritas, quòd omnia hæc diversa nomina à Prophetis Messiæ, quem exspectabant, imposita, non sint nisi quædam penicilli lineamenta ultrò citróque projecta, ad exprimendum ipsorum unione adorandum, quo insignitur, nomen JESU: siquidem hoc solum includit illa omnia, imò & transcendit in excellentiâ, in dulcedine, in virtute, in majestate, cùm sit velut spiritus & quinta essentia omnium eorum, quæ Prophetæ de ipso dicere voluerunt per omnes hos diversos titulos, quibûs adornarunt ipsum. *Emmanuel* significat *Nobiscum DEus.* JEsus vult dicere quid amplius: siquidem exprimit, quòd DEus nobiscum, & nos cum Deo; significat enim ineffabilem unionem naturæ divinæ cum humana, & naturæ humanæ cum divina. JEsus dicit quid ampliùs, quàm *Admirabilis*, quia dicit Deum adorandum; dicit quid ampliùs, quàm *Consiliarius*, quia dicit infinitam sapientiam Dei Patris; dicit quid ampliùs, quàm *Deus*, quia dicit Deum Hominem; dicit quid ampliùs, quàm *fortis*, quia

Omnia augusta nomina à veteri Testamento Messiæ attributa, complectitur solum & unicum nomen JESU.

quia dicit virtutem omnipotentem Dei ; dicit quid ampliùs, quàm *Pater futuri ſæculi;* quia dicit Deum æternum, qui nec præteritum habet, nec futurum; dicit quid ampliùs, quàm *Princeps pacis,* quia ipſe eſt pax noſtra, & noſtra reconciliatio cum DEO Patre ſuo ; dicit quid ampliùs, quàm *Dominus juſtus noſter*, quia ipſe eſt noſtra juſtitia & ſanctitas infinita ; dicit denique quid ampliùs, quàm *Vir oriens*, quia dicit Deum æternum, qui oriri & naſci voluit inter nos, amore noſtri. Sic Auguſtum hoc nomen non tantùm complectitur in ſeipſo, ſed longè transgreditur omnia alia nomina à Prophetis ipſi impoſita.

Quomodò intelligendum ſit, quod dicitur: Butyrum & mel comedet.

Quòd autem concernit butyrum & mel, de quo loquitur Iſaias, tunc Prophetam illum eſſe, qui loquitur, adeóque non loqui, niſi figuras. Quamvis enim verum ſit, quod cum Infans JEſus natus ſit in terrâ promiſſionis, quæ fluebat melle & lacte, ſicut dicit ſcriptura, omnesque Hebræorum infantes more uſitato nutrirentur ejusmodi alimentis, quæ dulcia ſunt & facilia, quocunque habebant abundantiam, benè judicari poſſit, divinum hunc Infantem, his quoque nutritum fuiſſe: nihilominus credendum eſt, Spiritum Sanctum, qui verba dabat Prophetis, ipſi non inſpiraturum fuiſſe particularem hanc venturi Meſſiæ notam, niſi Myſterium quoddam & ſublimiorem quandam intelligentiam ſub his verbis voluiſſet abſconditam, Sancti Patres hæc conſiderantes in diverſas abiêre ſententias, qui nihilominus in hoc conveniunt omnes, quod lateat ſub his ſymbolum admirabilis bonitatis & clementiæ Chriſti JEſu.

Intelligentia myſtica butyri.

Verùm ſi mihi dicere liceat, quid ſentiam, conſidero, butyrum eſſe balſamum naturale, compoſitum è pluribus herbis degeſtis ab animali, quod deſtinatum eſt ad laborem, quodque denique devovetur morti, ut vivere faciat homines, nutriendô ipſos carne ſuâ & fortaſſis hoc balſamum, ab hoc animali nobis præparatum, citra id, quòd ipſumet illo unquam veſcatur, quodque totum in noſtros eſt uſus, ſignificat labores pœnoſæ & operoſæ vitæ Chriſti JEſu, è quibus nobis conficit ſummè & infinitâ ratione pretioſum meritorum ſuorum balſamum, compoſitum è pluribus afflictionibus ac doloribus, quàm numerentur herbæ & gramina ſuper terram, quodque totum integrum devovet nobis, quin unquam vel minimum ex eo pro ſe retineat : Et ideò Prophetа hæc voluit adjicere verba, ad declarandum divini hujus balſami effectum : *Ut ſcient reprobare* Iſa. 7. v. 15. *ma-*

malum & eligere bonum. Nonne enim hoc est, ex quo facere debeat reprobationem malorum & electionem bonorum, juxta quod benè vel malè usi fuerint meritis Redemptoris, quando acerrimè exprobrabit illis: *Quid debui facere pro salute vestrâ, & non feci?*

Intelligentiâ mystica mellis.

Et eâdem ratione mel est aliud naturæ balsamum, sed confectum ab apibus, quæ sunt quasi inter animalia, quod Angeli inter creaturas: siquidem ipsæ puræ omninò sunt & Virgines, cum plerique Naturæ arcanorum investigatores teneant, ipsas carere sexûs diversitate. Ipsæ sunt ferè semper elevatæ à terrâ, & escâ vivunt nonnisi lautissimâ, & si ita loqui licet, spiritu florum, è quibus componunt mel suum. Ipsæ ex hoc non tantùm nutriunt seipsas, sed nutrimenti sui etiam nos faciunt participes. Videtur hoc admodùm benè nobis ponere ob oculos delicias vitæ contemplativæ Christi JEsu, qui non vivebat nisi ex deliciis cœli, in medio amaritudinum terræ, ex aspectu adorandarum perfectionum DEI Patris sui, quas visitavit velut tot flores paradisi æterni, è quibus mirificam hanc extrahebat suavitatem, quæ vitæ suæ beatæ erat constitutiva. Non est hujus balsami sicut prioris ratio: nam qui hoc componit, etiam ex eo se nutrit; insuper dulcedinem ipsius communicat omnibus animabus puris, abstractis à terrâ & contemplationi addictis.

Deus gustandum porrigit bonis animabus butyrum & mel Infantis JEsu.

Impossibile est, formare animam sibi idæam ineffabilis hujus dulcedinis, ad declarandum illam aliis; oportet hanc ipsâ didicisse experientiâ; ipsa ex hâc plura addiscit in momento, quando placuerit Deo vel minimùm quid porrigere degustandum ipsi è lautissimis his mensæ suæ dapibus, quàm omnes simul homines circa hoc ipsam edocere possent. Verùm non fruitur ipsa impunè hoc favore, oportet enim ex hoc spoliari ipsam vitâ & mottem tolerare, sicut Jonathas, qui dixit: *Gustavi paululum mellis, & ecce morior.* Mors hæc est vitæ mundanæ, mors hæc est vitæ sensuum, mors hæc est vitæ naturæ. Anima vivere amplius non posset nisi vitâ divinâ, quando concepit id quid hoc sit. Plures speciali afficiuntur devotione erga Infantem JEsum; & verùm est, abundare hanc deliciis, quibus facultas sit omnes lucrandi & alliciendi animas, quæ non carent omni benignitatis & amoris sensa: sed oportet ipsos probè considerare, quibus excipiendi sint dapibus, butyro nempè & melle nec enim separari debet unum ab altero, quorum quidem illud totum est in laboribus & afflictionibus, hoc autem totum in quiete & dulce-

1. Reg. 14. v. 43.

dulcedine; quod innuit, mortificationem & orationem non ſeparari à ſe invicem in animâ, ſolidæ devotioni operam navante.

Galenus lib. 10. de Medic. ſimpl. cap. 10.

Probè novi, ſuaderi à Medicis uſum mellis pro infantibus, dicunt enim hujus virtute, ipſos præſervari à certis quibusdam parvis infirmitatibus, quibus ſubjiciuntur. Hinc aliqui crediderunt, ſumendum eſſe literaliter illud Iſaiæ dicentis de Meſſia, butyrum & mel comedet; ſed abſque ratione. Non indigebat medicamentis Infans JEſus, quia tam bonæ erat conſtitutionis corporalis, ut nunquam affectus fuerit aliquâ infirmitate, ſicut affirmat S. Thomas cum aliis.

D. Thom. 3. p. q. 14. a 4.

Cur JEſus Chriſtus non fuerit ſubjectus infirmitatibus.

Quare non, reponit Carpophorus, cum ideò venerit, ut noſtras aſſumeret infirmitates, quæ peccatorum noſtrorum quibus onerari voluit, pœnæ ſunt ac ſupplicia? Cumque tolerare potuerit mortem, cur non eâdem ratione infirmitates mortis prodromos?

Mirabile eſt quidem, reſpondit Eccleſiaſticus, quòd, cùm mori poſſet, tolerare nullam potuerit infirmitatem. Sed perfecta conſtitutio corporis ipſius diſpoſuit ipſum ad ſufferendos dolores infirmitatis, & magnitudo peccatorum noſtrorum condemnabat ipſum ad ſubeundam mortem. Sanè non debuerat nec infirmari nec mori, ſi ſiſtatur in terminis condemnationis à Deo contra Adam pronuntiatæ, eóquód infinitâ ratione fuerit alienus ab omni peccato ipſum ad mortem condemnante. Sed ultra hoc ſacrum ipſius corpus habuit tria privilegia admiranda quorum virtute perpetuò ſolutus fuit à lege incurrendi mortem & infirmitates.

Tria egregia privilegia corporis JEſu Chriſti.

Primum eſt, quod licet induerit carnem ejusdem ſpeciei cum carne Adæ, nihilominus hæc ejusdem non fuerit conditionis cum carne Adæ peccatoris, ſed Adæ adhuc exiſtentis in ſtatu innocentiæ, antequam ſententia mortis fuerit pronuntiata in ipſum. Secundum eſt, quod ipſius corpus non fuerit opus naturæ, ſed exquiſitiſſimum opus omninò prodigioſum omnipotentis manûs Dei, productum ex operatione Spiritûs Sancti, in puriſſimo ſinu Virgineæ Matris ſuæ; unde & eximi debebat ab omni lege naturæ. Et tertium, quod præcipuum eſt, habuit id jus particulare ad immortalitatem & impaſſibilitatem, cùm animatum fuerit animâ beatâ, quæ juxta legem conſuetam communicare illi debuerat gloriam ſuam, ſicut omnia corpora beatorum poſt reſurrectionem univerſalem in partem venient gloriæ animarum ſuarum, adeo-

que non fiebat absque miraculo continuo, quod Deus suspenderit hanc gloriam corporis adorandi Salvatoris, ut illi relinqueret facultatem tolerandi dolores & mortem pro nostrâ salute.

Desideria nostra oppsita sunt illis Christi JEsu ad confusionem nostrum.

O JEsu! quàm male rependimus maximam hanc incomparabilis amoris tui abundantiam! nos patraremus miracula, si facultas nobis foret, ad eximendos nos, ne pateremur pro te: Tu es innocentia ipsa, & tu vis pati? Ego enormibus obnoxius sum criminibus, & ego pati nolo? Tu sanctitas infinita, tu Deus immortalis, tu gaudium Angelorum vis pati pro me misero terræ vermiculo, quia amas me? Et ego sceleratus, ego millenas promeritus mortes, nil pati volo pro te, Deo meo, creatore meo, & Redemptore meo quia non amo te. Ah! unde est, mi Deus, quod non amem te, nisi quia non novi te! quicunque enim novit te, etiam amat te; obliviscitur sui ipsius, ut non cogitet nisi de te, ut non amet, nisi te. O mi JEsu, noverim te, ut amem te, ut amem affligi & pati pro te!

ARGUMENTUM.

JEsus in Ægypto, quid ibi fecerit, & quando ex illâ rediêrit?

Articulus III.

AN fugis, divine Redemptor? Credebam, te in fugam acturum inimicos tuos, vel prostraturum illos ad pedes tuos, ut tuam implorent misericordiam. Et tu fugis, & terga vertis Herodi, abscondis te in Ægypto, ut furorem, evadas hujus tygridis cruorem sitientis. Nonne tot milliones Angelorum ad tuum expeditos habes obsequium, quorum minimus sufficeret ad dolendum totum exercitum?

Quare Christus fugerit in Ægyptum.

Mirandum non est, inquit Carpophorus; intelligo, fugam ipsi tunc fuisse necessariam, ut subtraheret se furibundæ huic tempestati mox submersuræ tot innoxios parvos infantes. Non fugiebat mortem, qui eo nomine descenderat è cœlo in terram, quique ardenti succendebatur desiderio tolerandi mortem pro nobis. Sed ex unâ parte expediens non erat, ut suam daret pro hominibus vitam, antequàm ipsis suam tradidisset doctrinam; oportebat prius instruere mundum, quàm moreretur pro mundo. Et ex alterâ parte, si suam demonstrâsset gloriam ad salvandum suam vitam, suos delens per-

perſecutores omnipotentis brachii ſui virtute, animos hominum percelluiſſet terrore, qui obſtaculum injeciſſet conſilio, quod conceperat moriendi pro nobis. Sed quanta alia includit hæc fuga in ſe myſteria, quæ noſtram effugiunt cognitionem?

Pulchra documenta è fuga JEſu Chriſti in Ægyptum deducta.

Fuge dilecte mi. Fuge amabiliſſime mi Salvator. Docebis me exemplo tuo, quòd primus greſſus, quem formare oporteat ad ſequendum & imitantum te, ſit fugere malum, & ſubtrahere ſe mundo. Fuge & abſconde te illis, qui perverſo quærunt & inquirunt te animo. Docebis me, quòd non inveniaris, niſi inquiraris, corde ſincero ac fideli, qui non quærit te, niſi propter ſe, & propria ſua commoda, non inveniet te. Fuge in regionem, quæ non eſt illa Nativitatis tuæ, deſere cognationem tuam, & cunctos populares tuos, ut concedas eò, quò te vocant divini Patris tui decreta. Docebis me, non eſſe patriam nec cognationem in terrâ pro eo, qui ſolus voluerit eſſe tuus, patriam ipſius eſſe cœlum, cognationem ipſius eſſe Patrem cœleſtem, Angelos & omnes Beatos, omniaque mundi loca pari ratione ipſius eſſe exilium, ubi aliud non faciat, niſi quod appetat efflictim liberationem ſuam, ubi exſpectet ardenti cum deſiderio libertatem eundi in regionem ac patriam ſuam. Sed quare potius in Ægyptum, quàm in Syriam, vel in aliam mundi regionem?

Quatuor rationes, cur Chriſtus potius fugerit in Ægytum, quàm aliò.

Erant rationes urgentes, quæ trahere poterant ipſum potius huc, quàm aliò, reſpondit Eccleſiaſticus. Prima & magis propria eſt, quòd Ægyptus vicina ſit Judææ, quodque ipſa libera tunc eſſet à dominio Herodis; hinc eſt, quod ſerviret Judæis pro conſueto aſylo afflictis perſecutione in regione ſuâ. Secunda quæ tota erat congrua Infanti JEſu, eſt, quod Abraham, Iſaac & Jacob, omnes alii Patriarchæ, majores ſui, habitaverint ibi cum omnibus filiis Iſraël ducentorum ſpatio annorum. Et quando apparuit Moyſi in rubo ardenti, ubi ignis adhærens ſpinis, quas non comburebat, erat figura myſterii Incarnationis, ſicut alibi diximus; hoc fuit, ut promitteret ipſi, ſe deſcenſurum, ut liberaret populum ſuum à tyrannide Pharaonis, à quo captivus tenebatur in Ægypto. Tertia, quod ibidem demonſtraverit figuram magis expreſſam ſacrificii ſui, magisque evidentem imaginem, declarantem robur ac virtutem pretioſi ſanguinis ſui, quando nimirum Angelus exterminator miſſus à Deo ad occidendos omnes primogenitos Ægypti, pepercerit filiis Hebræorum, eòquòd ipſorum poſtes aſperſos invenerit ſanguine Agni

Vide conſult. 5. art. 5.

Paschalis, tanquam figuræ Christi JEsu, qui verus est Agnus Dei tollens peccata mundi.

Quarta est ratio vehementius impellens ac movens cor ipsius. Ægyptus erat regnum magis immersum impietati sub falso pietatis zelo; Oppositi hâc in parte Atheis, nullam prorsus admittentibus divinitatem, tam vastis ac amplis ardebant desideriis amplectendi omnia divinitatum genera, ut non solùm adorarent omnia aliarum nationum idola, sed in singulas ferè horas fabricarentur sibi ingentem novorum Deorum numerum, eorumque tam ridiculorum, ut non abhorrerent, nec erubescerent supremis prosequi honoribus canes, feles, crocodilos, vitulos, hircos, morbos, plantas, usque ad cepas; denique ex rebus quibusque despectissimis effinxerunt sibi adoratione dignos, ex immoderato desiderio adorandi divinitatem. Quàm deploranda hæc cœcitas sat habens capacitatis excitandi ad compassionem mundi Salvatorem! Nonne tibi videtur, magnum hunc medicum succurrere voluisse primò, ubi major occurrebat necessitas, ibique apponere remedium, ubi majoris infirmitatis aspiciebat incrementum. Sic S. Hieronymus asserit plurima idola subversa fuisse in totâ Ægypto ad introitum Infantis JEsu, inhærens textui Isaiæ: *Ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra à facie ejus.* Isa. 19.

Ægyptus erat pars mundi magis infirma; cui propterea Christus primò succurrit.

S. Hieronymus.

Quis diffitebitur, esse prodigium, videre, quà ratione hoc regnum, aliàs omnibus superstitionibus magis addictum, exin cætera omnia superaverit puritate suæ fidei, & veræ religionis zelo, eóquód ex omnibus primò honoratum fuerit præsentia Salvatoris mundi? siquidem refulgere ibi est visa admirãda sanctitas Antoniorum, Paulorum, Macariorum, compluriúmque legionum sanctorum Anachoretarum, quorum vitæ consignari calamo meruerunt à Magnis Ecclesiæ Doctoribus, S. Hieronymo, S. Athanasio, Sophronio & pluribus aliis. Hinc S. Chrysostomus dicere non est veritus, non majori resplendere decore Firmamentum, quando astrorum suorum condecoratur fulgore, quàm resplenduerit Ægyptus oculis Angelorum in cœlo ob multitudinem & varietatem Monasteriorum, quorum inquilini sanctitate conspicui, tot visibilium referebant speciem Angelorum. Olim Trismegistus relatus à S. Augustino dicebat de Ægypto: Ægyptus cœli imago, & totius mundi templum. Nonne tibi videtur hoc fuisse Vaticinium?

Ægyptus est primus paradisus Ecclesiæ Christianæ,

S. Chrysost. hom. 8. in Matth.

S. Aug. de civit. lib. 8. cap. 14.

Sed

Quamdiu JEſus manſerit in Ægypto,

Sed Infans JEſus an longo tempore manebit in Ægypto? Opiniones Auctorum admodùm variant hâc in re. Baronius credit, ipſum manſiſſe ibi novem annis. Ammonius, quem ſequitur S. Antonius, tenet, ipſum ibi ſubſtitiſſe ſeptem annis; alii quinque duntaxat annorum faciunt mentionem. Sed veriſimilis eſt, quod aſſerunt S. Epiphanius & Nicephorus, ipſum non manſiſſe ibi, niſi circiter duobus annis, cujus ſatis plauſibilem afferunt rationem: ſiquidem certum eſt, divinum hunc Infantem non fuiſſe illuc deportatum, niſi ad ſummum uno anno ante obitum Herodis, quem is non ſupervixit ampliùs ab excidio parvulorum Innocentium, uti obſervant omnes Auctores, qui exarârunt tragicum ac infelicem ipſius finem. Et quamprimùm poſt hanc mortem admonuit Angelus S. Joſephum, ut reportaret puerum in terram Iſraël, ſicut ſcribitur in Evangelio S. Matthæi, qui adjungit, quod Sanctus Joſeph edoctus, Archelaum regnare poſt mortem Herodis Patris ſui, timuerit illuc ire, illucque portare puerum. ne experiri contingeret aliquas adhuc reliquias crudelitatis Patris in Perſonâ ſui Filii: quo clarè innuitur, regnum Archelai adhuc quid novum fuiſſe, quia S. Joſeph hoc expertus non eſt, niſi in reditu ſuo ex Ægypto, ubi novum hoc regnum nondum erat cognitum. Cùm igitur verum ſit, Infantem JEſum non ingreſſum eſſe Ægyptum, niſi circa finem vitæ Herodis, ipſumque inde exiiſſe ab initio regni Archelai illi ſuccedentis: manifeſtè conſtat, illum diutius ibi commorari non potuiſſe, niſi duobus, vel ad ſummum tribus annis.

S. Epiphan. hæreſ. 78. Niceph. L. 1. cap. 14.

Matth. 2.

JEſus reverſus ex Ægypto deportatus fuit in Galilæam, regionem vicinam Judææ.

Redux & Ægypto non conceſſit in Judæam, ubi regnabat Archelaus, non minùs ſucceſſor crudelitatis, quàm plerumque ditionum Herodis ſcelerati: Sed deportatur in Galilæam, quæ dependebat ab Herode Antipa, fratre ejus, paulò minùs crudeli, quàm ipſe. Et habitavit in Nazareth, quæ parva eſt civitas, jucundiſſima tamen ob commodam ſituationem & amœnitatem climatis, illuſtriſſima ad hæc reddita præ omnibus mundi civitatibus, ob inquilinorum ſuorum honorem & gloriam. Ecce quomodò Adrichomicus de ipſâ loquatur in deſcriptione terræ ſanctæ.

Adrichom.

Deſcriptio civitatis Nazareth, ubi Chriſtus habitavit.

Nazareth, quod interpretatur flos, pulchra ac florens Galilææ civitas eſt, Capharnaum Urbi ſubjacens, ædificata ſuper montem, quem coronæ inſtar ambit, duâbus leucis â monte Thabor, trium autem dierum itinere ab Jeruſalem diſtans. Hìc Beata Maria, candens flos Virginum, nata eſt;

Hìc Christus Dominus noster & Salvator, gloria & corona nostra; ut flos campi (inquit Hieronymus) nasceretur in flore virtutum, conceptus & educatus est, ac viginti quatuor annis habitavit. Unde & civitas hæc civitas sua, & patria sua, ipse verò Nazarenus, seu Nazaræus & Galilæus appellatus est. Sed & nos, qui nunc à Christo Christiani, apud veteres quasi opprobrio à Nazaræo Nazarai, & à Galilæo Galilæi dicebamur.

Nazareth glorioſior Româ,

O beata civitas, anteponenda Romæ, & Conſtantinopoli, & Jeroſolymæ, & quibusvis celeberrimis civitatibus mundi! O civitas cœlo æquiparanda Empyreo, cum ſupremus Monarcha mundi elegerit ipſam, ad figendum in eâ ſuum habitaculum! O millies beata domuncula Nazarethica, quam ſuâ honorârunt præſentiâ omnes ſupremæ Majeſtates cœli & terræ! O quanta gloria, anguſto ſuò ambitu concluſiſſe maximè Auguſtum Filium Unigenitum Dei vivi, quem ſcriptura appellat *Regem Regum & Dominum Dominantium, qui ſolus habeat immortalitatem*; Sanctiſſimam Virginem, Reginam Angelorum, Matrem Omnipotentis hujus Monarchæ; S. Joſephum omnium Patriarcharum veteris Teſtamenti gloriam; Sanctum Joachim & Sanctam Annam, illuſtriſſimos Sanctiſſimæ Virginis parentes.

Ubi es, ſancte Rex David, qui tam copioſam præparâſti materiam, tam abundantes coacervâſti divitias, conqueſtus adhuc de paupertate tuâ, dum revolvebas animo, rem agi de ædificando palatio pro infinitâ Majeſtate DEI? Ubi es, magne Rex Salomon, qui pia Regis patris tui executus conſilia, exſtruxiſti magnificum hoc Templum, quod cenſendum eſt cunctis mundi prodigiis eripere palmam? ſi cœlum mandatum vobis dedit præparandi habitationem congruam pro tot verticibus coronatis; an tota ſapientiæ veſtræ amplitudo, tantæ fuit amplitudinis, ut invenire & excogitare potuerit conclavia ſatis ſplendida, ſatis lauta, ad excipiendum dignè omnes illorum perſonas, cum omni apparatu, quem ſuprema ipſorum requirat dignitas?

Et nihilominus, o ſapientia infinita Dei! quàm attolluntur cogitationes tuæ ſupra cogitationes hominum? Conſpicitur adhuc hodie ſancta hæc domus Nazarethica, & ipſa conſpicitur eſſe paupertas; Tempus, quod conſumit & devorat omnia; non intermiſſa mundi revolutio, quæ ſubvertit & ſolo adæquat civitates, imperia, potentiſſimorum regum ſolia, & omnia ſæculorum curricula, ceſſarunt nunquam ſanctum hunc locum maximâ proſequi reve-

Sancta Domûs Lauretana.

ren-

rentiâ: ipſa conſervata eſt tota integra, cuſtodita ab Angelis, ſæpius de loco in locum transportata ab ipſis, & tandem ceu illuſtre munus conſignata Italiæ, ſituata nunc interiorio Eccleſiæ Romanæ: Et hæc ſancta eſt Domus Lauretana, locus præ omnibus in mundo veneratione digniſſimus.

Prodigium ſanctæ Domus Lauretanæ.

Huc accurritur ab omnibus Chriſtiani mundi regionibus, ad uſurpandum oculis palatium, quòd tota cœleſtis curia pro ſuo uſurpavit palatio. Huc omnia coronata capita, ſua mittunt & ablegant pignora, vel ipſamet concedunt illuc in perſona, ut ſua præſtent homagia Majeſtati DEI immortalis, qui hunc locum corporali ſuâ honoravit præſentiâ. Hìc continuus peregrinorum videtur affluxus, quos devotio è longinquo attractos rapit & volare facit præ gaudio, dum accedunt propiùs: O Deus! quando ipſius frontiſpicio characteribus aureis inſcripta intuentur magna hæc verba: *Hìc Verbum caro factum eſt;* fides vacillans plurimùm, firmatur ſolidiſſimè in credendo Incarnationis myſterium. Et quando cum reverentia divinum hoc ingrediuntur ſanctuarium, nemo tam omnis eſt expers ſenſûs, quin experiatur vim ac robur verborum Angeli, *Gratiâ plena;* ſiquidem continuò tanta diffunditur gratiæ plenitudo, ut non ſit cor adeò durum, quod non emolliatur, nec adeò inhumanum, quod non moveatur, nec adeò frigidum quod non diſſolvatur in dulcedinem ac devotionem.

Gloria Sancti ſacelli Lauretani.

O mi chare Carpophore, nemo id poteſt capere, niſi ipſam Magiſtram habuerit experientiam. Quàm cenſeo obſtrictum me Deo, dum ſors mihi obtigit inviſendi ſæpiùs ſacratiſſimum hoc Tabernaculum DEI cum hominibus, iteratis ibi vicibus divinum litandi Deo ſacrificium & aſpiciendi in meis naſci manibus eundem JEſum Chriſtum, quem Sanctiſſima Virgo in puriſſimo ſuo concepit utero, eodem in loco, ubi ineffabile hoc adimpletum eſt myſterium! quàm me æſtimo beatum, dum aliquoties licuit mihi Altari ipſius exigua mea præſtare obſequia, purgando ſcopis ejusdem pulverem divitiis regum terræ longè pretioſiorem! O quàm affirmatur verè, inuſitatarum gratiarum abundantia diffluere hunc locum! Quamvis enim verum ſit, cor meum durius eſſe ære, & omni ſolidius marmore, ita illud ſentiebam emollitum, ut abſtinere non potuerim à lachrymis, videndo parvum hunc locum, qui non plures quàm viginti quatuor complectitur pedes in longitudine, & quindecim

cim vel sedecim in latitudine, semper adornatum esse quadraginta circiter lampadibus, aliis ex auro, aliis ex argento, ardentibus dies noctesque, velut homagia à summis Principibus totius Reipublicæ Christianæ appensa. Dum publica devotio, quâ nunquam non sacrum hoc repletur fanum, non in vanum millena versùs Deum ejaculabatur suspiria, abreptum me sentiebam gaudio. O divine JEsu! O Maria! quàm æquum est cœlum & terram convenire, ad exhibendum tibi hìc homagium ac tesseram fidelitatis!

Libenter effudissem cor meum in votum non absimile voto Petri in vertice Thaboræo: mi Deus, quàm bonum est nos hìc esse! abeamus hinc nunquam. Quâ ratione, mi amabilis JEsu, quâ ratione ô Sancta Virgo deserere quis possit domum vestram? Si corpus meum exire hâc æde cogitur, tolerabo nunquam, ut separetur ab eâ cor meum; sed desidero affixum id manere in medio lampadum, ad ardendum ibi semper igne divini amoris tui, noctes diesque usque ad finem sæculi. Sed super omnia ipsius hìc exopto præsentiam, ut id solum elicere contendat omnes actus adorationis, laudis, gratitudinis & amoris Dei, quos elicient omnes bonæ animæ sacrum hunc locum accessuræ, usque dum sæculorum accedat meta.

Carpophorus devotione piis hujus Ecclesiastici exstimulatus, alia bona concepit desideria. Et ecce quâ ratione exposuerit illa.

ARGUMENTUM.

Infans JEsus perditus, & exin post tres dies in templo inventùs, ubi loqui videtur aliquantò severiùs Matri suæ.

Articulus IV.

QUàm durum est cunctis animabus amantibus Christum JEsum, privari cognitione eorum omnium, quæ dixit vel fecit tempore suæ infantiæ! Nam si verum est, quod à momento, quo DEus locutus est juveni Samueli, illumque replevit Prophetiæ spiritu, tam pretiosa fuerint ipsius verba, ut nec unicum abire in vanum fuerit permissum; *Et non cecidit & omnibus verbis ejus in terram:* quantò magis nec minimum quid concernens Christum JEsum dimittendum est incassùm, cum infinitâ ratione 1. Reg. 3.

tione is major & excellentior ſit Samuele? certum namque eſt, ipſum nec unicam confeciſſe opellam, nec minimum protuliſſe verbum, aut verbi apicem, qui aureis literis non mereatur exarari. Nihilominus omnes hæ pretioſæ notitiæ, quæ inſcriptæ & conſignatæ ſunt magno volumini conſiliorum Dei, amiſſæ ſunt pro nobis & profundâ ignorantiâ tumulatæ.

Pauca nobis conſtant de Infantiâ Salvatoris.

Verùm quidem eſt, conſpectum olim fuiſſe librum, cui titulus: *De Infantiâ Salvatoris.* Credendum quoque eſt, ipſum continuiſſe quidpiam veri; Nam quæ veriſimilitudo, totum aliquem librum meris conſtare mendaciis) ſed quia ſcatebat plurimis rebus commentitiis, quibus Hæretici, & præcipuè Valentiniani, id obſervante S. Ireneo, utebantur ad oppugnandam fidem, & laceſſendum inimicis JEſum Chriſtum, Eccleſia velut apocryphum & fide indignum reprobavit ipſum. Eheu! ſi Deus permiſiſſet, ut purgaretur potius & conſervaretur id, quod complectebatur verum! Ingenti enim nobis eſt faſtidio, nec minimam partem vitæ Salvatoris noſtri conſtare nobis.

Iren. l. 1. c. 17.

Luc. 2.

Sed nonne habemus in Evangelio, reponit Eccleſiaſticus, magnum illud facinus, quod exantlavit in templo anno ætatis duodecimo? Præcipiebat lex Hebræis, ut ſingulis annis concederent Jeroſolymam celebraturi ibidem Feſtum Paſchale, ſolemnitas totâ producebatur hebdomade, & melior diei pars agebatur in templo, ubi laici remanebant ad porticum, viri ſeparati à mulieribus. Circa finem octavæ Sanctiſſima Virgo, quæ nunquam à latere ſuo dimittebat divinum Infantem ſuum, quem propriâ plus diligebat vitâ, tam profundè abſorpta fuit in oratione in DEum, ut non adverterit, quando & quomodo deſerta fuerit ab ipſo: reverſa ad ſe ab extaſi, ipſumque: penes ſe non inveniens, credidit ipſum eſſe cum ſancto Joſeph: ſolent enim infantes modò matri, modò adeſſe patri. Sed finitâ cæremoniâ cum iterum convenirent ſanctiſſima Virgo & S. Joſeph, neutri, ubi moraretur Infans, conſtabat; facilè tamen ſibi perſuadebant, ipſum fore inter cognatos & notos, ob ingentem amorem, quo hi proſequebantur ipſum, & ſuas in converſatione cum ipſo capiebant delicias, quas & tunc capere credebant redeundo in Nazareth; Aſt confecto die integro in hâc cogitatione: Eheu! quàm productus videbatur illis hic dies quanta tædia, quantæ anxietates, quanta deſideria priſtino iterum potiundi gaudio, in iteratâ poſſeſſione theſauri ſui! ſed aberant

S. Antonin. Epit. hiſt. tit. 5. c. 1. §. 5.

Quomodò contigerit perditio Infantis JEſu in templo.

ab eo longius, quàm credebant, sperantes se ipsi appropinquare, sed fugiebant ab ipso.

Anxietates Beatissimæ Virginis ob amissionem Charissimi Filii.

Accedente vespere, cum nemo ex totâ esset cognatione, qui ipsius haberet cognitionem, sævissimo cordis in meditullio transfixi dolore, reversi quantocyùs maximâ cum festinatione Jerosolymam, requisiêrunt ipsum ubique, sed labore irrito. Quid agebas miseranda mater? quænam erant sensa cordis tui? quâ amaritudine redundabat anima tua? Nonne tu ipsa & sponsa in sacro Epithalamio ingemiscens & dicens: *Surgam & circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea: quæsivi & non inveni?* Quoties ad ipsumet direxisti verba, ut addisceres ab ipso & de ipso nova? *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Instrue me ergò dilecte animæ meæ, ubi invenire te liceat mihi: quò abiisti? tui quis curam gessit? quis tibi tribus, quibus abes, diebus struxit mensam? nemo est, quem non quæram, & nemo est, qui mihi, ubi sis, valeat indicare.

Cant. 3. v. 2.

Cant. 1. v. 6.

Sanctissima Virgo invenit JEsum in templo.

Ah! Neutiquam inter cognatos, nec in medio platearum civitatis, nec in familiaritate cum mundo invenitur, quando perditus est Deus. Tu probè id nôsti sanctissima Virgo: Vade in templum, ibi invenies eum in medio Doctorum seriis & gravibus vacantem negotiis, utpote quæ divini Patris sui concernant gloriam: Vadit illuc, puerum hunc invenit speciosiorem Angelo in medio legis Doctorum, quos omnes honorabiles veneranda reddebat canities, verisimiliter creditur, ipsos discrepâsse de adventu Messiæ, cum hæc quæstio fortiter fuerit agitata ex eo tempore, quo Reges Magi nuntiaverant Jerosolymæ, stellam cœli nuntiâsse sibi ipsius Nativitatem: Proponebat ipsis quæstiones valde prudentes ad addiscendum in speciem more alicujus discipuli, sed reverâ docebat eos velut Magister ipsorum: Siquidem juxta mentem Origenis non minor requiritur scientia ad benè interrogandum, quàm ad benè respondendum, sæpiusque tam benè interrogando, quàm respondendo docetur. Hærebant omnes attoniti divina percipiendo oracula ex ore ipsius profecta. *Stupebant super prudentiâ & responsis ejus* Cuncti applaudentes admirabantur, & admirantes applaudebant ipsi.

Origenes.

Luc. 2.

Et Sanctissima Virgo geminato accumulata gaudio, tum quod dilectum suum recuperaverit Filium, tum quod conspexerit ipsum gloriâ & honore ab omnibus locupletatum, accessit eundem, ipsumque incredibili amo-

amoris eſt amplexata affectu. Ah! Charissime mi Fili, vix non vitâ privavit nos dolor, tuo privatos aſpectu & præſentiâ; angore pleni ubique quærebamus te; Eccur nos tantâ obruere voluiſti afflictione? *Fili quid feciſti nobis ſic? pater tuus & ego dolentes quærebamus te?* Quibus verbis dolore & amore plenis repoſuit ipſe: *Quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis, quod in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?*

Luc. 2.

Sed videtur, inquit Carpophorus, reſponſum hoc aliquid præſeferre ſeveritatis; nec capio, quod videam in Evangelio, ipſum ſemper rigidiuſculo uti cum illâ alloquio, quin vel unquam oſtendat illi aliquam amoris teneritudinem, vel ullâ extollat ipſam laude vel minimâ. Siquidem hoc in facto, nonne videtur ipſam increpare, impendere ipſi objurgationem non meritam, pro eo quod rependere debuiſſet ipſi grates ob impenſum in quærendo ſe amorem ac ſolicitudinem? Quando admonuit ipſum, deficere vinum invitatis in nuptiali convivio in Canâ Galilææ, reſpondit illi: *Quid mihi & tibi eſt, mulier? nondum venit hora mea?* Non videmus hoc reſponſi filialem aliquem prodere vel continere affectum, cùm ne quidem dignetur compellare ipſam Matris nomine.

Joan. 2.

Quando fuit quæſitus ab ipsâ, ut loqueretur illi, dum diſſeminaret Verbum Dei, ſicut refertur duodecimo capite S. Matthæi, non ſolùm renuit ipſi loqui; ſed ferenti nuntium: Ecce mater tua & fratres tui, foris ſtant, quærentes te; reſpondit: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et extendens manum ſuam in diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei! Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror & mater eſt. Non magni ſanè æſtimare, nec ardenter amare videtur matrem ſuam, cùm ipſam omnino proponat peregrinis & extraneis.

Matth. 12.

Videtur JEſus ſeverius habuiſſe Matrem ſuam, pluribus in locis.

Cùm aliquando aliqua fœmina altùm exclamâſſet in plenâ audientium coronâ, tota extra ſe abrepta admirabili ipſius concione, illique diceret: *Beatus venter, qui te portavit;* mox ipſi reſpondit: Dic potius; *Beati qui audiunt Verbum DEI & cuſtodiunt illud.* Tandem conſtitutus in extremis, jamiam exſpiraturus in cruce, ubi debebat, ſicut videtur, commiſerationis in ipſam moveri ſenſu, cum videret ipſam præ compaſſione fatiſcentem & vix non emorientem ex aſpectu tormentorum ſuorum, aliud non fecit, niſi quod recommendaverit ipſam ſancto Joanni, & viciſſim hunc ipſi;

Luc. II. v. 27.

dicendo. Mulier, ecce Filius tuus! ubi denuò privavit ipsam solatio, quod ex Matris haurire poterat compellatione, saltem in extremâ hâc occasione. Nonne tibi videtur, quod consultò semper duriusculum sese exhibuerit ipsi? Quis comprehendere possit tam inusitatum agendi modum talis Filii cum tali matre?

Fateor, respondit Ecclesiasticus, ciere hoc primâ fronte admirationem; quam autem exues, si consideres verum amorem non consistere in verbis, sed in operibus, juxta egregium illud dilecti Discipuli effatum: *Non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate.* Aspice admiranda opera, stupenda facinora, quâ Christus JEsus exantlavit pro sancta matre suâ, & affirmabis, ipsum solam plus amari ab illo, quàm omnes creaturæ simul. 1. Quòd prædestinaverit ipsam ad dignitatem maximam, quâ insignire possit puram creaturam, eligendo ipsam in Matrem suam. 2. Quòd præservaverit ipsam à peccato originali, prærogativâ omninò inusitatâ, quæ non conveniat, nisi ipsi soli. 3. Quòd conservaverit puritatem ipsius Virginalem unà cum Maternitate, invertendo per hoc omnes naturæ leges. 4. Quòd non permiserit ipsam labi in minimum peccatum veniale. 5. Quòd repleverit ipsam eâdem plenitudine gratiæ, quam complectebatur in seipso, quamquam aliter, ubi loquitur S. Hieronymus. 6. Quòd denique se reddere voluerit ipsi subditum, ipsâque inferiorem, ac vivere sub ipsius obedientiâ, ut conferret ipsi supremum gloriæ solium in cœlis. Ex magnis hisce effectibus colligere & deducere oportet affectus amoris, quo prosecutus est ipsam: quibus perspectis impossibile est, quin videas, nunquam & nusquam tam perfectum fuisse amorem filii erga matrem suam.

Non est creatura, quod tanto honore affecerit Christus sicut sanctissimam Virginem.

1. Joan. 3. v. 18.

Et unde ergò venit, replicat Carpophorus, quod tam paucas & tenues nobis reliquerit notas, tum æstimationis, tum amoris, quo ferebatur in ipsam tempore vitæ suæ mortalis? Tantis exornavit encomiis sanctum Joannem Baptistam: tam evidentia amoris signa exhibuit alteri Joanni suo Discipulo. Nonne æquum fuerat, ut majoribus celebraret elogiis matrem suam, manifestiora monstraret sanctissimæ Genitrici suæ dilectionis signa?

Plurus efficaces rationes impulerunt Christum, ut aliquam severitatem exteriorem ostenderet erga Beatam Virginem,

Considera, reponit alter, magnum consilium, quo impulsus &, ut descenderet de cœlo in terram. Primò id erat, ut Patris sui cœlestis promoveret gloriam, omnésque perfecto ipsius succenderet

cenderet amore. Secundò ut ædificaret Eccleſiam ſuam ſupra naturam, innixam ſolidis fundamentis gratiæ. Tertiò denique, ut procuraret ſalutem & perfectionem animarum. Jam ut efficaciter tria hæc ingentis momenti conſilia ad optatum deduceret effectum, oppugnandus illi erat non ſolùm amor criminalis, ſed etiam amor naturalis. Nam ſicut certum eſt, amorem criminalem abſolutè deſtruere amorem divinum & ſalutem animarum; ſic certum quoque eſt, amorem naturalem, dum dominatur in corde, illudque affigit rebus terrenis, abſolutè obſtaculo eſſe amoris divini & animarum perfectioni. Et dici poteſt, majorem ratione quadam occurrere difficultatem in oppugnando & vincendo amorem naturalem, qui innocens videtur, quàm criminalem qui ex ſe tantæ deformitatis conſpicitur, ut facile ſit inducere animo averſionem & honorem ab ipſo.

JEſus Chriſtus oſtendere voluit, amorem naturalem non eſſe, quem exigeret ab animabus bonis.

Hinc Chriſtus JEſus non ſolummodò ſuum impendit, & accendit zelum, cuncta objurgandò & increpandò vitia, ſed magis judicavit expediens expedire animas à vinculis amoris naturalis, usque adeò ut diceret: *Qui non odit Patrum ſuum & Matrem ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Hic loquendi modus, qui exceſſivus nobis videtur, luculenter demonſtrat, quàm ardenter exoptet & velit immune eſſe cor noſtrum ab his naturalibus erga cognationem & propinquitatem affectibus, quos æque natura inſerit animantibus, quàm hominibus. Hinc eſt, quòd omni, qui reliquerit patrem & matrem, fratrem & ſororem & reliqua propter ſe & amore ſui, promittat in hâc vitâ centuplum, & in aliâ vitam æternam. Hinc eſt, quòd declaret nobis, ſe non veniſſe, ut afferet pacem, ſed gladium, ſeparandò nimirum patrem à filio, & fratrem à ſorore ſuâ. Verbum ipſius eſt gladius acutus, qui reſecat omnia vincula horum affectuum ad carnem & ſanguinem, quæ retinet & conſtringunt animam in ſtatu puræ naturæ, quæque ſunt pondere ita ipſam deprimentia, ut nunquam liberè attollere ſe poſſit ad DEum ad vivendum vitâ divinâ, & aſſequendum perfectionem amoris DEI. Luc. 14. v. 26.

Docet nos, quâ ratione præferendus ſit DEus conſanguineis.

Sed quia docere voluit homines tam exemplis, quàm verbis ſuis, ipſemet hunc infixit in propria viſcera ſua gladium, ut loquitur Auctor libri de verâ circumciſione, quia annumeratur operibus S. Hieronymi. Hinc quamvis ſanctiſſimam Matrem ſuam infinitâ ratione majori proſequeretur amore, quàm unquam aliquis filius omnes ſuos

prosecutus fuerit propinquos; & quamvis, cum infinitâ rationis fuerit perfectus, dominari quidem ipsum permiserit in corde suo, illúmque ostenderit in operibus & verbis suis cum totâ perfectione, quæ congruebat Deo-Homini; nihilominùs nullam illius exhibere voluit demonstrationem extrinsecam, ne exemplo suo approbare & firmare videretur quod condemnabat verbis, néve homines, qui artem non callent transformandi amorem naturalem in amorem perfectum, ansam è bono exemplo malè intellecto sumerent, veras suas firmandi & stabiliendi imperfectiones.

Beatissima Virgo noverat sanctam intentionem Filii.

Quis novit, an divina hæc Mater, quæ non habebat nisi cor & animam unam cum dilectissimo suo Filio, agnoscens animi ipsius arcanum, non æmulata fuerit ipsum in magno hoc consilio reprimendi affectus amoris pure naturalis, ad cedendum in corde suo locum affectibus amoris divini & supernaturalis? Et hinc ex parte suâ nec minimum quid demonstrationis externæ & sensibilis exhibuit, quod exspectari non poterat à tali Matre erga talem Filium. O si sciremus, quantum aspernetur anima perfecta omne id, quod non est nisi effectus & opus naturæ! tantundem quasi, quantum animæ bonæ vulgares abhorrent peccata majora.

Non tantùm amor criminalis, sed etiam amor naturalis est vituperandus.

Toleramur, quando increpamus amorem criminalem, cùm hic ex seipso sit infamis, ut ipsos sectatores suos suffundat pudore, nec sint nisi bruta, quæ illo non offendantur. Sed reclamant, obsistunt, obloquuntur, crudele id esse, asseverant, non requiri esse æreum, ut aliquis sit sanctus; illos duntaxat, qui in Ecclesiis super altaria sunt sancti, carere sensibus; Hos autem, qui versantur inter homines, sensibus pollere: afferuntur rationes, allegantur intensi amoris sensa deprædicata in pluribus sanctis; quæruntur exempla in ipsis etiam brutis, quæ non caruêre amore naturali; sub hoc quid lateat mali, interrogatur; annon potiùs vertendum sit probro, si dicatur de aliquo, nil habere illum propensionis naturalis; unico verbo, naturalis amor tot habet causidios, tot Advocatos causam suam agentes, ut magnæ deputetur iniquitati, ipsum condemnationis ferire sententiâ.

Quomodò amor naturalis commutandus in supernaturalem.

Verùm non condemnatur usque ad mortem; exoptatur, ut vivat vitâ magis excellenti, commutatus in amorem supernaturalem. Inhibere absolutè, ne cor amet, foret sævissimô afficere illud suppliciô, quo feriri precabatur olim à Diis cor inimici

mici sui: *Nec amet, nec ametur ab ullo.* Verùm, estne hoc inhibere, ne amet, quando præcipitur, ut amet perfectius? Estne velle, ut neminem amet, dum obstringitur, ut omnes amet? Estne hoc privari amore, dulcissimo cordium solatio, non aucupari ampliùs solas propensiones naturæ, quæ nunquam non sunt debiles, valdè limitatæ & imperfectissimæ; sed permittere cor suum sacris affectibus gratiæ & impulsibus Spiritûs DEI, qui propinant ipsi delicias amoris vehementioris, amplioris, & incomparabiliter perfectioris.

Qui amant omnia amore supernaturali, melius amant cæteris.

Qui putant, non haberi amicos, nisi amentur amore naturali admodùm vehementi & intenso, non credunt, ipsos aliâ ratione posse amari. Indulgeo illis, ut hâc ratione studeant amare; sed vellem interrogare ipsos, an Beati, qui sunt in gloriâ, ubi affectus amoris purè naturalis nullam amplius inveniunt locum, nullum habeant amicum? An amari possint amici perfectius, quàm amentur ab ipsis? Vellem ulteriùs quærere ex illis, an animæ sanctæ, quæ semper vivunt in statu supernaturali gratiæ, uti contendunt occupare se nonnisi eodem amore divino, qui æternaliter regnare debeat in cœlo, expellentes pro viribus suis omnes affectus amoris purè naturalis, nullo fruantur amico? Nonnè hi amant amicos suos perfectius, dum amant more Beatorum, quam si amarent ipso more brutorum animantium? Eheu! quâ ratione satiari cor potest amore naturali, eòquòd tam pauper hic sit, ut nonnisi perpaucos admittat amicos, quos amet perfectè, cæteros omnes autem negliget & dimittat? ipsius namque est regula, quòd, qui amat omnia, amet nihil. Nonnè id millies magis beatum est, dum unicè amori vacat & intendit supernaturali, cujus amplitudo non habet limites, cujus divitiæ nequunt exhauriri: ipse nescit excludere aliquem, cùm ipsius ex adverso sit effatum ac placitum: *Qui non amat omnia, amat nihil.*

ARGUMENTUM.

Quid fecerit JEsus Christus post reditum suum in Nazareth, usque ad ætatem triginta annorum?

Articulus V.

JEsus Christus revertitur in Nazareth.

ACcidit nobis hìc sicut sanctissimæ Virgini, quæ perdidit præsentiam dilecti sui Filii, quin id perciperet tempore orationis suæ.

ſuæ. Dum loquebamur de Deo, JEſus Chriſtus ſubtraxit ſe, non eſt ampliùs in templo, nec in civitate Jeroſolymâ; inquiramus eum, & inveniemus rediiſſe ipſum cum Patre ſuo & Matre ſuâ in civitatem Nazareth, velut in profundam ſolitudinem, ubi dignus deinceps non erit mundus videre eum, nec ſermonem audire de eo, usque ad ſpatium annorum octodecim.

Verùm quid fecit ibi? interrogavit Carpophorus: Nonnè omnes Angeli, qui noverant & adorabant ipſum velut DEum ſuum, deſcenderunt indies de cœlo ad exhibenda ipſi ſua ſervitia, ad potiundum honore familiarius agendi cum ipſo, ad præſentandas ipſi fidelitatis & obſequiorum ſuorum teſſeras? an divinus hic ſol ita abſcondere ſe poterat, quin ſaltem civitas Nazareth perciperet aliquos Majeſtatis ſuæ radios, quibus invitarentur omnes ad proſternendum ſe ad pedes ejus?

Nihil novimus, reſpondet Eccleſiaſticus, ex omni eo, quod circa adorandam ipſius perſonam accidit toto hoc diuturni temporis ſpatio, niſi quod S. Lucas duobus verbis dixerit nobis: *Et erat ſubditus illis*; quod vixerit ſub obedientiâ Virginis Matris ſuæ & S. Joſephi, quamvis reverâ nemini deberet obedientiam aut ſubmiſſionem in terrâ, imò nec divino Patri ſuo in cœlis, quoad divinam perſonam ſuam, juxta quam non eſt ipſo inferior, ſed ipſi in omnibus æqualis. Nihilominus ut doceret nos obedientiam ac humilitatem, quæ duo penſa ſunt adeò nobis difficilia captu voluit majorem vitæ ſuæ partem tranſigere in ſtatu, qui totus videbatur incognitus, de quo aliud non diceretur, niſi quod obtemperarit.

Luc. 2. Quid JEſus fecerit in Nazareth cum divinâ Matre ſuâ & S. Joſepho.

Hâc ſuper re exclamat S. Bernardus totus admiratione & gaudio abreptus. *Et erat, inquiens, ſubditus illis. Quis? quibus? DEus hominibus, DEus inquam, cui Angeli ſubditi ſunt, cui principatus & poteſtates obediunt, ſubditus erat Mariæ, ſed etiam Joſeph propter Mariam. Mirare ergò utrumlibet, & elige quid amplius mireris? ſive Filii benigniſſimam dignationem, ſive Matris excellentiſſimam dignitatem. Utrinque ſtupor, utrinque miraculum. Et quòd DEus fœminæ obtemperet, humilitas absque exemplo: & quod Deo fœminæ principetur, ſublimitas ſinè ſocio. Diſce homo obedire, diſce terra ſubdi, diſce pulvis obtemperare; Erubeſce ſuperba cinis: DEus ſe humiliat, & tu te exaltas? Deus ſe hominibus ſubdit, & tu Dominari geſtiens hominibus, tuo te præponis Auctori.* Sanctus Baſilius in Conſtitutionibus, quas pro ſuis condidit Monaſteriis, confecit quaſi parvum compendium & Epitomen totius

S. Bernard. Serm. 1. ſuper miſſus eſt. Egregius affectus S. Bernardi.

S. Baſil. c. 4.

vitæ

vitæ JEsu Christi, toto illo tempore, quo habitavit in Nazareth velut in claustro & cœnobio, subditus Joseph & sanctissimæ Virgini velut superioribus suis, ubi dicitur, quòd cum mansuetudine & humilitate subjecit omnes labores corporales, quos filius humili natus loco subire consuevit, debita parentibus suis exhibens servitia: Nam quia homines erant locupletissimi quidem bonis gratiæ, sed pauperes & tenues facultatibûs fortunæ, assiduam navabant operam labori, ad comparandum vitæ necessariâ, pro parvâ & exili suâ familiâ. Et JEsus Christus laborabat cum ipsis ad contribuendum lucrando victui, comparandæ annonæ.

JEsus Christus verè laboravit manibus suis in tabernâ S. Joseph.

Sic plerúmque senserunt omnes antiqui Patres Ecclesiæ, quòd verè laboraverit manibus suis, & artem exercuerit Mechanicam: quod ineffabile afferre debet solatium opificibus, dum adoranda hæc Majestas & infinita hæc sapientia conditionem suam antepositi dignitatibus & honoribus divitum, nobilium Principum, Regum, qui se tantùm excellere credunt pauperes opifices, nihilominus hoc semper affecti incommodo, quod DEus, quem adorant, conditiones omnes sublimes se æstimaverit indignas, & elegerit illam simplicium opificum, qui suarum labore manuum suum lucrantur victum, o millies beatos, qui benè laborare noverint in societate cum Christo JEsu, imitando ipsius assiduitatem, insistendo ipsius exemplis, cum illius intentionibus uniendo suas!

Quando verba facere cæpit ad populum, Judæi audiendo oracula ex ipsius ore profecta, prorsus attoniti se invicem interrogabant: *Unde huic sapientia hæc?* Quomodò hic literas scit, cum non didicerit? *Nonnè hic est, fabri filius? Nonnè mater ejus dicitur Maria? Nonnè frater ejus & sorores omnes apud nos sunt?* Nonnè vidimus ipsum semper laborantem in tabernâ suâ? Unde ergò huic omnia ista? Circa quod pro more suo S. Petrus Chrysologus altum suas cogitationes attollit, & profundè Dei meditatur excellentias: *Dicebant, hic est fabri filius, sed cujus fabri filius, non dicebant: Dicebant, fabri filius, ut arte vili ars lateret Auctoris & Deitatis sub fabrile nomen abscondérant. Christus erat fabri filius, sed illius, qui mundi fabricam fecit non malleo, sed præcepto: qui elementorum membra non ingenio, sed cussione compegit: qui massam sæculi auctoritate, non carbone conflavit: qui solem non terreno igne, sed superno calore succendit: qui lunam, tenebras, noctem formavit, & tempora: qui stellas variatâ luce distinxit, qui cuncta fecit ex nihilo, & fecit, o homo,*

Matth. 13. v. 55.

Chrysologus Serm. 48.

Pulchra consideratio S. Chrysologi circa laborem Christi.

mo, tibi, ut opificem operis æstimatione pensares.

Paulus Burgerus in cap. 6. Marc.

Novi Auctores esse, qui tenerant, JEsum Christum, non suam impendisse operam labori manuali, sed totum vitæ ipsius absconditæ cursum non fuisse nisi continuam de excellentiis DEI contemplationem. Sed ultra id, quod nitentur contra torrentem & cōmunem omnium Patrum, & totius antiquitatis sensum, non mediocrem parit difficultatem, accommodare ipsorum opinionem cum verbis Evangelii clarè dicentis, quod Judæi stupore perculsi ob ea, quæ operabatur, prodigia, interrogârint: *Unde huic hæc omnia? Et quæ est sapientia, quæ data est illi? Nonnè hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi est Joseph?* quâ ratione nuncupâssent ipsum fabrum, si nunquam vidissent ipsum exercere hanc artem, & is nonnisi contemplationi navâsset operam? Homines, qui non judicant nisi secundùm exteriora, & præcipuè Judæi, qui non agnoscunt excellentiam vitæ internæ omne suum studium & animum intendentis Deo, nonne arguissent ipsam desidiæ, ignaviæ, pigritiæ? Nonne dixissent, quod, cum polleret viribus ac robore, navare operam debuisset labori, ad procurandum indigis suis parentibus victum & alimoniam. Sed quia semper ipsum laborantem viderant cum S. Joseph, ideo credebant, ipsum eandem cum illo profiteri artem, idem amplecti institutum.

Barradius in cap. 2. Luc.

Marc. 6.

Probatio, quòd JEsus Christus laboraverit manibûs.

Assentior quidem, contemplationem exercitium esse longè dignius Deo Beato, & Sancto Sanctorum, quàm sit labor & opus manuale; quodque, si deliberandum fuisset inter ambo, ut amplecteretur unum & dimitteret alterum, præposuisset labori contemplationem. Sed quia in adorandâ ipsius personâ ambo non fuerunt incompatibilia, tam benè inter se conveniebant, ut contemplaretur æquè perfectè, ac si non laboraret, & laboraret æquè perfectè, ac si non contemplaretur. Hâc ratione mirum in modum nobis & exemplo & documento fuit, conjungi simul posse vitam activam & contemplativam, citra id, quòd una præjudicio sit alteri. Laboratur meliùs, quando intenditur Deo, & animus Deo intentus conservatur & perficitur in labore, quandò omnia in ipsius fiunt præsentia, & ex amore ipsius.

Christus conjunxit vitam activam cum contemplativâ.

O si nôsse quis posset, quanto fuerit contemplationis ipsius sublimitas? interpellat Carpophorus? Darem omnia ut videre liceret pulcheritudinem internam JEsu Christi, & intima animi ipsius: siquidem certus sum, spectaculum hoc esse quod volu-

voluptate demulceat Angelos in cœlo : Vorum sanctuarium hoc est occlusum hominibus. JEsus Christus solitarius in domo Josephi, est DEus absconditus; & vita ipsius contemplativa tota abstracta in intimo cordis ipsius arcano, est mysterium magis absconditum Dei prorsus absconditi. Oportet ipsum adorare à longè, & foret temeritas aliquem illuc moliri & attentare ingressum.

Verum quidem est, reponit Ecclesiasticus, quod abscondere velit divini hujus sanctuarii arcana prudentibus & sapientibus, id est, animabus superbis, juxta effatum Salvatoris nostri ; sed revelare ea dignetur parvulis, id est, animabus humilibus. Sæpius simplicissimi quique agentes cum Deo in oratione absque artificio & cum innocentiâ infantili, excipiuntur quàm lautissimè, demulcentur in eâ blanditiis, & ex eâ plura addiscunt prodigia, quàm sapientissimi Doctores mundi. Novi bonam quandam animam, cujus candorem videre licet tum in facie, tum in verbis ipsius, quæ stupendâ loquitur de vitâ internâ JEsu Christi, deque rebus, quas percipiebat, dum sola vivebat separata à mundo. Hoc abundè sat erat, ad addendos nobis stimulos, ut inquireremus illam, quam inventam accessimus, & die sequenti hanc cum ipso instituemus consultationem.

CONSULTATIO XI.

De Occupationibus & Vitâ solitariâ JEsu Christi.

Qui non habet cognitionem vitæ internæ legendò præterire potest hanc consultationem, quia nihil ex illâ intelliget.

ANima, quæ statuit abstrahere se à mundo, ut totam integram consecret se Deo, committit furtum, quod impunè & inultum ipsi non abibit. Crucifigetur namque à persecutionibus, quibus obruet ipsam mundus, ad ulciscendum se de illatâ sibi injuriâ & contemptu. Sed & furto suo & à cruce suâ non occidetur; Non enim absimilis est bono latroni, cui Salvator noster dixit è culmine crucis suæ, & in medio dolorum suorum: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ipsa profectò degustat delicias paradisi in solitudine suâ, in conversatione suâ cum Deo; & quamvis malè habeatur, non conqueritur de cruce sibi à mundo imposita, dedignans suos in ipsum retorquere

Luc. 23. v. 43.

oculos, ad expetendam & extorquendam ab ipso veniam; tantæ sunt, quibus demulcetur & obruitur à Christo JEsu, deliciæ. Is solus ipsi sufficit, tollantur ipsi cætera omnia, perdidit nihil, modò is solus remaneat ipsi, & ipsa sola cum solo suum habeat solatium.

Status animæ, quæ vivit sola cum JEsu solo.

Invenimus bonam hanc animam, quam quærebamus, totam in cruce, & totam in paradiso cum JEsu Christo. Siquidem ex unâ parte millenis persecutionibûs affligebatur à mundo magno habita ab ipso despicatui, tanquam persona genii singularis, societatis humanæ inimica, utpote abhorrens ab omni aliorum commercio, maximô adhæc digna probrô, ob vitam, quam agebat omnis expertem humanitatis, desidiosam, otiosam, ac proin odiosam, quæ nullam afferre videatur utilitatem mundo. Ex alterâ parte, Salvator noster, suas cum ipsâ capiebat delicias in arcano profundæ ipsius solitudinis, tam abundantes ipsi communicans gratias, ut frui videretur prælibatione quâdam paradisi.

Difficultas nobis erat, quâ ratione ingrederemur arcanum solitudinis & silentii ipsius: siquidem nemini, nisi directori suo loquebatur, qui solus post Deum noverat omnia, quæ concernebant intima animi ipsius sensa; sed nec cum hoc loquebatur, nisi perrarò, & quantum requirebat necessitas, ad sui tantummodò directionem. Nihilominus feliciter nos deceptos invenimus, utpote comi oris ac vocis habitu exceptos ab ipsâ. Videtur DEus, qui semper bonam fovet & adjuvat intentionem, & ipsi manifestasse nostram.

Non admodum difficile mihi erit, alloquebatur nos primo congressu, meam paulisper interrumpere solitudinem propter vos: siquidem probè mihi constat, vos non venisse, ut ab illâ me avocetis, sed potiùs, ut ipsi- DEus vult animas sibi specialiter dilectas servare arcanum.
met intretis in eam. Verùm non sufficit ad obtinendam felicitatem agendi familiariter cum Salvatore nostro esse solitarium, sed insuper requiritur commissi arcani esse observantissimum: nôstis enim, neminem admittere quenquam ceu amicum intimum, & consiliorum suorum arbitrum, nisi sit retinens secreti. Reperire est animas, quibus liberalius communicaret se Deus, quàm faciat, si observare nôssent arcanum: speciales blanditiæ, quibus infinita ipsius bonitas dignatur nos demulcere, sunt velut pretiosi liquores, quamprimùm deteguntur, evanescunt in fumum: *Abscondere Regis sacramentum, bonum est;* Tob. 12. v. 7. At nos sæpenumero, si vel minimum quid inusitati favoris recipimus, flagra-

gramus desiderio communicandi id aliis; unde & meritò in pœnam & fracti arcani supplicium privamur illo.

Cur Christus absconderit nobis majorem partem vitæ suæ.

Verùm est, Salvatorem nostrum magnum esse solem, qui permanere notuerit in cœlo; sed eo nomine nos accesserit, ut illuminaret omnes, & nemo remaneret in tenebris, nihilominus speciales quosdam habet luminis radios, quos pro amicis reservat magis intimis. Non absque ratione celare voluit majorem vitæ suæ partem mundo, qui illam intueri dignus non erat. Occupationes ipsius hoc temporis intervallo, tam erant sublimes, tamque admirabiles, ut si hominibus fuissent enarratæ, nihil intellexissent ex illis, eoúsque ipsorum superabant captum: & ideò S. Joannes, qui aquilæ in morem sese sustulit in altum in principio sui Evangelii, ut recenseret nobis modo tam sublimi æternam generationem Verbi in sinu Patris sui divini, tandem concludit totum suum Evangelium sublimibus æquè verbis, quando dicit, quod nonnisi minimam exaraverit partem; quòd Christus JEsus tot & tanta fecerit alia; *Quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitretur mundum capere posse est, qui scribendi sunt libros.* Joan. 21.

Plures aspiciunt hæc verba velut magnam Hyperbolen, & quasi is voluisset dicere, quod tota capacitas cœli & terræ non sufficeret ad complectendam omnem multitudinem magnorum voluminum, quæ scribi oportuisset. Sed revera hoc significat, quod, quando omnes creaturæ ratione præditæ indagarent & rimarentur merita JEsu Christi per omnem æternitatem, capacitatem non haberent illa comprehendendi. Siquidem cum fuerit Deus-Homo, tria confecit, operum prorsus admirabilium genera; alia purè humana, alia mixta, id est, simul divina & humana. Prima non possunt perfectè cognosci nisi à Deo solo, cum infinita sint in omnibus; alia possunt aliqualiter cognosci à creaturis, sed non secundùm omnem prodigiorum, quæ includunt, latitudinem. Quomodò verba S. Joannis intelligenda.

Prima hæc verba, quæ demonstrabant luculenter nobis, hanc animam valde esse illuminatam, nonnisi nostra auxerunt & accenderunt desideria, nosque exstimulârunt ad obsecrandum illam per omnem illum, quo erga Dominum nostrum ferebatur, amorem, ut diceret nobis aliquid de eo, quod sibi ab ipso manifestatum fuerat de occupationibus vitæ suæ solitariæ, & ecce id, quod dixit nobis.

ARGUMENTUM.

Silentium Verbi.

Articulus I.

NOn sine querimoniâ aliquando interrogabam eum: Domine, eccur tempore tam diuturno abscondisti & incognitum servâsti te mundo? Cùm divina tua charitas impulerit te, totam vitam tuam, eamque integram sacrificare pro salute nostra, cur majorem illius partem subtraxisti nobis? Eheu! unicum momentum vitæ tuæ longè majoris erat integrâ vitâ omnium simul hominum; & verborum tuorum minimum plus habeat virium, quàm omnis facundia hominum & Angelorum. Feciſſes mira ad instruendum & sanctificandum homines tum exemplis, tum verbis tuis.

JEsus Christus collocavit triginta annos, ut benè non doceret silentium.

Filia mea, respondit mihi, dedi & impendi triginta annos vitæ meæ, ut tacere docerem homines, persistendo hanc ob rem toto hoc temporis spatio in profundo silentio, ego qui sum Verbum, & Verbum Dei Patris mei æternum. Judica ex hoc, quàm habuerim cordi ut benè hujus lectionis addiscerent pensum, à quo dependebat plurimùm ipsorum salus. Ego ideò descendi in terram, ut imbuerem illos luminibus, quæ accepi à Deo Patre meo, ipsosque docerem, quid placitum sit illi: Ego video, ipsum nonnisi unicâ vice loqui per omnem æternitatem, & nonnisi loqui Verbum, & non loqui nisi Deum & de Deo: insuper verum est, unicum hoc Verbum, tam arcane, tamque secretò pronuntiatum esse, ut illud non audiant nisi tres divinæ Personæ. Hic est silentium universale pro omnibus rebus creatis, quarum nec unica audit, quid dicatur in adorando hoc conclavi. Quando locutus est extra se, hoc non fuit, nisi per bona sua opera Totum hoc universum longus est discursus, compositus è tot syllabis, quot constat creaturis ad manifestandum bonitatem suam hominibus, & obligandum illos, ut amenti se. Sed verbum hoc, quo usus est, ad producendum totum hunc magnum discursum, tam est breve, ut non fuerit nisi unicum *Fiat*.

Unicum.

Si homines benè addiscerent praxin silentii, omnes forent sancti: Profecto enim, *si quis nescit refrænare linguam suam, hujus vana est religio, & qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir.* Si quis loquitur, loqui contendat magis per

Si homines benè scirent artem silendi, essent sancti. Jacob. 1. v. 26. item 3. v. 2.

per manus, quàm per linguam suam, parum verbis, & multùm bonis operibus; unicum bonum opus pluris est, quàm centum bona verba; nunquam magnus peccator repletus fuit Spiritû Dei; vasa vacua magnum excitant & faciunt strepitum, si vel minimùm tangantur, quæ plena sunt, nihil omninò faciunt. Manifestum signum est, animam esse plenam Deo, quæ silentio est addicta, studiosa taciturnitatis; ejusmodi anima bonas fovet cogitationes, conservat illas levi labore penès se, ruminat & digerit illas cum voluptate, & ponit ostium circumstantiæ labiis suis, ne forsan hæ ipsi dilabantur; inutiles & vanæ facilè evanescunt per verba ipsis similia.

Non audebam ulteriùs ipsi loqui, perrexit hæc bona anima, videns tanti ab ipso fieri silentium, tantúmque condemnari ab ipso multitudinem & abusum verborum, Sed ille, qui intuetur arcana cordium, & distinctè percipit silentium cogitationum, respondebat illis, quas in meo revolvebam animo.

Silentium est utilissimum Christianæ religionis exercitium,

Tu admiraris, quòd tres suffecerint anni ad docendum homines omnia Evangelii mei dogmata; quodque, cùm triginta impenderim vitæ meæ annos, ut docerem illos silentium, obtinere ab illis non potuerim, ut credant, sibique persuadeant, primam lectionem Christiani, qui voluerit meus esse discipulus, méque imitari, hanc esse, ut addiscat silere. Siquidem vix unum reperias, qui teneat, silentium unum esse è præstantissimis religionis suæ exercitiis: nemo advertit, id primum & præcipuum fuisse, quod tam diuturno edocui tempore; nemo perpendit, me decies tantundem insudâsse ipsi soli, quantum cæteris, omnibus. Judica ex eo, quem hìc collocavi, labore, quàm utile ac necessarium judicem hominibus silentium; & judica ex parvâ, quam habent circa idipsum peritiâ, maximam id benè comprehendendi & in opus redigendi, difficultatem.

Pauci sunt admodùm spirituales, quia pauci sunt addicti silentio.

Hinc est, quod tam paucos invenire sit Christianos spirituales, qui contendant agere cum Deo de magno salutis suæ æternæ negotio: Siquidem per silentium agitur cum Deo spiritualiter, & per verba agitur cum hominibus corporaliter; & quasi tota hominum transigitur vita conversatione inter se reciprocâ, dum mutuò sibi suas invicem communicant cogitationes, quibus oppletum gerunt caput, quæque non sunt nisi inutilia ac futilia mundi crepundia. Nunquam non apertas gerunt aures, ut audiendo suæ satisfaciendi quæque curiositati aliorum, enarrando illis, quòd audierunt.

Qui

Qui bene refrœnare voluerit linguam, debet quoque occludere aures suas; nam qui magnâ tenentur aviditate percipiendi nova, non magno tanguntur silendi desiderio. Illi, qui muti sunt ex natura, sunt pariter ex naturâ surdi, ad instruendum nos, quod qui voluerint ex virtute custodire silentium, debeant etiam ex virtute suas obserare aures.

Nonnisi illi benè addiscunt silentium verbi, qui verba capiunt sui Evangelii.

Non omnes, qui inspeciem institutum profitentur Christianorum, sunt in rei veritate tales; eòquòd verè non capiant nec cognoscant mei spiritum Evangelii: Nonnisi illi, qui benè meum capiunt & sapiunt silentium, sunt in statu benè comprehendendi verba mea. Hinc quando voluero alicui animæ specialem exhibere favorem, ac ostendere me ipsi, separo illam à strepitu mundi & deduco in silentium ac solitudinem ipsam, ut loquar ad cor illius. Hinc volui tam ingentem esse numerum Monasteriorum, Cœnobiorum, Asceteriorum, velut eremos ac solitudines, ubi colatur ac observetur silentium, eòquòd è cæteris mundi partibus videatur omninò expulsum. Omnia ibi semper in bono sunt ordine, quando benè custoditur silentium, & relaxatio quasi nunquam irrepit nisi per silentii rupturam.

Monasterium silentii studiosum est cœlum.

Beatus Dominicus Loricatus, cujus Petrus Damianus descripsit vitam, tanti esse ponderis credidit silentium, ad optinendam, quò anhelabat, perfectionem, ut strictè & continuò observari illud præceperit in suo Monasterio per omnes septenos hebdomadæ dies, Dominicâ solâ exceptâ, in quâ suis permittebat religiosis facere verba de rebus cœli post Vesperas duntaxat usque ad Completorium. Et vidit cum gaudio pacem & sanctitatem regnare in domo suâ.

Thom. Cantip. l. 2. apic. 14. §. 4

Qui bene nôsset custodire silentium, non loquendo quasi verbum in necessitate, totidem patraret miracula, Radulphus, qui exactum servaverat silentium sedecim integris annis, cum videret magnum in Monasterio excitatum incendium, omniáque devorari à flammis, rupit silentium & allocutus est ignem: siste ignis, nec tanti ultra, mane in quiete & in silentio. Et in instanti hoc elementum, cui aures non fuissent pro loquaculo, obtemperavit voci hujus silentiarii, quasi magnum foret miraculum ipsum audire loquentem.

Observans benè silentium, patrat miracula.

S. Joannes silentiarius dedit Episcopatum, ut servare posset silentium.

Evexeram Joannem silentiarium ad mitram Episcopalem, sed cum hic status, qui magnæ perfectionis est non conveniret cum consilio, quo familiarius illi loqui volebam ad cor, retraxi ipsum in solitudinem alicujus

Asce-

Ascéterii, ubi exegit quadraginta septem annos omninò integros in perpetuo silentio: Exin suam concluſit vitam plenus meritis & gratiis, agens ætatem centum & quatuor annorum.

Angelus non præcipit Arsenio, nisi fugam, silentium & quietem.

Hinc est, quod miserim Angelum Arsenio, ut doceret eum omnia perfectionis exercitia, quæ diffusè traduntur in maximis voluminibus; omnia dixit ipsi tribus tantummodò verbis: *Fuge, tace, quiesce.* Abunde sat hoc fuerat ad conferendam ipsi peritiam contemplandi; deinceps enim alteri non intendebat, nisi quâ ratione id, quod fuerat edoctus redigeret in praxin: hinc à fratre suo visitatus ad miscendum cum ipso sermonem de rebus cœli & profectu spiritali, quem hactenus fecerat in solitudine, non locutus est ipsi, sed aliquoties interrogabat semetipsum: *Arseni, quare exiisti è mundo? Arseni, quare mundum reliquisti?* Et interpositio aliquantisper silentio & profundo in cœlos emisso suspirio, sic effatus est: *Nunquam me tacuisse pœnituit, sed sæpius, esse locutum.*

Tripart. lib. 8 cap. 1. Silentium Abbatis Pambonis.

Abbas Pambo, cum inaudiisset cantari hæc verba psalmi trigesimi octavi: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ*: satis, inquit, quando hoc benè redegero in opus, audiam & reliqua: abiit, abscondit se in solitudinem, altum servavit silentium, virtute cujus repletus est lumine & cognitione cœli. Et longo post tempore inde exiens; Eheu! inquit, nondum didici doctrinam de silentio, quâ me imbuit Spiritus Sanctus in Scripturâ. Psal. 38. v. 2.

Æstimatio & amor silentii replet cor gaudio.

Non poteram me cohibere, adjunxit bona hæc anima, quin manifestarem tunc gaudium cordis mei per verba aliqua amore plena & gratiarum actione, ob ostensam mihi pulchritudinem & valorem silentii, cui Dominus ac Salvator noster, quamvis ipse substantiale sit Verbum, & infinitâ ratione facundum Dei Patris sui, devovere voluerit tantos tamque pretiosos nobilissimæ vitæ suæ annos. Tantâ æstimatione, tantóque amore prosequor speciosum hoc silentium, ut à tempore hoc maximè abhorream conversationem cum creaturis, imò ipsi libri, quos amabam plurimùm non amplùs me tantâ afficiant delectatione, sed contentus jam sim paucissimorum lectione; novi enim silentium docere non loquendô, sed tacendô. Quando non aliud facerem in mea solitudine, nisi quòd imitarer, & honorarem silentium Salvatoris nostri, sat benè collocatum crederem meum tempus, meamque hîc invenirem felicitatem.

Bonus Ecclesiasticus, qui summâ perfundebatur voluptate audiendô speciosum hoc enarra-

tionis exordium de occupationibus JEsu tempore vitæ suæ solitariæ, exoptabat avidissimè plura adhuc circa illas addiscere; hinc deditâ operâ interrogavit ipsam, an sicut ipse vacavit silentio, vacaverit etiam quieti? an sicut fuit sine verbo, sic etiam fuerit sine opere & actione? eòquòd S. Lucas dicat; *Quòd subditus fuerit Mariæ & Joseph*, id est, quod obtemperaverit illis, suamque collocaverit operam in eo, quod volebant; circa quod vide, quid dixerit nobis. Luc. 2. v. 51.

ARGUMENTUM.

Obedientia supremi Monarchæ.

Articulus. II.

Propria voluntas tyrannis est, & otium magnus labor.

QUi sectari vellet solitudinem, ad obsequendum ibi propriæ suæ voluntati, vel ad sectandum in illâ otium, non inveniret hìc solitudinis emolumenta, quæ majorem vacandi Deo suggerere videtur libertatem, sed potius implecteret se captivitatum omnium molestissimæ; siquidem tyrannis & servitus non est magìs intolerabilis animæ, quàm illa voluntatis suæ propriæ, quæ velut mancipium servire ipsam facit tum immoderatis affectibus, tum peccatis suis; sicut similiter labor majori plenus tædio non est, quàm otium & desidia; neminem enim invenias magìs occupatum eo, qui non habet, quod agat. Certi igitur sumus Christum JEsum absconditum non mansisse in longâ suâ triginta annorum solitudine, ut in ea vel propriam faceret voluntatem, vel faceret nihil.

JEsus Christus maximâ frustratur voluntate, obediendo Mariæ & Joseph.

Dederam me diluculo quodam orationi ad considerandum id quod facere poterat, & vehementissimo flagrabam desiderio recipiendi desuper aliquod lumen gratiæ. Quamprimùm autem occurrit animo effatum illud sancti Lucæ: *Et erat subditus illis*; Et videbatur Dominus mihi dicere, quod maximarum voluptatum, à quibus in tam longa detinebatur solitudine, fuerit præcipua, quod ibi suam transigeret vitam sub obedientia Mariæ & Joseph, sicut filius, qui permanet in perfecta submissione, quam suis debet & exhibet parentibus. Et desuper dicebat mihi res tam admirabiles de obedientia, ut abriperer extra me totam.

JEsus Christus nascens, ex Deo Patre suo non poterat illi obedire, nascitur ex Mariâ, ut illi obediat.

Non poteram, inquiebat mihi, obedire Deo Patri meo in æternitate, cum ipso inferior & ipsius subditus non sim secundùm

dùm Nativitatem, quam mihi confert ex propriâ suâ substantiâ, sed sim ipsi æqualis in omnibus: Ideò ergò fieri volui ipsius subditus, & ipso inferior secundùm aliam Nativitatem, nempe illam naturæ humanæ, ut illi me submittere, illius in omnibus possem obtemperare. Et cum viderem in Mariâ veram quamdam participationem, & in Joseph imaginem quandam paternitatis DEI Patris mei, infinitâ tenebar aviditate obediendi illis sicut ipsi. Ducebam vitam meam maximâ cum voluptate in amabili hâc submissione; etsi necessitas instruendi & salvandi mundum, me non abstraxisset inde, nunquam dimisissem ipsam; Eousque delectabat me vivere semper in obedientia.

JEsus Christus fecit omnia ex obedientia.

Illa me abstraxit è sinu Patris mei, ut descenderem in terram; illa me retinuit ibi, quàmdiu voluit illam quoque sectari & aucupari volui omnibus momentis vitæ meæ. Ex obedientia tanto tempore permansi in silentio & solitudine; ex obedientia manifestavi me mundo & annuntiavi Evangelium populo; ex obedientia laboravi, iter feci, jejunavi, oravi, patravi miracula, & omnes obivi functiones legationis, quam acceperam à Deo Patre meo; ex obedientia denique passus sum persecutiones, injurias, contemptus sævos dolores; & pro coronide omnium, meam finivi & absolvi obedientiam, omnem meum effundendo sanguinem, & meam in cruce sacrificando vitam. In omnibus his nil aspexi dulcius obedientiâ; nunquam enim aliquid vel egi vel passus sum ex propriâ meâ voluntate, sed ut obedirem voluntati Patris mei, qui misit me.

Obedientia JEsu Christi non habet limites neque dignitatis, neque latitudinis suæ.

Tanti feci obedientiam, ut felicem me crederem, dum cogitabam mecum ipse: Ecce tibi! DEus obedit Deo. Nunquam obedientia poterat esse glorioſior, quàm videndo circumductam se quasi curri triumphali in personâ Dei Omnipotentis. sed sicut obedientia mea nullis fuit circumscripta limitibus in dignitate suâ, sic nullos volui ipsam admittere limites in latitudine & extensione suâ. Volui obedire non solùm Deo Patri meo, cui omnes creaturæ obediunt, sed etiam creaturis suis ex amore ipsius: siquidem obedivi hominibus, & non solùm bonis ac sanctis, sicut Mariæ & Joseph; sed etiam malis & reprobis, sicut Judæis maximis adversariis meis & carnificibus crucifigentibus me. Ipsi rapiebant me ab uno tribunali ad alterum, ad diversos judices; & ego ibam, quocunque volebant: ipsi porrexerunt & injecerunt mihi vestimenta ludicra,

quæ sannis & sarcasmis, pudore ac verecundiâ operiebant me, & ego illa sumpsi, illa portavi absque contradictione. Ipsi onerârunt me ponderosâ cruce, ego amplexatus sum illam & portavi super humeros meos absque ullâ querimoniâ: Et quando affigere me cruci parabant, dicebant mihi: Extende hoc brachium, & extendi; porrige & alterum, & porrexi. Denique obedivi illis usque ad mortem in omnibus, quæ volebant.

Verùm longiùs adhuc meam produxi & protraxi obedientiam. Quando diabolus ipse, vilissimus & despectissimus inter omnes creaturas portare me voluit supra pinnaculum templi, meque solicitare, ut ex illo me agerem præcipitem, id agere permisi ipsum; & quando exindè portavit me supra verticem alicujus montis, ut tentaret me ad adorandum se, volui etiam me ipsius submittere voluntati, quâ tam atroci me affecit injuriâ, ut universum pavore concusserit cœlum. Et denique quando legio illa diabolorum, quàm ejeci è misero quodam obsesso, rogavit me, ut permitterem illis intrare in corpora certorum animantium, permisi id illis, & volui in hoc quoque ipsorum annuêre voluntati.

JEsus Christus conqueritur de nostrâ inobedientiâ.

Vide, filia meâ, quousque protraxerim meæ executionem & opus obedientiæ, quando sacrificavi me ex amore hominum, & post hæc omnia ab hominibus obtinere non possum, ut obediant patri meo & mihi. Si ordinem ipsis superiores, qui meas obeant vices, vellent hos esse sanctos & nec minimæ obnoxios imperfectioni; vel si tales habent, contemnunt ipsos, ipsisque amore mei renuunt obedire, non considerantes, me amore ipsorum obtemperâsse inimicis meis, carnificibus meis. Quantò persona, cui exhibetur amore Dei obedientia, vilior est atque despectior in seipsa, tantò nobilior est obedientia, tantóque majori accumulat Deum gloriâ.

Si nôssent homines arcanam in obedientia inclusam virtutem, & valorem, quem complecti-tur perfecta in voluntatem divinam submissio, brevissimam inveniissent viam, assequendi quantocyùs sanctitatem maximam. Videbam Saulum, persecutorem fidelium, euntem in Damascum, spirantem ignem & flammas: Animus illi erat omnes delendi Christianos, & evertendi, quantum poterat, totum opus redemptionis humanæ. Vide ergò, quàm sublime conscenderit impietatis fastigium. Allocutus sum ipsum voce amicâ, sed forti, tetigi interius ipsum potenti gratiâ, ut

Prodigiosa virtus obedientiæ, immutans maximos peccatores in sanctos.

me

me ipsi demonstrarem; Et cum ipsum stravissem solo convulsum tremore, ipse è fundo cordis sui pauca hæc protrusit verba: *Domine, quid me vis facere!* Ex hoc momento, quo ipse affixerat cor suum irrevocabiliter voluntati meæ & obedientiæ, quâ subdebat se mihi; Ecce ipsum totum mutatum, evadit vas electionis, rapitur usque ad tertium cœlum, instruitur omnibus Evangelii mei veritatibus, accenditur totus meæ zelo gloriæ, tandem per antonomasiam magnus nuncupatur Apostolus. An longa jejuniorum mortificationum, orationum, ut huc perveniret, obiit exercitia? Non, sed brevissimam arripuit viam, dum illicò se totum obedientiæ & accuratæ divinæ voluntatis executioni affixit, nec unquam amplius ab eâ recessit.

Actor. 9. v. 6.

Ecce id, dicit nobis bona hæc anima, quod Dominus noster dignatus est mihi ostendere circa pulchritudinem obedientiæ, quæ fuit amabilissimarum occupationum una, toto tempore vitæ ipsius solitariæ: Nam incredibili cum fidelitate exequabatur illam domi & ubique, ubi cognoscebat voluntatem Sanctissimæ Virginis & S. Joseph, quibus subesse ex voluntate divini patris sui gaudebat maximè.

Pius noster & doctus Ecclesiasticus, cum haud leviter omnia hæc approbâsset & deprædicâsset dogmata, voluit confirmare illa exemplo admodùm memorabili, quod legerat in Cæsario. Erat religiosus quidam insignitus à Deo miraculorum dono, ita ut infirmi ipsius duntaxat attingentes vestimenta, mox & in instanti integram recuperarent sanitatem. Abbas ipsius speciale nihil observans in ipso, cum viveret exterius sicut omnes alii, hærebat attonitus, sanctitatis insuetæ notas intuens in vitâ, quæ videbatur sibi cum vitâ aliorum communis & usitata, metuensque aliquam fraudem vocat & interrogat ipsum. Unde hæc omnia proficiscuntur miracula tibi adeò familiaria? an sanctior es cæteris? non video te magis addictum vel austeritatibus, vel orationi quàm alios; nunquam non videris mihi hilaris, nunquam non magno perfusus solatio: Es quidem accuratus & observans ad amussim statutorum tuorum: sed hæc vita communis est; nec quidquam agis in hoc, quod non agant omnes alii: Eccur ergò patras potius miracula, quàm illi? vel cur non patrant illi æquè ac tu?

Cæsarius lib. 10. mirac. c. 6.

Exemplum memorabile, Religiosi obedientis, qui operabatur continuò miracula, quin sciretur illorum patrandorum ratio.

Mi pater, respondit religiosus, eâdem tecum me hujus rei ciet admiratio; siquidem speciale nil est, quod agam, juxta morem vivo professionis meæ, & mihi hoc sufficit. Sed recogita benè,

inquit ipsi Abbas, rimare penitius cordis tui intima, rationémque de eo mihi redde. Recogitavit paulisper cum morâ & respondit. Nil aliud omninò scirem, nisi quòd à longo tempore assueverim aliud nil velle, nisi quod DEus vult: Nullum aliud mihi est exercitium, nisi quod semper conservem voluntatem meam in accuratâ obedientiâ voluntatis Dei; & quidquid contigerit, sive bonum, sive malum, non contradico, nec ex eo unquam affligor; sed potius lætor de omnibus, probè gnarus, adimpleri in omnibus voluntatem Dei, meamque in hoc statuo felicitatem, quod videam ipsam ubivis supremo jure dominari, meque ipsi obtemperare in omnibus. Hinc est, quòd me semper aspicias perfusum solatio; nulla enim mihi mœroris est ansa, cum omnia ad amussim nunquam non accidant, sicut ipse voluero.

Sed nuper, reponit Abbas, quando incendio devastati, exspoliati, tantam passi sumus jacturam, an lætari poteras? Lætabar vel maximè, inquit Religiosus; siquidem memor illius, quod dixit nobis Salvator in Evangelio, *quòd capillus de capite nostro periturus non sit absque voluntate Patris nostri cœlestis*, videbam divinam hanc voluntatem adimpletam, nostramque oppugnatam, & maximâ exin perfundebar lætitiâ.

Matth. 10. v. 30.

Perrexit Abbas interrogare ipsum circa diversas speciales contingentias, easque plurimùm afflictivas; & magis magisque ipsum semper urgendo, expertus est, ipsum obedientiam suam & submissionem in divinam voluntatem eòusque protrahere, ut in ipsam penetraret æternitatem, & ita quidem, ut contentus esset tumulari in barathro inferni, modò fieret ex jussu divinæ voluntatis, & non ex inordinato ductu voluntatis suæ. O quanto delibutum me crederem gaudio, inquiebat, dum hâc ratione obtemperare me viderem in perpetuum divinæ voluntati, patiendo ac tolerando, ut adimpleam ipsam, citra id, quòd unquam ab ipsâ divellar, vel repugnem ipsi in minimo! non sanè obtingeret id mihi nomine inferni, sed paradisi.

Bonus hic Abbas totus extra se mansit abreptus, absque verbo & velut extaticus; & post altum silentium, quo admiratio illius, quod percepit, defixerat ipsum aliquanto tempore, reversus in se, amplexatus est illum illachrymans. Vade, mi chare fili, vade, tuúmque constanter tene exercitium; tuorum fontem miraculorum, cùm & ipsum nonnisi perpetuum sit miraculum. Vade, inveniſti para-

paradisum extra paradisum solo tuæ exercitio obedientiæ. O si tua quis premere posset vestigia, quanta conscenderet cœlestium voluptatum fastigia!

ARGUMENTUM.

Humilitas summi ac supremi Entis.

Articulus III.

NOndùm satisfactum nobis fuerat ex eo, quod intelleximus circa occupationes JEsu Christi, tempore profundæ hujus solitudinis, in quâ tamdiu incognitus permansit mundo; & illa etiam, quæ hâc super re nobis loquebatur, nondùm attigerat metam ejus, quod dicendum nobis circa hoc habuerat. Sic igitur iterum incepit.

Qui sequi vellet directionem ductum & dictamen prudentiæ humanæ, persuasum sibi habebit, cum Dominus noster eo nomine descenderit è cœlo in terram, ut esset lumen mundi, non debuisset se abscondere mundo, cum lumen factum non sit, nisi ut videatur, sicut tenebræ factæ sunt, ut non videantur. Bonum est homini, qui nonnisi caligo est & tenebræ, abscondere se, quantum potuerit; quamprimum enim prodit in lucem, suum prodit & ostendit probrum, minimo offuscatur splendore, obruitur vanitate, perit & abit in auram. Verùm DEO abscondi non convenit, cum lumen sit & lumen infinitum: hinc sæpius accessi Dominum ac Salvatorem nostrum in oratione admirans, & interrogans ipsum: Quid faciebas, o lumen æternum, in tam ingenti obscuritate ac caligine, in quâ ita manebas absconditus, ut nemo quasi perciperet, te esse in mundo? Et ecce tandem, quid ostenderit mihi.

JEsus Christus in vitâ suâ absconditâ oppugnavit superbiam, capitalem hostem gloriæ DEI.

Inprimis, cum infensissimus hostis gloriæ Dei sit superbia, ruinam & magnam stragem peperit parti Angelorum in cœlis, & cunctis hominibus in terris, necessarium erat, ut oppugnaret ipsam profundissimâ, quæ esse possit, humilitate. Major hâc esse non potest, quàm videre infinitam Majestatem Dei totam redactam in nihilum: Verùm elementum & conservatio humilitatis est solitudo, ubi quis manet omninò incognitus, & consequenter etiam despectus: Et hanc ob rationem commorari tamdiu voluit absconditus in domo Sanctissimæ Virginis & S. Joseph, ubi longis tractibus

bus & longo tempore bibere & deguſtare voluit dulcores vitæ abjectæ & contemptæ, à quâ homines adeò abhorrent, ſed quæ ſummè accepta eſt DEO, cum reparet gloriam ipſius à ſuperbiâ offenſam & conculcatam.

JEſus Chriſtus continuum patravit miraculum vivendo in mundo abſque ſplendore.

Non poteram, dicebat mihi, ambire & aucupari gloriam, quæ mihi non debebatur: ſiquidem, ſi recepiſſem ſimul & ſemel omnes & ſummos omnium honores à cunctis creaturis, à primo Seraphim usque ad ultimum aëris atomum, omnia hæc mihi meritiſſimo jure fuiſſent debita, & facillimè efficere potuiſſem, ut mihi redderentur: non aliud agendum mihi fuerat, quàm ejaculari aliquos divinitatis meæ radios, manifeſtare meæ gloriam animæ, ſicut & illam mei corporis, mox vidiſſem omnes creaturas proſtratas & circumfuſos ad pedes meos, ut ſupremis me afficerent honoribus.

Ut quid non faciebas id, Domine? imminuiſſes profectò labores tuos, in inſtanti ignorantia & peccatum expulſa fuiſſent mundo & gloria DEI ubivis locorum introducta, omnisque terra verus evaſiſſet paradiſus.

Non, inquit mihi, facere id volui; ſed continuum nunquámque intermiſſum hanc ob rem patravi miraculum, totius meæ vitæ duratione ſuâ adæquans curriculum, quo mei ſuſpendebam gloriam corporis, meæque abſcondebam magnificentiam animæ, quatenus Divinitas mea ſub obſcuro corporis humani velo abſcondita non appareret: ſicque permanere volui in ſtatu prorſus abjecto toto tempore vitæ meæ, ob tres præcipuè rationes.

Tres rationes vitæ abſconditæ & abjectæ Chriſti JEſu.

Prima, ut cognoſcerent homines vim ac excellentiam, amoris mei; videntes, quod exſpoliaverit me pro ſuo commodo. Siquidem propria mea vita eſt gloria, eòquòd receperim nativitatem meam æternam in medio ſplendorum gloriæ Dei Patris mei, cumque ſim filius ipſius naturalis, etiam ſecundùm humanitatem meam, poſſeſſio gloriæ ipſius mihi eſt debita in primo inſtanti meæ conceptionis inſinu matris meæ. Cùm ergò gloria mea ſit propria vita mea, me exuiſſe & privâſſe illâ, nonne hoc, fuerat mori vitarum omnium pretioſiſſimæ? Et ſi conſiderent homines, quod pro amabili hâc vitâ gloriæ quâ vivere debebam, ſufferre voluerim humiliationes & contemptus omnibus momentis, quibus incolui terram, ad laborandum & tolerandum pro ſalute illorum; nonne æſtimare debeant tot mortes ſecretas, quas ſuſtinere volui pro illis ante publicam illam & manifeſtam,

1. Ratio Demonſtrat nobis ſuum amorem.

ſtam, quam tandem ſuſtinui in Cruce?

2. Ratio. Docet nos humilitatem.

Secunda ratio fuit, ut illis præberem exemplum perfectæ humilitatis. Quando benè perpendent, me abſconditum permanſiſſe tanto tempore, qui tantùm boni præſtare poteram in mundo, me manifeſtando; addiſcunt, quod, quando adornati fuerint omnibus talentis, omnemque poſſederint ſapientiam tum Angelorum in cœlis, tum maximorum hominum in terris, manifeſtare ſe non debeant mundo ex propriâ ſuâ inclinatione; ſed abſconditi ſemper permanere more ignis, qui multò meliùs conſervatur, quando abſconditur ſub cinere; inſuper amentesſe incogniti hominibus, ad conſervandum ſe ſolos cum Deo ſolo, quoad placuerit providentiæ ſuæ proferre ipſos in lucem, admovere ad id, quod ab ipſis deſiderat, ipſosque reddere idoneos ad promerendam ſuam gloriam. Hoc ingens dogma eſt ſapientia, & ſapientiæ infinitæ, ſi homines ſibi perſuaderent, ſe ad nihil eſſe utiles, dum nihil à Deo, cui præſint, accipiunt muneris, ſeque contentos eſſe debere ſtatu abjectionis, in quo plus gloriæ reddant Deo, quàm in ſplendidiſſimis quibusvis muneribus ac provinciis, quibus ſemetipſos intruſiſſent. Econtra autem, ſe habiles eſſe ad omnia, ſeque omnia poſſe, ſi Deo placuerit ad gloriam ſuam ipſorum uti operâ! quo in caſu exſtimulare ſeipſos deberent illo S. Pauli effato, cum integrâ in DEum conſcientiâ: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* ad Philipp. 4. v. 13.

3. Ratio. Supplet defectum noſtræ humilitatis.

Et tandem tertia ratio, quod tanto tempore in ſtatu objecto vitæ abſconditæ me continuit, eſt, quod ſupplere voluerim defectum humilitatis, quâ omnes deſtituti fuerant homines. Debuerant omnes ſeſe immergere in abyſſum nihili ad honorandas infinitas excellentias Patris mei cœleſtis, quas tantis affecerunt injuriis, quantas commiſerunt iniquitates & peccata. Sed quia humilitatis adeò profundæ capaces non erant, ad reparandas ſatis dignè injurias Deo illatas, immerſi memetipſum in nihilum, quod ipſis fuerat amplectendum, & hic apertos illis teneo theſauros, è quibus accipere poterunt, quidquid ſibi deficit ad ſatisfaciendum plenè Deo, modò me inquirant & invenire me ſtudeant in hoc ſtatu. Hic eſt ille, in quo tam longo permanſi tempore, hic eſt ille, in quo facilius aures præbeo accedere me volentibus, hic eſt etiam ille, in quo liberalius meos diſpertior favores. Nemo unquam acceſſit me in meâ ſolitudine, in meâ humiliatione,

qui non recesserit plenus solatio, locupletatus divitiis æternitatis; sed status hic est, cujus pulchritudo me adeò oblectat, adeò displicet hominibus, ut nemo satis illius agnoscat valorem, illius æstimet pretium.

Ah! mi Domine, inquiebam ipsi, vehementi gratiæ ipsius tangentis cor meum commota impulsu, mi Domine, fac cognoscere me illum, illiusque in me excita desiderium. Probè novi, dixisse se in Evangelio: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Æquô nimium mihi constat proprio me experimento, nonnisi superbiam esse, quæ nos inquietet, & animarum nostrarum perturbet pacem. Qui eòusque vincere se ipsum posset, ut libenter vellet contemni, viveret semper quietus, pace nunquam non frueretur admirabili. Eheu! an nunquam felicem hunc assequar statum, ut degustem dulcedinem divinæ hujus pacis, quam dare non potest mundus?

Matth. 11. v. 29.

Noveris filia mea, non minori opus esse gratia, ut in mea inveniar annihilatione, quàm ut inveniar in mea gloria: duo hi status, sunt duo extrema, quæ infinitâ ratione videntur inter se differre, sed in mea conjunxi illas personâ; qui invenerit me in uno, invenerit me etiam in altero; sed in ambobus sum DEus absconditus, & cunctis hominum inaccessibilis viribus: Lux nimia in uno ipsorum offundit & offendit oculos, & tenebræ nimiæ in altero obcœcat illos. Qui me intuentur in meæ splendoribus gloriæ, sunt Beati in cœlo, sed oportet prius ipsos mori, ipsorumque à me corroborari oculos lumine gloriæ; Et quando hunc assecuti sunt statum, dicitur requiescere ipsos in pace æterna: *Requiescant in pace;* Et qui aspiciunt me in tenebris profundæ annihilationis meæ, sunt beati in terra; sed & ipsos prius mori oportet omnibus imperfectis naturæ inclinationibus ac desideriis, ipsorumque à me confortari animam gratia speciali. Et quando hunc obtinuerint statum, benè affirmari potest, ipsos in solida & constanti requiescere pace, quam nihil poterit perturbare: *Requiescant in pace.*

Non minor requiritur gratia ad inveniendum JEsum Christum in profunda sua humilitate, quàm ad possidendum ipsum in sua gloria.

Bona hæc anima nobis enarrans ista, tam repleta erat lumine & cognitione circa excellentias humilitatis Salvatoris nostri, ut dies integros de his feciisset nobis verba; sed cohibere me non potui, quin interpellarem ipsam, ad enarrandum illi admirabiles affectus, quos Seraphicus Pater meus S. Franciscus ex eodem hausit fonte, è quo hauserat ipsa suos. Si quis unquam assecutus est intelligentiam & ve-

Principium humilitatis S. Francisci, ipsius paupertas.

& veram praxin annihilationis JEsu Christi, asseri potest, hunc ipsum fuisse: hinc est, quod tam absoluta & totali abstractione separaverit & avulserit se à mundo, ut totam suam hæreditatem voluerit esse mihi ex omnibus, quod DEus non est; de quo indispensabilem sibi imposuit obligationem, suisque ita præcepit Fratribus in regula: Fratres nihil sibi approprient; quasi diceret; Fratres mei non habeant aliam in terris possessionem, nisi purum nihilum: per quod medium ecce tibi illum subjectum omnibus, & infra omnes, nec alium tenentem locum, nisi quod omnium sit novissimus, sub pedibus cæterorum hominum, & unico verbo, omninò annihilatus.

Nolebat fratres suos habere aliquam auctoritatem aut potestatem in hoc mundo, nisi illam observandi ad literam sanctum Evangelium; Et licet ob virtutem suam amaretur à maximis quibusvis præsulibus, & à summis etiam Pontificibus, nunquam tamen voluit altum ab iis exposcere privilegium, nec etiam aliquod sponte ab iis oblatum acceptare; affirmabat enim, quod humilitas & submissio lucretur omnia: & sicut, si res dura projiciatur contra rem mollem, dum res mollis cedit duræ, illa hanc in se includit, ac illius adit possessionem; sic cede omnibus, & omnes lucraberis.

Affectus humilitatis S. Francisci pro se & suis fratribus.

Si fratres mei, dicebat, fuerint ad pedes præsulum & presbyterorum, hi amplexabuntur illos & amabunt tenerè; sed si accedere illos volent cum auctoritate, repellentur, & nihil officient. Quam si perseverantes in sua mansuetudine & humilitate, fuerint repulsi & excluſi à prædicando, vel exhibendo aliud quoddam obsequium animabus, cedant cum modestia, prædicabunt hoc exemplo tam efficaciter, ut conversuri sint omnes, quin etiam emollituri illos, à quibus primâ fronte tam durè fuerant accepti. Et postquam sic omnia humilitate fuerint lucrati, unus ad populum factus sermo plus afferet utilitatis, quam quinquaginta aliis, si fecissent illos cum auctoritate.

Et quia certi Religiosi, qui sequebantur dictamen prudentiæ humanæ, urgebant ipsum, ut aliam vellet carpere & tenere viam, cor suum tantâ doloris amaritudine transfixum sensit, ut voce animatâ zelo, totusque diffluens lachrymis dixit illis: *O fratres mei! ô fratres mei! vos vultis mihi auferre victoriam mundi.* O fratres mei, quid cogitatis? quid agere vultis mei fratres? palmam de mundo jam reportatam meis vultis extorquere

Ubertin. lib. 5. c. 1.

manibus; siquidem JEsus Christus, vult ipsum me vincere, sicut ipsemet vicit illum, annihilando me ipsius exemplo; & novi hoc esse medium unicum, universum mundum lucrandi DEO.

Dicebat aliquando Epicopo Hostiensi, quem reverebatur velut patrem suum, & sui protectorem Ordinis. Mi Domine, si velis fratres meos afferre fructum in Ecclesia DEI, conserva illos semper in statu humili & spiritu vocationis suæ, subjectos universo mundo; ne augeas illos sacris principatibus, præsulúmque gradibus, nec permittas extolli ipsos, aut aliqua fulgere dignitate in sancta Ecclesia.

ARGUMENTUM.

Annihilatio ipsius, qui est omnia.

Articulus IV.

PRoduxit sermonem de eodem argumento, bona hæc anima nobis dicens: Singulari afficior voluptate, dum considero JEsum Christum mundo absconditum, cunctisque incognitum hominibus, nisi paucissimis suis intimis, velut Sanctissimæ Virgini & S. Josepho, quos secum habebat, ut illos felicitaret consuetudine suâ magis familiari, ac locupletaret abundantiâ gratiarum specialium sibi soli cognitarum.

JEsus Christus semper tetendit ad annihilationem.

Nonnè tu es, Domine, qui magnum es omne, cujus immensitas nullis stringitur limitibus? Nonnè tu es DEus Omnipotens, qui omnes eduxisti creaturas ex obscura caligine nihili ut exponeres eas luci? Et nunc extrahis temetipsum è mediis infinitæ tuæ gloriæ splendoribus, ut abscondas te profundis nihili tenebris, ubi non magis appares mundo, si esses nihil ex omnibus. Postquam divinitas annihilata est in Humanitate tuâ sanctissimâ, Humanitas hæc, quæ infinitâ ratione sublatam se vidit in altum, non habuit stimulum magis fortem, magis frequentem, quam versus abjectionem & sui annihilationem, ad imitandum divinitatem, non quod hic stimulus fuerit ipsi naturalis, aut acceptus humanæ suæ inclinationi. Si enim vidimus, quod tantam ostenderit repugnantiam sufferendo mortem, ut ipsum oportuerit sanguinem sudare & aquam ad vincendum illam; concludere exin possumus, ipsum sensisse quoque repugnantiam naturalem tolerando humiliationes & contemptus.

ptus. Et si verùm est, ipsum laborâsse plurimùm tribus horis orationis suæ in horto olivarum, ad superandam aversionem naturalem, quam sentiebat erga crucem, erga dolores, & erga mortem; non credamus, otiosum fuisse ipsum per triginta annos vitæ suæ solitariæ. O quàm laboravit fortiter ad superandas naturæ humanæ repugnantias erga statum vitæ abjectæ prorsusque despectæ & quasi annihilatæ! Labor hic gravior & difficilior fuit, quàm ille creationis mundi: siquidem facilius est Deo facere ex nihilo omnia, quæ voluerit, quàm reducere omnia, id est, seipsum in nihilum, in quo collocavit se ex amore erga nos.

Quomodo Christus triumphavit, maximè annihilatus apparuit.

O DEus bone! quomodò asserere possumus, Christianos nos esse? quomodò credere possumus, nos premere vestigia Christi JEsu, ipsumque sequi, si imitari nolumus neque divinitatem neque humanitatem, quæ non tendebant nisi ad se annihilandum? Oportet sequi, quò ivit ipse. Quid fecit toto curriculo vitæ suæ, nisi quod se annihilârit: Non diu visendum se præbuit mundo, & hoc inter millenas annihilationes. Verum est, ipsum triumphum egisse semel, sed quanta cum abjectione? Ille, cui omnes cœlestes creaturæ præstant homagia; ille, coram quo sublimissimi Seraphini se annihilant ex reverentia; ille qui collocavit solium suum supra fornices cœli Empyrei, ascendit super asinam. Spiritus mundi, fatua naturæ prudentia tu nihil capies ex admirabili agendi modo, quem observat spiritus Dei, qui totus oppositus est tuo. Omnes desiderant amare Deum; quid namque delectabilius, quam glorioso & jucundo amoris vinculo colligari cum Monarcha & Principe tanto? sed nolumus amorem illum, qui paritatem conciliat inter amantes: abjectio, contemptus, exiguæ facultates, inopia, malus negotiorum successus, & jactura bonorum omnium est vera mansio puri amoris, sed hic nobis non arridet status.

Mors nos annihilat.

Oportet tamen nos tandem huc devenire, invitis nobis. Considera maximam annihilationem, in quam redigimur à morte. An major intelligi possit humiliatio quàm illa, quâ deprimit summa mundi capita, Monarchas maximos. Perdere simul omnia, honores, bona, auctoritatem, amicos, & quidquid est in mundo, putrefieri, corrodi à vermibus, redigi in pulverem; ô quantò hic status maximæ hujus humiliationis percellit horrore carnem & sanguinem! sed quàm speciosus & egregius hic est ordo, quod ho-

mo, qui insurrexit adversùs DEum suum, eoúsque, ut ausus fuerit offendere illum, deprimatur ita, ut servire ceu alimentum cogatur vilissimis & abjectissimis terræ bestiolis! Ecce tibi effectum peccati, quod dum includit in se superbiam & creatoris contemptum, ira annihilat miserabilem creaturam.

Oportet amorem, qui fortior est morte, nos annihilare.

Sed nonne fortis ut mors est dilectio? an non possit hæc sicut illa annihilare creaturam? Nam si amare est benè velle objecto amato, quod aliud bonum velle potest amor noster Deo, nisi operationem gloriæ suæ? Nos offendimus illam superbiâ nostra, oportet ergò reparare illam profundâ nostrâ annihilatione. O si cognoscere liceret gloriam, quam reddit Deo anima, quæ probè cognoscit, quòd, cum sit peccatrix, omnia humiliationum, opprobriorum, derelictionum genera sibi sint debita, quæque in vivâ hâc persuasione, & amore, quo prosequitur commoda Dei sui, ipsi continuum exhibet sacrificium reputationis & existimationis suæ, consolationum suarum, commodorum suorum, totius personæ suæ, DEus, qui habitat in infinitâ sublimitate propriæ suæ Majestatis in seipso, suas aucupatur delicias extra seipsum in annihilatione hâc creaturæ suæ, purum suum amorem ita sibi sacrificantis, & replet illam copiosioribus semper gratiis ac favoribus, quantò magis viderit ipsam sese annihilare.

Amanda nobis sunt omnia, quæ nobis viam sternunt ad hanc annihilationem.

O quam beata sunt illa omnia, quæ nos annihilant! quando providentia Dei permiserit pluribus, nos obrui calamitatibus, jacturâ bonorum, diminutione honoris, derelictione amicorum, sinistris negotiorum, eventibus, nos coram mundo redigentibus in nihilum, nosque noverimus hæc omnia rata & grata habere, velut rem, quæ infinitâ ratione plus gloriæ reddat Deo, quàm auferat nobis: bone DEus! quanti videbitur parva hæc abjectio temporanea nobis pretii in æternitate! & melius adhuc est, quando nemo condolet nobis, quando adhuc vituperamur, quando credunt omnes, ea omnia nostrâ accidisse culpâ, nostrâ socordiâ, nostrâ inconsideratione; Et quando, dum nemo scit, idipsum esse, quod nos quærimus, quod interius nos consolatur, credunt omnes, nos miseros esse ac infelices; sic enim abjecti & annihilati manemus omni ratione. Sed nunquam majores apparuimus coram Deo, quàm in hoc statu: hoc enim est optimè sua ipsi præstare obsequia & aulico ipsum cultu prosequi, coram suis apparere oculis adornatum oprobriis, contumeliis, ignominiis.

Non

Fallax dolus amoris proprii suadet nobis fugam annihilationis nostræ.

Nos deserere volumus abjectionis & annihilationis statum, ut magis idonei simus, uti dicimus, ad DEum amandum, ipsique serviendum. Sed dolus hic est amoris proprii: nunquam enim DEus amatur purius, nec sublimiora accipit ab anima servitia, nisi quando magis hæc annihilata est & contempta. Nonnisi fraus est maxima, magnas desiderare facultates, insignes naturæ dotes, eximia dignitatum munera, ut omnia hæc impendantur lucrosè ac utiliter pro servitio Dei: siquidem hæc & ejusmodi sæpius nos exstimulant, ad accendendum nobismetipsis thura vani applausùs, inanis complacentiæ, magis, quàm promovendam purè DEI gloriam. Natura solers & arguta est in requirendis semper iis, quæ suæ sunt conformia inclinationi, suo arridentpalato, sub aliis obtentibus speciosis. Si haberem, dicitur, plus scientiæ, si non essem tam infirmæ valetudinis, si immunis forem ab hac cruce, credo facturum me mira pro obsequio Dei: merissima fraus. Exspoliari omni eo, quod oblectat naturam, & sufferre, quod affligit, conditio est magis idonea ad patrandum mira in virtute. Mi DEus, invenio nihil in me, nam totus redactus sum ad nihilum; sed tantò melius, cum hoc exstimulet me ad quærendum omnia in te. Et hìc invenio te, quod oblectat me; nec paupertas mea affligit me, quia plenitudo tua consolatur me.

Videtur sibi quis nihil facere & inutilis esse omnibus, quando redactus est in statum vitæ abjectæ, despectæ, informæ ac impotentis, sed metuenda non est nec otiositas nec inutilitas in hoc statu, modò permanere hìc quis velit contentus, hìc vivere consolatus; nunquam anima magis vel nobiliori modo laborat, nisi quando gratanter accipit suam abjectionem; hìc enim litat Deo sacrificium integrum totius sui ipsius: Nihil est, quod ita oderit spiritus mundi, quodque abhorreat magis, quàm statum omninò abjectum & despicatui expositum. Sed quando placuerit Deo animam aliquo divini sui luminis radio illustrare, ad demonstrandum ipsi illius pulchritudinem; videt ibi tantas delicias, ut summo illarum accendatur desiderio; benè intelligit; ipsum Christo JEsu tempore vitæ suæ solitariæ, maximæ fuisse voluptati. Sancti, qui absconditum hunc invenerunt thesaurum, commiserunt quandoque manifestas fatuitates, ut fruerentur dulcedine prorsus cœlesti contemptûs mundi. Apostolorum sapientissimus, incomparabilis S. Paulus non absque cordis dicebat jubi-

Mundus odit statum abjectum, & DEus amat summè ipsum.

1. Cor. 4. v. 10. jubilo: *Nos stulti sumus propter Christum JEsum.*

Æstimatio & amor abjectionis. O sacra abjectio, quando perfecte cognoscam te? quando ardenter amabo te? quando totus immergar in te? quando lethali ictu feries me? ictu illo bene auspicato, qui avellet & separabit me ab omnibus creaturis, & à meipso, & ab omni eòquòd DEus non est? Amandus est, anima mea, ardenter Christus JEsus in omni statu & conditione suâ; sed præcipuè in statu, ubi pauciores videtur habere sectatores, qui ipsum honorent, ipsum imitentur, qui est status vitæ suæ, incognitæ, abjectionum suarum, contemptuum suorum. Oportet incessanter efflagitare ipsum: O bone Jesu, annihilate & contempte pro me fac me participem divinarum abjectionum tuarum, fac æstimare me illas, fac amare me illas, fac revereri me illas, fac me totam absconditam manere tecum, fac me nullam nisi te habere occupationem.

Haud parùm ædificati sumus, & etiam commoti, audiendo bonam hanc animam, cum tanta abundantia Spiritûs DEI loquentem nobis. Sed videbatur nobis nondum tetigisse id, quod credebamus futurum magis proprium & præcipuum negotium & occupationem JEsu Christi toto tempore vitæ ipsius solitariæ, quod verisimiliter erat oratio & contemplatio: circa quod percipe, quid deterit nobis.

ARGUMENTUM.

Quies Contemplationis.

Articulus V.

ILli qui vident, mansisse tamdiu Christum JEsum in solitudine & silentio, antequam sese ostenderet mundo, admirantur, quod, cum venerit de cœlo in terram, ut magnum exequeretur opus redemptionis humanæ, nonnisi impenderit illi pauciſſimorum numerum annorum, omne autem vitæ suæ residuum consumpserit in quiete. Verùm hi nesciunt quietem ipsius nunquam fuisse absque opere infinitâ ratione nobili, & nunquam ipsius opus fuisse absque perfectissima quiete. Hoc ipsemet ex misericordia me edocuit, videns me turbari quandoque ex timore, ne turber ac perdam quietem, quam esse novi tam necessariam homini volenti navare operam orationi.

Non-

Cor non est in quiete, nisi semper sit in actione.

Nonnè vides, dicebat mihi, quod operatio & quies sint duæ res inseparabiles; procul abest, incompatibiles illas esse, sicut existimas. Sunt certæ operationes etiam corporales, quæ fiunt sine intermissione, sive quis laboret, sive quiescat sive dormiat, sive vigilet; respiratio & pulsus arteriarum corporis humani sunt operationes continuæ? nunquam quiete id frui potest, nisi habeat semper liberas duas hasce operationes, nisi perpetuò perficiat ipsas: quando enim impediuntur, obruitur dolore & inquietudine, quæ afferant necem.

Anima non quiescit, nisi semper operetur pro Deo.

Magis adhuc verum est, operationem animæ & quietem ipsius esse inseparabiles: ipsa nunquam est sine motu & inquisitione continuâ summi sui boni, in quo suam desiderat invenire felicitatem; Et in ipsa hâc operatione, perfecta ipsius consistit quies. Quando hæc operatio, quæ est velut ipsius respiratio, libera est & sana, quando directè ipsa tendit ad verum bonum, quanto plus impendit laboris, tantò plus invenit quietis: sed quando hæc operatio cessat, vel quando deflectit quærendo falsum pro vero bono (quod adhuc pejus est, quàm si cessaret) sicut non habet amplius veram operationem, ita amplius non habet veram quietem: oportet ipsam operari, & operari benè, ut sit in quiete; operatio ipsius, & quies ipsius sunt inseparabiles.

Dicebam intra me, hæc audiens: Quàm beata foret anima, cui semel permitteretur ingressus in adorandum hoc sanctuarium cordis JEsu Christi, ibique videret ipsa, quâ ratione is occuparetur contemplatione continuâ excellentiarum DEI. Sed tantam exposcere gratiam reformidabam, cum favor mihi videretur plus nimio singularis, quàm ut de ipso obtinendo formarem mihi solummodo cogitationem. Et ille, qui ex nimia bonitatis suæ abundantiâ, nostra præoccupat desideria, voluit consolari me in eo, quod conceperam animo, sed exponere verbo non audebam, mihique explanavit.

Tres sunt partes in anima JEsu Christi.

Quod distinguendæ sint tres partes in adoranda sua anima; inferior, superior, & suprema. Quòd in suprema, quæ transcendit omnem rationem & omnem intelligentiam humanam, ipsa potita fuerit clarâ visione essentiæ divinæ, à momento, quo creata fuit & unita personaliter verbo Divino. Quod cum proprius sit Filius DEI secundùm Humanitatem suam æquè ac secundùm divinitatem, ipse sit primus inter Beatos & ille, qui perfectius contempletur DEI essentiam, cum omni luminis,

amoris & fruitionis abundantiâ, cujus creatura habet capacitatem. Quòd beata hæc contemplatio gloriæ nunquam fuerit interrupta, & nunquam nec unico momento interrumpenda; sed quod tempore vitæ suæ mortalis is totam habuerit moderationem in suprema parte animæ suæ, abs eo, quòd permitteret, ut ipsa se effunderet usque in alias, quatenus hæ liberæ permanerent ad obeunda illa omnia, quæ necessaria erant pro Redemptione humanâ.

Quod in superiore parte animæ suæ, ubi dominatur ratio & libertas humana, cum totus repletus fuerit luminibus & cognitionibus divinis in intellectu suo, & gratiis in voluntate suâ, perpetuò quoque contemplatus fuerit excellentias Dei, non quod illas clarè videret, sicut per visionem beatificam, nec etiam, quod illas non cognosceret nisi obscurè in tenebris fidei, sicut omnes sancti ipsas aspexerunt, quoad vixerunt in terris; is enim nunquam habuit fidem aut aliquam obscuritatem in intellectu suo, sed videbat illas clarè per infusa lumina quæ ostendebant ipsi velut in plena meridie illa omnia, quæ fides abscondit nobis velut in tenebris & caligine noctis.

Divina hæc contemplatio duas excellentes habuit prærogativas. Prima est, quod ipsa non consisteret in puro quodam & simplici intuitu, sed tam amplo, ut hic ostenderet ipsi omnia multò melius absque comparatione, quàm videant illa Angeli primæ Hierarchiæ & supremi ordinis, de quibus dicitur, quod quantò sublimiores sunt, tantò habeant cognitiones simpliciores & ampliores, quibus perfectius cognoscant id, quod omnes Angeli inferiorum ordinum non vident nec cognoscunt, nisi pluribus cognitionibus minus perfectis. Secunda est, quòd simplex hic & perfectissimus intuitus excellentiarum DEI non fuerit unquam interruptus in medio omnium diversissimarum actionum, quas perficiebat in vita humana; sicut verum est, quod spatio totius diei, oculi nostri aperti videant semper lumen, quin unquam hæc actio interrumpatur, quamvis perficiamus multas alias actiones diversas. Contemplatio JEsu Christi duas eximias habuit prærogativas.

Amor voluntatis suæ par erat lumini ac splendori intellectûs sui, uterque continuus & perfectissimus. Et hinc est, quod perpetuò fuerit promeritus, non pro se, quia meritis non indigebat, sed pro nobis miseris, qui incessanter coacervamus malorum meritorum cumulum, quæ æternam nobis conciliarent ruinam, nisi thesaurus infinitâ ratione

tione & inexhaustus meritorum, quæ comparavit nobis, nos salvaret, ab illa nos redimeret. O bonitas ineffabilis! O bonitas infinitâ ratione amabilis, quæ omnes nostras transgrederis malitias!

Quâ ratione se habuerit inferior pars animæ JEsu Christi,

Denique in parte inferiori animæ, quæ commercium habet cum sensibus & affectibus humanis, erat etiam absque intermissione occupatus Deo, sed modo valde diverso à duobus aliis, cum illa non semper in eâdem fuerit dispositione. Utebatur ipsa sensibus ad intuendam Majestatem DEI in creaturis, sed ratione diversâ, secundum quod illi placuerit se depingere in earum quâlibet coloribus magis vel minus vivis: utebatur ipsa affectibus suis & animi passionibus modò zelo, modò mansuetudine, modò gaudio, modò tristitiâ, modò desiderio modò timore.

Luc. 10. v. 21. Visus est effundere lachrymas ob excidium Jerosolymæ & mortem Lazari: visus est quoque dilatare cor suum gaudio, quando gratias agebat Deo Patri suo, quod abscondat secreta sua superbis & revelet ea parvulis. Visus est ita diffluere dulcoribus cœli & fruitione DEI tam copiosa, ut facies ipsius resplenduerit veluti sol, & vestimenta ipsius facta sint alba veluti nix in monte Thaboræo; Et exin in horto olivarum ita repletus est amaritudine & dolore, ut abreptus his fuerit usque in agoniam; tandemque in vertice Golgothæo conspectus est in statu tam miserando, ut sol se absconderit præ pudore & horrore, & omnes creaturæ induerint se luctu.

JEsus est exemplum & solatium bonarum animarum,

Quanta bonitatis abundantia, visitare ita voluisse omnes hos status diversos, quorum unus plenus gaudio, alter ejusdem privatione, ad exemplum & consolationem bonarum animarum, quæ cum ipsum videant in tam diversis tamque oppositis dispositionibus, non terreantur, si quoque involvantur illis; quæque, dum considerant, ipsum in omnibus æqualiter esse DEum, æqualiter sanctum, æqualiter beatum, hûc se exstimulent confidentiâ, quod in quocunque esse potuerint statu, sive tristitiæ, sive solatii, sive luminis, sive tenebrarum, sive privationis sive possessionis, æqualiter esse possint acceptæ Deo, modò permaneant fideles, non volendo, nec quærendo, nisi ipsum solum!

Luc. 2. JEsus crescebat ætate & sapientiâ,

Porrò dixit nobis, quod quando S. Lucas scripsit, Infantem JEsum creviſſe & profeciſſe ætate & sapientiâ, intelligendum id sit secundum literam de incremento continuo, quod faciebat in utroque. Nam sicut verum

est, quod postquam hic DEus æternus obstrinxit se tempore, per nativitatem suam humanam, semper creverit ætate omnibus vitæ suæ momentis, ita ut nunquam duo momenta habuerit similiter, & sequens semper majorem fecerit progressum, quàm prius: ita sanctissima ipsius anima, cum uniri voluerit corpori mortali, & ab illius dependere sensibus, ad recipiendum ab iis novas notitias experimentales, non cessavit proficere & progredi semper in ejusmodi scientiarum ab extrinseco advenientium genere. Quantum miraculum videre magnum hunc cœli Doctorem, factum in terris discipulum ac tyronem, ut propriis suis experimentis nostrarum addisceret scientiam miseriarum humanarum! Hæc erat in ipso sapientia perfectissima, eòquòd experientia sensuum suorum deciperetur nunquam.

JEsus formavit exteriorem suam Ecclesiam tribus, & interiorem triginta annis.

Ne quæras amplius, quæ fuerint occupationes interiores JEsu Christi, tempore vitæ suæ solitariæ: Ecce enim tibi illarum tres ipsi nunquam non continuas. 1. Fruebatur visione DEI, velut Beatus. 2. Contemplabatur clarè ipsius excellentias, velut Sanctus Sanctorum. 3. Contendebat cognoscere illum propriis suis experientiis velut homo mortalis. Si suam formavit Ecclesiam exteriorem per tres annos vitæ suæ manifestæ, dici potest, ipsum formâsse Ecclesiam suam interiorem, per annos triginta vitæ suæ absconditæ. Exposuit se hìc velut exemplar infinitâ ratione perfectum omnium omninò statuum: primò Contemplativorum magis sublimium: secundò eorum, qui nonnisi communem perficiunt orationem: tertiò eorum, qui cum non habeant cognitionem vitæ internæ, utuntur suis sensibus ad exercitia virtutum, ad studium non intermissum cognitionis Dei, ad acquisitionem plurimorum meritorum, ubi quidem profectus videtur magis manifestus, quam in iis, quorum vita est tota spiritualis; & tota abscondita in interiori, quamvis hæc nobilior sit absque comparatione.

Anima JEsu tota immersa divinitati.

Sed quidquid vel dicere, vel cogitare possumus de admirandis occupationibus animæ JEsu Christi in sua solitudine & toto decursu vitæ, nunquam pertingemus eo, ut comprehendamus, quàm fuerint sublimes, quamque profundâ abysso luminis, solatii, quietis ipsum semper tenuerint absorptum. Non est intellectus humanus qui capere & cognoscere possit, quâ ratione magna hæc anima semper fuerit immersa & tota absorpta delicioßissimo Divinitatis torrente. O JEsu! Adoro ineffabilem tuam-

tuam Divinitatis fruitionem in Divinitate ipsâ: tu bibis non solum è fonte, sed totus sic fonti immersus es, ut nemo cognoscere id possit, nisi tu solus. O mi JEsu! quàm ardeo videre te sic totum diffluentem puris deliciis beatæ tuæ æternitatis! nam tibi in hoc statu quid possit deesse?

JEsus capit delicias cum animabus nostris, & nos has illi dare nolumus.

Et tamen affirmas, delicias tuas esse cum filiis hominum. O mi amabilissime Salvator, quàm plenum solatio est hoc verbum? Tu quo infinitarum deliciarum invenis fontem in sinu divini Patris tui, exis inde, ut alias quæras delicias in corde nostro; sed potius hoc est, tuas ut afferas illi. Tu reseras nobis omnes thesauros tuos, tu effundis in morem torrentis nobis divitias tuas, & vivere nobiscum desideras, velut cum amico amicus, quorum bona sunt communia. O prodigium divinarum munificentiarum tuarum erga nos parvulas & miseras creaturas. Tu dignaris nobiscum tuas capere delicias, & nos abnuimus, nec illas te capere permittimus conjungendo nos tecum, adhærendo tibi in oratione. Eheu! quomodò nostras capere possumus delicias cum quovis alio, quàm tecum solo? Nihilominus pleræque animarum non delectantur cogitando de te, eòquòd illectæ sunt deliciis & voluptatibus sensuum, quibus satiari permittuntur, quantùm voluerint; & tu qui totus spiritualis es, aufugis ab anima carnali. Necesse est, ut spoliemus nos voluptatibus humanis, si gustare volumus divinas. Sed quàm facile hoc foret animæ, quæ vel leviter consideraret vilitatem illarum, harumque valorem! ultima hæc verba, quorum postulavimus explanationem, dederunt ipsi ansam dicendi nobis id, quod intelliges.

ARGUMENTUM.

Contemplatio quietis.

Articulus VI.

NOn dicimus, JEsum Christum locutum non esse mundo, nisi tribus ultimis annis vitæ suæ, quam duxit palam, cunctisque reddit manifestam; sed ipsum per triginta vitæ solitariæ annos tam altum tenuisse silentium, ut nullum instruxerit, nulli ullam dederit informationem. Quantum ad me, majorem tribuo silentio huic facundiam, quàm omnibus verbis,

quæ effatus est, quoad vixit in terris, si docuit Christianos de plebe per tres annos, quibus conversatus est cum illis, docuit Christianos perfectos, quos separat à mundo quoque vocat ad vitam contemplativam, per annos triginta vitæ suæ absconditæ, quàm traduxit in solitudine. Hìc profectò ipse est liber contemplativorum; unicus solus intuitus, quàm anima spiritualis ejaculatur in interiora JEsu Christi in hoc statu, pluris est lectione totius alicujus voluminis; eòquòd invenire mox doceat ipsam, quod totus mundus quærit & desiderat, quodque neminem turbat, solidam nimirum animæ nostræ quietem.

Hæc esse non potest nisi in DEO solo, qui est centrum nostrum. Contemplari quietem admirabilem, quâ sanctissima anima JEsu Christi potita est in divinitate, cui tota semper fuit immersa est vidisse paradisum oculis nostris apertum; nonnisi opus est intrare: aspectus hic tam blandis affluit illecebris, incitando cordi ad solitudinem, ad silentium, ad contemplationem, ut nullus ab eo cohibere se possit, nisi ille, qui suos à tam speciosо objecto avertit oculos; quod ut faciat, necesse erit sibi maximam inferre vim ac violentiam; siquidem anima proprium suum invenit, dum amabilissimi sui JEsu contemplatur paradisum. Quando hæc ipsum amat ex toto corde suo, quando revera ipsius quærit & procurare satagit commoda tanto perfunditur gaudio ex eo, quod ipse sit DEus, quodque æternaliter ipse fruiturus sit tam plenâ, tamque perfectâ possessione Deo, ut propriarum oblita miseriarum aliquid pro se desiderare non cogitet, eòquòd se omnia habere credat in eo, quem amat plus quàm se.

Anima amans gloriam JEsu Christi, oblivisciturpropriarum miseriarum.

Dicit ipsa in corde suo: Quid refert meâ, quod nonnisi miseria sim, infirmitas & paupertas, cum videam, ô mi JEsu, te DEum esse infinitâ ratione beatum, infinitâ ratione divitem in temetipso? Non angor de paupertate meâ, tanto demulcet me gaudio ubertas tua: Confido tam parùm mihi unquam defuturum quàm tibi; quia, quod non habeo in me. habeo in te, quàm infinitâ ratione plus amo, quàm me. O pulcherrima anima JEsu mei, quæ tam profunda, tamque jucunda frueris quiete in contemplatione tuâ divinâ, quanto perfundor jubilo, dum ita te video, & novi te ita in æternum mansurum. Non inquiro, quid mecum futurum sit, nec in vita præsenti, nec in æternitate: quando infelix forem ac misera, quando annihilarer omninò te semper DEus eris,

eris, & infinitâ plenus gloriâ & felicitate in temetipso; hoc unicum mihi sufficit, & incomparabiliter magis in acceptis id refero, quàm propriam meam felicitatem.

Magnum negotium bonæ animæ est, occupare se JEsu Christo.

Non fiat mihi sermo, de exantlando unquam alio hâc in terra negotio; maximum quod agendum mihi incumbit, est, me tuâ occupare felicitate, tuâ gloriâ, tuis excellentiis, ô mi adorandissime JEsu, gaudere de illis, admirari incessenter illas, applaudere & congratulari illis: cætera omnia, quæ tractare possem cum hominibus, parva negotia, nihil fermè sunt in comparatione: sive succedant benè, sive evemiant malè, anget me minimùm: siquidem grande meum & præcipuum negotium nunquam non succedit optimè, nec unquam succedere potest nisi eventu auspicatissimo, mihíque exoptatissimo, eòquòd tu semper DEus sis, & in æternum futurus sis, in divina tua quiescens felicitate. Ecce tibi ingens gaudii mei argumentum, & immobile meæ fulcrum lætitiæ.

Verùm si abstraharis à dulci hâc occupatione, interpellat bonus noster Ecclesiasticus, si avellaris etiam à tua solitudine, si ex ordinatione DEI impliceris pluribus abalienantibus animum negotiis, quæ excutere non possis absque offensa illius?

Otium & vacatio à DEO magnum est suplicium bonæ animæ.

Respondit ad hoc ingemiscens & oculos in cœlum attollens: Fateor, otium à Deo unicum esse tormentum, quod affligere me posset; cruciarer inde magis, quàm avarissimus quisque suo spoliatus & auro & omni thesauro; siquidem nullus thesaurus comparabilis est illi, pro anima, quæ novit illum. Verùm si facta vi à mea avellerer solitudine, memo avellere me posset è sinu ipsius; & quando obruerer creaturarum intricamentis, negotiorum impedimentis, ubique apertam invenirem portam ad exeundum inde, & intrandum cum Salvatore meo in speciosum & spatiosum palatium divinitatis. Porta hæc est immensitas DEI, quem ubivis video, & in quam intrare possum in ipso instanti, quo de ipsa cogito.

Anima experitur carcerem inter creaturas; resumit suam libertatem in, trans in DEum.

Captivam experior animam meam, & vi detentam, quamdiu Commoratur in angusto & obscuro creaturarum carcere, & sentio desatigari ipsam, debilitari & tædio aflici diuturnâ occupatione cum quovis alio, quod DEus non est, quàm gratum etiam fuerit à principio. Sed invenit ipsa libertatem suam, quamprimùm obtinuit, ut reverti liceat in vastam essentiæ & perfectionum DEI latitudinem; recreatur illa, dum ipsum quærit;

est beata, dum ipsum invenit; est plenè satiata, dum in ipso quiescit. Videtur his, qui non satis noverunt regionis hujus felicitatem ibi detineri quem vi factâ, ibi habitari cum fastidio, eòquòd non adsit, quo quis se occupet. Sed an deesse possit jucunda occupatio, quando quis se occupat occupatione ipsius DEI, nisi quod ipse perfectè contentus sit uno simplicissimo intuitu, qui nunquam nec multiplicatur, nec variatur? Et anima tum multiplicet, tum variet aspectus suos, contemplans modò unam, modò alteram perfectionem, juxta motum & impulsum gratiæ præsentis.

Quantùm nobis probrum, quod tam libenter conversemur cum amicis, & tam parum cum Deo.

O mi DEus! ille solus beatus est, qui novit te, quique tuæ gustat conversationis dulcedinem. An possibile sit, homines eósque oblectari conversatione cum aliis hominibus, tamque parum occupari Deo, cum quo sunt semper, quin unquam è medio sinûs sui exire possint, & in quo invenirent tam facilè, si vellent veram felicitatem, quam inutiliter quærunt in creaturis? An ergò ô ens entium, ens infinitum, fons perennis omnium entium! an tam parùm agnoscaris, ita tradaris oblivioni, tamque tenuis sit numerus animarum solitudinis amantium, quæ cogitent dete, quæque suam collocent felicitatem in eo, si tecum ipsis liceat conversari? Reliqui omnes quasi nunquam de hoc suscipiunt cogitationem, imò credunt, tantâ sunt obvoluti cæcitate, hoc inutilis occupationis genus esse, sibique alia conficienda incumbere negotia. Dum interim torquent & plurimùm cruciant se, aucupando mille parva creaturarum nihila, quæ ipsorum elabuntur manibus, sicut qui vellet prehendere manu atomos, quibus totus aër est plenus; negligunt, ne dicam, contemnunt magnum omne, & bonum infinitum, stans ad portam cordis eorum & desiderans implere illud mille consolationibus divinis.

Quod facile & delectabile sit conversari cum Deo.

Quâ ratione hoc esse potest? Anima mea, tu tota penetraris ab essentia Dei; siquidem ipsa replet omnia immensitate suâ; Tu es igitur etiam in cognitione, qua cognoscit seipsum; tu es îgitur etiam in amore infinito, quo amat seipsum: siquidem essentia ipsius, & cognitio ipsius & amor ipsius nonnisi eadem simplicissima res est. Quid agendum tibi est, nisi ut annihiles & immutes esse tuum in esse ipsius, cognitiones tuas in cognitionem ipsius, & omnes affectus tuos in amorem ipsius. Hoc est, non esse amplius, nisi per essentiam ipsius, hoc est, non cognoscere illum, non amare illum, nisi per cognitionem ipsius, nisi

nisi per amorem ipsius. O mi DEus! quanta mihi consolatio, quod exire mihi non liceat ex essentia tua! Ergò exire quoque non possum à cognitione tuâ, ex amore tuo. Quando non potero amare DEum, nec habere bonum aliquem affectum in corde meo, adorandarum reminiscar flammarum, quæ divinas succendunt Personas, inhærebo considerationi illarum, delectabor de illis, illisque congratulabor, & tandem me intra illas projiciam ex toto corde meo, ut comburar cum illis.

ARGUMENTUM.

Otium Sanctum.

Articulus. VII.

OBlectabamur audiendo bonam hanc animam tam divinè loquentem nobis de sublimibus occupationibus animæ Salvatoris nostri, tempore vitæ suæ solitariæ, & de deliciis, quas reperit anima solitaria considerans quietem divinæ contemplationis suæ: experiebamur etiam desiderium novum vacandi deinceps magis ardenter vitæ internæ & orationi. Hoc est, quod exstimulavit me, ut quærerem ex ipsa, quodnam medium crederet efficacius, brevius & certius ad ingrediendum divinum hoc sanctuarium, ubi nobis solis conversari licet cum Deo solo, ad occupandum nos re non aliâ, nisi divinâ ipsius occupatione.

Necessarium est otium universale ab omni eo, quod non est DEus, si quis velit benè occupari DEO.

Respondit mihi duobus verbis: Non est brevior via, nisi universale otium ab omni eo, quod DEus non est. Reperire est animas, quæ specialiter vocatæ sunt ad honorandum vitam solitariam Domini nostri, modo magis speciali, quàm omnes alios vitæ ipsius status. Sicut enim habemus corpus naturale compositum ex pluribus partibus, quarum quælibet destinata est ad specialè suum munus, pedes ad ambulandum, manus ad operandum, oculi ad videndum, caput ad discurrendum, & sic de reliquis: ita JEsus Christus habet Corpus aliquod mysticum, compositum è totidem partibus, quot habet Christianos, qui omnes sunt membra ipsius; sed non omnes sunt destinati, ad exhibendum ipsi idem servitium. Aliqui velut manus sunt deputati ad exercendum continuo bona opera; hoc totum est, quod exigit ab illis. Alii sunt velut lingua, quibus alia non incumbit cura, nisi

Diversæ occupationes partium corporis naturalis, innuunt nobis occupationes Corporis Mystici JESU Christi.

munus loquendi: DEus vult ipsos loqui, instruere populos, dicere è pulpito; decantare suas laudes; Ecce tibi vocationem illorum. Nonnulli sunt velut oculi, quibus incumbit prospicere cunctis attendere ad omnia, & dirigere totum corpus; Et hi sunt superiores & præsules, qui sunt oculi Corporis ipsius Mystici.

Verum sunt & alii, qui sunt voluti illius cerebrum. Vides attolli hanc partem super totum corpus, non laborare illam velut manus, nec perficere aliquod opus omnium aliarum partium exteriorum corporis. Vides illam omninò solitariam, inclusam, & adeò absconditam, ut à nemini videri se finat. Fiunt verba de crebro, velut de aliquo Eremicola, siquidem dicitur, ipsum habere suas cellulas, manere solum & omninò se servare abstractum; aliud non habere, quod agat, nisi quod cogitet, meditetur, cognoscat, contempletur; sed opus illi silentio & quiete; actiones operosæ vel nimiùm multiplicatæ illud distrahunt, strepitus & tumultus illud molestant, conversationes ipsi tollunt tum tempus, tum libertatem suam, nec benè conficere potest opus suum, nisi totum sit solitarium & in silentio. Quis non affirmabit, prærogativas partis hujus esse singulares, & munus ipsius longe esse nobilius muneribus aliarum.

Hâc ratione habet DEus gratias & prærogativas particulares pro certis animabus, quas vult esse in corpore mystico suæ Ecclesiæ, quod est cerebrum in corpore humano. Hinc abstrahit illas ab omni occupatione, etiam executione multorum bonorum, quæ præcipit aliis, nihilque horum exigit ab illis; non insudant ipsæ operibus manuum suarum, nec laborant, nisi in quantum tenentur ut suæ satisfaciant obligationi; non loquuntur ad instruendum populos, & convertendum peccatores, non intendunt oculos ad alia, ut moderentur subditos, administrent negotia, regant populos, præsint Ecclesiæ; unicum ipsarum negotium est cogitare de DEO, considerare, contemplari ipsius excellentias, illas admirari illas adorare, illas amare. Hinc est, quod velut cerebrum attollantur super omnes alias partes corporis hoc est, quod omnes res creatas teneant infra se per generosum contemptum, quo prosequuntur illas; servent in morem cerebri actam solitudinem, prorsus solitariæ, inclusæ & ita absconditæ, ut nulli se præbeant conspiciendas, nec quidquam habeant cum mundo familiaritatis; sed altum requirant silentium & magnam quietem, ut ritè exe-

Animæ contemplativæ sunt velut cerebrum corporis mystici JEsu Christi.

exequantur impositum sibi sublime munus contemplandi DEum.

Quàm perfectum otium & abstractionis requirat DEus ab animabus contemplativis.

Vix credi potest, quantum requiratur ab ipsis otii & abstractionis ab omni reliquo, non solum omni genere mali, cui nec levissimâ adhæreant voluntate; sed etiam ab aliis bonis, quæ DEus non exigit ab illis, quamvis magna hæc sint & magnæ perfectionis, & plurimum congrua aliis, quorum vocatio non ita tendit ad vitam contemplativam. Non sufficit otiosas & abstractas ipsas esse ab omni re exteriori; sed præcipuè requiritur, ut otiosæ sint & abstractæ à semetipsis, à consolationibus suis, à desideriis suis, à commodis suis, & ab omni eo, quod DEus non est, ut unicè & absolutè sint illius & ipse cum illis, quod voluerit, facere possit. Qui loquuntur de vita hac divina, dicunt ipsam esse *universalem oblivionem omnium eorum, quæ non sunt DEus.* Alii ipsam *esse profundum silentium animæ, servantis se omninò in pace & absque strepitu, ad audiendum DEum sibi loquentem. Alii, ipsam esse maximam solitudinem animæ, ubi inveniatur ipsa sola cum DEO solo, ac si reipsâ non nisi DEus solus, & ipsa sola esset in mundo.* Alii dicunt, *ipsam esse omnimodam jacturam & amissionem animæ in Deo, ubi ipsa nihil sciat, quid secum fiat, & nihil cognoscat, nisi quod DEus sit, sed quòd sit incomprehensibilis.*

Vita contemplativa non dependet à nostrâ industria, sed est opus DEI in anima.

Et omnes hæ loquendi rationes benè demonstrant, ipsam non esse rem, quæ dependeat à viribus naturæ, quas impendere possimus; quodque, si labor sit animæ gratiâ adjuta, purificare se per pœnitentiam & mortificationem, opus sit DEI ipsam replere seipso, ipsamque attollere ad contemplationem divinarum suarum excellentiarum, ubi ipsa aliud non faciat, nisi quod cum reverentia accipiant, quod dare ipsi DEus voluerit. Complacet autem sibi, formare parvas sui ipsius imagines in animabus valde puris, sicut sol depingere se amat in speculis & superficie aquæ, quando hæc est tranquilla. Non est opus, oculum nostrum habere aliquem colorem sibi peculiarem, ut recipere possit omnes colores objectorum, quæ ipsi exhibentur: opus etiam non est, animam nostram esse imbutam aliquâ cognitione vel aliquo affectu sibi peculiari, ut benè recipere possit illos, quos Deo placuerit conferre sibi.

Quomodò intelligendum sit, quod dicunt aliqui: in oratione nihil esse cogitandum.

Hinc asserunt nonnulli, quod, ut aliquis benè dispositus sit adorandum, nihil cogitare debeat. Fatentur quidem, quod ad instituendam bene meditationem, oporteat præparatam habere materiam & bonas in intellectu suo fovere cogitationes; sed sustinent, ad hoc, ut aliquis attollatur ad contemplationem ex-

cellentiarum DEI, opus non esse aliquâ cogitatione in intellectu, nec bonâ nec malâ. Hæc doctrina habere potest tum bonum, tum malum sensum; siquidem si aliquis nihil & de nullo cogitare velit ex stupiditate aliquâ brutali, contentus relinquere intellectum suum inutilem absque ulla applicatione, & omninò omni cogitationum genere vacuum, abs eo, quod quidquam aliud faciat, quàm quod ita permaneat velut truncus immobilis ac insensibilis; hoc merum est otium, est tempus perditum, est maxima indevotio. Verùm si de nullo cogitare quis velit ex voluntaria exspoliatione omnium suarum peculiarium cognitionum, omnium suorum peculiarium affectuum, ut se cum reverentiâ teneat & conservet coram Deo, velut speculum prorsus nudum, quod nullam contineat imaginem, sed quod exspectet illam, quam Deo placuerit imprimere sibi; hæc profectò eximia est dispositio ad contemplationem maximè sublimem: siquidem DEus, qui videt hanc animam non intendere nisi sibi, nec desiderare, nisi se, ipsamque eo nomine se ita habere, ut exspectat id, quod sibi dare & conferre ipsi placuerit, haud difficulter se in ipsa depingit ipsamque divinâ suâ replet cognitione, accendit ardore.

Anima nihil agendum habet ad nisi quod intendat DEO.

Hoc est, quod alii aliâ expli-cant ratione, dum dicunt, quod ad instituendam benè orationem requiratur tranquilla & venerabunda attentio ad DEum. Alii, quod sufficiat simplex recordatio DEI præsentis: Affirmari non potest, hoc esse otium; Nam si intueri pulchram aliquam picturam cum attentione ad considerandum & admirandum illam, non est otiari; multò minùs, si anima se reddat attentam DEO, nihil petens ab eo, nec aliquam formans ex se ipsâ in intellectu suo cogitationem aut affectum in sua voluntate. Sed cum sciat, quod DEI sit dare, & suum recipere; ipsum inexhaustam esse abyssum, semper expeditam ad effundendum se & communicandum ex sua abundantia; se autem esse abyssum imperscrutabilem miseriæ & paupertatis, abyssus una abyssum invocat alteram, suum inane invocat bonitatem repletionis & abundantiæ divinæ, quin faciat aliud, quàm exponere se ipsius oculis in maxima sua nuditate: & DEus, qui nunquam potentius operatur, quàm in nihilo, complacet sibi ædificare super hoc nihilum sublimissimum fastigium perfectioris animæ.

Exemplum Magdalenæ contemplantis ad pedes JEsu Christi.

Salvator noster intuitus Magdalenam ad pedes suos, ubi agebat nihil, nisi quod tota intenderet ipsi, mente totâ in ipsum defixa,

defixa, defendit ipsam adversùs sororem. à qua arguebatur velut deses & otiosa affirmans ipsam elegisse meliorem partem, quæ non auferetur ab ea. Mirum est, ipsum locutum esse de contemplatione, sicut Apostolus ejus locutus est de sancta charitate. Hic dicit: *Charitas nunquam excidit*, hoc est, non finietur unquam; finietur fides, quando videbimus id, quod credimus; finietur spes, quando possidebimus id, quod speramus; sed sancta charitas finietur nunquam; incipiemus ipsum amare in terra, ut pergamus amare ipsum in cœlo per omnem æternitatem. Et JEsus Christus similiter dicit nobis, quod contemplatio finienda sit nunquam: oratio meditationis finietur; siquidem non amplius erit opus discursu ad exstimulandum nostram animam efficacibus aliquot motivis amandi DEum, quando videbimus illum; sed contemplatio, quæ aliud non agit, nisi quod adjiciat animum, ad intuendum ipsum simpliciter, ad cognoscendum, admirandum & amandum illum, nunquam finietur, hoc enim est, in quo Theologi collocant essentiam beatitudinis; incipimus contemplari DEum per fidem in terris, ut pergamus contemplari illum per visionem beatificam in cœlis, & finiamus id nunquam in omnem æternitatem. O quàm beata est anima, quæ elegit optimam hanc partem, nunquam ab ipsa auferendum?

1. Cor. 13. v. 8.

Ah! unde venit, quòd omnes desiderantes beatitudinem & possessionem DEI, non eligant illam, interrogavit ipsam Ecclesiasticus? Quia, dicit ipsa habet difficultates suas, habet labores suos, quos ignavæ nauseant animæ. Et ecce, quomodò id explanaverit.

ARGUMENTUM.

Patientia exercita.

Articulus VIII.

Plurimi stat, esse spirituale.

NOn satis est desiderare perfectionem, aut petere à Deo gratiam orationis & contemplationis; sed oportet se ad hoc disponere, fidelissimè agendo & nostras implendo partes, quas implebimus, si nos abstrahemus à pluribus rebus inutilibus, quibus semper aliquo adhæremus affectu; & affectus hic, quamvis levissimus, nos semper affligit terræ, nobisque tollit libertatem elevandi nos ad DEum. Vivere nemo potest vitâ divinâ,

quæ est vita contemplationis, nisi moriatur vitæ humanæ, quæ est vita sensuum & naturæ; nemo mori potest huic vitæ, nisi patiendo: nemo pati vult & multò minus mori. Vivere quidem vellemus harum vitarum unâ, absque eo, quòd moriamur alteri; & sicut dicit S. Paulus, vellemus induere novum hominem, citra id, quòd exuamus veteram, sed hoc fieri non potest, nulla enim est societas luci ad tenebras.

DEus multa vult pati illos, quibus magnas præparat gratias.

Quando DEus præparat animam ad recipiendum magnos effectus misericordiæ, propinat ab initio ipsi & degustandos offert illos justitiæ suæ. Et quando destinat illam ad vitam sublimem, quæ est vitam contemplationis, facit ipsam mori vitæ abjectæ & imæ sensuum & naturæ, & ut mori ipsam faciat, facit ipsam multùm pati; omnis generis crucibus onerat ipsam, jacturâ bonorum, honorum, amicorum, calamitatibus, siniſtris eventibus, persecutionibus, infirmitatibus; magis adhuc ipsam affligit interius, tenebris, anxietatibus, timoribus, fastidiis, aversionibus ipsarum rerum sanctarum, tentationibus, pusillaminitatibus; & quod pejus est, agit, ut videantur ipsi mala sua esse incurabilia; in his omnibus inutiliter quærit consolationem, cum nihil consolari ipsam possit; cum DEus velit eò usque ipsam pati, ut ex eo moriatur, & nihil amplius pro ipsa sit nec bonorum, nec honorum, nec voluptatum, nec consolationum, nec subsidiorum, haud aliter, quàm pro mortuis. Sed hoc ipsum est, cui præbere assensum, nobis videtur durissimum, nolumus nec pati, nec mori, movemus cœlum & terram, ut liberemus nos à cruce, & quærimus ubique consolationem: siquidem credimus omnia esse perdita, nisi conservemus perpetuò vitam hanc sensuum & naturæ; & corrumpimus omnia, quia quantum possumus, defendimus nos contra manum DEI, & destruimus opus ipsius in nobis.

O si resolvere se posset anima, ut permittat ipsum facere secum, quidquid voluerit; si permaneret tranquilla in cruce ab ipso sibi impositâ, quò minùs illâ se quæreret exonerare, & etiam velle consolationem, nisi hanc, quòd sciat delectari DEum, faciendô hoc secum, quod ipsi placuerit, quin se opponat, ipsique reluctetur; unico verbo, si consentiret propriæ suæ ruinæ. volendô libenter pati & mori omnibus, quæ non sunt DEus; quàm citò inveniret perfectam suam felicitatem in apparente & imaginariâ hâc miseriâ! siquidem quamprimùm desereret vitam

Non retrahendæ sunt manus à Deo, quando nos crucifigit; sed patiendum & moriendum nobis est.

vitam hanc sensuum, mundi & naturæ, ædiret possessionem vitæ divinæ & supernaturalem gratiæ, quæ est proprium orationis & contemplationis elementum. Sed quàm paucos reperire est, qui emere illam volent hoc pretio, quàm paucos, qui comprehendant hanc rationem agendi, quam sequitur & tenet spiritus Dei, & pauciores adhuc, qui approbent & amplectantur illam, quibus sit animus illam sequendi. Vide, cur pauciſſimos, pauciſſimos, pauciſſimos spirituales numeret & contineat, mundus.

Nunquam finis patiendi est in hac vita.

Adhæc, si superata semel difficultate hâc naturæ tam amarâ, aliquis mox stabilitum se inveniret in pace tranquillâ & continuâ possessione Dei, resolvere se aliquis posset. sed semper de novo incipiendum est; siquidem natura semper vult vivere & sua repetere jura, & gratia vult illam semper mori, illiusque privatam manere. Si velimus statum orationis & contemplationis conservari in animâ, oportet & ipsam conservare semper exercitium mortificationis; & si velimus augeri illum, augere & ipsa debet mortificationem & perfectam sui avulsionem ab omnibus creaturis: Nam si vel parum in hoc sit anima negligens, oculi ipsius insensibiliter, certis quibusdam obteguntur nubeculis, quibus subtrahitur ipsi aspectus DEI; & minima quævis libertas, quam concedit naturæ, est velut pulvis, quem projicit sibi ipsi in oculos, quo quidem non obcœcatur, sed plurimùm incommodatur & impeditur libertas aspectûs sui. Oportet plorare ipsam, ut ab eo se liberet; id est, oportet ipsam concipere dolorem & agere de eo pœnitentiam.

Sunt variæ tempestates pro anima sicut pro corpore.

Invenitur in vitâ spiritûs tam benè, quàm in vita corporum, valde magna varietas diversorum statuum & frequenter oppositorum. Modò est dies, & quamprimùm est nox; modò tempus amœnum est & serenum, & illicò fit nubilum, mœstum ac triste; modò lene est & valde tranquillum, & repente turbulentum est ac ventis infestum modò frigidum, modò calidum. Inter hæc omnia non desinimus vivere, & prout se offert, accipitur tempus, quin multùm nos affligamus, si non sit ad vota nostra; armamus nos patientiâ, cum probè nobis constet, in eodem statu non diu persistere tempus, similiter exspectandum & sperandum nobis non est, eundem nobis semper fore statum in vita spirituali: non semper arridet serenum, quandoque ingruunt & tenebræ: non calemus, accensi ardoribus magni fervoris; & suum est tempus frigori, quo algemus, & negligen-

gligentiæ constringimur gelu: non semper tranquillitate fruimur & magnâ quiete, degustantes pacis interioris dulcedinem; tentationes & adversitates, quæ irruunt, sunt venti, qui excitant tempestates. Sed inter hæc omnia cessandum nobis non est, quin vivamus semper æqualiter contenti, & indifferenter accipiamus tempus, quale placuerit Deo largiri nobis; relinquendum est ipsius arbitrio, mutandi hoc pro suo placito; is namque Pater cœlestis est, in cujus potestate sunt tempora. Nostrum est, ut fideles simus ipsi in omni tempore, omnémque volentes, lubentes amplectamur statum, in quo placuerit ipsi nos collocare; dicentes ex corde optimo cum vate regio: *Benedicam Dominum in omni tempore.* Psal. 33. v. 2.

Animæ modò incipientes servire Deo, sunt velut infantes, nonnisi petentes dulcia; & plerumque concedit illis hæc DEus in tanta abundantia, ut illis prorsus inebrientur, eousque, ut seipsas ampliùs non noverint, nec sciant, quid dicant, siquidem putant ipsæ, attigisse se jam statum quorumcunque perfectissimorum, totum ipsum provocant infernum, & admirantur, quomodò inveniri possit difficultas in exercitio virtutis, experimento edoctæ, sibi omnia esse facilia: sectantur avidè pœnitentias, proponunt sibi exercere austeritates, quas legunt in vitis sanctorum, asperrimas, sæpe obruuntur sensibili dulcedine tam magna, ut abundantia hujus diffluat ipsa in corpora; non ratò deveniunt eo, ut patiantur deliquia, syncopis species raptuum & quasi extases. Videtur iis, qui hìc in re parvam habent notitiam, perfectâ & consummatâ pollere illas virtute; & nihilominus non sunt nisi parvi adhuc infantes, valde debiles & infirmi, quos DEus nutrit in principio lacte dulcedinis spiritualis ipsius necessariæ, quoad evadant fortiores & capaciores alimenti, quod difficilius digeratur.

Sunt animæ, quas DEus accipit velut parvulos infantes.

Nil jucundius est, quàm audire, quid ipsa nobis dixerit de eo, quâ ratione DEus habuerit & exceperit Apostolum S. Paulum in principio conversionis suæ. Circumfulsit ipsam lumine, & locutus est ipsi, inquiebat illa, voce forti ac valida; & ecce Saulum prostratum in terram; hic est pauper infans, quem gratia progenuit è sinu suo, sicut cerva progignit hinnulum suum ad ictum fulminis. Sed bonitas Patris cœlestis compassa ipsius infirmitati, protinus è terra sublevavit ipsum, suo constringit sinu, suis ipsum admovet uberibus, quibus tres dies mansit affixus, velut profundâ abreptus extasi, ubi tam divinis

Quomodò DEus acceperit S. Paulum in principio conversionis suæ.

nis lactatus est dulcoribus, ut totus fuerit ex iis inebriatus; non comprehendebat, quid in se ageretur, ita ut inde avulsus, quid diceret de eo, ignoraret. Si semper admotus mansisset his uberibus, nunquam evasisset magnus ille Apostolus, & nunquam sua præstitisset Deo obsequia in magno opere conversionis mundi, ad quod destinaverat ipsum. Oportuerat quamprimùm subtrahere illi panem infantium, ipsius porrigere alimentum magis solidum, quamvis hoc ipsi primitus saporis pessimi debuerit videri.

Quomodò habitus fuerit successu temporis.

DEus aggravat ipsum laboribus Apostolatûs sui, exponit ipsum plurium persecutionum tempestati: patienter hoc accipit. Verùm permittit insuper Angelo Sathanæ, ut colaphizet ipsum indignissimè, concitando in ipso tentationem carnis vehementissimam & importunissimam. O quàm durum hoc est animæ, quæ semel degustavit DEum & timet displicere illi in re minimâ? Confugit ad DEum, gemit, ipsum observat, lachrymantibus obtestatur oculis, ut transferat hunc à se calicem ipsâ morte sibi amariorem: ipse est infans modò ablactatus, qui plorat, qui denuò exposcit ubera ut pascat se ibi aliquo dulcore. Sed non est, quod amplius quid ibi exspectet; DEus abnuit ipsi, & vult, ut assuescat deinceps his vivere, his pasci amaritudinibus, quæ quidem injucundæ sunt sensibus & digestu difficiles; admodùm tamen sunt salutares, mirificum conferentes robur, quibus optimè alatur & sustentetur anima.

Quomodò inquis, salutares illas esse, optiméque ex illis consuli animæ, quærit ex ipsâ Ecclesiasticus? Crederem equidem, cruces & persecutiones exteriores roborare posse illam in exercitio patientiæ; sed interiores, quæ incitant ad offensam DEI, præcipuè illas, quas tolerabat S. Paulus, quæ accenduntur velut ignis infernalis in corde, quibus totus ardere est visus, ubi anima discernere quasi non potest an præbuerit, vel negaverit consensum; ubi experimur omnes sensus nostros ferri & inclinari ad volendum malum; ubi omnes potentiæ inferiores haud parvum addunt pondus ad succumbendum tentationi; & ubi consequenter ipsa se videt tanto periculo circumfusam; cum tam vicina sit præcipitio, ubi cadere potest in unico momento, quomodò asseris, illam sustentari ex eo, idque optimum esse alimentum ad roborandum ipsam in servitio DEI?

In quo tentationes sint proficuæ.

Non immeritò hoc diceres, inquit hæc ipsi, si sentire malum esset eidem consentire; sed tan-

tum inter utrumque est intervallum in animabus timentibus & amantibus DEum, ut non ita remotum sit cœlum à terra, quàm voluntas ipsarum remota sit à consentiendo in malum à sensibus suis ipsis propositum. Qui benè nôsset indolem voluntatis nostræ humanæ, probè videret, ipsam nunquam remotiorem esse à casu, quàm quando fortiùs & vehementiùs oppugnatur; siquidem ipsa tam cupida, tamque studiosa est libertatis suæ, ut nolit omninò ad aliquid cogi ac vi illatâ compelli. Quod majorem ipsi vim infert ad extorquendum violenter ipsi consensum, hoc magis in sua ipsam roborat ac confirmat resistentiâ: oportet blandiri ipsi ac dolo decipere, qui capere vult ipsam, & non bellum movere ipsi. Quando proponitur ipsi horror peccati, quod à longo tempore lethali prosequebatur odiô, quæcunque ipsi inferatur vis, longè abest, ut consentiat in illud.

Aliud est sentire malùm, aliud eidem consentire.

Mirum non est, si sensus, in quibus residet voluntas carnis, suum hìc præbeant annutum, & vehementi illuc ferentur inclinatione, eòquòd agant naturaliter, & libertatem non habeant naturalibus suis reluctandi inclinationibus, non magìs, quàm habeat lapis, cohibendi se, ne tendat deorsum ex sui impulsu ponderis; hoc est, quod dicitur, non sensus, quam voluntas spiritalis non potest impedire, sed consensus dependet ab ipsa sola, hunc si præbeat, infinitâ ratione displices Deo, & funestum hunc consensum semper sequitur peccatum. Verùm sensus non displicet illi, sed potius placet, dum videt animam in hac afflictione constitutam, quæ ipsam exerceat, & ipsa exinde proficiat; & malum hunc sensum cum patientia & humilitate toleratum semper sequitur gratia & novi alicujus retributio meriti. Hinc est, quod abnuerit liberare à tentatione suâ sanctum Paulum, ipsique responderit, sufficere sibi gratiam suam; hoc est, quod sufficere illi debeat, ad se animandum, seque exstimulandum ad patientiam, nôsse, medium hoc esse ad obtinendam majorem gratiarum suarum abundantiam.

Optima regula pro solatio animarum.

Credit mundus, dicebat ipsa nobis, facillimum esse, vivere solum, & nihil habere agendum, quàm cogitare de Deo. Verùm si sciret ejusmodi vitæ labores, fateretur omnia illa, quæ labores nuncupantur in communi & usitatâ vitâ sæculi, parva esse in comperatione. Sicut actiones animæ multò operosiores & ampliores sunt illis corporum, ita quoque ipsius passioues, & quascunque tolerat pœnas, amariores

Status vitæ solitariæ & contemplativæ summè afflictivus, & summè consolatorius est.

riores sunt & molestiores. Verùm quidem est, ipsam quandoque frui consolationibus, quæ transcendant ea omnia, quibus tum ab Angelis, tum ab hominibus & omnibus simul creaturis locupletari posset, eòquòd divinæ sint, illasque ipsa hauriat ex eodem fonte, è quo Beati in cœlo hauriunt & abundanter bibunt vitam suam æternam. Sed aliquandò obruitur afflictionibus tam amaris, ut excedant ea omnia, quibus à creaturis simul omnibus cruciari posset & affligi, eòquòd afflictiones sint divinæ, ipsaque dicere possit
Job. 10. v. 16. cum sancto Job *Mirabiliter*, mi DEus, *me crucias*; nempe ratione, quæ admirabilis sit, & incomprehensibilis verùm hæc meliora ipsius sunt tempora, si benè id capiat. Omnis ipsius fidelitas in hoc tunc vertitur, ut constans permaneat in afflictione, nec citius velit ab eâ liberari, quàm placeat Deo, in morem incudis, quæ inconcussa semper & immobilis manet, omnes exspectans ictus sibi infligendas, plurimùm in hoc utilis suo Magistro & Domino, absque eo quòd quidquam faciat aut agat. Tempore afflictionis faciendum nihil est, quàm pati & Deo hoc sufficit; Et anima in hoc statu proficit mirabiliter, si persistat patiendo fideliter.

Fatendum est, miras afferre delicias, bonam invenire animam, quæ DEI repleta sit spiritu. Totus sine fastidio duxissemus dies in ducto ab illa & cum illâ colloquio, cùm nec unicum nobis diceret verbum, quod singulari gratiæ nos consolantis careret unctione. Sed tandem relinquenda nobis fuerat in sua solitudine, ubi morabatur ipsa ad honorandum absconditam Domini & Salvatoris nostri vitam, quatenùs & nos nostrum prosequeremur iter, quod nos deduxit & in regiam iteratò direxit viam.

CONSULTATIO XII.

De Baptismo & Jejunio JEsu Christi.

INgens exorta erat disceptatio inter pastorem magni cujusdam pagi & parœcos sive curiales ipsius, circa imaginem quandam sancti Joannis Baptistæ, qui erat loci patronus. Parochus volebat illam mutare, & populus id tolerare nolebat.

Ferebantur à tempore longissimo, speciali devotione in volutam quandam imaginem, repræsentantem ipsum in deserto, ex parte nudum, & exparte indutum cilicio è pilis Camelorum conferto, portantem in manuum suarum unâ librum clausum, cui insidebat agnus, quem digito monstrabat. Circa quod indocti diversas sibi formabant imaginationes, & pleraque falsissimas juxta pervicacis impetum ingenii, quo persuadebant sibi nonnulli, erexisse ipsum gymnasium in deserto, ut disertos faceret infantes & doceret eos literas, eòquòd gestaret librum; alii, quod custodierit greges, eòquòd monstraret & præferret agnum.

Ignorantia vulgi.

Parochus, qui doctus erat, & bonô imbutus zelô, instruxerat ipsos magnâ diligentiâ, juxta Decretum Concilii Tridentini, circa naturam, significationem, & bonum usum imaginum, ipsosque docuerat, quòd, licèt DEus sit purus spiritus, qui nullo repræsentari & oculis exhiberi possit corpore; nihilominùs cùm nos corporales simus, & anima nostra, quamvis spiritualis sit, velut corpori inclusa ex carne, instrui non possit, nisi per cognitiones, quæ insinuent se in illam per portas sensuum; ex bonitate suâ accommodare se nostræ voluerit imbecillitati, & ipsemet sub diversis depingi imaginibus, modò sub corpore humano, modò sub specie columbæ, modò sub figurâ agni, modò sub formâ ignis, modò sub effigie venti & suavitu flantis zephyri, ut demonstret se nobis, non talem, qualis reipsâ est, sed juxta quod capaces nos sumus concipere aliquid ex ipsius essentiâ & perfectionibus ipsius divinis; quodque hanc ob causam omnes Prophetæ veteris Testamenti, & tota Apocalypsis, quæ Prophetia est Testamenti novi, plenæ sint ejusmodi imaginibus, quæ non aliis exsculptæ & celatæ sunt manibus, quàm illis ipsiusmet DEI.

Concil. Trident. Sess. 25.

Zelus boni Pastoris in instruendo suo populo.

Insinuavit ipsis, usum sanctarum imaginum tantæ antiquitatis esse in Ecclesia Catholica, ut ipsemet JEsus Christus illarum primus extiterit Auctor, quando Abagarus Rex Edessæ, avidus ipsius habendi imaginem, expertissimum misit regni sui pictorem, ut sibi ad vivum effigiaret ipsum: Vir hic suos in adorandam, hanc faciem ferens & figens oculos, tantam vidit ex eâ diffundi majestatem ac splendorem, ut offensus ac offusus hoc lumine, nec ullum formare potuerit penicilli ductum; adeoque infecto opere rediisset domum, nisi JEsus Christus consolari volens pium hujus principis disiderium & demonstrare

Verus usus imaginum.

strare nobis, approbare se sanctarum imaginum usum, se ipsum in momento depinxisset, admovens duntaxat aliquod linteum faciei suæ, quod hodiedum adhuc asservatur Genuæ.

JEsus Christus confirmat usum imaginum.

Et cum iret ad montem Calvariæ, passurus ibi pro nostra salute mortem, relinquere nobis voluit dolorum suorum imaginem linteo impressam Veronicæ, quæ monstratur Romæ in Ecclesia sancti Petri, non repræsentantem, uti pictores depingere solent, faciem tersam, plenam & minio tinctam, sed faciem horridam ex sulcis, vibicibus, sanguine & sputis, quibus operta erat, spectaculum doctorum & calamitatum sancto afficiens animum honore. Ecclesia pretiosè conservat imagines pictas ab ipsomet, qui est imago æterna DEI Patris, quique demonstrat per hoc, approbari à se sacrarum usum imaginum.

Matth. 9. Luc. 8. Usus imaginum à principio Ecclesiæ.

Attulit illis exemplum pietatis in fœmina illa à fluxu sanguinis à Domino & Salvatore nostro curatâ, quæ in grati animi ob acceptum beneficium significationem, tum ad conservandum ejusdem memoriam, & exponendum illud publico, erigi curavit statuam in civitate Cæsareâ repræsentantem Salvatorem suum, cumque ipsam stylobatæ innixam sustulisset in altum, DEus devotionem ipsius magnis confirmavit miraculis, producens herbam circùm imaginem, quæ excrescens, quoad tangeret fimbriam vestimenti ejus, recipiebat virtutem omnis generis sanandi infirmitates. Julianus Apostata infensissimus hostis gloriæ JEsu Christi, demolitus est eam, suamque in locum ipsius subrogavit; sed impietas ipsius quantociùs mulctata fuit, eòquòd referente Sozomero icta & contrita fuerit fulminis ictu.

Euseb. lib. 7. hist. c. 14.

Sozom. lib. 5. c. 21.

Histor. Tripart. lib. 6. c. 19.

Instillabat ipsis plurimum devotionis erga imagines, non tantùm Salvatoris nostri, sed Sanctissimæ Virginis & Apostolorum, & aliorum Sanctorum, quos tota Ecclesia semper maximâ prosecuta est veneratione, velut perpetuam memoriam eorum, quorum non amplus fruitur præsentiâ, velut sermonem patheticum ciendis animorum motibus aptum, non auribus, sed oculis loquentem, ac in momento repræsentantem historiam de præclaris sanctorum facinoribus; velut librum semper apertum, ubi maximè rudes & indocti legere possint veritates religionis.

Ecclesia vult auferri vel mutari imagines difformes.

Bono ergò huic Pastori non erat animus subtrahendi ipsis imaginem suam sancti Joannis. Sed cum necessarium fuerit ipsam mutare, eòquòd tum temporis morâ, quæ consumit omnia,

nia, tum aliis, quæ âcciderant, contingentiis, aliquam contraxerit deformitatem; ob quam causam Ecclesia mandat vel illas mutare, vel renovare, vel omninò auferre, statuerat mutare illam in aliam ejusdem sancti Joannis; Et quia credebat, in tota vita magni hujus sancti non contineri actionem magis illustrem illâ, quæ conferebat ipsi honorem attollendi manum suam supra caput JEsu Christi, ad ipsum Baptizandum in Jordane, repræsentare ipsum in speciali hoc volebat mysterio, velut in splendidissimo gloriæ suæ triumpho. Sed populus rudis & semper antiquis suis consuetudinibus protervè affixus ac animo persuasus, se non habiturum amplius eundem sanctum Joannem, nisi eandem adhuc haberet imaginem, opponebat se fortiter; Et eòusque devenerat res, ut essent in procinctu intentandæ litis.

Bonis nos avibus illùc transivimus, & impedivimus illam: siquidem duæ partes, videndo nos esse advenas & extraneos; crediderunt nos proprii commodi nullam habituros rationem, & convenerunt de lite suâ nostro committendâ arbitrio. Oportuit ergò ex fundamento illius cognoscere argumentum. Pastor ex unâ parte, qui erat vir doctus, rerumque gerendarum peritus, ipsemet suam agebat causam: ex altera parte elegerat sibi populus, ad tuenda sua commoda, senem quendam Causidicum, incolam loci, ubi tantum sibi comparaverat existimationis, ut omnes suas causas ipsi velut judici committerent. Disceptabant ambo, unus, pro repræsentando sancto Joanne Baptizante JEsum Christum; alter pro retinendo semper illo velut jejunante in deserto & orante. Attulerunt autem nobis res adeò pulchras de Baptismo & jejunio JEsu Christi, ut credam vos non parum voluptatis, quin & utilitatis hausturos, dum auribus haurietis illas. Pastor incepit ita.

ARGUMENTUM.

Maxima gloria sancti Joannis Baptistæ est, Baptizâsse JEsum Christum.

Articulus I.

Quare exponantur imagines sanctorum.

NEmo est, qui non fateatur, quod, cum imagines sint memoriæ visibiles sanctorum, simulacra & effigies, quas Ecclesia nunquam non expositas servat oculis hominum, ut ipsorum

rum obliviscantur nunquam; cum aperti sint libri accumulantes & exornantes laudibus ipsorum sanctitatem, silentio magis ratione quâdam facundo, quàm omnia sint verba; cum monumenta sint gloriæ, quæ suâ promeruerunt virtute, multò melius, quàm statuæ illæ, quas in foris publicis antiquitus erigebant populi illis, quos velut suos venerabantur Heroas; & tandem cum trophæa sint magnifici illius triumphi, quem æternaliter agunt in cœlis, post omnes reportatas potentissimâ gratiâ DEI in terris victorias: nemo est, qui non fateatur, quod, si alicujus sancti efformanda sit imago, æquissimum sit effigiare illum in præclarissima, quam in vita sua exhibuit & exantlavit, actione, cum ex hac in ipsum plus venerationis, & in DEum plus refundendum sit honoris & gloriæ: Jam certum est, quod exponere oculis imaginem sancti Joannis in formâ Baptizantis JEsum Christum ad Jordanem, spectaculum sit tam magni quidquam ac magnifici complectens, ut in tota magni hujus sancti vitâ, nihil occurrat illi comparandum.

Cur Baptismus Domini nostri ad Jordanem.

Siquidem quid propriè est Baptismus JEsu Christi, nisi prima, quam suæ dedit Ecclesiæ, nativitas, quâ prodire fecit ipsam è sinu aquarum, dum ipsemet illas intrare dignatus est, ad recipiendum ibi mysterioſum Baptismum, qui designabat jam illum, quem brevi post instituit, ut sinus esset fœcundus, qui totam suam pareret Ecclesiam. Nos non sumus nisi parvuli abortivi fœtus peccati & objecta iræ DEI, dum nascimur è sinu matrum nostrarum, sed omnes evadimus filii DEI, deliciæ cordis ipsius, & hæredes regni ejus, dum nascimur è sinu Baptismi. Quid facit ergò Christus JEsus in baptismo suo? Magnam operit & reserat januam suæ Ecclesiæ, ut introducat per eam infinitam multitudinem fidelium, qui per cuncta sæcula replebunt illam. Et dici potest, quod sanctus Joannes ipsi conferens Baptismum, consignaverit manibus ejus clavem illius. An dici quidquam possit magnificentius.

Mysterium Baptismi JEsu Christi.

Quid est ulterius Baptismus JEsu Christi? Est primus gressus, quem format ad aggrediendum suam publicam, cunctisque manifestam. (Nam hucusque vixerat semper absconditus in profunda solitudine.) Erant hæc nuptiæ, quas contraxit cum sponsa sua Ecclesia. (Nam exin non desiit reddere ipsam fœcundam per generationem & nativitatem plurimorum filiorum) erat hæc magnifica promulgatio splen-

splendidissimæ hujus Legationis, quam accepit à Deo Patre suo: siquidem hanc cœlum manifestavit terræ, dum vox patris intonuit, & palam audita est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. 3.

Tria mysteria concurrunt eodem die.

Haud factum est absque speciali consilio sapientiæ divinæ, tria magna mysteria vitæ JEsu Christi concurrere eodem die, licet non eodem anno. Ab introitu ipsius in mundum, & decimo tertio die vitæ ipsius mortalis, qui erat sextus dies Januarii, Reges Magi venientes ab Oriente sub directione sideris cœlestis se prosternunt coram ipso, ad ipsum adorandum & offerendum illi munera, aurum, thus & myrrham, & per mystica hæc dona confitentur ipsum ceu Regem Regum, ceu DEum æternum, ceu hominem mortalem. Ecce tibi ingens mysterium totum plenum ac refertum excellentiis Dei nascentis.

Triginta annis post, eodem die sexto Januarii JEsus Christus accessit sanctum Joannem, qui palam baptizabat populos in Jordane, ipsisque prædicabat pœnitentiam voce ardenti, & animatâ prorsus zelo spiritûs DEI; Intravit ipsemet in aquas Jordanis, postquam se totum exuisset nudum sicut erat mos Judæis, volens nobis ingenti mysterio demonstrare per universalem omnium partium corporis sui naturalis Baptismum, quod ita lavare velit suarum gratiarum aquis omnia mystici sui corporis membra, nempè Ecclesiam: Exuit se omnibus vestimentis suis, ut doceret nos, exuendum omninò nobis esse totum veterem hominem. Et venerabilis Beda affirmat, eodem loco, ubi depositа erant vestimenta nostri Salvatoris penes Jordanem, postea ædificatam esse Ecclesiam magnificam & celebre Monasterium in honorem sancti Joannis Baptistæ. De locis sanctis cap. 17.

In magnifica hac ceremonia Baptismi JEsu Christi, qui, cum hucusque habitus non fuerit nisi pro filio Joseph, agnitus exin & palam declaratus fuit tanquam filius unicus Patris æterni. In hac se cœlum aperuit, & Omnipotentis vox ab alto resonuit, & Spiritus Sanctus totus visibiliter sub formâ columbæ descendit ac sedit super caput ejus, approbans & confirmans per oculos id, quod audierant per aures, & quasi designans, quis è duobus, vel JEsus, vel Joannes Baptista intelligi debeat, de quo enuntiet cœlum: *Hic est Filius meus dilectus.* Denique in hac omnes edocti sunt mortales, quod JEsus Christus esse deinceps debeat unicum dilectionis suæ objectum, cum & dilectionis objectum sit Patri suo æterno; JEsus Christus fuit palam declaratus Filius DEI in Baptismo suo. Matth. 3. v. 17.

no; quod sicut hic suam in ipso habuit complacentiam, sic & ipsi omnem suam complacentiam debeant in illo collocare. Ecce tibi adhuc ingens Mysterium, æquè prodigiis ac excellentiis Salvatoris nostri dives ac primum.

Conversio aquæ in vinum contigit eodem die Baptismi, anno sequenti.

Anno post, qui dedit initium anno trigesimo secundo vitæ ipsius humanæ; eodem sexto die Januarii invitatus fuit ad nuptias Canæ Galilææ, ubi miraculorum suorum patravit primum ad preces sanctissimæ Matris suæ, convertens aquam in vinum. Circa quod sanctus Epiphamius observat rem admirabilem, quod adhuc suo tempore singulis annis renovatum fuerit hoc miraculum ad confirmandam fidem fidelium & confusionem incredulorum, quodque in pluribus locis aqua fluviorum & fontium facta fuerit vinum optimum, eodem die & eâdem horâ, quâ JEsus Christus omnipotens hoc enuntiavit verbum super aquæ hydrias: *Haurite nunc & ferte Architriclino.* Expressè dicit, quod aqua alicujus fontis, quem vocabant *Cybires*, in civitate Cariæ, mutata fuerit in vinum notæ excellentis, & ipsemet biberit ex eo; quod insuper fratres sui biberint ex alio vino, hausto ex altero fonte Arabiæ, quem appellabant Gerasa, existente in templo quodam sanctis Martyribus dedicato; quodque plures alii attestati sibi fuerint, se invenisse aquam Nili eodem die mutatam in vinum. *Nos bibimus de Cibyres fonte fratres verò nostri de eo, qui est in Gerasa, in Martyrum templo; sed & multi de Nilo hoc testantur.* Ecce ergò tibi tertium Mysterium, quod duobus aliis eodem die patratis conjunctum, non minus addit splendoris gloriæ & excellentiis Christi JEsu, quàm priora.

Miraculum hoc singulis annis renovatum.

Joan. 2. v. 8.

S. Epiphan. hæres. 51.

Jam quando intueor imaginem sancti Joannis Baptizantis Filium DEI in Jordane, totus hic prodigiorum cumulus occurrit menti meæ, cœlum apertum, vox Patrts, Spiritus Sanctus, qui visibiliter apparuit: Ecce tibi illum, quem cœlum jamjam per accensum nuntiaverat sidus, & à Regibus fecerat adorari. Quando aspicio hanc aquam honoratam & sanctificatam contactu adorandi ipsius corporis: Ecce tibi illum, qui convertit aquam in vinum, primum suum elemento aquæ consecrans & dedicans miraculum, velut benè auspicatum præsagium innumeræ multitudinis miraculorum, quæ incessanter operatur pro salute nostra in aquis nostri Baptismi & in lachrymis pœnitentiæ. Et videns, quod sanctus Joannes Baptista sit velut Magister cæremoniarum, dirigens speciosam hanc functionem, vel

Quàm glorioſum ſit S. Joanni, ſi repræſentetur Baptizans JEſum Chriſtum.

velut Pontifex solemniter sacris operans in magno hoc Festo, auctus honore suam attollendi manum usque ad caput proprii Filii DEI: quæro, an quidquam magis splendidum, magisque glorioſum in totâ ipsius vitâ occurrat aspiciendum. Qui Baptizat aliquem infantem, creditur ratione quâdam esse ipsius Pater; & sanctus Joannes Baptista Baptizans Filium Unigenitum Patris æterni, nonne videtur quandam habere umbram paternitatis Divini hujus Patris?

Baptismus Christi est naufragium figurarum veteris Testamenti.

Quid est deniqúe Baptismus Salvatoris nostri? Est naufragium figurarum veteris Testamenti, quæ tumulantur sub aquis Jordanis, & nativitas veritatum sancti Evangelii, quæ prodeunt ex eo: Baptismus enim sancti Joannis, qui omnium est meta figurarum, cedit locum veritati Baptismi Christiani, qui Sacramentorum nostrorum est primum, cujus ipsa jam apparere videbat, si non institutionem & præsentiam, saltem promissionem & primam auroram. Ipse est finis Testamenti veteris & initium novi, quorum cum repræsentatur per sanctum Joannem, & alterum per JEsum Christum: Ambo conveniunt in iisdem aquis, ad submergendum ibi unum, & extrahendum inde alterum. Hic adimpletum est ingens hoc & magnificum Vaticinium Vatis coronati: *Vox Domini super aquas; DEus Majestatis intonuit, Dominus super aquas multas. Vox Domini super aquas.* Psalm. 28. Hic est sanctus Joannes Baptista, qui vocatur vox verbi, quique præsidet aquis Jordanis. *DEus Majestatis intonuit:* Est vox Patris æterni, quæ audita est ab omnibus, declarans Baptizatum esse Filium suum Unicum. *Dominus super aquas multas;* Eòquòd omnes aquæ elementares indiscriminatim, fontium, fluviorum, maris (non autem aquæ artificiales) postquam inservierunt Baptismo JEsu Christi in Jordane, divinam obtinent virtutem, quâ reddantur fœcundæ ad producendum gratiam sanctificantem in animabus, quando junguntur verbis exprimentibus adorandas tres personas, quæ apparuerunt in augustissima functione Baptismi Salvatoris nostri, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: Pater in cœlo, Filius in Jordane, Spiritus Sanctus inter ambos. Et sanctus Joannes Baptista associatus gloriæ magnæ hujus functionis, in qua manum suam supra caput Verbâ æterni attollens, & aquam supra corpus ipsius affundens demoliri videtur omnes figuras veritatis. An quidquam glorioſius sit pro hoc præcursore Messiæ?

Vox Domini super aquas.

Hic Ecclesiasticus videns, eximium hunc Pastorem habere intelle-

tellectum imbutum pulchris cognitionibus circa Baptismum Salvatoris nostri, ut præberet ipsi ansam explanandi nobis adhuc pulchriores, sequentes ipsi proposuit quæstiones.

ARGUMENTUM.

Cur & quomodò JEsus Christus Baptizari voluerit.

Articulus. II.

Baptismus S. Joannis non tollebat peccatum originale.

QUid opus erat JEsum Christum recepisse Baptismum? Dicere, hoc fuisse, ut liberaretur à peccato originali, foret blasphemia; siquidem, cum personaliter sit DEus, capax non erat peccati vel minimi; & quando infans noxæ originalis reus, etiam præsentatus fuisset Baptismo sancti Joannis, non fuisset ab illa liberatus, cum ille non fuerit Sacramentum novæ legis, quod gratiam confert ex se ipso, sed simplex figura legis antiquæ, quæ nonnisi gratiam promittebat. Dicere, quod debuerit ipsum baptizare, ut imponeret ipsi nomen, jam acceperat ad orandum nomen JEsu, è cœlo allatum ipsi ab Angelo, & impositum à sancto Josepho, tempore circumcisionis suæ. Dicere, Baptismum ipsi fuisse necessarium, ut admitteretur in numerum fidelium per impressionem sacri characteris, quem recipimus in Baptismo, quique distinguit nos ab iis, qui non sunt filii DEI; erat ipse unicus Filius DEI ex natura sua, erat natus totius Ecclesiæ caput, erat unctus Domini à propriâ suâ divinitate; adhæc Baptismus Joannis non imprimebat characterem, sicut Baptismus Christianorum. Dicere tandem, illum veniisse illuc, sicut venerat omnis reliquus populus, ut excitaretur ad pœnitentiam visibili hâc cæremoniâ, & vehementi sancti Joannis exhortatione, novimus ipsum nullâ indigniisse pœnitentiâ pro seipso, eò quòd ipsa extiterit innocentia, & ipsa per essentiam sanctitas. Verum quidem est, ipsum magnas exantlare voluisse pœnitentias pro nostrorum expiatione criminum; sed huc ferebatur ex impulsu divinæ charitatis suæ, quæ tam succensa erat, ut omnes ardor, qui adurere potest corda omnium tum Angelorum, tum hominum, in comparatione cum zelo suo, nonnisi gelu sit & glacies. Cur igitur recipere voluit hunc Baptismum è manu præcursoris sui.

Non erat necessarius Christo.

Sex pulchræ rationes, ob quas JEsus Christus recipere voluit Baptismum S. Joannis.

Id fecit ex pluribus ponderosis & pulchris rationibus. 1. Prima, quia

quia cum onerari voluerit omnibus nostris peccatis, exhibebant hæc totam naturam humanam innumerâ multitudine enormium criminum defœdatam; & Baptismus, quem recipiebat, demonstrabat, necessitatem, quâ indigebat lavari illa sacro suarum Baptismate gratiarum. 2. Secunda, quia approbare voluit & confirmare Baptismum sancti Joannis, quo excitabatur universus populus ad baptizandum animas suas aquis pœnitentiæ, sicut is ipsorum baptizabat corpora aquis Jordanis. 3. Tertia: quia per hoc existimationem conferre voluit ipsemet sancto Joanni, exhibendo ipsi maximum, quem recipere in terris poterat, honorem, ut testimonium, quod universo populo reddere debebat de veritate Messiæ, tantò majori præstaretur ab ipso cum auctoritate. 4. Quarta, quia recipere hâc occasione voluit testimonium Authenticum divinitatis suæ & Filiationis suæ divinæ, ex proprio ore Patris sui, in præsentia universi populi, qui turmatim accurrerat ad prædicationem sancti Joannis Baptistæ, qui audirent descendentem Spiritum Sanctum & manentem super caput ejus, sub figurâ columbæ. 5. Quinta, ad demonstrandum, quod sepeliret veterem Adam & Synogogam sub aquis, isque novam progignere vellet Ecclesiam, quàm educeret totam puram ex aquis Baptismi; vel ut loquitur S. Gregorius de Nazianzo: *Ascendit JEsus de aquâ secum quodammodo demersum educens & elevans mundum.* 6. Sexta, ut populi videntes, quod semetipsum submiserit ad recipiendum Baptismum, tantò magis essent dispositi ad recipiendum illum, quem paulò post instituturus erat, cujusque jam demonstrabat materiam & formam, non suis verbis, sed suis factis juxta doctrinam sancti Thomæ: siquidem ipsemet erat in aqua, quæ Baptismi sui est materia; & forma illius manifesta apparuit in persona Patris, qui se manifestavit è cœlo; in persona Filii, qui cernebatur in aqua Jordanis; & in persona Spiritûs Sancti, qui apparebat in aëre sub specie columbæ.

Naz. orat. in sancta lumin.

3. p. q. 66. a. 2.

Sufficit, interpellat ipsum Ecclesiasticus, probè capio omnes rationes tuas, & illarum adhuc alias perspicio; sed lubens scirem, quem finem sortita fuerit ipsa disceptatio, cujus sanctum Evangelium paucis verbis mentionem facit, JEsum Christum inter & sanctum Joannem, quando hic magna cum reverentia dicit: *Ego à te debeo Baptizari, & tu venis ad me.* An justo suo desiderio frustratus fuit divinus hic præcursor? an non rece-

Matth. 3.

recepit Baptismum à Salvatore nostro?

Nulla de hoc est certitudo, inquit ipsi pastor: Certum quidem est, ipsum ad hunc recipiendum nullam habuisse obligationem: siquidem ultra quod liberatus fuerit à peccato originali & sanctificatus in utero Matris suæ, lex Baptismi nondum erat promulgata, nec habebat vim obligandi usque ad tempus Pentecostes, quando Apostoli spiritu DEI repleti inceperunt publicare illum; quod accidit longo tempore post mortem sancti Joannis Baptistæ. Sanctus Gregorius Nazianzenus pro certo tenet, quod æquali potius fuerit honore, ut Baptizaret & Baptizaretur à Salvatore nostro: *Ut ipse Baptistam baptizaret.* Et videtur hic esse sensus & traditio antiquissimorum patrum Ecclesiæ. Sanctus Evodius, qui immediatè successit sancto Petro in Cathedra Antiochena, composuit Epistolam, quam inscribit lumen, in qua dicit, quod JEsus Christus baptizaverit propriâ manu sanctissimam Virginem Matrem suam, & sanctum Joannem Baptistam, & sanctum Petrum, & sanctum Jacobum, & sanctum Joannem; quam veritatem benè addiscere potuit à S. Petro, cum fuerit ipsius Discipulus ac successor.

Naz. orat. 39.

S. Evodius.

Sanctus Joannes Baptista fuit Baptizatus à JEsu Christo.

Sed tamen replicat Ecclesiasticus, humilitatis hæc erat disceptatio JEsum inter & sanctum Joannem Baptistam: Quis amborum tulit palmam? O pulchrum spectaculum, tanti roboris, ut profunda admiratione teneat defixos tum Angelos tum homines, videre creatorem & creaturam disceptantes, quis cedat alteri! Quis obtinebit victoriam? an palmam reportans erit humilior? Verùm si palmam reportet, attolletur supra alium, & si magis attollatur, quomodò erit humilior? Sed ex altera parte, si non reportet, nec vincat in pugna humilitatis, quâ ratione humilior erit? Sanctus Joannes sustinet, suum esse baptizari, & suum submittere manibus divinis caput: JEsus Christus sustinet, suum esse baptizari à Joanne, seque ipsius se manibus submissurum. Quid faciat sanctus Joannes? Si pertinaciter resistat, non est humilis, cum voluntati DEI non cedat; & superbus est, si cedat, ipsumque baptizet; eòquòd quædam auctoritatis sit species, quæ vilem creaturam dedecere videatur summè; nihilominus cedit, & omnem, uti æquum erat, JEsu Christo reliquit humilitatis prærogativam; sed jacturam compensat aliunde ex obedientia, quæ excellens humilitatis est opus.

Pulchra contentio humilitatis Christum inter & S. Baptistam.

Admirandum hoc exemplum æmulantes magni duo sancti, &

Æqualis contentio S. Dominicum inter & S. Franciscum.

duo Ordinum Patriarchæ, unus Fratrum Prædicatorum, & alter Fratrum Minorum, sanctus Dominicus & sanctus Franciscus, cum aliquando simul essent, sanctus Franciscus se collocavit ad manum sinistram, quæ minus honoratus censetur locus: Sanctus Dominicus de loco contendit cum ipso, volens ipsum superare humilitate; alter suam tenens stationen, mente stat fixus, locum sibi deberi novissimum; de novo instat alter, & ipsum vult vincere; hic semper se defendit, & renuit ipsi cedere. Post aliquas magnâ cum charitate & reverentiâ congeminatas contentiones, sanctus Dominicus tandem dexteram retinens, argutè admodùm respondit: Tu me vincis humilitate, ego te vinco obedientiâ: Verùm quid est obedientia, nisi perfecta humilitas? O pugnam spectatu jucundam, quæ cœlum oblectat, internum offendit, ubi ambo evadunt victores, cum uterque cedat alteri?

Et idipsum est, quod Christus hìc omnem appellat justitiam; Nam dum is vincit humilitate sanctum Joannem, dum hìc vincit obedientiâ JEsum Christum, uterque magnificum statuit trophæum humilitati; quâ superre eximium hoc reliquit Christus JEsus effatum: *Sic enim decet nos omnem implere justitiam*; id est, humilitatem, quæ revera synopsis est & compendium omnis justitiæ Christianæ. Siquidem Glossa in hæc Domini nostri verba prudenter observavit, nonnisi tria esse genera justitiæ, quæ exercere possimus nempè intimæ, mediæ, summæ; se submittere superioribus est justitia infima; se submittere æqualibus, est justitia media, se submittere inferioribus, est justitia summa, & maxima gloria omnis justitiæ Christianæ. Jam vera humilitas præstat hæc omnia; perfectè igitur implet omnem justitiam.

Matth. 3.

Glossa in illa Christi verba.

Esse verè humilem, est implere omnem justitiam.

Quamobrem sanctus Gregorius in Pastorali suo magno cum zelo demonstrat nobis, omnem salutis nostræ & perfectionis nostræ cardinem consistere in humilitate, eòquòd impossibile sit, animam unquam exercere aliquem virtutis actum, nisi perfectâ submissione in voluntatem DEI, quæ perfecta humilitas est; nunquam etiam deflectere ab ea, & in minimum prolabi peccatum, nisi præfatæ submissionis carentiâ & impulsu arrogantiæ. *Audiant humiles, quàm sint æterna, quæ appetunt, quàm transitoria quæ contemnunt. Audiant elati, quàm sint transitoria, quæ ambiunt, quàm æterna, quæ perdunt. Audiant humiles ex Magistrâ voce veritatis: Omnis, qui se humiliat, exaltabitur. Audiant elati: Omnis, qui se exaltat humiliabitur. Audiant humiles: Gloriam pra-*

S. Gregor. 3. parte Pastoral. admonitin. 18.

Humilitas & superbia dividunt inter se prædestinatos & reprobos.

præcedit humilitas. Audiant elati: Ante ruinam exaltatur spiritus. Audiant humiles: DEus humilia respicit. Audiant elati: Et alta à longè cognoscit. Audiant humiles, quia Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Audiant elati; quod de eorum capite scriptum est: Ipse est rex super omnes filios superbiæ. Occasio igitur perditionis nostræ facta est superbia diaboli, & argumentum Redemptionis nostræ inventa est humilitas DEI. Hostis enim noster inter omnia conditus, velut videri super omnia elatus; Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est parvulus. Dicatur ergo humilibus, quia dum se dejiciunt, ad DEI similitudinem ascendunt. Dicatur autem elatis, quia dum se erigunt, in aportatæ Angeli imitationem cadunt. Quid igitur elatione dejectius, quæ dum supra se tendit, ab altitudine veræ celsitudinis elongatur? Quid autem humilitate sublimius, quæ dum se in ima deprimit, Auctori suo manenti super summa conjungitur?

Adhæc si dubitemus adhuc, solum exercitium veræ & sinceræ humilitatis esse compendium omnis justitiæ Christianæ, legamus egregiam illam epistolam quam exaravit sanctus Augustinus ad Dioscorum. Hic admonet ipsum, exhortatur ipsum, affectu plusquàm paterno exstimulat ipsum, ut omni studio incumbat & invigilet perfectioni Christianæ, cujus si prima principia & regulas fundamentales nôsse desideras, ecce tibi illas. *Huic te, mi Dioscore, ut totâ pietate subdas velim, nec âliam tibi ad capessendam & obtinendam veritatem viam munias, quam quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tanquam DEus videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas; & quoties interrogares, hoc dicerem, non, quod alia non sint præcepta, quæ dicentur, sed nisi humilitas omnia, quæ benè agimus, & præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita, quâ reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu superbia. Itaque sicut Rhetor ille nobilissimus (Demosthenes) cùm interrogatus esset, quid ei primum videretur in eloquentia præceptis observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse: Cùm quæreretur, quid secundo, eandem pronuntiationem; quid tertio, nihil aliud, nisi pronuntiationem dixisse: si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis, nihil aliud respondere, nisi humilitatem liberet, & si fortè alia dicere vellem, necessitas cogeret.*

Elogium & magna vis veræ humilitatis.

S. August. Epist. 56.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Quod spectaculum Baptismatis JEsu Christi mirificè nos doceat, quomodò nosmetipsos Baptizare debeamus.

Articulus III.

NOn deflexi à proposito, prosequitur Pastor, dum immoratus fui exemplo humilitatis adeo profundæ JEsu Christi, & præcursoris ipsius, in actu, quo unus confert & alter recipit Baptismum. Siquidem hunc totius hujus sacratissimi ritûs pulcherrimam credo fuisse ceremoniam; hæc unica & oculos & cor meum alliceret, ut præoptarem imaginem sancti Joannis Salvatorem suum Baptizantis ad Jordanem. An possibile sit, non omnes una mecum affici omnium præcipuâ tam pulchræ exhibitionis ideâ, nec omnes videre, nihil esse, unde plus solatii, plus emolumenti haurire possimus.

Mysterium JEsu Christi Baptizati est compendium omnium virtutum Christianarum.

Dum solam hanc imaginem oculis meis obversantem & animo meo penitius insculptam circumfero, sufficientem ipsa mihi affert & porrigit instructionem; ipsa mirificè me movet, efficaciter me urget, ad implendas omnes meas obligationes, eòquòd hìc intuear omnium officiorum ac partium mearum, omnisque sanctitatis vitæ Christianæ compendium. Video hìc innocentiam, video hìc pœnitentiam, video hìc observantiam omnium præceptorum legis DEI; & quod præcipuum est, invenio hìc medium facillimum & semper præsens, conservandi me, vel etiam me iterum indies stabiliendi in innocentiâ Baptismali. Et ecce tibi, quâ ratione. Mysterium hoc exponit oculis meis imaginem trium personarum divinarum, Patris, Filii, & Spiritûs Sancti, sancti Joannis Baptistæ, & denique aquarum Jordanis.

Quid sibi velit vox Patris: Hic est Filius meus dilectus.

1. Si audiam vocem Patris apparentis in vertice cœlorum ac dicentis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;* Credam, ipsum me alloqui, eòquòd hoc potiar honore, ut filius ipsius sim per adoptionem gratiæ. Recordabor, nunquam non ipsum suos in me defixos gerere oculos, ut complaceat sibi aspiciendo fidelitatem cordis mei, quâ foveam erga ipsum veros affectus filii erga patrem suum; fidelitatem manuum mearum, quâ exequar ad amussim omnes voluntates ejus, quamprimum hæ fuerint exploratæ; & fidelitatem oculorum meorum, quâ nil aspiciam & attendam in omni-

omnibus operibus, nisi ipsum solum. Omnes meos intendam nervos, omnes meas impendam vires, ut mea ipsi pendam obsequia, & ita in omnibus & ubivis me habeam, ut verè in me possit complacere sibi. Nonne potentissimum & efficacissimum hoc est remedium semper me conservandi in innocentia?

Quid nobis innuat apparitio Spiritûs Sancti super Christum,

2. Si aspiciam Spiritum Sanctum visibiliter descendentem super caput Filii DEI; recordabor ejus, quod dixit Angelus Sanctissimæ Virgini: *Spiritus Sanctus superveniet in te.* Veniet divinus hic spiritus abundanter in te, & tu concipies in temetipso verum Filium DEI. Eheu quoties perdidi per peccata mea glorioſam hanc prærogativam Filii DEI, ut ipsius me constituerem inimicum? Et toties Spiritus Sanctus venit de novo super me, ut gratiis suis moveret cor meum, me divinâ suâ adimpleret virtute, & iteratò concipere me faceret Filium DEI robore operationis suæ. Quoties ex anima mea scelerata fecit Matrem Filii DEI, cui Angelus Domini dicere posset, sicut sanctissimæ Virgini: *Spiritus Sanctus superveniet in te: ideò, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius DEI.* Spiritus Sanctus iteratò veniet, & denuò implebit te gratiis suis, velut sacratum divinitatis germen: ideò ex peccatore, quem agis, totus eris mutatus; nascetur in te sanctum, quod DEI nuncupabitur filius.

Luc. 1. v. 35.

O Prodigium divinarum misericordiarum, quàm consolaris me, & dejectum meum erigis cor, sublevas animum, merebor fulmina, quibus scelestum meum contereres caput, & descendere misericorditer facis Spiritum Sanctum tuum super me, ut accendas in corde meo, quas extinxeram, divini amoris tui flammas. Veni, Sancte Spiritus, quàm sæpè experior descendere te in animam meam, ut renoves in me ingens illud miraculum, quod in sanctissima patrâsti & operatus es Virgine, quando fœcundâsti ipsam, ut progigneret verum Filium DEI. Tibi iteratò da gloriam operis tam speciosi, sæpiusque progignere tibi placeat Filios DEI per gratias tuas: *Iterum Mater de Spiritu Sancto concipiat, iterum homo Filius DEI efficiatur.*

Hugo Cardin. in cap. 4. Matth.

Et quando video descendisse Spiritum Sanctum in mysterioso hoc Baptismate sub formâ columbæ, intelligo mentem infinitæ ipsius bonitatis, maximamámque meam addisco obligationem. Columba est symbolum manſuetudinis, simplicitatis, charitatis & fœcunditatis: manſuetudinis, quia felle caret; nec armatur rostro aut unguibus, quibus offendat: sim-

Spiritus Sanctus in formâ columbæ nos admonet nostræ obligationis.

plicitatis, quia ex omnibus est avibus, quæ minori utatur dolo; charitatis, quia nescit vivere, nisi in consortio sui similium, facilè assuescit familiaritati hominum, vehementer amat suos fœtus, illosque solicitè nutrit, nec cohibere se potest, quin aliorum quoque curam gerat; tandem fœcunditatis, cum pennatæ familiæ nulla toties suas multiplicet fœturas. Et hoc insinuat perfectiones, quas animæ affert & confert Spiritus Sanctus, quando suis illam replet donis, & obligationem, quâ fructuosè illius gratias collocare tenetur anima. Oportet illam esse mansuetam ac humilem, simplicem & charitativam, tamque fœcundam bonis operibus, horum ut nunquam inanis sit & vacua.

Quotidiè venit Spiritus Sanctus super animas quando recipiunt gratiam.

Sed quod argumentum nobis affert consolationis maximæ, est, quòd idem omninò, quod visibiliter accidit in Baptismate Salvatoris nostri, quando Spiritus Sanctus in forma columbæ descendit super ipsum, indies adhuc & absque intermissione accidat in animabus, quando recipiunt gratiam Dei: Divinus namque ipsius Spiritus requiescit super illas, & vox patris cœlestis loquitur ipsis interius, ineffabili ipsas replens consolatione ac dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Et quoties voluit DEus visibiliter etiam apparere Spiritum Sanctum sub specie columbæ super capita fidelium servorum suorum, cumprimis Præsulum & Antistitum Ecclesiæ? Hâc ratione sanctus Eleucadius, discipulus & successor sancti Apollinaris designatus fuit Episcopus Ravennatum per Spiritum Sanctum, qui velut columba supra ipsius caput se præbuit visendum; Sic sanctus Aderedus, qui ipsi successit; sic sanctus Marcellinus, qui ipsius occupavit locum; sic complures alii sanctissimi Pastores illustris hujus gregis successivè electi sunt non per suffragia hominum, sed per eundem Spiritum Sanctum, qui visibiliter ipsorum insidibet capitibus coram universo populo sub specie columbæ. Et omnes ipsorum effigies manent hodiedùm adhuc depictæ circùm Ecclesiam Ravennatem. Quis dubitat, quin hodiedum adhuc omnes ii, qui verè collocantur à manu DEI in aliquo munere pro suo servitio, eandem recipiant gratiam, quamvis modô invisibili.

Plures Episcopi Ravennates electi sunt descensu visibili Spiritûs Sancti in figura columbæ supra capita ipsorum.

3. Tandem, quando video JEsum Christum in aquis Jordanis sub manu Præcursoris sui ipsi Baptismum conferentis, recordor gratiæ Baptismatis mei, per quem adoptatus sum in Filium DEI; recordor thesauri inæstimabi-

mabilis divitiarum cœlestium, fidei, spei, charitatis, & omnium virtutum Christianarum, quæ in depositum datæ sunt mihi, velut medium & velut pignus felicitatis meæ æternæ, si iis benè fuero usus; recordor dissipationis, quâ infeliciter illarum incurri jacturam, & doleo, iteratò mihi non licere intrare in aquam, ut primo statui innocentiæ restituar Baptismatis. Verùm percipio vocem sancti Laurentii Novarini, quæ me consolatur, & jacentem erigit animum.

Laurent. Novarin.

In homiliâ, quam scribit de pœnitentiâ, ubi considerans, quâ ratione catervatim accurrerint populi ad aquas Jordanis, ut abluerentur Baptismate sancti Joannis; & benè persuasus, nos sanctâ prosequi posse invidia ipsorum felicitatem, dum immersi & aspersi sunt aquis sanctificatis contactu reali corporis unigeniti Filii DEI, & effusis à manu tam sanctâ, qualis erat illa sancti Joannis, ad nos consolatoria hæc dirigit verba: *Noli tu jam quærere, neque Jordanem, neque Joannem, ipse tibi esto Baptista.* Quasi diceret: Nulla te tangat nec angat cura, ut Baptismum recipias è manu alterius: nonne ubivis Jordanem tuum tecum circumfers? nonne in medio tui ipsius possides aquarum fontem, quibus pro tuo uti possis Baptismate? vehementissimo dolore deplorare tibi licet commissa à te scelera. Et quoties contriti cordis effuderis lachrymas, toties tuam ablueris & Baptizaveris animam.

Semper nos ipsos Baptizare possumus & obire munus sancti Joannis.

Hæ aquæ multò felicius sanctificantur descensu Spiritûs Sancti, quàm illæ Jordanis, cum ipsemet sit, qui eas diffluere facit, illisque confert virtutem restituendi tibi primam Baptismatis tui innocentiam. Quis igitur, quin possideas hanc semper, te impedit? Quis obstat, ne indies tuum reiteres Baptisma? Indiges nemine, DEus solus tibi sufficit; nec exspectanda tibi alicujus opportunitas solemnitatis; omnia tempora huic sunt apta Baptismati; nec ipsius tibi unquam defuerit gratia. Nec opus est frequentare eo nomine Ecclesiam; omnia mundi loca præparata sunt tibi ceu Baptisteria; sed nec ullo subsidio indiges humano: Ipse tibi esto Baptista. An majori nobis quidquam esse possit solatio? an excusationem texere possimus, nisi vitam degamus semper in innocentia perfecta, quasi quotidie ex unda Baptismatis egressi?

Aqua lachrymarum pœnitentiæ nobiscum est aquis Jordanis.

Si verum igitur est, concludebat hic non minus scientiâ quàm zelo insignis pastor, nunquam Sanctum Joannem Baptistam glorioſum magis in tota vita sua, nec æternâ hominum memoriâ magis dignum exantlâsse facinus, quàm Baptizâsse Filium DEI ad Jordanem; sique præclari hujus faci-

facinoris ſimulacrum tantarum ſpectaculum ſit illecebrarum, ut unicum id ſufficiat ad demonſtrandum nobis vitæ vias, nosque exſtimulandum, ut ipſius premamus veſtigia: quanta nobis felicitas, ſi ſemper nobis verſaretur ob oculos. Nonne ergò mea congruant rationi vota, quibus exoptem exhiberi imaginem ſancti Joannis actu Baptizantis JEſum Chriſtum ad Jordanem?

Sic ſatis firmiter nec minus veriſimiliter ſuam agebat & urgebat cauſam, ut ſuam in partem inclinaret bilancem; dum Advocatus, qui dicebat pro populo & antiquitate imaginis repræſentantis ſanctum Joannem in deſerto & ſuo jejunio, ſic cæpit fari, uti intelligetis.

ARGUMENTUM.

JEſus Chriſtus mox à Baptiſmo ſuo ſeceſſit in deſertum, ſuumque inchoavit jejunium.

Articulus IV.

ESt regula iuris: Acceſſorium ſequitur Principale; adhæc philoſophis adagium eſt: Media ad finem, non ſunt ejusdem nobilitatis cum fine. Aſſentior tibi, ut prudenter fiat imago alicujus ſancti, exhibendam illam eſſe in facto vitæ ſuæ magis inſigni, magis illuſtri: aſſentior etiam omnibus, quæ dixiſti de excellentia Baptiſmatis tum ſancti Joannis, tum etiam Salvatoris noſtri; horum nihil oppugno, meum potius illis calculum adjicio. Sed nonne vides, hæc omnia non eſſe niſi acceſſoria, & Baptiſmum non eſſe niſi diſpoſitionem ad eundum in deſertum ibique jejunandum, ad pugnandum ibi adversùs totum infernum, & glorioſiſſimas reportandum victorias, de maximis ſalutis noſtræ adverſariis? Ecce tibi finem, quem ſibi præfigebat, ad quem functio Baptiſtæ non erat, niſi medium, & conſequenter videtur, ipſam inferiorem eſſe nobilitate.

JEſus Chriſtus poſt Baptiſmum ductus fuit à S. Spiritu in deſertum, adjejunandum, orandum & pugnandum ibi.

Nonne legimus in Evangelio, quod mox à Baptiſmo JEſus Chriſtus fuerit ductus in deſertum ab eodem Spiritu, quem in ſuo receperat Baptiſmo; quaſi præcipuus effectus, quem producere intendit Spiritus Sanctus in iis, quos poſſidet, foret, ſeparare illos à mundo, illosque deducere in ſolitudinem, ut loquatur ad corda eorum, vel ut majori cum ſecuritate conſervet ſibi poſſeſſionem, quæ ſemper expoſita eſt periculo pereundi quamdiu in medio laqueorum mundi commoratur.

Non

Non opus fuerat JEsu Christo hâc cautelâ, sed præbere voluit sanctissimis quibusque exemplum amandi solitudinem & fugiendi commercium mundi. Confugit ergò ipsemet mox à Baptismo in desertum, ut nos secum illuc deducat, nobisque ostendat, quænam sint vera vitæ solitariæ exercitia. Sed quid facit ibi? Tria potissimum, jejunat, orat, pugnat.

Primum ipsius exercitium fuit jejunium, quod incepit septimo die Januarii, & produxit absque ullâ sumptione alimenti corporalis quadraginta diebus & quadraginta noctibus, usque ad decimum quintum diem Februarii, in eodem deserto, in quo sanctus Joannes Baptista omnes suos ab infantiâ exegerat dies in vitâ austerrimâ. Adrichomius in descriptione Terræ Sanctæ nuncupat desertum hoc Quarentana, dicitque situatum esse inter Jerusalem & Jericho, non procul à Jordane. In deserto hoc Quarentana conficere voluit JEsus Christus quadraginta diale suum jejunium, sub cujus decursu omnium hominum cognitioni se subtraxit; sed jucundum erat spectaculum cunctis Angelis paradisi, & formidabilis dæmonibus inferni antagonista: oppugnabat ipsos primâ fronte in criminibus & vitiis, quæ cohortes sunt & catervæ ipsorum infernales, quas educunt ubivis gentium adversùm nos, ad ciendum nobis bellum lethale, nostrasque mactandum animas. Ut ergò cuncta domaret vitia unico solo certamine diutius producto, jejunat quadraginta diebus & quadraginta noctibus continuis, absque eo quod quidquam manducaret. Quàm validus hic ictus conterens omnia vitiorum monstra conatu unico, nosque docens eâdem vincere ratione!

Quale fuerit desertum, quod petiit Christus post suum Baptismum.

Admiranda potentia jejunii contra dæmones & vitia.

Siquidem cum verum sit juxta scripturam, quod non sit iniquitas, quæ non prodeat ex adipe, id est, ex carne opipere nutritâ, mox à principio suffocanda & jugulanda illa est, extenuando per sacra jejunia carnem. Munitissima quæque civitas sine pugnâ se dedit & incruento tradit hosti, si hic noverit ipsi subtrahere annonam; & obfirmatissima quæque iniquitas, cum omnium vitiorum ipsam munientium præsidio, cunctis destituitur viribus, si cogatur diuturno jejunare tempore: decrescit enim arrogantia & superbia, accrescit humilitas & mansuetudo; sensuum voluptatibus subtrahitur fomes; patienter toleratur cum inediâ fames; non amplius mens est congregare divitias, ut adsit, quod abliguriat prodigalitas; natura prostrata se bonâ crederet forte beari, si daretur duntaxat pane duro cibari; suæ si corpori rescinduntur deliciæ, suas mox anima ca-

pit cum Deo in oratione; illicò augetur spiritus, dum imminuitur corpus; & idem jejunium, quod carnis suadet negligere curam, haud difficulter inducit, nostram curemus ut animam, nostræque operosè invigilemus saluti. Apprehendamus efficax hoc medium, facili negotio cuncta superandi vitia per jejunium, aspiciendo & sequendo Salvatoris nostri exemplum.

Ultra septem dies nemo vivere potest naturaliter absque cibo.

Sed quare, inquis, usus non est jejunio, quo & nos potuissemus uti, ipsumque imitari? quadraginta dies & quadraginta noctes jejunare nemini servire potest pro exemplo. Siquidem jejunium tale aggredi quis audeat, cum juxta omnes Medicos homo, qui sanâ fruitur corporis habitudine, ultra septem dies non produceret vitam, nisi aliquo se reficeret alimento? Et hinc, quando Daniel sex dies jejunârat in lacu leonum absque ullo cibo, misit ipsi Deus prophetam Habacuc, ad afferendum illi die septimo escas, quibus se reficeret, ne deficeret, & moreretur fame.

Dan. 14.

Dico, quando homo est sanâ & robustâ præditus corporis habitudine, qualem natura plerumque confert hominibus: Novi enim inventos fuisse, qui tam modicum habebant caloris naturalis; tantam autem copiam humoris viscosi & crassi, qui ita illis nutriendis sufficeret, ut longo tempore possent vivere, quin ullo indigerent alimento. Historicus quidam affert nobis exemplum alicujus puellæ Anglicanæ, quam asseverat viginti vitæ suæ exegisse annos, abs eo quod unquam vel biberit, vel manducaverit. Alius recenset conspectam fuisse aliam Spiræ, quæ civitas est Germaniæ, circa annum 1550. quæ integris quatuor annis jejunaverit, sine ullius sumptione alimoniæ.

Roberius Bacconius.

Simon Portius lib. de puella German.

Ex tamen hæc non erat, nisi dispositio, vel potius indispositio naturalis, quæ proficiscebatur è corporis habitudine tam debili, ut cum non haberet, nisi scintillam, si ita liceat loqui, caloris naturalis, & magnam humoris unctuosi & phlegmatici abundantiam, quâ debiliter more alicujus lampadis subterraneæ, conservabatur: illis etiam opus non fuerit comedere, sicut aliis ad vivendum, si tamen vita dicenda est, quæ non erat nisi infirmitatis languor, qui exspirabat perpetuò, quin tamen unquam exspiraret.

Regula servanda in manducando.

Sed regula ex hoc statuenda non est, quòd omninò alienum existit à regula communi: hoc solum servit ad insinuandum nobis, quod ejusmodi sint, quorum dispositio naturalis indigeat tam tenui alimento, si suam velint conservare vitam & tueri sanitatem, ut, quod foret aliis maxima

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ma austeritas, quâ plurimùm afligerentur, sit pro his lautissima refectio, quâ ab omni eruantur afflictione. Sanctus Paulus desuper hanc statuebat regulam, non minoris prudentiæ, quàm sanctitatis: *Is qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non judicet.* Rom. 14.

Jam dici non potest, jejunium JEsu Christi fuisse effectum naturalem malæ dispositionis naturalis: siquidem is fuit temperie corporis perfectissimâ & vigorosissimâ sanitate; sed multò minus optimæ hujus dispositionis naturalis effectum: siquidem vires naturæ tamdiu conservari non possent absque nutrimento. Oportuit ergo fuisse hoc jejunium prorsus miraculosum ac divinam omnipotentiam ipsius conservâsse vitam independenter ab omni naturæ lege, sicut conservat illam Eliæ & Enoch post tot elapsa jam sæcula. Sed dices, quid prodest nobis aspicere hoc miraculum, cum inimitabile sit nobis, nec à nobis deduci possit in effectum? Servit præcipuè ad manifestandum omnibus hominibus, JEsum Christum esse verum Filium DEI, non quod hæc sola probatio sit demonstrativa: quot enim fuerunt alii in jejuniis suis ad miraculum austeri, qui tamen non erant Filius DEI? Sed testimonium hoc conjunctum alteri, nempe voci Patris cœlestis, quæ audita fuit penes Jordanem, sunt velut duo testimonia facientia unam probationem; & hæc probatio tanti fuerit roboris & efficaciæ, ut diabolus ipse, qui maximâ pollet ingenii acrimoniâ, quique penitiori indagine rimatur abstrusissima quæque, ratione quâdam sibi persuaserit, ipsum esse verè Messiam & Filium DEI; ex hoc enim eò processit temeritatis & audaciæ, ut ad melius de hoc se assecurandum, tentatum accesserit ipsum in deserto.

Jejunium JEsu Christi qua dragintadiale fuit miraculosum.

Quæris: quid modò serviat nobis exemplum hoc jejunii quadragintadialis in Salvatore & Domino nostro? servit nobis, ad exstimulandum nos, non, ut moliamur id, quod fecit ipse, sed ut paulò quid amplius aggredi contendamus, quàm crederemus nostras posse tolerare vires; cum ad oculum pateat nobis, manum DEI tam potenti subsidio succurrere illis, portare qui voluerint pondus jejunii; quodque, cum primitùs patraverit hoc miraculum in eo, quem voluit esse nostrum exemplar, argumentum haud leve habeamus certitudinis, ipsum semper expeditum fore, ad succurrendum iis, qui sequi voluerint ipsum vel cominùs vel eminùs.

Quem fructum haurire possimus è jejunio JEsu Christi.

Et quanta nos monent illorum exempla, qui experti sunt potens hoc DEI subsidium in jejuniis suis

suis ad miraculum productis? Vide apud S. Gregorium de Nazianzo & contemplare tot solitarios & Eremi inquilinos, qui exigebant aliquando viginti dies absque cibo. Et post ipsum sanctus Augustinus affirmat, se plures sui temporis cognovisse, qui inviolabiliter hanc in jejuniis suis servabant regulam, quâ obstringebant seipsos, ut nonnisi semel cibum sumerent in hebdomade; alios, qui suum prosecuti fuerant jejunium usque ad diem decimum, & adhuc alios, qui ad vigesimum; insuper etiam personas fide dignas asseverâsse, conspectos esse, qui exacte & ad amussim imitati fuerint jejunium quadragintadiale Domini nostri in deserto. Quis dubitat, quin fuerint tot prodigia, quæ patrare in ipsis placuerit Deo in favorem jejunii, ad manifestè demonstrandum nobis, quàm in acceptis is habeat illud?

Nazianz. ad Hellinum.

Augustin. ad Cosul. Ep. 86.

Plures jejunârunt supra vires suas naturales.

Sed prodigio majus est, id quod refert Theodoretus de magno sancto, Simeone Stylita, qui exegerit quadraginta novem annos supra columnam suam, alii asserunt, octoginta, vitam ducens adeò austeram, ut horrore concusserit aspicientes. Hic spatio viginti octo annorum jejunabat ordinariè totam quadragesimam integram ad exemplum Salvatoris nostri, omnes quadraginta dies emensus sine ullâ mensâ, cibo, alimoniâ. Et exemplo ipsius, quamvis inimitabili, accendebatur tantus in cunctis aliis sui temporis Anachoretis Zelus, ut pauci fuerint conspecti, qui consuetâ jejunii lege viverent contenti, quæ unicam de die concedebat refectionem; sed alii protrahebant illud usque ad diem tertium, alii usque ad sextum, & alii ulterius adhuc, juxta quod experiebantur suas à Deo, subsidio inusitato conservari vires, sæpius ad prodigium usque auctas & firmatas.

Theodoretus in philotheo c. 26.

Jejunium prodigiosum S. Simeonis Stylitæ.

Non de solo pane vivit homo (responsum est, quo JEsus Christus pudefecit diabolum, quando tentavit ipsum de lapidibus in panem convertendis in deserto) si DEus vellet, lapides, ferrum, cuncta metalla, terram, serpentes nobis servire pro alimento, viveremus his æquè lautè ac aliis dapibus nobis assuetis: imò potest, si velit, conservare vitam nostram, quin indigeamus ullo alimento corporali. Unde vivebant Elias & Moyses toto suo quadragintadiali jejunio, nisi ex familiari cum Deo colloquio? Unde vivebat Catharina de Senis, suum prosecuta jejunium sine ullo cibo corporali à die cinerum usque ad solemnitatem Ascensionis, nisi ex usu quotidiano sacratissimæ synaxis? unde vivebat sanctus Abbas Joannes trium spatio annorum, quos transegit

Palladius in Lausiacâ c. 61.

transegit in jejunio perpetuo, quod nec unicâ interrupit unquam refectione, nisi solius receptione Eucharistiæ, quâ singulis solùm Dominicis epulabatur splendide; unde vivebat Magdalena per triginta propemodum annos, quos agebat in specu suâ, in terrâ Saluviorum, abscondita in visceribus horribilis cujusdam rupis, velut columba solitaria in foraminibus petræ, sed rupis adeò sublatæ à terra, ut nullum habere potuerit commercium cum ullo mortalium, quorum fortassis etiam nec unico, ubi lateret in terris, patebat: unde vivebat ipsa, nisi è suavi harmoniæ cœlestis concentu, cum pro more inolito septies de die venirent Angeli recreatum illam jucundissimâ vocum suarum melodiâ, & decantatum ac modulatum cum ipsâ laudes DEI, sicut septies de die Ecclesia divina decantat officia. Hoc est, quod Petrarcha suis versibus ita exprimit: *Septemque die subvecta per horas, Angelicos audire Choros &c.*

Jejunium Magdalenæ.

Petrarcha.

Eheu! Nos sumus modò tam corporei, tamque immersi materiæ, ut aspiciamus hæc exempla velut res quasi incredibiles; vel si absolutè illis fidem abnuere non audemus, utpote nimiâ testimoniorum auctoritate firmatis, contenti sumus admirari illas, & cogitamus illas tantum nos transcendere, nobisque superiores esse, quantum recedunt à temporibus, quæ tenemus; ita ut ne quidem per somnium occurrat nobis, de admovendâ manu in re minimâ ad imitandum illas. Adhæc videtur, non deesse nobis animum illarum prorsus abolendi memoriam, ad removendum per hoc à nobis probrum, quod inuritur nobis, dum illas prorsus à nostris excludimus exercitiis. Eheu! Nonnisi tenuis nobis restat memoria solitudinis & jejunii Salvatoris nostri in antiqua hâc imagine sancti Joannis Baptistæ repræsentante ipsum in deserto suo: an hanc ipsam quoque vultis auferre nobis? an dicatur, nos amplius nil conspecturos ante oculos nostros, quo illius suscitetur memoria, nosque nihil amplius admissuros cogitationis de ipsa? Ecce quamobrem, cum assentiri non valeam huic, quam proponis, mutationi, stem & concludam pro conservatione antiquæ nostræ imaginis S. Joannis Baptistæ, quæ saltem conservat nobis memoriam antiquæ nostræ obligationis; Et si unica hæc ratio non sufficeret, confirmo illam per aliam, uti percipies.

Admiramur tantùm, non volumus imitari sanctos.

ARGUMENTUM.

JEsus Christus continuum suum jejunium nutrit oratione continuâ in deserto.

Articulus. V.

Corpus & anima non accumbunt eidem mensæ.

Corpus & anima, quamvis arctâ nectantur amicitiâ, non tamen eidem accumbunt mensæ, eòquòd diversos habeant appetitus, & quod conducibilè est uni, alteri sit nocivum. Quando corpus lautè accipitur, jejunandum est animæ, quæ deficiente sibi alimento languet, infirmatur, & evadit quasi bestia; ast quando anima epulatur, jejunium indicitur corpori, quod cùm sit sacrum, hoc macrum efficit, & viribus exuit. Jejunium & oratio adornant convivium animæ; sed hìc corpus torquetur fame; lautæ dapes & oblivio DEI epulas struunt corpori, sed anima hìc tenuiter victitat, & fame vix non emoritur.

Judæi lavabant se, antequam comederent.

Mirum non est si Christus JEsus recipere voluit Baptismum, antequam accederet in desertum, ad accingendum se jejunio & orationi: observabat antiquam hanc Judæorum consuetudinem lavandi se, antequam accumberent mensæ, non solùm manus & faciem, sed integrum quandoque corpus. Quando quidem accumbere parabat lautissimo cum Deo & Angelis convivio, exigebat æquitas, ut lavaret se prius, & memorando hoc doceret exemplo, quâ curâ lavandæ nobis nostræ sint animæ ab omnibus peccatorum nævis, nostræque à minima imperfectione emundandæ & emendandæ intentiones, dum jejunare & orare utiliter volumus.

Baptismus, jejunium & oratio benè inter se connectuntur.

Aqua Baptismi, jejunium & oratio sunt tria, quæ testimonium perhibent gloriæ & sanctitati JEsu Christi in deserto; & tria hæc testimonia non sunt nisi unum, eòquòd tam sint unita, tamque necessaria sibi invicem, ut absolutè destruantur, si separentur. Aqua Baptismi sancti Joannis significat pœnitentiam, dicente Evangelio: prædicans Baptismum pœnitentiæ. Jam quid esset jejunium & oratio, si utrumque animatum non esset spiritu pœnitentiæ, quæ consistit in amore DEI & odio peccati ex imo corde? Quid esset aliâ ex parte pœnitentia, quæ careret & jejunii & orationis exercitio? Sunt ergò sibi invicem necessaria, & pœnitentia necessaria est jejunio, & orationi, ut animet illa spiritu sibi congruo; & etiam jejunium & oratio necessaria sunt pœnitentiæ, ut suô ipsam imbuant exercitiô: Cùm enim tota composita sit ex amore

amore & odio exercet ipsa suum odium erga peccatum jejunio, & exercet etiam suum amorem in DEum oratione, quâ attollitur & elevatur ad ipsum.

Oratio nutrit jejunium.

Ex alia parte jejunium & oratio non minus sibi invicem necessaria sunt. Siquidem oratio nutrit jejunium, & facilè persuadet corpori, ut à suo se contineat alimento, dum anima suaviores deguſtat dapes in oratione. Non dicitur, quod Salvator noster vexatus fuerit fame, quadragintadialis sui jejunii curriculo, eòquòd incessanter accubuerit spirituali orationis suæ convivio; sed Evangelium expresè observat, quod posteà modo expertus fuerit famem: *Et postea esuriit.* Et hoc luculenter declarat, orationem solidum esse cibum, qui vivificat jejunium, suasque conservet vires ac robur. Vide an ergò hæc illi non sit omninò necessaria.

Matth. 4. v. 2.

Jejunium conservat orationem.

Sed jejunium ex sua parte non minus necessarium est orationi, ad conservandum ipsius vitam & vigorem: siquidem cum verum sit, quod oratio sit commercium animæ cum Deo, quod fit spiritualiter, quâ ratione habeat anima divini hujus facultatem commercii, si non tota sit spiritualis, & soluta à servitute sui corporis? Et quomodò soluta erit ab illa, nisi adjuvetur à jejunio, ipsi edomando, & impediendo, ne trahat ad se omnes curas animæ, quæ non sufficerent cum omni suâ contentione, ut omnes ipsius contentent appetitus, si aures accommoderentur ipsis? quid est quod refrœnet ipsum, & importunas ipsius contineat solicitationes, quæ vellent nonnisi de se cogitare animam, nisi jejunium? quid est, quod præservet animam, ne offuscetur à vaporibus & tota offundatur à fumis escarum, quibus inducitur in stuporem & hebes redditur, nisi jejunium, quod illorum corpori subtrahit materiam? Quid est, quod custodiat intellectum in libertate semper integrâ & nunquam non expedita navandi operam contemplationi, nisi jejunium, quod dum omnia aufert corpori, omnia confert animæ? siquidem universalis est regula, quod quantò minores anima impendit vires ad serviendum corpori, tantò majores & plures retineat pro se, quas consecret ac devoveat exercitiis spiritûs, studiis & contemplationi. Et dices, jejunium & orationem sibi invicem necessaria non esse, separari ab invicem posse, quin pereat utrumque.

Cur JEsus Christus jejunare & orare voluerit in deserto.

Ecce igitur exercitia prorsus divina, quibus intendit animum JEsus Christus in deserto, orat, jejunat, agit pœnitentiam, non quod his indiguerit pro seipso; sed fecit hæc omnia: 1. Ut ser-

viret nobis velut exemplar, nosque doceret, qualis esse debeat tota veri Christiani vita, suum agere volentis discipulum & imitatorem: Et est, quod separare se debeat, quantum potuerit, à mundo? quod intermittat nunquam pœnitentiæ suæ interioris exercitia, quæ consistunt in amore Dei & odio peccati: quod jejunet & oret semper, sicut evidenter nos monet in Evangelio: *Oportet semper orare & nunquam deficere.* 2. Fecit hæc omnia, ut acquireret nobis in exhaustum meritorum thesaurum: Siquidem certum est, nec unicum pœnitentiæ ipsius esse momentum, quod non mereatur plurimum ad obtinendum regnum cœlorum cunctis animabus hominum. Jam omnia hæc non erant pro ipso, cum nullis indiguerit meritis; immensus igitur hic thesaurus est pro nobis, e quo quantum volumus, haurire possumus ad nos locupletandos; sed nec egregio caremus medio, quo haurire abundanter ex illo possimus; & est, si cum ipsi navemus operam exercitiis pœnitentiæ, jejunii & orationis, uniendo nostra suis, & perficiendo illa, quantum poterimus, in eodem & cum eodem ipsius spiritu.

Luc. 18. v. 1.

Docet nos nobis ipsis addere robur contra dæmones per jejunium.

Sed videtur, ipsum præcipuè voluisse hæc facere, ut disponeret se ad pugnam contra dæmones, vel potiùs, ut doceret nos, quomodò nos disponere ad illam debeamus (siquidem hâc dispositione non indigebat pro seipso) sed ipsa necessaria nobis est, ad reddendum nos idoneos, ut superemus illos. Exhibitus est Apostolis aliquis à dæmone obsessus; sed ejicere dæmonem ex eo non poterant; indagant hujus rationem à divino suo Magistro, qui respondit ipsis, certum genus esse dæmonum malignorum & pertinacium, quibus prosternendis aliud non sit medium, *nisi oratio & jejunium;* quo insinuare voluit, non esse tam effrœnes, tamque protervos, qui hâc ratione edomari non possint.

Matth. 17. v. 20.

Si perrexissent ex ipso inquirere: sed unde venit, Domine, hæc omnia pollere tantâ potestate in dæmones, qui torquentur in inferno? Nonne videtis, dixisset illis, arrogantiam domari humilitate? Jejunium excellens est humilitatis opus: *Humiliabam in jejunio animam meam:* in hoc casu caro humiliata vincit spiritum superbum; & est, quod malignorum spirituum conterit superbiam. Nonne vides orationem ex parte suâ esse sacrificium laudis, ubi anima supremos exhibet honores Majestati DEI per sancta virtutis Religionis opera, quando ipsum adorat, quando ipsum amat, quando se humiliat, quando coram ipso se annihilat? Diabolus, qui videt præstare hanc animam cum magnâ suâ felicitate,

Quare jejunium cum oratione tam potens sit contra dæmones.

Psalm. 34. v. 13.

tate, quod præstare ipse renuit cum infelicitate sua maximâ & damnatione æternâ, desperat & aufugit. Unde est, quod timeat potestatem cujuscunque, qui armatus est jejunio & oratione. Et nihilominus eò processit temeritatis, ut invadere fuerit ausus JEsum Christum in deserto post jejunium & orationem ipsius quadragintadialem. Sed vide, quid contigerit.

ARGUMENTUM.

JEsus Christus pugnat & vincit diabolum in tribus aggressibus & oppugnationibus ipsi factis in deserto.

Articulus VI.

Dies pugnæ & victoriæ JEsu Christi contra dæmones.

OPtarem videre maximam & solemnissimam celebrari Festivitatem in universa Ecclesia, cum omni Majestate ac pompâ quæ magno congrua est triumpho, die decimâ sextâ Februarii, cùm dies hæc sit consecrata pugnis & victoriis, à JEsu Christo adversùs diabolum & totum infernum reportatis. Siquidem cùm suum incepisset jejunium quadragintadiale septimâ die Januarii, illudque complevisset decimâ quintâ Februarii die, Evangelium nobis dicit, quod die sequenti oppugnatum accesserit ipsum tentator: *Cùm jejunâsset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit, & accedens tentator.* Est sententia verisimilior, hunc fuisse Luciferum, diabolorum præcipuum ac potentissimum, devictum in cœlo ab Angelis, sed victoriis de hominibus in terra reportatis insolentem, qui suis inflatus spoliis, solium sibi erigens, ceu tyrannus cunctis dominabatur mortalibus universis. Hinc est, quod Sacra Scriptura ipsum nuncupet mundi principem: *Princeps hujus mundi.*

Matth. 4. v. 2.

Joan. 14. v. 30.

Siquidem post funestam victoriam de proto parente nostro reportatam, omnes alii sorte tam infelici, ipsius consignati sunt potestati, ut nec unicus ingrediatur mundum, qui non nascatur ipsius mancipium; & exceptis paucissimis, qui è singularissimo cœli dono prius nati sunt gratiæ, quàm naturæ, reliqui omnes jure infelicis nativitatis suæ pertinent ad ipsum, eâ ferè ratione, quâ filii alicujus patris servi spectant ad Dominum, cujus ipse est servus. Obtinuit ergo per hoc quasi absolutum in totam humanam naturam imperium, se faciens adorari ubivis, sua habens templa, altaria, sacrificia, divinos omni ex parte, omni in loco accipiens honores.

Dæmones triumphabant quasi de cunctis hominibus ante adventum JEsu Christi.

Noverat benè, venturum è cœlo Salvatorem hominum, omnipoten-

nipotentem liberatorem, à quo è suo expellendus sit imperio: Erat enim veteris testamenti vox & fama ubivis manifesta, hanc esse promissionem Dei tam evidentem, toties reiteratam, tantisque confirmatam miraculis, ut dubitare de ea non liceret. Verùm non magis, quàm Judæi, noverat, nec quis hic debeat esse, nec ad amussim tempus, nec modum adventûs ipsius. Juxta speciem venire debebat cum potestate summâ, utpote venturus velut Princeps mundi; sed videbat, Prophetas depingentes illum attribuere ipsi tam excellentias, quàm abjectiones, tam divitias quam paupertatem, tam gloriam, quàm ignominiam, quod ipsius excedebat captum.

Dæmones incerti erant, an JEsus Christus verus esset Messias, videndo rationes pro & contra.

Insuper constabat ipsi, Angelum Gabrielem, salutâsse sanctissimam Virginem gratiâ plenam, ipsique DEI dixisse nomine, quod Filius, quem paritura erat, vocandus esset Filius DEI: complectitur speciale quid hæc nativitas, & fortasse promissus is est Messias; sed natus est ex uxore Joseph, habet Patrem & Matrem sicut alii infantes omnes; nihil occurrit hic speciale. Videbat, quod mox ipso nato veniant ab oriente Reges, directi & deducti à sidere cœli ad adorandum ipsum in suis cunabulis; quodque solus adventûs ipsius in mundum rumor terrore concutiat Herodem, & turbatione repleat totam civitatem Jerosolymam: fortassis est ipse. Sed natus est in vili stabulo, cogitur suam salvare vitam fugiendo, seque abscondendo: profectò ipse non est. Videbat, quod accurentibus innumeris catervatim populis ad Jordanem, ut Baptismum reciperent à Joanne Baptista, cum is inter alios præsens esset, sese aperuerint cœli, & insonuerit in altis vox ab omnibus audita: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*; quodque insuper descenderit columba de cœlo super caput ipsius, ad designandum illum: forsitan ergò ipse est Messias. Sed Baptizatus est velut reliqui homines, quos omnes novi esse peccatores: infallibiliter ergò ipse non est. Tandem videt ipsum solum in deserto, ubi apparebat velut Angelus, perpetuò affixus contemplationi excellentiarum DEI, ubi videbatur nullis subjectus naturæ humanæ necessitatibus, cum absque cibo exegerit quadraginta dies, & quadraginta noctes; verisimile igitur est, ipsum promissum esse Messiam; cum id genus jejunii naturæ excedat vires: sed aliâ ex parte nil videt, qua discernatur à reliquis hominum; à suo jejunio patitur famen, cujusvis hominis in morem: procul dubio ergò non est.

Videbat in eo nimium, ad negandum absolutè: ipsum esse Filium Gregor. mor. 14. c. 7.

Filium DEI; non videbat in eo satis, quo certificare se posset, ipsum hunc esse. Quid agat in hâc incertitudine? id proprio meo addiscam experimento; statuit secum tentare ipsum; id est, explorare ipsum, juxta mentem S. Gregorii Doctoris Moralis. Exhibet ipsi occasionem patrandi alicujus miraculi, quod videbatur oppidò necessarium occurrente hâc opportunitate, convertendi nimirum verbo suo lapides in panem, ut ipsemet hâc ratione magnæ suæ prospiceret necessitati. Si patrat hoc miraculum, sufficit: videbo ex hoc, ipsum Verbum esse omnipotens, quod verbo suo fecit omnia: si patrando huic non fuerit par miraculo, cognoscam ex hoc, id ipsum non esse. Sed benè demonstras, te Angelum esse tenebrarum, & nonnisi offussum & offuscatum ignorantiâ: An putas, DEum patrare velle miraculum persuasum à diabolo? An ignoras, inhibitum esse hominibus, ne quid habeant commercii cum dæmone, nec ipsius adimpleant voluntates, malumque fore maximum, etiam ipsum perficere bonum ad illius impulsum, ipsiusque annutum præbere nutui. Vade, non obtinebis, quod exposcis, miraculum; quamvis enim hoc non sit opus indignum Majestate DEI, indignus tamen tu es, ut faciat id, ad faciendum tibi satis.

Vel etiam tentat, id est, solicitat illum, juxta eundem Gregorium, & nititur præcipitare illum in peccatum gulæ. Optimè enim observavit hic Doctor, tres tentationes in deserto similes fuisse illis, quibus idem tentator invasit primum hominem in paradiso terrestri, quodque una fuerit gulæ, altera superbiæ, tertia avaritiæ. Prima tentatio, quâ diabolus aggressus est primum Adam, fuit de manducando fructu vetito; & prima, quam proposuit secundæ Adæ, fuit de vertendis lapidibus in panem, ut ex eo manducaret & suum frangeret jejunium. O quàm falleris, quàm hallucinaris? Nescio, cur dicatur tantæ calliditatis esse dæmonem, cum vix quid stupidius sit in mundo? si adhuc præsentâsset ipsi lautas aliquas dapes, transeat; sed lapides mutandos in panem? quis unquam maximâ pressus fame expetiit lapides?

S. Gregorius Hom. 16. in Evang.

Mysterium tentationum dæmonis.

Nihilominus is probè novit, quod, quando semel spiritus gulæ occupavit animam, illamque eoúsque redegit, ut in album referatur eorum, de quibus dicitur, quorum Deus venter est, ipsius aviditas tam fiat insatiabilis, ut impellat illam ad comedendum quidvis. Gulosus hic comedit lapides, comedit terram, comedit lingua, comedit supellectilem, comedit domos, comederet corpus suum & animam suam, si vendere illa & commutare in panem posset, & exinde suæ satisface-

Diabolus invenit in mundo gulosos, qui comedant lapides & terram.

facere gulæ. Sed decipitur, si credit brutalem hunc spiritum, cor & animum Christi occupaturum; divinum hoc Sanctuarium est, quod obfirmatum semper manet omnibus suggestionibus dæmonum, quæ ultra corporis non transibunt aures. Hinc est, quod JEsus Christus ipsum repudiet divino hoc effato, quo illicò cunctis exuitur armis: *Non in solo pane vivit homo;* quo innuere voluit & dicere; corporalis esca non solùm est illa, quæ meam conservat vitam: Id quod posteà confirmavit Apostolis, quando invenerunt ipsum dantem operam conversioni Samaritanæ, dum flagitantibus, ut comederet è cibis è civitate à se allatis respondit; *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.*

Matth. 4.

Joan. 4.

Quid faciet igitur tentator primo hoc delusus & elisus certamine? Videt fuisse illud nimis quàm materiale, ideoque intentat ipsi secundum magis spirituale. Transportat repente ipsum è deserto suo Jerosolymam, ipsumque statuit supra pinnaculum templi, id est, supra aream, quæ constituebat quasi tectum amplissimæ hujus domûs DEI. Verba Evangelii insinuare nobis videntur, quod transportaverit ipsum per aërem, sicut plerique etiam tenent sancti Patres. Et sanè cogitatu horrendum est, aspicere Filium DEI transportari per aërem à diabolo. Sed, ut dicit S. Augustinus, mirum adeó non videbitur, si pensetur, quod permiserit à membris ejus, id est, à peccatoribus se crucifigi.

Quid sit pinnaculum templi.

S. Augustin.

Cum igitur statuisset ipsum supra sublimem hunc locum, unde facilè patebat oculis totius populi, nititur persuadere ipsi, ut mitteret se deorsum in conspectu omnium, quatenus succollantibus ipsum Angelis & portantibus in manibus suis descendere videatur velut in triumpho, invectus supra currum è legionibus Beatorum horum spirituum compositum, ex quo universus mundus evidenter cognosceret, ipsum esse verè Filium DEI. Quando enim descendisti de cœlo in terram, factum est id tam occultè, ut nemo viderit quidquam, nec cognoverit te esse Filium DEI. Sed quando descendere conspectus fueris cum Majestate ac pompâ, rumor hujus prodigii diffundetur ubique, tuusque exin cumulabitur honor, nullâ unquam oblivione tumulandus.

Quid intendebat per hoc? Verisimiliter instillare illi volebat aliquem de virtute ac potestate suâ præsumptionis sensum; dubitabat enim, an esset Filius DEI, vel sanctus duntaxat aliquis homo.

Quid præterierit dæmon per secundam hanc tentationem.

Si

Si sciviſſet ipſum eſſe DEum, non auſus fuiſſet tentare ipſum. Collat. 2. c. 4. Sed noverat, ſanctiſſimos quosque homines vanitatis alicujus eſſe capaces. Et hâc ratione decepit poſthæc famoſum illum Hieronem de quo loquitur Caſſianus in ſuis Collationibus. Hic dum vitam tam auſteram duceret, ut nonniſi victitaret pane & aquâ, diabolus perſuaſit ipſi, ut crederet ſe eſſe tam ſanctum, Deoque tam charum, ut quando rueret ex aliquo præcipitio, Angeli ipſum ſuſcepturi eſſent in ſuis manibus, & impedituri, ne laberetur. Credidit id firmiter, & hujus ipſe capere voluit experimentum; acceſſit puteum, projecit ſe in ipſum, & miſerè periit. Magna æſtimatio ſui nunquam non habet comitem vilipenſionem coram Deo; ſed quando eoúsque excreſcit, ut petere audeat absque neceſſitate miraculum, hoc eſt, tentare DEum & peccatum enormiſſimum. Hoc erat tentare DEum, quod deſcendere ipſum vellet è pinnaculo templi in terram miniſterio Angelorum, cum deſcendere poſſet viâ uſitatâ: Et ideò JEſus Chriſtus repreſſit & confuſioni expoſuit tentatorem, reſpondendo ipſi: *Scriptum eſt: Non tentabis Dominum DEum tuum.* Matth. 4. v. 7.

Tentatio ſuperbiæ exitialis alicui Eremitæ.

Dæmon vult adorari à JEſu Chriſto.

Nonne debuiſſet poſthæc excidere ſpe lucrandi quidquam cum ipſo? Et nihilominus ipſum tertiò provocare auſus, vehementiori adhuc & periculoſiori, aggreditur aſſultu. Quod fuit, dum tranſportavit illum denuò è pinnaculo templi ſupra verticem montis cujusdam excelſi non procul diſtantis à deſerto Quarantana; ipſique exin demonſtrans manu omnia regna mundi, depingens ipſi etiam in aëre imaginem magnificentiæ, ſplendoris ac gloriæ eorum, tantâ colorum vivacitate, ut illa habendi potuiſſet ipſum ſuccendere deſiderio, dixit ipſi: Mea ſunt hæc omnia, cui voluero, do illa, mox ea tibi dare ſum promptus, modò unicâ me genuflexione, adoratione duntaxat unicâ volueris proſequi, ac divinos mihi exhibere honores: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Hoc maximum Luciferi tum inſolentis arrogantiæ, tum arrogantis inſolentiæ fuit faſtigium; aliud in cœlo prætendere non eſt auſus, niſi ut ſimilis eſſet Altiſſimo; & hic prætendere audet, ut ipſius DEI ſit DEus, & Altiſſimus ſe coram ipſo humiliet. O furorem exceſsûs maximi, quo aſcendere poterat arrogantia diabolorum præcipui! Hinc eſt, quod ſuæ nimium immemor conditionis, denuò percuſſus fuerit verbo conſimili, quali percuſſit ipſum bonorum caput Angelorum, velut ictu fulminis, à

cœlorum vertice detrudens ipsum in inferni barathrum. Sanctus Michaël dixit illi solummodò: *Quis ut DEus?* Quis es tu, creatura vilissima, ut æquiparare te audeas creatori tuo. Et hic JEsus Christus ipsi dixit: *Vade Sathana. Scriptum est: Dominum DEum tuum adorabis, & illi soli servies.* Vade, maledictum inferorum spolium; quis es, ut ambias adorari, velut infinita Majestas DEI?

Proprium commodum fortius est omnibus tentationibus diaboli, cum vincat quasi omnes.

Verumtamen vide, quàm efficax proposuerit motivum, ut se faceret adorari: ostendit ingentem copiam bonorum præsentium, quæ non stetissent adeò magni ut haberentur, & dicebat; *Tibi dabo.* O periculosissimum diabolorum omnium infernalium, qui adorari se facit ubique, prosternit omnia, vincit & flectit universum mundum! *Tibi dabo.* O tentatorem Omnipotentem, cui quasi nemo est, qui resistat; ubivis, ubi tonat voce suâ, tenet & obtinet, quod desiderat. Corrumpenda est justitia? sæpe omnes persuasiones humanæ, omnes potestates inferni id non conficerent, non assequerentur: sed quando accedit, quando consequitur *Tibi dabo*, mox omnia sunt confecta obtenta mox omnia. Deducenda & in scelus inducenda est eorum, qui moderantur civitates, vel illorum, qui ab arcanis sunt principum, fidelitas? in cassum centies millenas allegabis ipsis rationes: Sed collega si adrepat *Tibi dabo*, rapitur mox animus, & spondetur exoptatus rei eventus. Opus est aliquo, qui redigat in opus nefandum quoddam consilium, vindictam proditionem, assassinatum? vix reperias, quibus perire sit animus, ut tam crudeli subscribant & assentiantur machinationi: Verùm huic *Tibi dabo* si dederis jussæ, pollicetur, mox iri repertum, qui omnia, quæ volueris, perdat & mactet. Obtinenda est clavis, ut intretur in aliquod beneficium viâ Simoniæ, sicut lupus in stabulum, in caulam ovium, ad devorandum gregem Domini? *Tibi dabo* in taberna sua benè noverit fabricari illam. Decipienda & illicienda est innocentia pauperis cujusdam filiæ, ut pretiosissimum, quem possidet in mundo thesaurum, exponat jacturæ? *Tibi dabo* lenocinator est plus habens fraudulentiæ, quàm Tullius vel Demosthenes eloquentiæ.

Causidicus noster, qui defendendæ suæ imaginis videbatur oblitus cùm omnia diceret & dissereret alia, suum anhelabat prosequi discursum de comparatis à *Tibi dabo* victoriis, cujus fortassis ipsemet expertus fuerat potentiam; sed interpellavimus eum dicendo: Fac finem Domine,

ne, provectum jam tempus est. Pauculis igitur concluſit & dixit verbis, quod cum oſtenderit pulchritudinem jejunii, orationis & pugnarum JEſu Chriſti ac victoriarum in deſerto ſuo, prætenderit oſtendere nobis magnum in nos dimanans emolumentum, ſi illarum ſtudeamus pretioſam conſervare memoriam; quodque ad hanc fovendam præſentiſſimum ſit remedium, antiquam ſuam ſancti Joannis Baptiſtæ conſervare imaginem quæ dum repræſentat & exhibet ipſum in deſerto, obliviſci non permittit deſertum Domini & Salvatoris noſtri. Et deſuper rogavit nos ut noſtram pronuntiaremus ſententiam, quæ ſi juxta æquitatis normam, judicare velimus, debeat eſſe, inquiebat, in favorem ſuum; non minus id ipſum prætendebat alter. Ecce ergò tibi, quid concluſerimus.

ARGUMENTUM.

Quod Baptiſmus & Jejunium JEſu Chriſti, non debeant ſeparari in memoria Chriſtiani.

Articulus VII.

Solicitè conſervanda eſt memoria Baptiſmi JEſu Chriſti.

VIdimus ambas partes tam bono eſſe animo, ut cauſam ſuam obtinere mererentur ambæ. Illæ, qui dicebat pro Baptiſmo JEſu Chriſti, ipſius intendebat exaltare gloriam, imprimendo firmiter populorum animis memoriam magnæ hujus functionis, in quâ fuit agnitus & declaratus proprius Filius DEI per vocem Patris ſui æterni; ubi teſtimonium accepit ab ipſo Spiritu Sancto, viſibiliter ſub ſpecie columbæ ipſius capiti inſidente; ubi exemplum nobis exhibuit tantæ humilitatis, cum velut creator ſe ſubmiſerit creaturæ; ubi denique reliquit nobis remedium tam facile, reſtituendi noſmetipſos quotidie, cum auxilio ſuæ gratiæ, Baptiſmali innocentiæ, circumferendo ſemper nobiſcum Jordanem noſtrum, compoſitum ex aquâ lachrymarum, & obeuntibus ſemper ipſismet nobis officium S. Joannis Baptiſtæ. Exoptare imaginem, quæ noſtris exponat oculis omnes has magnas veritates, illasque absque intermiſſione perſuadeat nobis, nonne hæc æquitatis & ſanctitatis pleniſſima ſit prætenſio? quâ ratione igitur condemnanda?

Non minus ſemper habenda eſt memoria jejunii & ſolitudinis JEſu Chriſti.

Ille, qui agebat pro deſerto & jejunio Domini Salvatoris noſtri, gaudebat aliâ, cui non minor exiſtimatio tribuenda: ſiquidem deſertum eſt regio ſanctitatis, ubi

ubi virtus suum quærit asylum, secure ut degat & agat à mundi contagione. Proderat parum innocentiam recepisse in Baptismo, nisi & ipsa conservaretur fugâ & separatione à mundo, ubi nunquam non est in periculo. Ex aliâ parte jejunium, quod subjectum tenet corpus animæ, opus & exercitium est adeò sanctum, quodque tam familiare debeat esse cunctis Christianis, ut non satis insculpi ipsorum mentibus possit illius tum pretium tum memoria. Adhæc oratio, quæ nutrit & conservat illud, ut reciprocè ab hoc conservetur, est tantæ exercitium excellentiæ, ut nunquam à nobis sit intermittendum; cumque ambo sint arma, quibus ipsemet JEsus Christus vincere nos docuit magnos salutis nostræ inimicos; hinc ille, qui prætendit conservationem imaginis, publicum tot sanctorum exercitiorum spectaculum exhibentis, desiderat rem adeò fructuosam & sanctam, ut sine magnâ violatione justitiæ ipsi denegari haud quaquam possit.

Omnes ii, qui nonnisi DEI quærunt gloriam, facili negotio concordantur.

Rationi igitur congruum non est, ut vel unus vel alter suâ cadat causâ; sed ambo obtinebitis eam. Cuncta tribunalia non eâdem gaudent felicitate; si attribuant causam uni, necesse est, ut abnuant illam alteri; siquidem plerumque contingit unum defendere justitiam, alterum prætendere iniquitatem, id est, verum & falsum, bonum & malum, quæ nunquam poterunt concordari; sed duæ veritates & duo bona absque ullâ concordantur difficultate. Baptismus & jejunium Domini nostri sunt duo mysteria vitæ suæ, quæ non solùm se compatiuntur & inter se conveniunt optimè; sed videtur quasi illa ab invicem separari non posse. Habetote utrumque; piissimum & sanctissimum præstabitis vos opus, si formabitis imaginem novam S. Joannis Baptistæ, quæ exhibeat ipsum Baptizantem Christum ad Jordanem; & vos ex vestrâ parte conficietis opus non minus acceptum Deo, si conservabitis & in bonum statum restituetis antiquam vestram imaginem S. Joannis Baptistæ, quæ repræsentat ipsum in deserto. Imponite utrumque altari vestro; tantum abest, ut mutuam inter se tolerare non possint societatem, ut potius ex hâc reciprocum accipiant splendorem & gloriam; & si cura impendatur, ut insculpatur firmiter animo populi illud, quod quævis exhibet & oculis exponit mysterium, notabile addet antiquæ vestræ erga Patronum vestrum pietati ac devotioni augmentum.

Et hâc ratione concordavimus totam ipsorum disceptationem

ac

ac controversiam; ambæ acquieverunt partes, eòquòd utraque suam obtinuerit causam: relictis ergò illis in pace, & acceptis reciproce ab eis grati animi exhibitionibus, recessimus, ut nostram resumeremus viam.

Cùm abiremus inde, bonis avibus, occurrerunt nobis Philemon, & Priscus, antiquâ familiaritate & amicitâ nobis conjuncti, quos socios adhibuimus, quasi totius nostri residui itineris.

CONSULTATIO XIII.

JEsus Christus incipit se manifestare mundo ratione quâdam, quæ evidenter demonstrat, ipsum esse DEum.

OPportunus admodum nobis accidit hic Philemonis & Prisci occursus, ad mitigandos aliquantisper diuturni nostri itineris labores, tum ob gratam, quâ plurimùm pollebant, conversationis suæ amœnitatem, tum ad prosequendum, cui nos obstrinximus, colloquium, decernentes animo non prius desistere ab eo, quàm indagaverimus cuncta, quoad nobis licuerit, quæ spectant ad gloriam & excellentias Christi JEsu, quamvis impenetrabiles ingeniis tum Angelorum, tum hominum contineant abyssus, totumque id, quod de iis dicere possumus, non sit nisi parva è mari extracta aquæ guttula.

Philemon siniſtrâ nativitatis sorte institutum tenuerat Judaismi, sed ab aliquibus annis Christianismi receperat gratiam, postquam diuturno tempore amabiles misericordiarum Dei respuerat invitationes, ex ingenitâ infelicis ipsius nationis proterviâ, ac obfirmato sibique quasi hæreditario adversùs JEsum Christum, cujus nec nomen tolerare possunt, odio. Cùm peracri polleret ingenio, non leviter nec superficialiter percurrebat eas, quas secum volvebat, materias, penitius volens illas rimari & nôsse è fundo; & quia æstimabat plurimi suorum religionem Patrum, nihil non fecit, ut abstrusissima eructet & cognosceret illius arcana, reconditissima mysteria, assiduâ veteris Testamenti lectitatione, cum novum nonnisi magno prosequeretur contemptu, velut fabulam, quam ne quidem suâ dignabatur lectione.

Quomodò doctus & sapiens Judæus fuerit conversus & factus optimus Christianus.

Nihilominus cum aliquando magis seriò secum perpenderet, oportere hanc fabulam speciosis saltem quibusdam indutam & obdu-

obductam esse apparentiis, cum recepta fuerit velut veritas à viris innumeris omni scientiâ excultissimis, qui illam amplexati sunt tot sæculorum intervallo, velut oraculum è cœlo, statuit secum illam revolvere, ut ipsius evolveret & in lucem proferret dolos; Tam benè, dicebat, servire potest mendacium ad majorem conferendum splendorem veritati, quàm luminis augeantur splendores ex oppositione tenebrarum. Legit illam, & primâ fronte nil invenit nisi magnam admodùm simplicitatem, stylum candidum, apertum & sincerum, qui nihil obducat fuco, nullâ prorsus utatur exaggeratione, nullas adhibeat figuras scitas, tersas, ingeniosas, quæ attonitum reddant lectoris animum, qui tanto candore recenseat universa, ut æquali ratione dicat id, quod cedit probro & confusioni, quàm id, quod cedit gloriæ & honori illius, de quo agit historia; qui referat tam benè malum, quod is toleravit, quàm bonum, quod is perfecit; quique tam parum propriis inservire videatur commodis, ut ne quidem verbo invehatur in eos qui pessimè exceperunt ipsum.

Prudens consideratio circa lectionem sancti Evangelii.

Ubi est igitur dolus, inquiebat? an omnia majori candore possent recenseri? Sed quâ ratione viri illi, qui exarârunt & divulgârunt tot ac tanta prodigia, quæque eodem tempore & loco, ubi asseverant ea accidisse, tam fuerint manifesta; quâ ratione inquam, non sunt excepti sibilis & sarcasmis ab universo mundo, si nonnisi recensuissent fabulas? Et quomodò posteritas narratione tam simplici permisit se decipi, si fabulosa est, & commentitia; & præcipuè in tanti ponderis argumento, sicut est illud religionis, ubi universorum interest, invigilare attentius, ne circumveniantur? procul dubio hic aliquod, quod non intelligam, latet mysterium. Ecce quid ipsius animum reddiderit suspensum; & idipsum fuit, quod succendit in ipso desiderium curiosius indagandi veritatem, ubi primitus figmenta credebat contineri. Non igitur fuerat nec actio, nec verbum, nec circumstantia ex omnibus iis, quæ referuntur in vita JEsu Christi, quam non indagârit studiosissimè; unde Spiritus DEI, qui in hoc ipsum dirigebat, factus est Magister ejus, ita ut tandem, quod ipsi primitus videbatur fictitium, factum sit in animo ipsius veritatis Evangelium.

Solatium est Christiano audire sermonem de locis, in quibus JEsus Christus fuit.

Priscus, qui erat amicus ipsius, inserviens ipsi velut occultissimarum cogitationum depositarius, vir erat sagacissimus; quem plurimis occupabat exercitationibus curiositas, siquidem diversas mundi peragraverat regiones, ut vehementi, quo ardebat,

bat, satisfaceret desiderio videndi ac lustrandi omnia: sed præcipuò tenebatur studio invisendi terram sanctam, & observandi, maximâ cum solicitudine pauca illa, quæ adhuc restant locorum vestigia, præsentiâ JEsu Christi honorata, & miraculorum, quæ in illis patravit, memoriâ hucusque nunquam non celebria. Hinc est, quod familiaritate & consuetudine ejus plurimùm oblectaretur Philemon; siquidem ex eo, quo Christigenam se profitebatur, nullâ ex re majori perfundebatur voluptate, quàm si fundere quenquam audiret verba de JEsu Christo, & locis, ubi fuerat, itineribus, quæ fecerat, situatione locorum, & cæteris omnibus, quæ addiscere poterat ab eo, quo loquebatur de rebus, quas propriis usurpaverat oculis. Verum est, ipsum semper dixisse nobis quædam specialia, unde non levem hausimus oblectationem.

Postquam descripserat & vivis coloribus expressérat amico suo desertum Quarentana, ubi Christus JEsus quadragintadiale suum expleverat jejunium, incipiebat recensere ipsi, quâ ratione voluerit se manifestare mundo, & ab exitu ex hâc solitudine prædicare publicè. Ecce tibi, unde inceperit. Sanctus Epiphanius dicit, quod confecto suo jejunio & superatis suis tentationibus reversus fuerit in Galilæam, & quindecim adhuc dies permanserit in Nazareth, quæ civitas ipsius erat, in qua vixerat semper incognitus ab infantia sua. Primo insequenti die juxta exactiorem supputationem deputârunt Principes Sacerdotum legationem ad sanctum Joannem Baptistam, qui non obstante silentio suo & solitudinis suæ arcano impleverat universam Judæam rumore prodigiosæ suæ vitæ, & admiratione sanctitatis suæ, ut interrogarent eum an ipse promissus esset Messias. Respondit ipsis, quod non; sed quod esset vox è cœlo missa ante ipsum, ad annuntiandum eis adventum ipsius, quodque jam esset in medio eorum, absque eo, quod ipsum cognoscerent.

Epiphanus hæres. 51.

Cur Judæi primitus crediderint Joannem esse Messiam.

Die sequenti habens JEsum Christum sibi occurrentem, digito demonstrans eum dicit: Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi. Et ex hoc adducti sunt aliqui discipulorum Joannis ut sequerentur ipsum. Vita divini Præcursoris erat tam illustris, & vox ipsius tam fortis, ut desertum illius desineret esse desertum ex affluxu copioso populorum, qui accurrebant auditum ferventes ipsius conciones. Et quamvis nonnisi ejacularetur in ipsos fulmina, incredibili ardore deprævatos ipsorum objurgans mores, ut disponeret eos quan-

quantum poterat ad recipiendum Messiam, quem ipsis annuntiabat, quique mox se ipsius demonstraturus erat, tamen tantum aberat, ut rigore hoc absterriti non amplius frequentarent ipsum, ut potius multitudo eorum, qui veniebant ipsum audituri, sumeret quotidie incrementum. Ex hoc Scribæ & Pharisæi, qui omnem de adventu Messiæ abhorrebant sermonem, malitiosè incusserunt Herodi timorem futuræ seditionis in populo; & ipse, qui occultam jam conceperat animo adversùs Joannem Baptistam indignationem, ob factam sibi liberè de adulterio commisso reprehensionem, credebat id facile, & mandabat ipsum constringi carcere, ita ut vox verbi sepulta & tumulata fuerit silentio. O quàm incomprehensibilia DEI sunt consilia! Opprimitur justus & prosperatur peccator ac triumphat; & magnus divinæ providentiæ oculus id videns, omnia sic accidere permittit.

Hucusque observatum non fuit, initium dedisse jam Christum JEsum Prædicationi suæ per seipsum; reliquerat divinum hoc ministerium præcursori suo exercendum, cujus partes erant præparare ipsi viam; sed quamprimùm cessavit vox, incepit Verbum, & verba faciendo, se demonstravit mundo. Imaginare tibi, quantâ mundus fuerit ex eo perculsus admiratione.

ARGUMENTUM.

Quanta fuerit mundi admiratio, quando visus est Christus JEsus primâ vice conscendere Cathedram.

Articulus I.

JEsus Christus cæpit prædicare in Capharnaum, & quare.

NOn in Nazareth, ubi tot annis suum fixerat domicilium, incipere voluit prædicationem suam, forsan ex eòquòd, sicut ipse dixerit, non sit aliquis Propheta acceptus in patria sua. Et dein hæc civitas, quia parva admodùm erat non fuerat idonea ad exequendum hoc magnum DEI consilium. Elegit ergò Capharnaum, quæ erat civitas magna & metropolis totius Galilææ, abundans & dives ob ingentia commercia, quæ parabat, portus quem habebat, maris, affluens copiosâ populi multitudine, habitata æqualiter tam à gentilibus, quàm Judæis. Hic elegit sibi domum, ubi plerumque maneret cum duodecim suis Apostolis, trium annorum spatio, quos collocabat conficiendo maximo Redemptionis mundi negotio.

Hic

JEsus Christus incipit magna patrare miracula in Capharnaum.

Hìc suam erexit Cathedram, suamque incepit evulgare cœlestem doctrinam; hìc confirmavit illam tantâ miraculorum frequentiâ, ut Salvator totius mundi sibi magis complacuisse videatur in ea, quàm in cæteris omnibus mundi civitatibus. Hìc enim, cum haberet domum suam plenam multitudine hominum, qui ipsum venerant auditum, aliqui apportantes Paralyticum in lecto, ignari ubi ipsam inferrent præ turbâ, ascenderunt super tectum, & per tegulas summiserunt eum ante illum; quorum fidem cum vidit, sanavit ipsum in instanti, tam corpore, quàm anima, remittens ipsi peccata sua, ipsumque à suâ liberans paralysi; hìc reddidit visum duobus cœcis, & liberavit unum obsessum à diabolo muto. Hìc ambulando per beatæ hujus civitatis plateas sanavit servum centurionis, restituit occultè incolumitatem mulieri fluxu sanguinis laboranti & tangenti fimbriam vestimenti sui, & mortuam resuscitavit filiam Principis Synagogæ. Non omnia iniri numero possent ingentia miracula hìc ab ipso patrata, ut confirmaret operibus, quod docebat verbis: Judica ergò de profecta indè admiratione publicâ.

Verùm hæc æqualis non erat illi, quâ correpti sunt omnes, dum videbant ipsum primâ vice apparentem in Cathedra. Non conscendere illam solebant, nisi Sacerdotes, Pharisæi, Legis Doctores, viri consecrati ministerio Altaris: Et conspiciebatur repente homo triginta annorum, qui hucusque habebatur velut unus de plebe, in omnibus non absimilis vulgo, velut opifex, qui nunquam fuerit visus frequentâsse scholas, vel instruxisse alios, sed semper suis laborâsse manibus in tabernâ ad comparandum alimenta sua. Ecce tibi illum ascendentem Cathedram, & signum dantem, adesse se, ut prædicet: accurrunt omnes & attoniti aspiciunt ipsum. Quæ novitas est hæc? Quid agere vult hic homo? Quid vult dicere? Nonne is est hic opifex, hic filius Joseph, faber ex Nazareth? Est ipsissimus: Hem! unde ipsi hoc consilium, quod prædicare velit! an aliquam scientiæ habet tincturam, qui nunquam frequentavit scholam? an ulla possideat doctrinæ lumina, qui nunquam gymnasii salutavit limina?

Admiratio Judæorum audientium JEsum Christum primâ vice conciobatur.

Porrigitur ipsi in manus Bibliorum codex, aperit illum & occurrentem habet oculis illum Prophetæ Isaiæ ex capite sexagesimo primo textum: *Spiritus Domini super me, eòquòd unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis cor-*

Luc. 4.

Isaiæ 61.

de, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem: Claudit librum, illumque ipsis reddit, & incipit dicere illis: *Hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris:* videtis Prophetiam hanc in mea adimpletam personâ; Ego sum, qui missus sum vobis de cœlo, postquam tam longo tempore fueram promissus. Exin seriò adhortatus est ipsos ad pœnitentiam, uti à S. Matthæo refertur: *Cœpit prædicare, pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Invehitur vehementer in depravatos ipsorum mores; unde & omnes hærebant attoniti, & extra se ipsos abrepti dum divina percipiebant oracula ex hujus ore homines, quem hucúsque credebant omnis expertem eruditionis. Nesciebant, quid cogitarent de hoc homine, qui modò prodiens è tabernâ semetipsum prodit illis, & dicit, se esse Messiam à lege & Prophetis promissum.

Primus sermo JEsu Christi fuit de pœnitentia.

Matth. 4.

Fateor, dicit hìc Priscus, improbare me non posse, nec in siniſtram partem interpretari Judæis, quod difficiles se monstraverint in recipiendo ipsum: quam enim verisimilitudinem & congruentiam habebat ad id, quod dicebat? Descriptus fuerat ipsis Messias velut magnus Princeps, Augustus Monarcha dominaturus ubique; & hic pauper est homo, nullâ pollens nec potentiâ nec auctoritate. Dictum fuerat ipsis, quòd futurus esset magnus Pontifex, & summus Religionis Sacerdos, & hic nequidem est minimus ex ipsis, qui templo famulantur. Promissum fuerat ipsis, quòd venturus esset splendidâ cum Majestate, ad eripiendum ipsos omnes è miseria, & hic videtur homo simplex & unus de plebe. Non igitur habebat aliquam congruentiam ad id, quod dicebat.

Sed quid agere prætendit simplex hic homo, affirmans se esse promissum ab omnibus Prophetis Messiam; asserens, esse se illum tam diu exspectatum, & tantopere desideratum ab universo Israëlis populo, à quatuor vel quinque millenis annis? quis est, cui id persuadebit? Si est Messias, uti ipse affirmat, oportet illum immutare faciem totius mundi, annihilare gentilitatem, sustentatam à potentiâ Imperatorum, scientiâ Philosophorum, eloquentiâ Oratorum, zelo populorum in fana & idola sua, à toto inferno imperium ipsius stabiliente in universa terra; & quod plus complectitur difficultatis, oportet ipsum delere antiquam hanc Judæorum religionem tam solidè innixam scripturis, miraculis, divinorum oraculorum auctoritati; oportet ipsum, si verè est Messias, gran-

Justæ rationes, quas habere poterant Judæi, non credendi primitus JEsu Christo.

grandævam hanc & divinam religionem dissolvere & mutare in illam, quam ipse erigere volet, & præterquam alia non esset in mundo, quæ pro religione agnoscatur veri DEI: & homo hic solus, qui nullâ pollet auctoritate, quique hodie post triginta annorum silentium modò incipit prædicare, faciat & moliatur hæc omnia? cui non manifestè patet, id esse impossibile?

Efficaces rationes quibus persuaderi debeat Judæus ad amplectendam religionem Christianam.

Sed hoc ipsum est, reponit Philemon, hoc unum fuisse ex efficacissimis motivis, quibus tum convictus, tum obstrictus sum credere, ipsum verè esse DEum: siquidem si venisset armatâ manu, stipatus quatuor vel quinque centenis millibus hominum, ut suum illatâ vi in universo orbe stabiliret imperium, ut omnia everteret falsorum Deorum fana, ut legis Judaicæ cerimonias immutaret & sacrificia, sibique soli faceret obtemperari ab universis totius orbis hominibus, formidandâ hâc potentiâ; non convincerer ex eo; cùm omnis alius homo, quàm ipse hâc ratione id potuisset efficere. Si supremum exercuisset Pontificatum, & tenuisset cum Sacerdotio sceptrum, sicut olim mos fuerat; siquè per longam annorum seriem magnâ sibi acquisitâ existimatione, absolutum sibi comparâsset dominium omnium animorum, ad flectendum illos juxta voluntatem suam, & confecisset tandem hanc in religione, regione & regno mutationem, quam facere statuisset: potuissem adhuc dubitare, an non esset hoc opus operæ prorsus humanæ? Vel etiam, si possedisset & tenuisset immensos in manibus suis thesauros ad lucrandum & flectendum mundum, proprio ipsius commodo, quod plerumque est machinamentum, quo humana subvertuntur omnia; non vidissem contineri hic quidquam, quod tantam ciere debeat admirationem.

Verùm quòd conficere hæc potuerit abs eo, quod uteretur ullo ex his aut aliis ejusmodi machinamentis: concludo exin, necessariò ipsum esse debuisse omnipotentem DEum. Oportet habuisse ipsum potentiam invisibilem longè majorem illâ Imperatorum, omniumque hominum, ac omnium infernalium potestatum, cum delere potuerit, sicut fecit, gentilitatem cunctis viribus ab ipsis propugnatam. Jam quæ potentia tanti est roboris, quàm sola cunctipotentia DEI? habuit ergò illam infallibiliter, quod est manifestum. Oportebat quoque ipsum habere omnem auctoritatem & potestatem DEI, id est, oportebat ipsum esse verum DEum, eòquòd immutaverit id,

quod maximè essentiale est in religione veri DEI, uti sunt Judaicæ legis sacrificia cœlum id vidit, id toleravit, parum est, id approbavit, id confirmavit, & id factum est, & subsistit per tanta sæculorum spatia. Posthæc dubitare amplius mihi non licet, sum nimis quàm certus, tam clarè me cernere video, sicuti in plena meridie, quod sub tenuibus hisce apparentiis in quibus sese exposuit hominum oculis, quando prædicationi suæ initia dedit, ipse sit verè Filius DEI, & verus in lege promissus Messias.

Nonnisi DEI est producere magnos effectus per media improportionata.

Nonnisi brachii est omnipotentis DEI, maximo pro fine impendere media, quæ nullam habeant cum fine proportionem. Quando Moyses cum parvo solùm in manibus baculo replevit cœlum & terram, mare & omnia elementa ingentibus his prodigiis, quæ admirationi fuêre universis sæculis: quis non videt non fuisse hunc baculum, neque hunc hominem stringentem ipsum manibûs, qui fecerit illa omnia, sed omnipotentem manum DEI? Quantò debilius excellentium horum operum est instrumentum, tantò magis respondere facit excellentiam DEI, qui ipsorum præcipua est causa. Videre mihi videor sanctissimam humanitatem unitam verbo divino in persona JEsu Christi, velut baculum in manu Moysis, vel velut Moysen in manu DEI, quantò debilior & minus idonea ipsa videtur ex seipsâ, ad conficiendas omnes has stupendas mutationes, quæ consecutæ sunt adventum Messiæ, tantò clarius effulgere exin video Omnipotentiam verbi æterni sub tenuibus his apparentiis obvelati, & mecum ita discurro: Hic homo, quem video in Cathedrâ, quique habetur pro opifice, non posset facere, quæ facit, nec alius in orbe homo, nec omnes totius mundi homines simul potuissent id facere, & consequenter non est simplex ipse homo: oportet ipsum necessariò esse DEum-Hominem. Demonstrativum hoc est & clarè concludens, meumque convincit intellectum. Sed video aliquid, quod majoris adhuc mihi videtur roboris, & est quod sequitur.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Vehemens oppositio, quâ reluctati sunt ipsi Presbyteri, Pontifices & Legis Doctores.

Articulus II.

SImplex populus nonnisi hærebat attonitus videns ipsum concionantem, & admirabatur, quod capere non poterat, quando dixit se esse Messiam ab ipsis exspectatum. Sed Pontifices, Sacerdotes & Legis Doctores offensi sunt ex eo & restitêrunt ipsi in faciem: *In quâ potestate hæc facis?* Quis munivit te facultate concionandi & tradendi ejusmodi doctrinam? Quid nostro te implicas ministerio? quid nostra tibi sumis negotia? quis misit te? Ecce initium persecutionis, quâ nunquam non exagitârunt ipsum: toto enim vitæ ipsius decursu non cessârunt sævum ipsi movere bellum, quoad ipsam inflixerint mortem & affixerint ipsum in cruce. Quantum nefas, bone DEus & quàm abominandum facinus in personis Deo dicatis, Presbyteris, Legis Doctoribus, Pontificibus. Quorum præcipuè esset DEI procurare gloriam & salutem populorum, cum teneant in manibus thesauros scientiæ, auctoritatem legis divinæ, & si ita fari licet, clavum & clavem religionis, sunt ipsimet, qui sese exhibuerunt maximos DEI inimicos, quique semper se plurimùm oppoſuerunt inæstimabili beneficio Redemptionis peccatorum. Etquam ob causam?

Matth. 21.

Persecûtio Sacerdotum & Pontificum contra JEsum Christum.

Invidia, ambitio, avaritia, proprium commodum possidet ipsos, tamque atrociter ipsos excœcat, ut quamvis argumenta haberent plusquàm sufficientia, ad cognoscendum, quod JEsus Christus verus sit Messias, quando etiam conspexissent id tam clarè sicut lucem meridianam, non tamen in ipsum credidissent: DEus nihil est animæ sub tyrannide passionum suarum ingemiscenti: Repleat totam Judæam miraculis, verba faciat tam divinè, ut cunctos demulceat populos, convincat etiam ipsos secum disputantes argumentis tam evidentibus, ut nihil respondere possent ipsi, nunquam tamen ipsos in aliquo movebit, nunquam de ipsis reportabit victoriam; si enim agnoscerent ipsum Messiam esse, quo deveniret ipsorum potestas, deberent cedere ipsi, seque prosternere ad pedes ejus, quod facient nunquam. O quàm infelix est status animæ, quæ alium

Passiones Pontificum occœcant illos.

non habet DEum, nisi ambitionem suam, nisi proprium commodum suum! si teneret vitam DEI in manibus suis, imò si omnes veri DEI excellentias in sua haberet potestate, ut faceret ex illis, quidquid vellet, sacrificaret ipsas omnes immoderatis affectibus, desideriis & concupiscentiis suis.

Passiones sunt feroces bestiæ.

O bone DEus! custodi nos à tyrannide immodicorum & inordinatorum affectuum: Te flexo poplite & lachrymantibus precor oculis cum Vate regio: Libera me Domine, ex ore leonis; ne permittas, ut me devoret; libera me à cornibus taurorum, ne statuas, ut discerpant me; libera me à dentibus serpentum, tuere me, ne afficiant me venenô; libera me ab oculo Basiliſci, ne sinas me mactari ab eo. Id quod bestiæ sunt feroces, & serpentes maximè mortiferi corporibus, id affectus indomiti ac effrœnes sunt animæ; hi devorant ipsam velut leones, discerpunt ipsam velut tauri, inficiunt ipsam veneno velut serpentes, occidunt ipsam velut Basiliſci.

Pontifices convertebant omnia in malum contra JEsum Christum.

Animæ Scribarum & Pharisæorum, Sacerdotum ac Pontificum Ecclesiæ Judaicæ tolerabant aliquid pejus à passionibus omninò rabiosis, quibus accendebantur erga JEsum Christum. Nunquam non discerpebant ipsum suis conviciis, nunquam non conabantur omnia ipsius subvertere consilia, nunquam non sanctissimas ipsius carpebant actiones, & siniſtrâ inficiebant interpretatione, ita ut dicerent, ipsum ejicere dæmonia in nomine & virtute Belzebub, nunquam non intuebantur ipsum oculo tam livido & veneno invidiæ pleno, ut nunquam cessarent machinari necem ipsi. Et nos videmus, ipsum incessanter ex parte suâ declamâsse contra ipsos, depravatos ipsorum mores acri insectatum oratione, ac malitiam exprobrâsse mentis.

Consideratio seria, quid Presbyteri facere debeant.

Aspicite hoc Presbyteri, Præsules, Pastores Ecclesiæ Christianæ, considerate hoc benè & contremiscite: Illi, quorum tenetis locum, maximi fuerunt adversarii, hostes infensissimi, quos unquam JEsus Christus habuit in terris: facile erat ipsi lucrari & flectere populos, nam hi adorabant ipsum, sed impossibile erat illi lucrari & emollire Presbyteros, nam hi lethali prosequebantur ipsum odio: peccata populorum digna erant indulgentiâ & misericordiâ; nam ut plurimum proficiscebantur vel ex ignorantiâ, vel ex fragilitate; peccata Presbyterorum non erant digna nisi execrationibus & anathematibus Filii DEI, quia non nisi ex purâ dimanabant perversitate ac malitia. Populi pote-

poterant converti, quia ipsorum peccata erant peccata hominum; non poterant converti Presbyteri & ad frugem reduci, quia peccata eorum, peccata erant diabolorum. Populi credebant omninò simpliciter in Christum JEsum, quia suam quærebant salutem, & bonâ incedebant fide; Presbyteri contemnebant JEsum Christum & doctrinam ejus & exempla ejus, quia non quærebant salutem suam, sed gloriam suam, commodum suum, quamvis millenis uterentur dolis ad celandum hæc omnia speciosо obtentu gloriæ DEI, & obligationis, quâ tenerentur dignitatum ac officiorum suorum propugnare & conservare jura. Perpendite hoc benè & consulite vobis.

Ecce igitur Scribas & Pharisæos, qui hodie suam inceperunt concertationem contra JEsum Christum; & mox, ubi cæpit palam verba facere & prædicare interrogabant ipsum circa missionem suam: *In quâ potestate hæc facis:* profectò jus interrogandi habebant ipsum, quia legitimi pastores erant, ad quos spectabat explorare missionem ejus, qui prædicare volebat populis; Ipsorum interrogatio innocens erat & justa, si interrogâssent ipsum ad explorandum illam, & non obluctandum ipsi. Sed noverant jam ipsam, & alius illis, quàm opponendi se ipsi non erat animus.

Matth. 21.

Et unde noverant ipsam, interrogavit Ecclesiasticus noster, cum nunquam hucusque dixerit ad populum? Noverant illam, dicit Philemon, ex sancto Joanne Baptista, quando miserunt ad ipsum, ut interrogarent eum, an ipse esset Messias; respondit enim illis: Non sum ego Messias; *Sed venit post me, qui ante me factus est, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus:* Sequenti die videns S. Joannes venientem ad se JEsum, dicit omnibus, qui aderant: *Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat, & ego nesciebam eum; Sed ut manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans: Et vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & manſit super eum: Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto, & ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius DEI.*

Joan. 1.

Sanctus Joannes Baptista declarabat Judæis missionem JEsu Christi, velut præcursor ipsius.

Hâc ratione sanctus Joannes Baptista clarè de ipso loquebatur, tum ad eos, qui missi fuerant à Scribis & Pharisæis, tum ad populum universum, qui ve-

Vis testimonii sancti Joannis Baptistæ.

venerant audire eum. Non poterat verbis magis propriis significare ipsis, missionem illius esse de cœlo: siquidem clare designabat illis tres sanctissimæ Trinitatis Personas; Patrem, à quo missus est baptizare, quique dixit illi: super quem videris descendere Spiritum Sanctum, ipse est, qui tollit peccata mundi, hoc est, ipse est Messias; Filius, qui baptizatus est, quemque vox Patris manifestè declaravit dilectum suum esse Filium: Hic est Filius meus dilectus; Et Spiritum Sanctum, qui visibiliter apparuit super caput ejus sub specie columbæ. Et tandem persuasus & victus his testimoniis declarat illum verum Filium DEI. Cùm ergò Pontifices & Sacerdotes tantum fidei tribuerent S. Joanni Baptistæ, ut ipsum crederent esse Messiam, dubitare non debebant de ejus, quod dixit veritate. Probè ergò noverant, JEsum Christum, quem ipsis designaverat, missum esse de cœlo velut proprium Filium DEI & verum Messiam suum, adeoque & cognoscebant veritatem missionis ipsius tam fideli notificatam testimonio, quod nullum relinqueret dubitationi locum. Quando ergò explorabant missionem ejus, non erat ut hanc perciperent, sed ut ipsi contradicerent.

JEsus Christus convincit & confundit Judæos testimonio S. Joannis Baptistæ.

Hinc est, quod JEsus Christus responsum ipsis dederit verè divinâ suâ dignum sapientiâ. Nam cum ipsum interrogarent: *In quâ potestate hæc facis?* dixit illis: Interrogabo vos & ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam, in quâ potestate hæc facio. Baptismus Joannis unde erat? E cœlo, an ex hominibus? id est, estne DEus, qui magno huic viro dedit potestatem baptizandi? an est inventio aliqua humana? Adverterunt quamprimùm, se suomet fore capiendos responso: *Nam si dixerimus è cœlo, dicet nobis; quare ergò non credidistis illi: si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam; omnes enim habebant Joannem sicut Prophetam.* Quid igitur agant, ut hac labyrintho se eximant? respondere enim oportet: Quid dicitis? Quòcunque verteritis vos, nulla vobis est securitas. Si magni facitis Joannem Baptistam, danda est manus JEsu Christo, & agnoscendus ipse pro vero Messia: O potius millenas mortes! si contemnitis ipsum, irritabitis omnes contra vos, & cuncti vos obruent lapidibus velut angues & serpentes. Sed exponere nolumus nostram periculo vitam, relinquamus rem indecisam, nobis est, si fateamur, vel potius simulemus, nostram hac super re ignorantiam; *Et dixerunt, se nescire.*

Hi

Malitia Pontificum Judaicorum fugientium lucem.

Hi sunt serpentes, qui fugiunt & oderunt lucem, qui abscondunt se in tenebris, & occultant se in spinis. Sed an suum deponent venenum? Non, magis mortiferum jam fovent, quam unquam; pluries redibunt ad oppugnandum ipsum. Quando viderint universum populum currere turmatim post ipsum, qui ipsum & admirentur & adorent; interrogabunt contemptim: *Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non novit legem:* Et rabies ipsorum eousque excrevit, ut maledictionem imprecati sint turbæ: *Maledicti sunt.* Dicent audacter, quod blasphemet, dum dicet se Messiam esse & Filium DEI. Verùm exhibet ipsis argumenta & rationes, quibus impossibile est illis respondere; & confusio, quam recipiunt ex eo, congeminant adhuc illorum contra ipsum rabiem. Et ecce tibi argumentum è validioribus unum.

Joan. 7.

ARGUMENTUM.

JEsus Christus remittit Scribas & Pharisæos ad scripturam, ut addiscant ex illâ, se verum esse Messiam.

Articulus. III.

Judæi firmiter inhærebant antiquæ possessioni Religionis & scripturarum.

FAtendum est, possessionem diuturnam jus magni conferre roboris. Jactitabant se Judæi, se solum esse populum in universo orbe, qui possideat & in depositio habeat à creatione mundi, veritates divinas, cum scripturæ suæ, quæ continebant illas, tantæ sint antiquitatis, ut nullus fuerit hominum, qui protulerit in medium antiquiores illis. Conservaverant illas solicitè & incredibili cum fidelitate, eòquòd plenæ essent inæstimabili felicitate illis promissâ, & hoc medio promissâ quoque cæteris omnibus hominibus, in mittendo ipsis liberatore, à quo omni complendi essent felicitate. Circumferebant ubivis libros suos apertos, & aspicere volentibus monstrabant excellentiam & certitudinem magnæ hujus promissionis. Hic erat ipsorum & omnium mortalium thesaurus, cujus ipsi soli erant depositarii, nec quisquam hoc tam singulare ipsorum oppugnabat privilegium.

Huic inhærebant firmissimè. Quod siquis cognoscere volebat veritatem; oportebat accedere ipsos, & hanc addiscere ex ipsorum scripturis. Tam pertinaciter suas amabant pollicitationes, ut contenti his essent, & ita qui-

dem, ut ipsammet illarum repudiarent adimpletionem; & quando JEsus Christus dicebat ipsis, se illum ipsum esse, cujus tam diuturno tempore habebant promissionem & spem, repulerunt illum. Nos scripturas habemus, quæ divinas continent veritates, de quibus sumus certissimi, non possumus non inhærere illis. Sed an ergò perpetuò vestris inhærendum vobis erit promissis, cum nonnisi contineant illa, illorumque spem, & nunquam aspicietis ipsorum adimpletionem, cum nihil dicant, ipsa jam esse adimpleta? Nullâ refert, nos probè novimus, locutum esse DEum Moysi & aliis Prophetis; sed non novimus, quis sit ille, qui loquitur nobis. Et juxta hanc regulam, si inhærebitis illi, nunquam habebitis Messiam præsentem, sed semper promissum solummodò & futurum.

JEsus Christus iisdem scripturis utebatur, quibus Judæi, ad convincendum illos.

Nihilominus ecce tibi omnem illorum vim, scripturam, Prophetas, promissiones DEI; & ipsâ hâc vi Christus JEsus ipsos stringit ac veritatis convincit, quam oppugnare volebant. *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Non dicit illis simpliciter; legite scripturas, sed utitur verbo magnam energiam habente: *Scrutamini scripturas.* Indagate, rimamini, introspicite usque ad intima, penetrate usque ad spiritum & veram scripturarum intelligentiam, & invenietis Messiam me esse; litera, quæ non est nisi cortex, vobis dicet me venturum; sed spiritus sub hoc cortice absconditus, vobis ostendet, me jam veni[illegible]

Joan. 5. v. 39.

Quomodò hoc? interrogat Priscus; in qua scriptura inveniunt, JEsum Christum ipsis loquentem esse Messiam? Inveniebant plurimas adventûs ipsius promissiones; sed ubi videre poterant promissionis hujus adimpletionem in persona, quam habebant præ oculis? Philemon, qui conversus fuerat nonnisi post assiduum & exactum studium, tum totius Evangelii, tum veteris Testamenti, paucissimis verbis, fecit ipsi circa hoc enarrationem tam pulchram, tam claram, tamque luculentam, ut admiraretur plurimùm portentosam cœcitatem Sacerdotum & Legis Doctorum, qui tam manifestam, tamque evidentem non aspexerunt veritatem; vel irasceretur obstinatæ ipsorum malitiæ, si viderunt illam & tamen cedere, seque dedere noluerunt. Quando aliquod Ectypon est tam benè formatum, ut nihil requirat ad perfectissimam repræsentandam similitudinem, impossibile est, ut id aliquis habeat

Scriptura veteris Testamenti erat modis delineatio Messiæ, è qua cognosci poterat Archetypon quando apparuit.

ante

ante oculos, vel tantùm ipsius in intellectu formet idæam, & non facilè agnoscat Archetypon, hoc ubi primum comparuerit. Jam videte, an experta & docta manus Prophetarum, quam cunctis elapsis sæculis direxerat spiritus DEI ad efformandum nobis effigiem vivam & nativam Messiæ, quem promittebant, non exactissimè observaverit. Omnia lineamenta, quæ deducere poterant in cognitionem JEsu Christi, ceu veri Messiæ; insuper an aliquis qui consideraverit hanc à Prophetis confectam & delineatam effigiem, cognoscere facilè non possit aut debeat repræsentatum ab ipsâ Archetypon, & affirmare aspiciendo JEsum Christum: Ego vidi delineatam effigiem Messiæ in scripturis; ecce tibi illum ipsum jam coram & præsentem.

Ipsius origo Isaiæ 11. Jerem. 2. Ezech. 37. Amos 9. Mich. 5.

1. Si quæstio est de ipsius origine, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Amos scripserunt, ipsum nasciturum è familiâ sancti Regis David; & Michæas annotavit hanc nativitatem peragendam in Bethlehem: ipsi probè noverant, JEsum Christum natum esse ex illustri hâc familiâ, & memorato in loco. Ecce jam tibi inter eos similitudinem.

Ipsius mater Isaiæ 7.

2. Si manifestanda est ipsius mater, dixerat Isaias, ipsum nasciturum è Virgine: Jam noverant, Mariam divinam ipsius Matrem voviſſe DEO Virginitatem suam, quando præsentata fuit in templo, & videbant ipsam admirabilis esse sanctitatis velut Matrem JEsu Christi. Benè ergò judicare poterant, ipsum esse Filium Matris Virginis.

3. Si depingenda est ipsius infantia, dixerat scriptura, orituram novam stellam, & Regius decantabat Vates, adventuros Reges, qui ipsum adorarent, & sua ipsi offerrent munera. Jam non labebat ipsos, hos reges advenisse, seque ab ipsis consultos fuisse in civitate Jerusalem, quod ipsi deductos se affirmabant sub directione novæ sibi apparentis stellæ (quod aliâs nunquam factum fuerat) & insuper interrogatos, ubi nasceretur Messias, ipsis respondisse nasciturum in Bethlehem. Cùm igitur viderent, hæc omnia verificata esse in Christo, benè cognoscere ipsum poterant, si conferre voluissent Ectypon cum hoc Archetypo.

Ipsius infantia. Numer. 24. Psal. 71.

4. Si proprio suo nuncupandus est nomine, dixerat Propheta Isaias, ipsum nuncupandum *Emmanuel*, hoc est, DEus nobiscum. Jam videbant, ipsum declarâsse se Filium DEI, ipsumque secum esse; insuper nomen JEsus, quod gerebat, quodque significat Salvatorem,

Ipsius nomen Isaiæ 7.

verum esse nomen promissi Messiæ. Et ex hoc cognoscere poterant ipsum.

Contingentiæ circa ipsum particulares.
Jerem. 31. Ose. 11.

5. Si observandæ sunt aliæ particulares contingentiæ, quæ ipsius comitari debebant infantiam, ut melius agnosceretur ex iis, descripserat Jeremias stragem & excidium parvorum infantium, quod erat aliquid tam singulare, ut nunquam nisi hâc contigerit vice; & Oseas nuntiaverat, ipsi arripiendum fugam esse in Ægyptum. Jam ipsi bene refricare animo poterant crudelissimam hanc infantium cædem, sicut & revocare in memoriam, quomodo & quando in Ægyptum abierint Maria & Joseph, illuc deportatum Infantem JEsum. Et cum cognoscerent, hunc ipsum esse, qui sibi loquebatur, ansam habebant ipsum recipiendi ceu verum Messiam.

Ipsius Præcursor.
Isa. 40. Malach. 3.

6. Si loquendum est de ipsius præcursore, dixerat Isaias, audiendam ante ipsum vocem clamantem in deserto; & Malachias, mittendum à Deo Angelum ante ipsum. Jam videbant, sanctum Joannem Baptistam, qui dixerat ipsis, se esse hanc vocem in deserto, quam promiserat Propheta; & tantâ veneratione ipsius prosequebantur sanctitatem, ut ipsum velut Angelum intuerentur. Dubitare ergò non poterant, quin ille, quem ipsius annuntiabat, esset Messias: hæc imago tam fidelis repræsentare non poterat aliud Prototypon.

7. Si observandum prædicationis ipsius initium, sicut & suorum vocatio Apostolorum, recensuerat Isaias, ipsum habiturum discipulos, quibusq; suam esset consignaturus legem, quodque prædicationi suæ exordium daturus esset in Galilæa. Jam videbant, JEsum Christum incepisse primos suos vocare Apostolos, sanctum Petrum, sanctum Andream, sanctum Jacobum & sanctum Joannem, quodque prædicare inceperit in Capharnaum civitate, quæ Galilææ est Metropolis. Nonne hæc erant lineamenta similitudinis prorsus notabilis, ad invitandum illos, ut ipsum agnoscerent, modò voluissent. Isa. 8. Isa. 9.

Ipsius doctrina.
Isa. 11. Jerem. 23.

8. Si attendatur ipsius doctrina, Isaias & Jeremias insinuaverant, docturum & traditurum ipsum sublimissimam justitiam, ac totum renovaturum Decalogum, adjiciendo ipsi magnam valde perfectionem. Jam videbant, ipsum prædicare doctrinam adeò puram, adeò sanctam, ut daret consilia tam eminentis perfectionis, ut diceret populo: *Nisi justitia vestra abundaverit plusquam Scribarum & Pharisæorum* (quorum institutum tunc erat studere Matth. 5. v. 20.

dere majori vitæ perfectioni) *non intrabitis in regnum cœlorum.* Cum igitur viderent magnum hunc zelum in Persona JEsu Christi, observare facilè poterant pulchram declinationem similitudinis Messiæ.

Ipsius miracula. Isaiæ 35.

9. Si sermo sit de operibus miraculosis, quæ patranda fuerant à promisso Messia, Isaias, qui ex Prophetis nobis ipsum, vivacioribus depinxit coloribus, affirmat, quod per ipsum aperientur oculi cœlorum, aures surdis patebunt, saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum, & ejusmodi reliqua. Jam videbant hoc indies adimpleri in Persona Christi JEsu, qui patrabat hæc omnia, & innumera alia omnis generis prodigia, ferè totidem miracula, quot opera; sed miracula tam manifesta, tamque vera, ut ipsimet ea non potuerint negare. Nonne hæc erat similitudo pulcherrima adumbrans effigiem Messiæ, qua convinci debuerant, ut pro vero Messia recognoscerent JEsum Christum.

Ipsius duæ naturæ, divina & humana Isai. 9. Mich. 5.

10. Si delineandus est Messias juxta id, quod est ipsi magis proprium & essentiale, Isaias & Michæas, palpebras suas Propheticas magis omnibus acuerunt, illasque evibrârunt longiùs, dum duas in ipso observârunt naturas, divinam & humanam; siquidem locuti sunt tum de ipsius æternitate & divinitate, tum de ipsius generatione humanâ & ipsius afflictione. Jam Scribæ & Pharisæi probè videbant, JEsum Christum perficere opera, quæ possibilia non erant nisi soli Deo, veluti sunt tot miracula, quæ ex propriâ faciebat auctoritate, & absque aliâ invocatione Nominis DEI; videbant ipsum cognoscere occultissimas cordium suorum cogitationes, quas revelabat ipsis, ita ut de hoc dubitare nullatenus possent: ex aliâ parte perficiebat actiones humanas, unde negare non poterant, ipsum verum esse hominem. Cœci, non cognoscitis illum? Nonne cernitis tam perfectam conformitatem inter hoc Archetypon & delineatam effigiem Messiæ, ut dubitare vobis non liceat, quin ipsissimus sit ipse? Sed quod dicitur, est verissimum, non esse pejores cœcos, quàm qui nolunt videre.

Ipsius excellentia & abjectio. Isa. 9. Dan. 7. Zach. 6.

11. Ulteriùs si observandus est locus & ordo, quem tenere debeat in mundo Messias, Prophetæ Isaias, Daniel & Zacharias, conjunxerunt duas in ipso res, quæ videntur conjungi vix posse, regnum nempè & maximam abjectionem. Jam Pontifices & Sacerdotes manifestè videbant, JEsum Christum ejus-

modi exantlare actiones, quæ non congruebant nisi potentiæ regali, uti nutrire ingentem populi multitudinem in deserto, quinque duntaxat panibus, quod evidenter demonstrat, ipsum esse omnipotentem illum DEum, de quo scriptum est, quod aperiat manum suam, & implent omne animal benedictione; quod autem exin voluerint ipsum agnoscere pro rege, sed ipse hunc prosequentem se fugerit honorem, demonstrat cum ipsius regno, profundam sui ipsius abjectionem & humilitatem. Hæc actio tam explorata erat, tamque manifesta, ut ignorari non potuerit ab ullo ex Magnatibus Jerosolymitanis; sed suos videntur clausisse oculos, ne viderent illam. Et exin denuò aspexerunt ipsius tum regnum, tum abjectionem, eodem omninò tempore, & eodem prorsus intuitu, quando sedens vilem super asinum ingressus est civitatem Jerosolymam, ubi dum populi proclamabant ipsum Regem Israëlis, ipse se demonstrabat cunctorum hominum humillimum. Venite Scribæ & Pharisæi, conferte effigiem Messiæ delineatam vobis in scripturis cum eo, quod propriis intuemini oculis in JEsu Christo: an quidquam magis simile videri possit? Et vos dicatis, vos ipsum non cognoscere?

12. Adhæc si attendatur sacrificium Religionis & immutatio Sacerdotis, quam facere debeat Messias, transferendo imperfectionem antiquæ in perfectionem legis novæ: Rex Propheta prædixerat, ipsum fore Sacerdotem in æternum secundùm ordinem Melchisedech, ad offerendum, non victimas cruentas, sicut sacerdotes Aaronis, sed panē & vinum in sacrificio: & Scribæ & Pharisæi, qui explorabant actiones JEsu Christi, benè nôsse poterant, quid fecerit ad vesperam cœnæ cum suis Apostolis, post comestionem Agni Paschalis, quæ erat velut ultima omnium consummatio figurarum, post quas instituerat sacrificium perpetuò duraturum legis novæ in materia panis & vini. Et his ita positis non dicant: sanè igitur hic est Sacerdos magnus secundùm ordinem Melchisedech, promissus à Prophetis. Ipsius Sacerdotium. Psal. 109.

13. Sed tandem, si aliam non habuissent notam magis manifestam, quàm illam à se ipsis subministratam, persequendo JEsum Christum, ipsum contemnendo ipsum repudiando, ipsum afficiendo tot injuriis, tot calumniis, tot opprobriis, quibus juxta vaticinia Isaiæ, Jeremiæ, Zachariæ, Davidis, afficiendus erat venturus Messias, nonne manifestè legerant in ipsis, prænuntiatum & promissum Messiam ipsum esse. Repudium & contemptus ipsius. Isa. 53. Jerem. 9. Zach. 9. Psal. 21.

Revo-

Revolvantur hâc ratione omnes scripturæ veteris Testamenti, & observentur studiosè omnia lineamenta, quæ unusquisque singillatim ex Prophetis adjecit, ad depingendum Messiam mundo à se promissum, nec unicus erit, qui non agniturus sit ipsum in Persona JEsu Christi. Et hanc ob rem remisit Scribas & Pharisæos ad indagandum seriò & penitius in scripturis: *Scrutamini scripturas*, ut addiscerent cognoscere ipsum in verâ effigie & delineatione suâ; & si hoc testimonio, cui omnem impendunt fidem, ipsum agnitum abnuerent recipere, inexcusabiles omninò manerent. Joan. 5.

ARGUMENTUM.

JEsus Christus clarè demonstrat Judæis, se à Patre suo æterno missum esse.

Articulus IV.

Qui cogitat seriò de JEsu Christo, totus occupatur illo.

PRô quantum occupatur & distinatur animus re aliquâ, cui seriò & diu navavit operam, quamque ardenti prosequitur amore! Philemon, cui nihil à conversione suâ tam cordi erat, quâm indagare efficacia motiva, quibus confirmari posset in fide, quâ credebat, JEsum Christum proprium esse Filium DEI & verum Messiam, revolvebat incessanter animo peccatum, quod commiserant Scribæ, Pharisæi & Legis Doctorés, quod recipere noluerint JEsum Christum veluti verum Messiam; siquidem omnia, ubi videtur, ex hoc dependebant. Si recepissent ipsum & primi fuissent, qui exemplo præluxissent populo credendi in ipsum & recipiendi Doctrinam ejus, cæteri omnes ipsorum pressissent vestigia, ut brevi totius mundi conversio, facilem & auspicatum fuisset sortita exentum.

O miseros! quantum patrârunt mali ambitione suâ, æmulatione suâ; proprii sui emolumenti affectu & studio! Quot animarum millionibus irreparabilem parârunt & pepererunt jacturam? Et quantos labores, quantos cruciatus, quamque intolerabiles dolores conciliârunt JEsu Christo & omnibus suis hâc solâ oppositione? Si ipsorum fuissem præsens disceptationi, videtur mihi, evicturum me fuisse, ut omnes ipsi porrigerent manus.

Eram aliquando, dicebat nobis, tantâ contentione huic intentus cogitationi, ut ipsi totus hærerem

rem

rem immersus; quid mecum fieret, nescius videbar abreptus mihi extra meipsum, nec dicere possem, an dormierim, an vigilaverim. Sed videre mihi videbar JEsum Christum circumfusum cohorte arrogantissimorum & perversissimorum Scribarum, Matth. 21. Pharisæorum, & Legis Doctorum, qui se congregaverant omnes circa ipsum, ad opponendum se ipsi, ad confundendum ipsum, eâ ratione, quâ Pygmæorum legio circa Herculem, ad ipsum exarmandum.

JEsus Christus dæmonstrat Judæis, se DEum esse, tribus testimoniis irrefragibilibus.

Asperè interrogabant ipsum: *Quis dedit tibi hanc potestatem?* Unde tibi facultas faciendi hæc omnia, quæ facis? unde venis! quis hâc munivit te facultate? Respondebat illis divinâ cum mansuetudine, & eâdem cum Majestate: Missus sum ab æterno Patre meo, qui omnem dedit mihi potestatem, ut saluti totius mundi impenderem illam. Quis est Pater tuus, qui misit te? Nos non novimus ipsum. Est is, quem vos appellatis DEum vestrum, quem adoratis, cui vestra offertis sacrificia. Sanè testimonium perhibes de teipso nimis gloriosum, dum jactas te DEI Filium; sed non credimus tibi, testimonium tuum non est verum, cùm propria tua agatur causa, & in causâ propriâ credatur nemini.

Diceretis benè, si solus essem; sed solus non sum; Pater meus æternus, qui me misit, idem testimonium perhibet de me, quem vos nescitis: Vos misistis ad Joannem Baptistam, cui creditis velut oraculo cœli, & ipse dixit vobis, ipsemet audiverit vocem divini quòd Patris mei, loquentis è cœlo, méq; declarantis dilectum suum filium. Etsi tertio opus sit testimonio, visibiliter descendit Spiritus Sanctus supra Jordanem, eodem, quo vox loquebatur, tempore, & meum quievit supra caput, ut oculi tam benè, quam aures testimonium perhiberent veritati. Et Joannes Baptista, cui contradicere non potestis, perhibuit hoc testimonium vobis ex proprio ore suo, quod & viderit & audiverit me esse verè Filium DEI: dubitare igitur de hoc non potestis; Nam ecce vobis testes irrefragabiles! Affirmat lex vestra, nonnisi duobus esse opus ad confirmandam aliquam veritatem; & ecce illorum quatuor: Pater meus æternus id dicens vobis, Spiritus Sanctus id monstrans vobis, Joannes Baptista id annuntians vobis, & ego denique confirmans id vobis. Nullam igitur incredulitas vestra admittit excusationem, si de hoc dubitetis, cum noñisi vestræ sit effectus malitiæ.

Nos non credimus tibi, ajebant illi affectatâ cum duritiâ, tu es homo, sicut omnis alius homo; Nos novimus cognationem tuam; tu es filius Joseph & Mariæ, qui

qui pauperes sunt homines; ejusmodi hominum genus non genuit DEum; tam parum nobis non est animi, ut credamus te verum esse Filium DEI.

Demonstrat se Messiam esse ex operibus suis.

Mirum in modum respondit illis: Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite: sicut enim ex fructibus cognoscitur arbor, ita ex operibus homo. Nemo facere potest opera soli omnipotentiæ DEI propria, nisi sit DEus: nonnisi Pater meus æternus habet mortem & vitam in manu suâ, ipse solus remittere potest peccata hominum, cunctis creaturis simul in magna hæc opera non est facultas ulla. Jam is eandem mihi dedit potestatem, dum ex propriâ suâ me genuit substantiâ. Ipse opera hæc DEI omnipotentis facit meum, & ego facio ea cum ipso eâdem potestate nobis cõmuni; quod vos ipsi videtis: ad hæc quid potestis dicere?

Veniet hora, & jam est, quando aperientur sepulchra & reddent mortuos suos, & mortui recipient vitam. Quis facere hoc potest, nisi solus DEus? Hæc adimpletio est Prophetiæ Ezechielis, ubi DEus promittebat vobis: *Aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris.* Jam id feci, & vos vidistis. Reddidi vitam unico filio viduæ, qui portabatur ad tumulum, extra portam civitatis Naim; erat turba multa cum eo, & viderunt omnes, me non aliam invocâsse potentiam, nisi illam, quam Pater meus cœlestis dedit mihi; sed summâ mihi concessâ potestate dixisse ipsi: *Adolescens tibi dico, surge.* Et mox surrexit tum vivus, tum sanus. Restitui vitam Filiæ Principis Synagogæ, quæ deplorabatur mortua; volui Patrem & Matrem ipsius esse præsentes, sicut & Apostolorum meorum aliquos. Nil aliud oravi, nisi quod usus fuerim infinitâ potentiâ, quam recepi à Deo Patre meo, proprio suo nomine vocando ipsam & mandando ut resumeret vitam, & protinus id fecit. Princeps hic Synagogæ lætabatur inde plurimùm, & quod factum fuerat, toti propalabat Synagogæ; & id ipsum non latuit universam Judæam.

Ezech. 37. Ex resurrectione Adolescentis Naemitici, quem ipsimet viderunt, & Filiæ Principis Synagogæ.

Sed his omnibus plura & majora feci. Siquidem eripui Lazarum è tyrannide mortis, quem suis jam quatuor dies constrinxerat dentibus, & quasi jam devoraverat totum, cum jam fœteret, & semi-corrumperetur putredine: admotus jam fuerat ingens ad sepulchrum lapis, & omnis evanuerat spes, ipsum denuò aspiciendi vivum. Multitudo copiosa Magnatum Jerosolymitarum aderant, dum ipsum vocando proprio nomine evocavi è tumba, & revocavi ad vitam. Quid ad hoc dicetis facinus? an negabi-

Ex prodigiosa resuscitatione Lazari in præsentia Magnatum Jerosolymitarum.

tis id verum esse? sed ecce frequentem turmam Magnatum civitatis, qui hauserunt id oculis, ejusque irrefragabiles evadunt testes; & ex hoc tempore longis adhuc annis vixit Lazarus, ita ut invidi, qui sufferre vivum hunc non poterant testem, utpote qui glorioſum hoc prodigium coram ipsis portabat quasi in triumpho, malignum machinarentur consilium ut Lazarum exuerent vitâ, quam dederam ipsi, ut abolerent à se dedecoris notam, quam innuebat ipsorum fronti. Dubitare ergò non potestis, quin congruat hoc facinus veritati. An dicatis, opus hoc esse simplicis hominis, nec divinam illi conficiendo requiri potentiam? Sed ejusmodi propositionem an proferre in medium audeatis, quæ responsum referre aliud non mereretur, nisi maximi contemptûs.

Videte igitur, quid respondere poteritis, quamque obstinatæ vestræ incredulitati prætendere excusationem? si facio opera Patris mei æterni, id est, opera, quæ possibilia non sunt, nisi Deo omnipotenti; si facio illa cum ipso, & per eandem ipsius potentiam, diffiteri, me ipsius esse filium, haud poteritis: DEum enim oportet esse ad faciendum id, quod DEus solus facere potest. Jam testes invoco proprios vestros oculos, proprias vestras aures; an verum non sit, quod fecerim illa in præsentia vestra & conspectu omnium. Quomodò ergò dubitare potestis de veritate, quæ luce meridianâ clarior irradiat vobis?

Videbar mihi, inquiebat Philemon, videre hos homines omninò luminis hujus splendore offusos nescio an confusos. Videbant nihil, eòquòd viderent nimium, volentes defendere se contra horum evidentiam argumentorum, sed non inveniebant, nisi quod semper magis maligni sui cordis obfirmarent indurationem. Quamobrem Christus JEsus, ut ultimum hoc adoriretur propugnaculum, & novum divinitatis suæ præberet illis argumentum, quo convinci deberent, eòquòd experirentur illud in seipsis, dixit ad eos: Intimè vos novi, constant mihi arcana cordis vestri, & video nihil vos habere charitatis erga DEum in vobis. *Cognovi vos, quia dilectionem DEi non habetis in vobis*: Id est, intueor clarè penetralia cordis vestri, quod sit nec amor Dei, nec zelus gloriæ ipsius, qui exstimulet vos, ut opponatis vos mihi: est ambitio vestra, est invidia vestra, est proprium vestrum emolumentum. Quâ ratione ultimum hunc à se detorquebant & evadent ictum? Nonne deberent dicere: Nonnisi Dei est, cognoscere arcana cordis; jam ille cognoscit hæc, cum indicet nobis vera, quibus noster agitatur animus, sensa: oportet ergò, ut ait, ipsum esse verum Filium DEI; Joan.

DEI, de quo amplius dubitare nobis non licet. Nihilominus invincibilis est resistentia obdurati cordis in malitia.

ARGUMENTUM.

JEsus Christus pergit dare Judæis argumenta luculenta Divinitatis suæ.

Articulus V.

Divinitas JEsu Christi videri potest ab hominibus viventibus.

VIdebam, prosequitur Philemon, quod, cum invenire non possent rationes, quas opponerent veritatibus adeò manifestis, & nihilominus cedere non vellent, aliud responderint nihil, nisi quod solent increduli, qui suo sunt animo obfirmati: Non credimus tibi, videmus enim te esse hominem, sed non videmus, te esse DEum. An ergò videre vultis divinitatem meam in se ipsâ, reposuit ipsis Christus JEsus? Nunquid videtis divinitatem ubique, ubi est ipsa per suam immensitatem? an unquam homo mortalis vidit illam? quomodò ergò videre illam poteritis in mea persona, ubi absconditam illam servo sub humanitatis meæ velo, ut familiarem reddam me vobis? Sed clarè videtis divinitatem ubique in effectibus suis, omnibus nempè creaturis, quas eduxit è nihilo, quasque perpetuò conservat.

JEsus Christus demonstrat suam divinitatem in remissione peccatorum confirmata miraculo.

Similiter clarè videre licet vobis divinitatem meam in effectibus, quos producit coram oculis vestris, qui non solùm magnitudine suâ adæquant creationem mundi, sed illâ majores adhuc sunt & difficiliores. Nonne vidistis remittere me peccata hominum. Quando allatus est mihi miser ille Paralyticus, quem demiserunt coram me per tectum domûs, initium dedi sanitati ipsius, dicendo: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Imò, dixerunt illi, sed omnes ex eo scandalizati sunt, & exclamârunt: quis est hic, qui blasphemat? quis dimittere potest peccata, nisi solus DEus. Verum est, replicuit Christus: Video scandalum vestrum, & incredulitatem vestram; sed mox pacificaverim illam; ut enim sciatis, me verè potestatem habere dimittendi peccata hominum, quod nonnisi solius DEI est, dico mox huic Paralytico; *Surge & ambula*; illicò surrexit coram omnibus & ambulavit; confirmavi unum miraculum per aliud, & ostendi sanitatem invisibilem animæ per sanitatem visibilem corporis, de quo ipsi vestri oculi vobis perhibent testimonium. Dubitare ergò non potestis de effectu, quem mea Matth. 9.

verba produxerant invisibiliter, dum videtis illum, quem visibiliter produxerunt; & quia annuitis ipsimet, nonnisi spectare ad DEum, dimittere peccata hominum, obligati ergò eratis, videndo me illa dimittere, agnoscere & confiteri invitis vobis, divinitatem meam.

Exspectabam, quid respondere possent ad hoc; & videbam ipsos totos hæsisse attonitos & mente confusos. Nihilominus aliquis ipsorum audacior & arrogantior cæteris, insolenter exprobrabat ipsi: expetiimus aliquando à te signum certum & manifestum, de quo dubitare non liceret nobis; verùm sive nolueris ex defectu tui erga nos affectûs sive non potueris ex defectu tuæ in te virtutis, exhibuisti nobis nullum, sed remisisti nos ad Prophetam Jonam. Si id poteras, & nolebas, ubi est charitas? Si id volebas, & non poteras, ubi est veritas, dum dicis nobis, esse te Filium DEI.

Quare remiserit Christus JEsus Judæos ad miraculum Jonæ Prophetæ.

O generatio mala & adultera! respondit illis Christus JEsus: Noveram benè vestram malitiam, quale miraculum exhibere vobis poteram, cui contradicere, quodque in malignum sensum interpretari vobis non fuerat animus? Miraculum aliud non est, quod movere vestras posset animas, nisi illud Jonæ Prophetæ. Aspicite prodigia pœnitentiæ, quam prædicavit, quamque persuasit, & ipso opere exerceri fecit in magna civitate Ninive, quandò omnes à rege usque ad infimum de plebe, induerunt se sacco, asperserunt se cinere, extenuêrunt se jejunio, quando verè humiliati & corde compuncto seriam meditabantur pœnitentiam, effusi in lachrymas efflagitârunt & obtinuerunt à Deo misericordiam. Ecce solum hoc miraculum, unicum hoc signum, quo vobis est opus, cum unicum hoc sit, quod vestram operari possit conversionem: non per vestrum stat intellectum, ubi abunde satis vobis est luminis, sed per vestrum stat cor, ubi plus æquò habetis obdurationis & malæ voluntatis; & quousque hoc emollitum non fuerit æs, proterva hæc malitia è corde vestro non fuerit ejecta, non credetis, nec unquam victas porrigetis manus. Desiderate hoc unicum in vobis videre miraculum, hoc demonstrabit vobis cætera omnia, ex eo cognoscetis veritatem, & veritas salvabit vos omnes.

JEsus Christus plus quam Jonas, & Judæi pejores Ninivitis.

Verùm an opus sit, inquiebant, ut redux veniat in mundum Jonas ad prædicandum nobis, sicut Ninivitis? quid quæritis, increduli, replicabat JEsus

JEsus Christus? Viri Ninivitæ surgent in judicio contra vos, & condemnabunt vos, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, cum minoribus gratiæ auxiliis, quàm iis, quæ recepistis vos. Erant ipsi infideles, qui non noverant verum DEum, & vos ipsius habetis notitiam, toti ipsius luminibus, ipsius cognitione repleti: Ipsi non audiêrant, nisi vocem alicujus hominis minitantis sibi ex jussu DEI, quem non cognoverunt; & vox DEI, proprium ipsius Verbum, eo nomine descendit de cœlo, ut vestris allaberetur auribus, DEus ipse in Persona loquitur vobis; qui ipsius vos tenere institutum non diffitemini, & id nihili penditis, flocci æstimatis, Ipsi non viderant miracula, plura, quibus disponerentur ad credendum; & vos indies videtis illorum tantam copiam, ut abunde sat essent ad conterendos scapulos & convellendas tremore ipsas orbis universi bases? Et nihilominus ipsi omnem suam dimiserunt duritiam, crediderunt firmiter, & humiliati sub manu DEI conspecti sunt, in exercitiis seriæ & veræ pœnitentiæ; & vos perseveretis inflexibiles? Ecce vobis Judices, qui condemnabunt vos coram tremendo judicio DEI.

Non comprehendebam, inquiebat Philemon nobis, quod post hæc omnia non cederent, nec flecterentur in minimo. Experiebar in corde meo indignationem adversùs malitiam illorum, non tamen absque commiseratione magnæ illius, quâ tenebantur, cœcitatis, dolebam ipsorum vices, turbulento obrutus animo diversarum cogitationum tumultu. Ex abundanti hâc cordis humani malitiâ, quæ nullis bonitatis divinæ flecti se finit illecebris, hærebam totus attonitus, nec aliud quidquam cogitare poteram, nisi quod dicerem: ô duritia! ô malitia Judæorum, quàm es incomprehensibilis!

Deteriores sumus Ninivitis & Judæis ipsis, nisi demus manus JEsu Christo.

Bonus noster Ecclesiasticus, qui perceperat omnem hanc Philemonis enarrationem magnâ attentione animi, quique haud leviter inde fuerat commotus, cohibere se non poterat, quin diceret nobis, profundo in cœlum emisso suspirio: sed nobiscum quid erit? Judæi nullam sanè obtendere possunt excusationem, quod credere noluerint in Christum JEsum; sed nos, qui credimus in ipsum, an excusabiles simus, dum eâdem omnino vivimus ratione, ac si non crederemus in ipsum? quid prodest verbotenus differre à Judæis, dum ore, sicut ipsi dicere non audemus: Non credimus in JEsum Christum; ipsumque hoc verbum nobis incuteret horrorem, si ex nostro prodiret ore? quid

nobis prodest, si non differamus quasi ab ipsis, in sensibus, desideriis, affectibus & operibus nostris? siquidem video, ipsos non magni feciſſe JEsum Christum, ex eo, quod toti illigati & illecti fuerint ambitione, propriisque suis commodis, quibus valedicere oportuisset, si credere voluissent in ipsum. Et nos an deserere volemus unicum duntaxat vel commodorum nostrorum, vel vanitatum nostrarum apicem, ut obtemperemus Christo, qui præcipit id nobis? Et tamen dicimus, nos credere in ipsum: lingua nostra asserit, quod credamus; quod non credamus, nostra asserunt opera; verba nostra multum præseferunt Christianissimi, sed facta nostra quasi omnia paganismum redolent.

Dicimus nos credere, sed reipsâ non credimus.

O DEus, quantâ nos tenet cœcitate amor noster proprius, quamque longè absumus ab eo, quod credamus reipsâ, sicut dicimus! Nam qui crederet verè, mortuus omninò deberet esse mundo, deberet renuntiare omnibus, quæ possidet, & omnia deserere, ut sequeretur ipsum; deberet configere se cruci, & hanc portare post ipsum cunctis diebus vitæ suæ; deberet continuam & nunquam intermissam exercere pœnitentiam, suamque cum vita ipsius semper crucifigere viram. Siquidem novimus ipsum hæc omnia verbis manifestis dixisse nobis, & insuper declarâsse, quòd sine his impossibile sit ipsius esse discipulum, id est, Christianum. Et nos dicimus, quod credamus in ipsum, & dum hoc dicimus, totum agimus oppositum. Quid exspectandum nobis est, nisi quod dicturus sit nobis: Ex ore tuo te judico, serve nequam, noveras benè, quid agendum tibi esset, ut verus & bonus esses Christianus; dicebas ipsemet, & palam profitebaris, credere te id firmiter, & totum feciſti contrarium? ô Christiane verbis & Anti-Christiane operibus, memor esto, verba tua abitura in fumum, sed opera tua secutura te usque ad tribunal justitiæ magni DEI.

Dicebatur olim militi cuidam, qui gerebat nomen Alexandri, quique tamen insimulabatur vecordiæ, ignaviæ, desidiæ: Aut Alexandri nomen depone, aut age ut Alexander. Sed dicendum nobis est pro maximâ nostrâ confusione: Aut defere nomen Christiani, aut age ut Christianus; fac ut opera nomini respondeant Christiani. Nos profanamus & violamus sacrum hoc nomen, quod tam indigne portamus nosque inani quadam seducimus confidentiâ, Christianos nos esse reipsâ, qui contenti sumus denominatione solâ? profectô enim; profectô enim nonnisi in speciem tales sumus plerique.

CON-

CONSULTATIO XIV.

De Doctrina admirabili JEsu Christi, quæ ostendit nobis ipsum esse Sapientiam infinitam DEI Patris sui.

Curiositas torquet & delectat.

DIsceptabamus aliquantisper cum Prisco de curiositate ipsius, à quâ tantorum exercitiorum & occupationum obruebatur mole. Quid criminis commisisti; inquiebamus ipsi, ut tam immiti consignaveris immoderatæ passionis tyrannidi, quæ te perpetuo extra patriam tuam circumagit exilio, nec ullâ te unquam potiri sinit quiete? Ubivis circumcursitas locorum, ut expleas & saties illam, & nunquam pertingis eo, ut facias illi satis: Nonne ex eo miser sis & infelix?

Econtrario, respondebat, incomparabili afficior voluptate, dum adeò benignæ meæ præsto servitia Dominæ, quæ tantis me demulcet illecebris, ut nunquam afficiat me tædio paululum id, quo me implicat, laboris, qui æstimandus nullatenus est respectu ejus, quâ locupletat me, felicitatis: nihil ita nos allicit, sicut pulchritudines mundi præcipuè, quando hæ novæ sunt, & nunquam oculis usurpatæ. Nosster animus illarum tam est avidus, ut in ipsis inquireret eas abyssis; & quando beatur forte, ut inveniat illas, invenit thesaurum, quo ita oblectatur & occupatur, ut nulla vi possit ab illo separari.

Fraus & deceptio curiositatis.

Verùm si tua semel explêsti vota, tua satiâsti desideria; ut quid ergò quæris & indagas ulterius? ut quid deseris oblectationem hanc præsentem, ut inquiras absentem aliam, quam vix paulisper delibatam mox quoque deseres, ut aucuperis aliam & aliam? Sic semper vagabundus eris in requisitione alicujus pulchritudinis, quâ satiêris plenè, & nunquam eo. quod quæsiêris, fruêris in pace. Nonne vides deceptum te esse spe cujusdam felicitatis imaginariæ, teque tamdiu obruendum

dum laboribus veris, quamdiu fueris sectatus vanitates fictas & falsas. Nunquam enim implere poterit vanitas vastam amplitudinem mentis, quam eo nomine creaverit DEus, ut invenire suam non possit quietem, quàm in possessione veritatis æternæ.

Aucupabar id olim in libris, quod modò aucuparis in mundo; quærebam ubivis novam aliquam pulchritudinem, id est, aliquam veritatem, quâ meum satiarem & explêram animum. Inveniebam quandoque aliquam luminis scintillam, quæ ubi apparuerat, mox iterum disparebat, & aliò me conferebam, ut inquirerem aliam: curiosius rimabar ubivis, modò in Poëtis, modo in Philosophis, modò in Historiis, nec ab ipsis continere me poteram fabulis, & in omnibus nil inveni magis veritati consentaneum, quàm illud Regii Vatis oraculum: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.*

Vanitas in lectione librorum profanorum.

Psalm. 118. v. 85.

Omni ergò studio navavi operam legi veteris Testamenti, mihi adpromittens, me inventurum ibi, quo meum plenè exsatiem animum; sed pro veritate non inveni nisi figuras, & veritatis pollicitationes. Hinc desuper ita mecum discurrebam: Si lex hæc vera est, nullâ unquam ejusdem est opus immutatione, sed perpetuæ debet esse durationis, cum scriptum sit, veritas Domini manet in æternum. Jam necessariò immutanda est ipsa, cùm natura sit figurarum, ut immutentur in veritates, sicut natura promissionis est, ut cesset tunc, quandò opere impletur. Non est ergò ibi veritas æterna; veniet namque dies, quo veritas amplius non erit, quandò nimirùm acciderint ea, quæ pollicebatur futura. Et fortassis, dicebam, modò amplius non sunt veritas, eòquòd jam acciderint: saltem diffidere, deque hoc timere me jubet ipsa, quâ legem hanc prosequor, reverentia. Siquidem cùm ipsa promittat aliud, & ego credam ipsam esse fidelem, vel ipsa immutata est, vel immutabitur; hoc omninò est indubitatum. Sed an immutabitur, an verò jam immutata est? Unum oportet è duobus: primum omninò est irrefragabile, cùm facta non sit, nisi ut immutetur: Secundùm mihi jam admodùm probabile est, cùm videam infinitum virorum sapientium numerum, qui pro certo id tenent per tot jam sæcula. Quamobrem omnia mea huc statui conferre studia, ut certam mihi illius compararem notitiam.

Discursus prudens circa lectionem veteris Testamenti.

O DE-

O DEus bone, quàm magnæ tuæ sunt in eos, qui te quærunt, misericordiæ! Vix meos in partem veritatis detorseram oculos, mox tantæ affulserunt mihi in doctrina JEsu Christi pulchritudines, ut meum mirificè oblectarent animum, abriperent cor.

Ad hæc verba totus mansit attonitus, & abreptus gaudio aspiciebat cœlum, solutis in lachrymas oculis. Bonus noster Ecclesiasticus verba exorsus, dicit ipsi: Vel miror de hoc: siquidem eandem concipio differentiam inter novi & veteris Testamenti doctrinam, quæ est inter umbram & lucem, vel quæ est inter aliquod ædificium rudi delineatione breviter in charta efformatum, & totam ejusdem latitudinem, venustatem, magnificentiam executioni & operi demandatam. Et desuper ita nobis locutus est.

ARGUMENTUM.

Differentia doctrinæ veteris & novi Testamenti.

Articulus I.

OPortet esse aliquam similitudinem inter utramque, cùm una sit velut rudis delineatio, & altera velut executioni demandatum opus; sed oportet etiam esse inter illas differentiam, cùm DEus ipse verbis expressis hanc observaverit in Vate Jeremia: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël & domui Juda* Jerem. 31. *fœdus novum: non secundùm pactum, quod pepigi cum Patribus vestris, in die, quâ apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti. Sed hoc erit pactum, quòd feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam; & ero eis in DEum, & ipsi erunt mihi in populum; & non docebit ultrà vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Hâc ratione promisit DEus Testamentum novum diversum à veteri per os Prophetæ hujus.

Est similitudo & differentia inter vetus & novum Testamentum.

Quatuor similitudines & quatuor differentiæ inter duo Testamenta.

Sed in quo observas hanc similitudinem & hanc differentiam? replicat Philemon: in quatuor præcipuè punctis, respondet Ecclesiasticus.

Exod. 19.

1. Prima est, quòd DEus feriens primum & antiquum fœdus cum Hebræis promiserit illis, quòd velit esse DEus eorum, illos protegere velut dilectum populum suum, illos defendere contra adversarios suos, illósque inducere in possessionem jucun-

Prima similitudo inter vetus & novum Testamentum.

Exod. 24.

 dissimæ

dissimæ cujusdam regionis, eâ lege, si custodierint præcepta sua, & alteri quàm sibi, non servierint Deo, sibique manserint fideles. Omnis populus se obligabat; & fœdus hoc confirmatum fuit & veluti signatum sanguine oblatarum victimarum: siquidem Moyses velut mediator inter DEum & populum, postquàm proposuerat populo conditiones, quas DEus requireret ab eis, & receperat promissiones populo factas, mactavit victimas in sacrificium, ut effusus ipsorum sanguis in recognitionem supremi dominii DEI, & caro victimarum comesta à Moyse & populo universo esset velut juramentum fidelitatis, quam incorporarent quasi sibi ipsis. Ecce quâ ratione erectum fuerit vetus Testamentum.

Novum eâdem ferè ratione institutum est. DEus feriit nobiscum fœdus novum, in quo promittit nobis, quòd amare nos velit velut dilectum suum populum, nobis conferre suam gratiam, & remissionem peccatorum, nos in suos adoptare filios, nos inducere in possessionem regni sui æterni, nos custodire à tyrannide inimicorum, qui sunt peccata & immoderatæ passiones nostræ, denique præcipuâ nos prosequi providentiæ suæ curâ, velut centrum omnium benedictionum suarum, eâ conditione, si fideles fuerimus, in custodienda ipsius lege, quam ad longum exposuit nobis in toto Evangelio, quámque in parvam concluſit Epitomem unius duntaxat præcepti, quod in alio non consistit, nisi ut amemus ipsum. Nos obligati sumus ad hoc, & JEsus Christus, qui DEus est & Homo, ut dignus diceretur Mediator inter DEum & homines, confirmavit æternum hoc fœdus magno Golgathei verticis Sacrificio, cujus ipsemet esse voluit victima, ut promissa sua proprii sanguinis sui firmaret chirographo. Adhæc manducandam porrigit adorandam victimæ hujus carnem cunctis Christianis per cuncta sæcula, ut illa esset velut juramentum fidelitatis, quam inviolabiliter custodire promiserunt sibique ipsis veluti incorporârunt. Hâc ratione novum Testamentum fermè erectum est, quâ antiquum. Ecce eorum similitudinem.

Sed differentia ipsorum valdè magna est: siquidem mediator veteris Testamenti est purus homo, Mediator novi est Homo-DEus; unum confirmatum est nonnisi sanguine bestiarum; alterum firmatum est sanguine proprii & unigeniti Filii DEI. Hinc unum durare non debuit, nisi quoad durabat sacrificium animalium, id est, currente tempore figurarum; alterum durabit Prima differentia.

bit tamdiu, quàm Filius Dei, qui id suo confirmavit sanguine, id est, durabit in æternum.

Secunda similitudo.

2. Secunda, quam observo, ipsorum similitudo & differentia est, quòd antiquum Testamentum fuerit pactum erectum inter DEum & hominem in monte Sina, in Festo Pentecostes in medio tonitruorum, fulgurum & tempestatum; quódque Moyses, qui Procuratorem agebat totius nationis Judaicæ, receperit ipsorum nomine diploma illius exaratum à digito Dei, nimirum Tabulas Legis, quas ubi descendit, publicavit populo. Novum Testamentum in sui principio eâdem ferè ratione institutum est; siquidem id fuit eâdem Pentecostes solemnitate in medio flammarum, in rumore & tumultu subitaneo, quando Apostoli, qui erant Principes & fundamenta Ecclesiæ, receperunt loco illius impressionem Spiritûs Dei in monte Sion, velut Moyses Tabulas Legis in monte Sina: undè & ipsi descenderunt divino hoc Spiritu prorsùs accensi, ut in universo orbe publicarent sancti Evangelii legem, instituendo ubivis Ecclesiam Christianam & Imperium JesuChristi. Ecce tibi duorum Testamentorum similitudinem.

Secunda differentia.

Sed non levis est ipsorum differentia, in hoc, quòd Moyses, feriens cum Deo Testamentum antiquum, involutus fuerit tenebris & nihil viderit, ad innuendum, hanc legem non dare, nisi umbras & figuras, & valdè parvam cognitionem Dei; sancti Apostoli ex adverso illuminati sunt luce cœlesti, circumfundente ipsos & intimiùs penetrante, ad demonstrandum, quòd Lex nova allatura sit lucem per magnam cognitionis DEI cunctis animabus. Adhæc dum Moyses recepit vetus Testamentum, non audiebat nisi voces formidandas, tonitrua, fulgura, tempestates, quæ denotabant legem timoris plenam & rigoris, quæ data est Judæis velut mancipiis, qui obedire nolebant nisi coacti, vel sicut bestiæ, quæ non ambulant nisi vi verberum ac plagarum. Sed Apostoli cum repentino illo sono, qui excitabat ipsos, ad consignandum illis legem gratiæ, receperunt linguas ignitas; quod manifestè designabat verba amoris & benignitatis plena, quibus DEus loquebatur nobis, velut filiis suis, velut amicis suis. Sic sanctus Augustinus egregiè dixit, totam differentiam veteris & novi Testamenti exprimi & declarari posse duobus verbis, *timore & amore*. S. August.

Tertia similitudo.

3. Nihilominùs observo adhuc ipsorum similitudinem & differentiam notatu dignissimam in re quadam tertia; & est, quòd vetus Testamentum con-

tinuerit quidem verè totum catalogum, velut partem suam essentialem; sed præceptum adorationis supremæ Dei, quo obligatum fuerat offerre illi sacrificia, involutum fuerit innumerâ multitudine cæremoniarum & observantiarum, quibus ita subdebantur rebus minimis, ut vix observare illas possent absque eo, quòd peccarent contra obligationem suam. Novum Testamentum continet etiam eundem Decalogum, quo obstringimur ad adorationem supremam Dei; quam ut ipsi exhibeamus, habemus sacrificium infinitâ ratione magnificum, ubi victima est proprius Filius DEI, quem offerimus Deo Patri suo. Et hæc essentialis pars Religionis nostræ comites habet certas cæremonias dignitati suæ proportionatas. Ecce tibi similitudinem duorum Testamentorum.

Tertia differentia,

Sed summa ipsorum est diversitas. Primò in hoc, quòd Decalogus, quem Moyses recepit à Deo, non fuerit exaratus nisi suprà tabulas lapideas, ad demonstrandam duritiem cordis hujus populi. Sed hunc DEus nobis exhibuit favorem à se priùs promissum, ut legem suam scriberet in omnium corda nostra: *In corde eorum scribebam eam*; ad innuendum non solùm, quòd cor hominum emollitum & totum immutatum sit per gratiam novi Testamenti, quâ promptum & flexibile reddatur ad obedientiam; sed etiam ad insinuandum nobis, quòd hodiè aliâ Scripturâ nobis non esset opus, nisi illâ, quam impressit digitus DEI (qui est Spiritus sanctus) in corda nostra; quódque Evangelium non consistat in verbis aut syllabis atramento suprà chartam exaratis; sed in spiritu & intelligentia, cujus animæ nostræ fideles esse debeant depositariæ; quódque Christiani non simus ex eo, quòd habeamus novum Testamentum in manibus nostris, sed quòd habeamus illud verè exaratum in cordibus nostris. Differentia igitur duorum Testamentorum benè declarari potest duobus hisce verbis, lapidibus & corde.

Jerem. 31.

Adhæc diversa valdè sunt in hoc, quòd vetus Testamentum non solùm oneraret Judæos Lege Decalogi, sed etiam innumeris præceptis cæremonialibûs, quas difficulter addiscebant, & difficilius adhuc observabant, unde tamen non magnam hauriebant utilitatem, nisi quòd semper constringerentur ab ipsis in submissione & timore, ne fortè ipsarum deessent observantiæ, quarum transgressio nunquàm fiebat absque punitione; siquidem omnia hæc præcepta, omnes hæ cæremoniæ, quæ erant velut ipsorum Sacramenta, non confe-

Vetus Testamentum tenebat Judæos subjectorplurimis cæremoniis.

conferebant illis gratiam ex seipsis. Novum Testamentum nos exonerat observatione omnium cæremoniarum legalium, quæ erant onus intolerabile, sicut nuncupat illas Princeps Apostolorum Petrus in primo Ecclesiæ Concilio ab Apostolis celebrato, uti refertur decimo quinto capite Actorum, ubi declaratum fuit, illas amplius non habere vim obligandi: *Quid tentatis DEum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? sed per gratiam JEsu Christi credimus salvari.* Agebatur de circumcisione & cæteris cæremoniis veteris Testamenti, & S. Petrus velut Vicarius JEsu Christi, cujus erat pronuntiare oracula fidei, decrevit hoc, quod receptum fuit ab universa Ecclesia.

Actor. 15.

Illæ ablata sunt à novo.

Non igitur habemus ampliùs confusam hanc multitudinem observantiarum legalium, quibûs obruebantur Judæi: restat nobis solus Decalogus, & præcepta Ecclesiæ, quæ parvo stringantur numero. Adhæc videmus, JEsum Christum totum Decalogum, totam legem, & si velis, omnes Scripturas veteris & novi Testamenti, duobûs complexum fuisse verbis, dum dicit in Evangelio: *Hoc est primum & maximum mandatum: Diliges Dominum DEum tuum ex toto corde tuo: secundum autem est simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum: In his duobus mandatis universa lex pendet & Prophetæ.* O quàm lex tua, Domine, brevis est! O quàm est facilis! O quam est amabilis! Desuper sanctus Augustinus admirans bonitatem DEI instituit brevem hanc & seriam considerationem: Vide, quàm brevem tibi dederit legem, ne fortè diceres: Non potui illam addiscere. Vide quàm fecerit illam claram, & intelligibilem, ne excusare te posses: non potui illam comprehendere; vide, quàm fecerit illam facilem & jucundam, ne ansam haberes dicendi: Non poteram illam observare. Magna igitur differentia est inter vetus & novum Testamentum.

Matth. 22. v. 40.

S. Augustin.

Nihilominùs ecce tibi tertiam adhuc longè majorem cæteris omnibûs: hæc respicit sacrificium, quod maximè essentiale Religionis est punctum. Ambo Testamenta hoc præcipiunt, & in hoc conveniunt; siquidem impossibile est veram habere Religionem sine vero sacrificio, in quo hæretici universo demonstrant orbi, se non nisi putativam habere Religionem, & non Religionem veram, cùm nullum habeant sacrificium. Sed si duo Testamenta sunt similia in hoc, quòd ambo præcipiant profiteri supremum dominium DEI per sacrificium, infinita ipsorum differentia est in hoc, quòd anti-

Sacrificium novi Testamenti transcendit infinitâ ratione illa Testamenti veteris.

quum non habeat, nisi sacrificia animalium, & novum Deo offerat sacrificium unigeniti Filii sui. O infinitam differentiam! Omnes hominum & Angelorum linguæ, si per integrum loquerentur sæculum, explanare non possent, quousque incomprehensibilis hæc differentia se extendat.

Quarta similitudo. Denique observo quartam similitudinem, & quartam differentiam inter vetus & novum Testamentum, non minùs aliis considerabilem. In antiquo Testamento promittebat Deus præmia Judæis, si suam observarent legem; & in novo promittit præmia Christianis, si fideles fuerint in custodienda lege sua. Ecce ipsorum similitudinem.

Quarta differentia. Sed differentia ipsorum est maxima in hoc, quòd bona promissa Judæis non respicerent quasi, nisi ipsorum corpora & vitam præsentem, sed illa, quæ DEus promittit nobis, nostram respiciunt animam & æternitatem. Illud promittebat tutari & defendere ipsos ab afflictionibus & adversitatibus; hoc promittit nobis gratiam portandi nostras patienter, & commutandi per hoc parva mala temporalia in bona æterna. Tandem illud sperare illos jubeat terram; hoc sperare nos jubet cœlum. Nonnè concludendum exinde sit, quòd quantum anima transcendit corpus, & tempus æternitas, tantum transcendatur Testamentum vetus à novo, in omni prorsùs genere, ac omni ratione?

Ne quæras ampliùs, undè veniat, quòd experiatur anima tantas consolationes, tantásque delicias in Testamento novo, quas non invenit in alio: si audias id loqui, dicet tibi: Ego sum lex amoris, quam Pater cœlestis dat Christianis velut filiis suis, hinc abundo dulcore gratiæ & unctione Spiritûs DEI, quâ caret alterum. Illud institutum non erat, nisi ministerio alicujus Prophetæ; & ego instituor à Deo Prophetarum. Illud confirmatum fuit nonnisi sanguine bestiarum; & ego confirmor & stabilior sanguine unigeniti Filii Dei. Illud erat Testamentum temporaneum, quod debebat finiri; ego sum Testamentum æternum, quod finietur nunquam. Illud erat Lex rigoris imprimens nonnisi timorem; & ego sum Lex mansuetudinis, spirans nonnisi amorem. Illud exaratum erat in lapidibus duris & frigidis; & ego imprimor cordibus ac visceribus. Illud aggravabat homines permagno numero observantiarum valdè onerosarum; & ego non habeo, ut verum fatear, nisi unicum præceptum, quod est illud charitatis. Illud offerre nesciebat Deo sacrificium nobilius, quàm illud bestia- Antitheſis inter novum & vetus Teſtamentum.

bestiarum ; & ego offero Patri æterno sacrificium infinitâ ratione adorandum Filii sui unigeniti. Tandem vetus Testamentum non promittebat hominibus nisi terram fœcundam ac fertilem per aliquot annos, & ego promitto illis cœlum ineffabilium deliciarum in æternum.

An posthæc interrogabis adhuc, unde veniat, quòd Testamentum novum abundet deliciis, quibus careat alterum ?

Doctrina JEsu Christi divinum complectitur dulcorem.

Fateor, dicebat Philemon, hæc omnia idonea esse lucrandis cordibus ; sed judicio meo invenio aliquid in ipsius doctrina, quod excellat adhuc omnes has pulchritudines ; certum nempe & inexhaustum fundum luminum ac cognitionum ; ubi intellectus tantum videre non potest, quin plura semper remaneant conspicienda ; abyssum impenetrabilem sapientiæ, ubi intelligentia humana se perdit, & nonnisi admiratur, quod comprehendere non potest ; certam virtutem, majestatem, dulcorem, gustum prorsùs divinum, qui nutriet, qui attollat, qui consoletur animam : tandem nescio quid magni, quod explicari verbis non potest ; sed quod sentitur, & alibi non invenitur.

Verum est, respondet Ecclesiasticus, innumeræ bonæ animæ expertæ sunt idipsum, sicut tu : sed hujus vis nôsse rationem ? Ecce tibi illam.

ARGUMENTUM.

In Christo JEsu comprehenduntur omnes thesauri scientiæ & sapientiæ DEI.

Articulus II.

PRecioſum invenit thesaurum, qui semel intravit interiora Christi JEsu, quique intima penetravit animi ipsius sensa. O quàm omnia speciosa sunt hîc ! quàm omnia hîc visu stupenda ! Nunquam non fuerunt, quos allexerit curiositas ad conspiciendum thesauros magnorum Principum, cùm nihil collocetur illuc, nisi quod rarum, nisi quod valdè sit precioſum. Ecce tibi thesaurum summi & maximi Monarchæ totius mundi. Sic loquitur sanctus Paulus de JEsu Christo : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Affirmat, DEum incluſisse in ipso omnes thesauros sapientiæ & scientiæ divinæ, quæ precioſisſimæ sunt divitiæ, cùm hæ propriæ divitiæ sint Spiritûs, DEusque sit purus Spiritus. 2. Coloſs. 3.

Sed

Sed thesaurus hic nobis occlusus est, inquit Philemon ; Princeps ipse & Monarcha habet clavem illius; solus Pater inspicere hunc potest, & perfectè videre omnes ipsius precioſas divitias ; quas ipsemet illîc inclusit.

Veni, dicit alter, deducam te illuc. O quanta erit tuis oculis oblectatio! ô quanta perspicies, quibus hærebis attonitus, prodigia! Non admiraberis ampliùs suavissimas has pulchritudines in doctrina ipsius repertas, quæ non sunt nisi tenuis divitis thesauri hujus vena. Intelliges probè , quare omnium rapuerit corda, dum prædicabat, & quare totus mundus abierit post illum. Obstupefies ex eo , quòd totus orbis secutus non fuerit ipsum; & ipsemet infernus, nisi condemnatus fuisset ad tenebras æternas, quibus indignus est factus conspiciendo ipsius lumini, cohibere se non potuisset, quin ipsius attractus fuisset illecebris.

In JEsu Christo duæ sunt naturæ & duo intellectus.

1. Non videbis in JEsu Christo nisi personam unicam, sed duas in eo videbis naturas, divinam & humanam, quæ uniuntur, abs eo quòd invicem vel misceantur, vel confundantur: Duos ergò quoque habet intellectus, divinum & humanum, & scientiarum genera, unam divinam, alteram humanam. Hæc omnia, quæ tam perfectè sunt unita, ut non constituant nisi unam & eandem personam, semper tam perfectè distincta manent, ut nunquam confundantur, aut misceantur; nec una natura in aliam, siquidem divina nil habet humanæ, & humana quoque nil habet divinæ: nec unus intellectus in alterum, siquidem humanus non est divinus, & divinus non est humanus; nec una scientia in aliam, siquidem intellectus divinus nil cognoscit per scientiam humanam, nec intellectus humanus aliquid cognoscit per scientiam divinam: quilibet habet suum esse, suam intelligentiam, sua lumina, suas cognitiones, quæ non pertinent nisi ad ipsum solum. Nonnè te credis jam videre Oeconomiam ac dispositionem quandam admirabilem? Procul dubio, respondit Philemon; sed videre peroptarem utriusque pulchritudinem in particulari; nihil enim est, nisi res singulatim videantur.

Qualis sit scientia intellectûs divini in Christo.

2. Si consideres JEsum Christum secundùm ipsius Divinitatem, prosequitur Ecclesiasticus, ipsius natura, ipsius intellectus, & ipsius scientia non sunt, nisi eadem omninò res, eòquòd sit propria ipsius essentia, æterna, infinita, simplicissima, quam nascendo recipit è sinu Patris sui. Non solùm dicendum est, ipsum habere scientiam, sed dicendum est, ipsum esse scientiam & sapientiam infinitam DEI: Christum

1. Cor. 1.

stum Dei sapientiam. Non solùm is habet lumen; sed totum ipsius esse divinum, purissimum est lumen, per quod DEus perfectissimè cognoscit divinitatem suam, & omnem adorandarum suarum perfectionum pulchritudinem, & res omnes, quæ sunt extra ipsum, actuales, possibiles, & etiam impossibiles; & nihil absconditum est cognitioni ipsius: *Quoniam DEus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ.* Ecce tibi divitias intellectûs divini in JEsu Christo; sed nonnisi Deus solus omnem illarum cognoscit excellentiam. Beati in æternum illarum videbunt pulchritudinem, quâ rapientur in admirationem & replebuntur gaudio, nunquam tamen comprehendent eandem.

1. Joan. 1.

Quales sint divitiæ intellectûs humani in Christo.

3. Si aspicias JEsum Christum secundùm humanitatem & intellectum ipsius humanum, verum est, illum nihil habere omnis hujus scientiæ divinæ, cùm ut sic Deus non sit, alias tamen habet sibi & essentiæ suæ congruas. Et quia intellectus ipsius est omnium intellectuum creatorum nobilissimus, æquissimum erat, ut locupletaretur perfectissimis quibúsque scientiis, quibus possibile est tam excellentem ditari creaturam. Vis me illas tibi monstrare?

Ingrediamur cum reverentia divinum hoc sanctuarium: videbis ibi quatuor scientiarum genera, quæ velut quatuor magni soles simul uniuntur, ut admirabilem in ipsum effundant splendorem. Prima & præcipua est scientia beatifica, quâ clarè intuetur essentiam Dei. Secunda est scientia infusa, quam ipsius anima recepit a verbo divino, in primo instanti, quo fuit cum ipso unita, velut dotem quandam sponsalitiam. Tertia est scientia acquisita, quam intellectus ipsius perfectissimus & acerrimus sibi comparavit in semetipso. Et quarta est scientia experimentalis, quam hausit ab extra suorum usu sensuum, & in qua crescebat successivè & perficiebatur cum ætate. Ecce partes & portiones præcipuas divitis hujus thesauri scientiæ & sapientiæ JEsu Christi. Sed quis ipsius posset nôsse valorem? Vis, ponderemus unam post alteram?

§. 1. *De Scientia beatifica JEsu Christi.*

ITane, dicit Philemon, jam totus consolatus ex primo hoc aspectu, inter scientias ipsius numeras illam beatificæ visionis DEI? Hem! an habuit illam tempore vitæ suæ mortalis? nonnè scri-

Exod. 33. v. 20.

ptum est: *Non videbit me homo, & vivet?* Et dein, nonnè viator is erat, sicut nos omnes, exspectans beatam spem, quam nos exspectamus? Non, respondit Ecclesiasticus, visio beatifica dilata ipsi non est usque ad finem vitæ suæ mortalis, sicut nobis. Verum quidem est, ipsum viatorem fuisse, sicut nos, ast! ipse quoque fuit comprehensor supra nos. Verum quidem est, Deum dixisse, non videndum se ab homine vivente vitâ adhuc mortali; sed quamvis is viveret, sicuti nos, erat tamen jam mortuus in æternis decretis Dei: & ideò nuncupatur in Scriptura: *Agnus occisus ab origine mundi.*

Anima JEsu Christi habuit jus ad visionem beatificam ab instanti conceptionis suæ.

Sed quando obtinuit beatam hanc visionem DEI? procul dubio laborandum illi aliquanto tempore fuerat, ut illam mereretur? Non, inquit Ecclesiasticus, habebat ipsam à principio, abs eo, quòd mereretur illam, vel meritus fuerit unquam. Nonnisi eorum est, quibus ipsa non debetur, suis illam comparare meritis; sed illis, qui jus habent ipsam possidendi, non incumbit mereri illam. Nonnè videmus parvulos infantes, qui cedunt fatis mox à Baptismo recipere illam, quin ipsam promeruerint, eòquòd, cùm adoptati sint in filios DEI per gratiam sui Baptismi, jus habeant adeundi hæreditatem Patris sui, quantò magis JEsus Christus, qui non erat Filius solummodò adoptivus, sed Filius naturalis Dei Patris sui?

JEsus Christus vidit essentiam divinam antequam nasceretur.

An dicendum igitur est, quòd ab instanti, quo natus est in stabulo Bethlehemitico, jam cœperit videre Deum, quódque vile hoc stabulum primus fuerit Paradisus, in quo essentia DEI visa fuit ab aliquo beato? Non reposuit Ecclesiasticus, sed antequam natus esset, adhuc conclusus sinu virginali sanctissimæ Matris suæ, fruebatur jam anima ipsius eâdem visione DEI, quâ modò fruitur in cœlo; & æquissimum hoc erat, eòquòd proprius fuerit Filius Dei, ab eo, quo esse cœpit, instanti. Cùm ergò jam tunc fuerit Filius ipsius legimus, legitimus quoque possessor erat bonorum cœlestis Patris sui: ita ut non stabulum Bethlehemiticum, sed purissimus Virginis Matris uterus, primus fuerit Paradisus, in quo primus Beatus cœperit videre essentiam Dei.

Anima JEsu Christi vidit Deum, priùs quàm conciperetur in sinu Matris suæ.

Videtur, citò nimis incepisse ipsius beatitudinem, inquit Philemon totus attonitus, totus in admirationem abreptus. Sed excrevit ipsius admiratio, dum Ecclesiasticus adjunxit. Adhuc majus quid tibi dicendum mihi restat, quòd nempè ante ipsum instans, quo conceptus fuit in sinu Matris suæ, sanctissima ipsius anima jam fuerit Beata, & intellectus ipsius plenus lumine gloriæ,

riæ, jam posſederit omnem ſcientiam viſionis DEI: Video benè, te id mirari; ſed caperis benè, quod tibi dicam, & mirari ceſſabis, & clarè mecum idipſum videbis. Probè nôſti, quòd id, quod nuncupatur inſtans conceptionis, ſit unio actualis animæ & corporis infantis: Et hæc unio contingit in momento, quo parvum ipſius corpus ſufficienter eſt diſpoſitum ad recipiendum animam: ſiquidem ante hoc momentum verum non eſt, dicere, quòd conceptus ſit homo in ſinu Matris ſuæ.

Jam interrogo te, an neceſſarium ſit, partes, quæ componunt aliquod totum, eſſe ante ipſum totum? Nonnè, antequam uniantur ſimul, ut conſtituant hoc totum, ſupponitur ipſas jam eſſe? Hoc indubitatum eſt: quomodò enim unirentur, niſi jam eſſent? Corpus & anima JEſu Chriſti habebant eſſe ſuum ſeparatim ante unionem ſuam, id eſt, ante conceptionem; & quia duæ hæ partes ſunt ſubſtantiæ, neceſſarium erat, ut ſuam haberent ſubſiſtentiam: Jam nunquam aliam habuerunt ſubſiſtentiam, quàm propriam perſonam Filii DEI. Quæ eſt ergò hæc anima, quæ unita eſt Perſonæ Verbi, in aliquo inſtanti naturæ, priùs quàm unita ſit ſuo corpori, niſi anima Filii Dei? Et quid eſt hoc corpus eidem perſonæ Verbi unitum, ſaltem uno inſtanti naturæ priùs, quàm unitum ſit ſuæ animæ, niſi corpus proprii FiliiDei? Jam in ipſo inſtanti, quo eſt Filius Dei, eſt beatus ex jure Filiationis hujus divinæ. Sed, ut verum fatear, non eſt Filius Dei (velut Verbum incarnatum) quoadúsque ſit homo, & homo non incipit eſſe, niſi in inſtanti, quo anima unita eſt corpori; & hoc ipſum eſt inſtans, quòd ex ipſo facit hominem beatum.

Benè hoc capio, affirmat Philemon: ſiquidem non video majus eſſe inconveniens, dicere, quòd hæ duæ partes ſeparatim unitæ fuerint perſonæ Verbi divini, antequam inter ſe unirentur, quàm aſſerere, quòd eidem manſerint unitæ ſeparatim poſt inſtans mortis ſuæ; & conſequenter dicere, quòd beatus jam fuerit antè momentum conceptionis ſuæ, cùm etiam poſt momentum mortis ſuæ fuerit beatus.

Quomodò facilè comprehendi poſſit, quòd beatiſſima Virgo ſit vere Mater Dei.

Sed hæc veritas aliud intellectui meo affert lumen, facitque, ut capiam facilius, quâ ratione ſanctiſſima Virgo verè ſit & propriè Mater Dei, æquè ac aliæ mulieres ſuarum prolium naturales ſunt matres. Siquidem quare ipſæ ſunt matres, niſi quia concurrunt virtute hâc ſibi naturali ad unionem animæ, quam DEus creavit, & corporis, quod diſpoſuerunt ipſæ ad recipiendum illam.

lam. Et beatissima Virgo eâdem ratione concurrit ad unionem corporis & animæ Filii sui unigeniti. Sed omnes aliæ matres efficiunt unionem corporis & animæ filiorum suorum, quæ non sunt nisi quædam substantia humana, quæque etiam non habent nisi humanam subsistentiam: Ecce tibi, quare non concipiant nisi purum hominem. Beatissima Virgo est sola benedicta inter omnes mulieres, quæ efficit unionem naturalem corporis & animæ, quæ quidem substantiam habent humanam, sed quæ habent subsistentiam, id est, personam divinam: Ecce quare ipsa non concipiat purum hominem, velut aliæ matres, sed Hominem-Deum. Manifestum igitur est, ipsam verè esse matrem Dei.

Valdè benè id explicas, replicat Ecclesiasticus; sed non sufficit vidisse, quando JEsus Christus receperit ingens hoc lumen visionis Dei: An nôsti, quantam lucem, quantum splendorem accenderit in anima ejus? quid ille scit, quid videt per admirandam hanc scientiam? Credo, respondet alter, quòd videat valdè clarè, sed non comprehendat integrè essentiam & perfectiones DEI: credo etiam, quòd videat in Deo, omnia alia, quæ sunt extra DEum, & quorum cognitio est ipsi necessaria ad perfectam suam beatitudinem; sed dicere, quousque se extendat, nescio.

Dicendum igitur est, quòd, quamvis verum sit, ipsum non cognoscere omnem infinitudinem essentiæ & perfectionum DEI; hoc enim nonnisi DEI solius est, & intellectus ipsius humanus non est Deus: nihilominùs videt ipsam perfectiùs, quàm cæteri omnes Beati in cœlo. Non dico solùm, quòd possideat aliquem beatitudinis gradum sublimiorem, quàm quivis alius Beatus in particulari (hoc enim non foret quid magni dicere) sed dico, quòd videat essentiam DEI perfectius & clarius, quàm cæteri omnes Beati simul. An dubitare de hoc posses, cùm solus ipse sit, per quem omnes alii videant ipsam? unde trahunt ipsi omnes suas divitias, nisi ex magno hoc thesauro, cujus omnes munificentiæ, quas distribuit Beatis, quamvis sint copiosissimæ, non adæquent id, quod reliquum est ipsi soli? Nonnè dicit sanctus Præcursor Joannes, *quòd ex plenitudine ejus accipiamus omnes?* Imaginare tibi, videre te divitias inexhaustas maris; possidet id tantam aquarum molem, ut omnes fontes, rivi, flumina non habeant, nisi quod trahunt è sinu ipsius; sed quamvis hæc habeant ex eo abundanter, necesse est tamen, omnia simul non habere tantum, quantum ingens hoc elemen-

D. Th. 3. p. q. 10. à 4.

Anima JEsu Christi videt Deum perfectius solâ, quàm cæteri omnes Beati simul.

1. Joan. v. 16.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mentum adhuc conservat in sinu suo.

Omnes Beati non habent, nisi quod hauriunt à JEsu Christo.

Hâc fermè ratione JEsus Christus est vastum & profundum mare gratiarum, meritorum, sanctitatis, gloriæ & beatitudinis; ipse includit in sinu suo omnes inexhaustos thesauros pretiosissimarum divitiarum æternitatis. Omnes Beati, qui sunt pleni gratiâ & gloriâ, non habent, nisi quod receperunt ab ipso; sed quamvis omnes hauriant ex eo abundanter, non tamen sunt nisi fluvii, qui exeunt è mari; quando congregarent omnes simul totam aquarum suarum abundantiam, non tamen adæquarent illam maris. O JEsu, quàm dives es! Tu es solus, qui omnes possides thesauros scientiæ & sapientiæ Beatorum. Universum cœlum obstringitur tibi de bono, quod possidet; omnes miseriæ, quæ extorquent nobis gemitus in vita præsenti, nonnisi à tua largitate accipiunt refrigerium: Nullum bonum, nec in cœlo, nec in terra habere possumus, nisi per te. Tendimus ad te manus Domine, da nobis ex tua abundantia. Quid faciunt in thesauris tuis omnes pretiosæ tuæ divitiæ? Tu non indiges illis pro teipso: dona illas egenis fratribus tuis, qui dabunt tibi omnes corda sua in grati memoriam animi, & cantabunt in æternum misericordias tuas.

JEsus Christus cognoscit omnia, quæ sunt extra Deum per visionem suam beatificam.

Sed non sufficit, animam ipsius clarè videre essentiam Dei: necessarium quoque est ad perfectam ipsius beatitudinem, videre etiam in Deo omnia, quæ sunt extra Deum: Dico omnia, absque ulla limitatione; omnia, quæ sunt opera omnipotentis manus Dei; omnia, quæ dependent à causis secundis, & omnia, quæ producuntur à voluntate libera hominum per omnes sæculorum decursus, & in omnibus mundi locis, absque ulla exceptione rei minimæ. Quæris: cur necesse est, ut videat hæc omnia? sanctus Thomas affert hujus pulchram & solidam rationem. D. Th. 3 p. q. 10. a. 1.

Pulchra ratio S. Thomæ.

Nec unicus est ex omnibus Beatis, cujus intellectus illuminatus non sit omnibus cognitionibus necessariis ad plenam ipsius satisfactionem; aliàs beatus non esset. Necesse est ergò ipsum scire omnia, quæ concernunt ipsum & statum ejus; cùm facultatem hæc habeant præstandi ipsi satisfactionē. Jam JEsus Christus est solus ex omnibus Beatis, cujus status requirit perfectissimè nôsse omnia, quæ sunt extra Deum, eòquòd omnia concernant & respiciant ipsum, omnia ipsi subdantur, omnia ad ipsum pertineant: Ipse est Caput Angelorum & hominum, ipse est supremus Monarcha omnium creaturarum, ipse est Judex absolutus omnium actionum humanarum, ipse est

Dominus & possessor legitimus omnium entium creatorum, cùm omnia nonnisi ex amore ipsius sint condita. Et hoc est, quod sanctus Paulus dicebat fidelibus, qui membra sunt corporis mystici JEsu Christi: *Omnia vestra sunt, & vos estis JEsu Christi, & JEsus Christus est DEI* Patris sui. Interest ergò ipsi omnium; necesse est ergò ad perfectam ipsius beatitudinem scire & cognoscere omnia.

1. Cor. 3. v. 23.

Nihil celare possumus JEsum Christum.

O DEus! exclamavit hìc Philemon, totus abreptus admiratione & gaudio; quàm ampla latitudo scientiæ beatæ in anima Redemptoris mei! quantùm consolationis experior in corde meo, dum conspicio illam tam copiosam, támque speciosam! sed quanta confusionis & humiliationis mihi ansa ex eo, quod celare non possim ipsam turpitudinem meam? Itane ergò, mi JEsu, tu cognoscis omnia? Ita, tu omnia nôsti sine ulla limitatione, nihil te latet, ipsas profundissimas intueris abyssos, id est, clarè vides omnia, quæ sunt abditissima & arcanissima in cordibus hominum. Nemo est tam perfrictæ frontis in mundo, qui semper portare vellet cor suum apertum in manibus suis, illúdque exponere oculis totius mundi indiscriminatim: Nam, ô DEus, quid rerum agitur quandoque ibi, quarum pudeat nos ipsos! Et nos id semper apertum circumferimus oculis JEsu Christi, qui videt hæc omnia, cuique incumbit aliquando æternam in hæc omnia quæ videt, proferre sententiam. O cor meum si oculi tibi essent ad considerandum magnum hunc oculum, qui omni te videt tempore, an auderes, quod audes? Nonne viveres semper in timore & reverentia ante oculos Majestatis hujus?

Pulchra consideratio circa id, quod oculi JEsu nos semper intueantur.

Dicitur, oculos Basiliski occidere eos omnes, quos intuentur; sed oculi JEsu circumferunt vitam in aspectu suo; testis est vita, quam reddidit sancto Petro, aspiciendo ipsum post morrem, quam ipsemet intulit animæ suæ per negationem suam. Verùm si vitam dant mortuis, quantam vitæ abundantiam dabunt vivis; quàm parùm habeat anima amoris, quàm parùm habeat desiderii placendi Deo, quàm parùm etiam de hoc cogitet, si bono aspiciatur oculo ab amabili Redemptore suo, quantum mox vitæ & vigoris experitur augmentum, ut zelo ardenti prosequatur ea omnia, quæ placent ipsi! O mi amabilissime JEsu, quando dicere tibi potero cum veritate, cordis mei penetralia ostendens tibi: *Domine, tu nôsti omnia, tu scis quia amo te.* Domine, tu intima nôsti cordis mei arcana, & tu probè nôsti, quòd amem

Joan. 21. v. 17.

amem te. Vellem repetere hoc centies de die, & toties iterum repetere illud, quo ad id tandem cum veritate posſem affirmare.

Egregius hic affectus, quem Philemon exprimebat nobis, cum certo quodam igne, qui emicabat ex oculis ejus, ostendit nobis clarè, non solùm ipsum verè esse conversum, sed totum esse JEsu Christi; eòquòd conspectæ in ipso excellentiæ, tantâ demulcerent illum voluptate. Interim bonus noster Ecclesiasticus probè consolatus ex eo, quòd videret tanto perfundi solatio hunc hominem aspiciendo duntaxat primam portionem divitis hujus thesauri sapientiæ & scientiæ, cùm promiserit, se monstraturum hunc ipsi totum integrum, secundam illius exposuit ipsi portionem, in qua non minus, quo admiraretur, invenit, quàm in prima; & hæc erat scientia infusa.

§. 2. *De Scientia infusa Christi JEsu.*

QUando videbant Judæi JEsum Christum adeò divinè prædicantem & rapientem post se corda hominum, adhæc pronuntiantem nonnisi oracula, quæ tam sublimem annuntiabant eruditionem, ut non recordarentur se unquam audivisse hominem ita loquentem, obstupuerunt, seque interrogârunt invicem: Quomodò possibile est, tantâ pollere hunc hominem eruditione, cùm nunquam viderimus ipsum frequentantem scholas? unde ei tot lumina, qui nunquam Gymnasii salutavit limina? Admirabantur, & comprehendere id non poterant.

An Judæi habuerint antam admirandi scientiam JEsu Christi,

Hic Priscus sermone in medium prolato fari cœpit: Quantum ad me, nulla me hujus rei cæpisset admiratio; judicâssem enim, cùm id scientiæ non obtinuerit studio literarum, esse debere scientiam aliquam infusam. Nonnè constat, Deum magnum esse Magistrum, qui in instanti, cùm sibi placuerit, majori intellectum hominis imbuere potest scientiâ, quàm acquirere ipse possit non intermisso totius vitæ suæ studio? Quoties dignatus est ipsemet instruere rudissimos quosque, omnisque expertes scientiæ, ut eruditissimos efficeret ex iis viros, veluti erat ingens illa Eremitarum frequentia, qui intrabant Eremi condensa, antequam ulla in scholis persolvissent pensa literarum, non alio usi Magistro, nisi Deo, nec codice alio, nisi unico magni hujus universi volumine, cuius folia, lineæ & characteres, omnes sunt res creatæ? Et parvo temporis spatio conspecti sunt prodire è deserto

ita

ita diserti, ex indoctis mutati in viros doctissimos & omni imbutos eruditione, ita ut magni Academiarum Doctores illos accederent consultum, & perciperent ex iis non nisi oracula.

Scientia infusa Salomonis & Adami.

Nonnè hujus specimen reluceret in Salomone, qui nocte unicâ tanta recepit è cœlo lumina, ut omnium censeretur sapientissimus hominum? Nonnè exemplum affulget nobis in Proto-parente nostro Adam, cujus locupletare voluit Deus intellectum thesauro scientiarum omnium, producendo illum, quasi si quis speciosо vasi pretiosum infunderet liquorem? Homo hic, qui prodibat è manibus Auctoris sui, non frequentaverat scholas, & caput ipsius universalis erat Bibliotheca totius naturæ humanæ, quam ditaverat Deus cunctis scientiis naturalibus, ut illas suis communicaret posteris, in quos derivâsset ipsas cum naturâ, & ipsi evasissent docti omnes & omni literaturâ exculti absque ullo labore. Sed heu! perdidit pretiosum hunc liquorem unico curiositatis peccato, dum scire plura voluit, quàm voluerit ipsum DEus scire: *Scientes bonum & malum.* Et omnes ipsius posteri, qui sicut hæredes nascuntur ipsius noxæ, ita & ipsius ignorantiæ, laborant infatigabiliter & omnem navant operam cunctis sæculis, ut ratione quâdam hanc reparent jacturam, seq; postliminio reponant, defendendo jus suum in possessionem pretiosi hujus liquoris parentis sui. Quilibet sibi parat ex eo portionem tenuem laboribus millenis; sed omnes simul nunquam possederunt ipsum tam perfectè, sicut ille.

Gen. 3. v. 5.

Pulchritudo intellectûs Adami in suâ innocentiâ.

Quàm visu jucundum fuisset spectaculum, aspicere primi hujus in mundo hominis intellectum, omnibus pretiosis ornamentis, quibus DEus ipsum locupletaverat, instructum. Siquidem si homo epitome est omnium operum Dei, plerúmque nuncupatus à sanctis Patribus Microcosmus, id est, mundus parvus, sol ipsius fuerat suus intellectus, & lux ipsius scientia hæc infusa, quâ DEus consultò ipsius exornavit intellectum, sic ut sole firmamentum, ut magnum effunderet splendorem luminum spiritualium in totam ipsius animam, sicut sol materialis visibile suum effundit & diffundit lumen cuncta super corpora. Nihil nobis absconditur ad præsentiam solis, nonnisi opus nobis est nostros in partem, quæ placuerit, vibrare oculos, & omnia videmus absque labore. Et nihil etiam ipsi fuerat incognitum, quamdiu in sua circumferebat anima ingentem hanc scientiæ infusæ faculam; nihil opus illi fuerat, quàm suum quoquò voluerat,

luerat, attollere intellectum, & mox cognoscebat omnia.

DEus plura dedit JEsu Christo quàm Adæ.

Sed cùm verum sit, reponit desuper doctus noster Ecclesiasticus, quod supremus Creator magnifico hoc dono lucupletaverit primum Adam, qui non erat nisi servus: quid cogitare possumus, feciſſe ipsum in favorem secundi Adæ, qui erat proprius & unicus ipsius Filius? Hic est, qui procedit ex utero ipsius in generatione sua æterna, velut infinitum lumen de infinito lumine, sicut tota cantat Ecclesia in Symbolo: *DEum de DEO, Lumen de Lumine.* Et quando produxit illum de novo in nativitate sua temporali, an quidquam omiserit, quin mitteret ipsum in Lucem ceu Filium Lucis, ipsiúsque locupletaret animam omni scientiarum infusarum abundantiâ, quam intellectus humanus, & intellectuum omnium nobilissimus ac perfectissimus potest recipere? Cui effusè donaret ex toto sapientiæ & scientiæ suæ thesauro, si ergà proprium suum Filium se parcum exhibuisset?

Symb. Nicen.

S. Thomas 1. p. q. 11. a. 1.

Hinc est, quod doceat S. Thomas, lumina hæc & cognitiones has scientiæ infusæ magis illustrâsse intellectum Christi JEsu quàm omnes scientiæ Angelorum & hominum, etiamsi unirentur simul, quenquam illorum possent illustrare: quemadmodum solus sol majorem in mundo diffundit splendorem, quàm omnia simul astra & cœli sidera: non sunt arcana cordium, non sunt cogitationes mentium, non sunt abditæ virtutes creaturarum, quas non cognoscat perfectissimè.

JEsus Christus plùs cognovit solus, quàm omnes Angeli & homines simul.

Priscus, qui cohibere non poterat suæ impetum curiositatis, interpellebat eum hìc, dicens: Nonnè naturale est intellectui humano, indagare, rimari, scrutari ubivis omnia, ad cognoscenda arcana naturæ? Hoc est, quòd Philosophis dedit ansam dicendi de intellectu humano: *Intellectus est omnia*; id est, habet capacitatem formandi sibi idæas omnium rerum, sicut oculus capacitatem habet recipiendi in se omnes colores.

Verum est, respondit ipsi Ecclesiasticus; sed magna hæc capacitas intellectûs humani, non est actualiter impleta omnibus iis, quæ recipere posset, non magìs, quàm oculus actualiter non videt omnes colores quos videre potest. Nonnisi solus intellectus JEsu Christi fuit, qui habuit semper & in æternum habebit plenitudinem actualem omnium cognitionum naturalium, quas habere potest; hujus tibi, ad pacificandum te, reddenda est ratio. Nonnè verum est, quòd intellectus, qui manet in sola potentia sciendi, & non scit actualiter & re ipsa, sit obnoxius

Omnis capacitas intellectûs JesuChristi erat repleta.

defectui & ignorantiæ ? Jam quis est, qui cogitare audeat, reliquisse Deum aliquem defectum vel ignorantiam in intellectu unigeniti Filii sui? Dicendum igitur est, vastam capacitatis ipsius amplitudinem, totam repletam esse actu suo ; id est, quòd sciat actualiter omnia, quæ sciendi habet capacitatem. Contende & intende nervos animi, quantum volueris, & vide, an comprehendere, quousque hæc se extendat cognitio, poteris.

S. Thom. suprà.

Et nihilominùs habeo adhuc, quod tibi dicam : S. Thomas duo nobis distinguit potentiarum genera in intellectu JEsu Christi ; unam appellat naturalem, & alteram obedientialem, hoc est, supernaturalem & miraculosam. Omnia quæ hucusque diximus, non respiciunt nisi potentiam naturalem ; sed supernaturalis absque comparatione se magis extendit : siquidem intellectus humanus capacitatem habet, quâ attolli possit ab omnipotentia DEI eòusque, ut cognoscat omnia, quæ excedunt potentiam ipsius naturalem, & quòd placuerit DEO docere ipsam per divinam suam revelationem.

An tota potentia obedientialis JEsu Christi fuerit repleta.

Nonnè sic sustulit & elevavit intellectum Prophetarum, quibus manifestavit veritates divinas, quósque præcones fecit oraculorum, quæ cuncta in admirationem rapuerunt sæcula ? Sed quid est, quod manifestavit DEus cunctis Prophetis, respectu maximi illius splendoris luminum ac cognitionum divinarum, quibus replevit omnem potentiam obedientialem intellectûs Filii sui unigeniti, in quantum repleri poterat, absque eo, quòd ibi maneret aliquid inane, vel aliquis defectus ? Nonnè fatendum est, omnes scientias reliquarum creaturarum non esse nisi parvas luminis scintillas in comparatione cum magno hoc sole ? Prophetæ non receperunt divinas has revelationes, nisi aliquando & valdè breves ; sed in ipso æstivi semper erant splendores, nunquam non fixi in plena sua meredie, lumina & cognitiones semper actuales, semper splendidæ, non relinquentes in intellectu ejus vel unicam tenebrarum atomum.

Quantò anima Christi debuta fuerit gaudio in his scientiarum splendoribus.

O DEus ! exclamavit desuper Priscus totus admiratione & gaudio abreptus ; quantæ debuerant esse deliciæ animæ JEsu Christi, quæ morabatur perpetuò in maximis hisce cognitionum ac luminum splendoribus. Fateor me non capere abundantiam voluptatis suæ, sed aliquid illius conjicio ex proprio meo experimento : minimus luminis spiritualis radius consolatur me, si majori quodam irradier splendore, totus diffluo dulcedine. Verum si aliquando obrueret

me

me inusitatorum abundantia luminum, manifestantium mihi plures veritates sublimes communem captum hominum transcendentes; intellectus meus cohibere se non posset, quin transportaretur in excessum jubili, quo abripitur extra se, nescius amplius quid ageret, spiritali quâdam sepultus ebrietate, quæ causaret deliquia, raptus, extases. O procul dubio, si anima JEsu Christi sola non fuisset fortior omnibus hominum animabus simul, submersa fuisset in magno hoc deliciarum Oceano, quas scientia hæc infusa propinabat ipsius animo, nunquam ex profundissima raptuum horum abysso ad se reversura. Hæc verba efficaciter admodum commoverunt bonum nostrum Ecclesiasticum, qui conversus ad JEsum Christum, non minus corde quàm ore sic ipsum affatus est.

O JEsu! Lux vera, quæ illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum; ut quid ambulandum nobis est adhuc in tenebris, dum tibi adhærere, tua sequi statuimus vestigia? Nonnè scriptum est: *Accedite ad eum, & illuminamini*? Non opus est magno labore, nec aliud faciendum mihi, nisi quòd exhibeam me tibi præsentem, & oculos mentis meæ in te teneam defixos: sensibilis sol non ita abundanter suam circulatur lucem in oculos suæ apertos præsentiæ; sicut tu effundis tuam in omnem animum tibi cogitatione intentum. Væ frequentibus nostræ mentis evagationibus, quæ tam sæpe obstant nobis, ne aspiciamus te. O amabilis Lux animarum nostrarum! Extra te nonnisi sunt tenebræ, nonnisi caligo ignorantiæ.

Gaudium bonæ animæ aspicientis JEsum Christum, velut veram lucem suam.

Psal. 33.

Quanta mihi consolatio, nôsse, quòd JEsus sit Lumen quoddam magnum, cui nihil sit absconditum? Non angor, quâ ratione ipsi meas exponam miserias, ut ipsius efflagitem misericordias; aliud nil mihi agendum, nisi quòd coram ipso me exhibeam: Nonnè enim ipse scit omnia? nonnè clarè ipse intuetur profundas calamitatis meæ abyssos? nonnè melius ipse novit quàm ego, intima cordis mei arcana? Anima mea, nihil ergò agendum tibi, nisi ut te statuas coram illo prorsùs humiliatam, & illo confusam pudore qui occludit os culpæ reis ac nocentibus: *Vide Domine, & considera, quoniam facta sum vilis.* Sufficit te meas videre miserias; cùm enim me magis propriâ tuâ ames vitâ, an videre illas poteris, quin consoleris?

Thren. 1.

Hic Philemon interpellat Ecclesiasticum & suum ab ipso exigit promissum. Spoponderas mihi, te quatuor demonstratu-

rum mihi scientiarum genera, velut quatuor portiones exquisitissimas ejus, quem ingressi sumus, thesauri, duas illarum jam aspexi, scientiam beatificam & scientiam infusam: Quæ est igitur tertia? Ecce tibi eam: & hæc est scientia acquisita.

§. 3. *De Scientia acquisita JEsu Christi.*

JEsus Christus solus contulit sibi ipsi scientiam acquisitam & quomodò.

NUncupatur Scientia acquisita in JEsu Christo illa, quam ipsemet sibi formavit ex proprio suo intellectu, quin acceperit illam ab alio (nunquam enim aliquid didicit nec ab Angelis, nec ab hominibus) sed cùm ipsemet uteretur luminibus ac cognitionibus incomparabilis potentiæ intellectûs sui, omnibus locupletatus est scientiis, quibus intellectus humanus Dei-Hominis vi discursûs & ratiocinationis repleri potest. DEus solus contulit ipsi scientiam infusam; sed is ipsemet sibi comparavit scientiam acquisitam. Prima est extracta è thesauris Dei absque eo, quòd alio esset opus, quàm illam recipere; sed secunda extracta est è proprii sui intellectûs fundo, quò DEus conjecerat omnia scientiarum semina, sicut in sinum terræ omnium plantarum semina conjecerat, quando mandavit: *Germinet terra herbam virentem.* Gen. 1.

Noster intellectus est creatus ad progignendas scientias, sicut terra ad progignendas plantas,

Si intellectus humanus benè coleretur, non est scientia naturalis, quam ipsemet è proprio suo non posset educere fundo, cùm erectus sit ad producendum cognitiones & scientias, sicut terra ad producendum herbas & plantas. Sed maledictio DEI, quæ terram nostram spiritualem pari ratione percussit, quâ corporalem, in supplicium peccati Proto-parentis nostri, eò nos redegit miseriarum, ut, sicut terra non producit ex seipsa nisi tribulos & spinas, & post sedulam etiam ipsi impensam culturam, nostrum frustratur & suâ spe dejicit laborem, sterilis manens ac ingrata; ita intellectus noster naturalis ex seipso non producat nisi errores & ignorantias, & postquàm etiam in ipso colendo omnem navaverimus operam; tam parum inde referamus, ut omnes scientiæ sapientissimi in mundo hominis, fermè sint nihil respectu eorum, quorum laborat ignorantiâ.

Nonnisi intellectus JEsu Christi est, quem invadere non poterat peccatum, quique alia ex parte omnem habebat perfectionem, cujus intellectus humanus habebat capacitatem: Ipse solus possidebat fundum tam divitem, támque fœcundum in omni bonarum cognitionum & scientiarum genere, ut illæ se producerent,

rent, quasi seipsas, isque sine ullo labore vel studio à primo instanti conceptionis suæ imbutum se conspiceret cunctis scientiis naturalibus, quas intellectus comparare sibi potest humanus.

Sed hujusmodi scientiæ acquisitæ genere quid opus habuerat, interrogavit Philemon, cùm beatam habuerit & infusam, per quas tam perfectè cognoscebat omnia? Hoc non erat, quòd opus habuerit illis, respondet Ecclesiasticus, sed ex quadam perfectionis abundantia: non enim decebat mirificam hanc intellectûs sui naturalis fœcunditatem sterilem manere, vel vacuam eo, quo poterat perfici: *Ut*, sicut dicit S. Thomas, *non esset in JEsu Christo defectus minimus, quantum ad ipsius animam.* Profectò cùm Verbum æternum includendo hominem in mysterio Incarnationis, assumpserit ratione quâdam in Persona sua universum mundum, oportebat, ut omnes quoque spirituales mundi assumeret perfectiones, quarum scientiæ acquisitæ unum ex præcipuis conficiunt ornamentum. Verùm concluserat omnes in seipso, velut in thesauro abscondito: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscondit.* Non ostentabat illas vel minimum ad comparandum sibi applausum & existimationem hominum; nisi quantum fuerat ad operandam mundi salutem opus.

D. Th. 3. p. q. 12. a. 1.

Cur opus fuerit habere JEsum Christum scientiam acquisitam ultra beatam & infusam.

ad Colos. 2. v. 3.

In quo admirandum nobis reliquit exemplum perfectæ humilitatis, quæ nunquam exercetur excellentius, quàm quando intellectus, qui resplendere posset velut cæli sidus per lucis suæ radios, eximiam, quâ excolitur, ostendendo eruditionem, voluntariè sese ecclypsat, seque deditâ celat & occulit operâ sub silentii & modestiæ velo, dissimulando, posse sidere se absconditum hunc thesaurum, nisi quando obstringitur ostendere illum ad majorem Dei gloriam & animarum salutem. O quàm paucos reperire est inter doctos & etiam magis spirituales, qui id genus humilitatis noverint exercere. Siquidem si difficile est abscondere lumen sensibile, quod seipsum profert in medium, ratione quâdam æquè difficile est abscondere lumen spirituale, quod semper erumpit, dum magis contineri putatur.

Humilitas ingenii excellentis.

Quot & quanta sacrificia interiora faciebat absque intermissione JEsus Christus ad glorificandum DEum Patrem suum. Magna hæc anima infinitâ ratione splendidior millenis solibus, in profunda semper continebat se modestia, quo fiebat, ut fieret parvi, filius censeretur indigentis fabri, & permagnæ homo simplicitatis. Vivebat incognitus in medio ignorantiæ hominum: tolerabat sarcasmorum & con-

Sacrificia interiora JEsu Christi.

tumeliarum multitudinem, lacessitus ab eis aculeis, & admiranda cum patientia & mansuetudine respondebat illis: verborum ac disceptationum provocatus ab eis certamine, quo nil quærebant nisi obruere ipsum confusione, obviabat eis mirâ responsorum dulcedine: Evangelium suum prædicabat verbis tam simplicibus, ut contemnerentur à superbis, quamvis prædita essent virtute tam sublimi, támque eximiâ, ut animæ illa cum humilitate perpendentes invenirent in illis miras, quibus abriperentur, illecebras, sibíque incomprehensibiles, quas reipsa degustant & Angeli & homines; sed gratia hæc abscondita est sapientibus & prudentibus mundi, sicut ipsemet dicit, & revelata non est, nisi parvulis, id est, humilibus.

Ad comprehendum benè spiritum & intelligentiam hominum, oportet intelligere benè ipsorum verba; sed ad comprehendendum benè verba JEsu Christi, oportet habere ipsius Spiritum, qui tam oppositus est spiritui mundi, & usquè adeò spiritum transcendens humanum, ut ii, qui legunt vel audiunt divinæ ipsius sapientiæ verba absque hoc Spiritu, nihil ex iis intelligant.

Nonnè appellas scientiam acquisitam JEsu Christi illam, reposuit Philemon, quam acquisivit successivè, & juxta quam *proficiebat sapientia & ætate apud Deum & homines*, sicut sanctum dicit Evangelium? Non, respondet Ecclesiasticus, non oportet confundere in ipso scientiam acquisitam cum scientia experimentali. Verum quidem est, utramque esse acquisitam, sed modo diverso: siquidem trahebat unam ex seipso, è proprio fundo intellectûs sui, & alteram recipiebat ab extra, ex usu sensuum suorum. Hinc est, quòd cùm intellectus ipsius, habuerit in primo instanti vitæ suæ omnem suam perfectionem, ab illo momento tam perfectè fuerit repletus tribus scientiarum generibus, beatificæ, infusæ & acquisitæ, ut hæ nunquam adauctæ fuerint novâ aliquâ cognitione, quam acquisierit progressu ætatis: Et quando Evangelium nobis dicit ipsum profeciisse sapientiâ, sicut ætate, intelligendum est juxta expositionem S. Ambrosii & Theophylacti, quòd exterius ostenderit majorem sapientiam, juxta proportionem, quam ipsius ætas requirebat: siquidem si constitutus adhuc in infantia demonstrâsset omnem sapientiam viri perfecti, fuisset prodigium, quod percelluisset pavore mundum, potius exhibens phantasma, quàm verum infantem: *Visus fuisset prodigiosus, & esse phantasma pueri, non verus puer.* Ve-

Luc. 2.

Differentia inter scientiam acquisitam & experimentalem Jesu Christi.

Quomodo intelligendum, quòd Jesus Christus profecerit sapientiâ.

Theophyl. in cap. 2. Luc.

Verùm non ita se habet cum scientia experimentali, quam paulatim trahebat ex objectis exterioribus, per usum suorum sensuum, sicut alii omninò infantes. Siquidem negari non potest, ipsum profecisse indies in hoc scientiæ genere, juxta quod indies novas capiebat experientias. Hæc est illa scientia experimentalis, quæ constituit quartam & ultimam portionem thesauri intellectûs sui. Ecce quid exin comprehendere possimus.

ARGUMENTUM.

§. 4. *De Scientia experimentali JEsu Christi.*

Anima nostra agit cum Deo & creaturis modo diverso.

ANima nostra, quæ medium tenet locum DEum inter & creaturas, eòquòd sit infra Deum, & supra omne id, quod DEus non est, potest agere & conversari cum ambobus. Ut conversetur cum Deo, qui purus est Spiritus, habet intellectum suum, qui totus spiritualis est; & ut agat cum creaturis, quæ materiales sunt, habet sensus suos, qui sunt corporales. Ipsa agit cum Deo, ad recipiendum ab ipso cognitiones, ipsa agit etiam cum creaturis ad recipiendum ab illis cognitiones; & quia vita animæ est ipsius cognitio, trahit hanc ex omni parte: Id quod anima nostra recipit à Deo per intellectum suum, est fides vel scientia infusa in vita hac præsenti, & post hanc visio ipsius beatifica, id quod recipit à creaturis sunt cognitiones experimentales, quas trahit ad se ab extra per sensus.

Sanctissima anima JEsu Christi, quæ ejusdem naturæ est cum nostra (quamvis perfectionis longè sublimioris super reliquas omnes) habet intellectum suum totum spiritualem ad agendum cum Deo Patre suo; habet etiam sensus suos corporales, ad agendum cum creaturis suis: & per hoc commercium, quòd magna hæc anima habere voluit cum parvis creaturis, acquisivit scientiam experimentalem: siquidem propriis suis experientiis probè cognovit malitiam hominum se persequentium absque intermissione; cognovit per experientiam dolores passionis suæ fuisse amarissimos, & ut Scriptura loquitur, *didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam.* Quis diffitebitur, quin hæ experientiæ, quas habuit, boni & mali, sensibiles hæ cognitiones, quæ multiplicantur & augebantur indies, pepererint ipsi scientiam semper novam, semperque majorem. JEsus Christus habuit cognitiones experimentales. Hebr. 5.

Sed experientia nostrorum sensuum, reverà non est scientia, objecit desuper Philemon. Siquidem imprimis omnes nostri

ſtri ſenſus tam ſunt imperfecti, ut decipiantur omni momento, & ſæpius in errorem inducant animam, ſi referat ſe ad ipſos. Et deinde id, quod cognoſcimus per noſtros ſenſus, non eſt niſi apparentia & externa rerum ſuperficies, & non propria ipſarum natura, quæ ſæpe tota eſt alia, quàm appareat: ſe enim ſimulare nósque decipere amat natura. Non eſt igitur ſcientia certa, tenuis hæc, quam recipimus à ſenſibus, cognitio, ſed ad ſummum aliqua eſt conjectura. Et tandem ea, quæ noſtri percipiunt ſenſus, non ſunt niſi res ſingulares, & plerumque tranſitoriæ, quæ objectum non ſunt ſcientiæ, cùm hæc requirat res univerſales & invariabiles.

An experientia vera fuerit ſcientia in Jeſu Chriſtò.

Fateor hæc omnia, reſpondet Eccleſiaſticus, ſi loquaris de hominibus in communi; ſed reſpectu JEſu Chriſti benè dici poteſt, ipſius cognitiones experimentales, fuiſſe tot ſcientias veras, ob rationes omninò contrarias. Siquidem imprimis omnes ipſius ſenſus erant tam perfecti, ut nunquam deciperent, nec in errorem ipſius inducerent animam, repræſentando ipſi unum pro altero. Secundò licèt per ſenſus non perciperet niſi externam ſuperficiem rerum, non magis quàm nos; nihilominus diſcernebat tam perfectè mendacium à veritate, ut ſimplici rerum aſpectu cognoſceret earum naturam. *Intuitus eum dilexit:* Cùm duntaxat vidiſſet illum, cognovit ipſum optimè & amavit. Et tandem, licèt ea omnia, quæ cadebant ſub ſenſus ipſius, eſſent res ſingulares, ſufficit, quòd tantum cognoverit ipſas, quantum erant cogn[illegible]biles, ad fundendum deſupr[illegible]m ſcientiam experim[illegible]. Marci 10. v. 21.

Excellentia ſcientiæ experimentalis in JEſu Chriſto.

Conceſſerim, quartam hanc ſcientiam æqualem non eſſe in excellentia tribus aliis; ſed videtur, ipſam ratione quâdam magis eſſe amabilem. O JEſu! adoro ſcientiam tuam beatam, revereor ſcientiam tuam infuſam, admiror ſcientiam tuam acquiſitam; ſed amo ſuper omnia ſcientiam tuam experimentalem, cùm per illam præcipuè tanta cum familiaritate volueris agere cum miſeris tuis creaturis. Dignatus quidem fuiſti nos intueri, nobiscum loqui, noſtra audire verba, vivere nobiscum, noſtrum comedere panem, noſtram attingere terram, noſtrum reſpirare aërem, noſtrum aſpicere lumen, eisdem uti elementis nobis communibus; ſed quod majorem ciet admirationem, in ſocietatem noſtrarum voluiſti venire miſeriarum humanarum, & ipſemet illarum ſentire magnitudinem propriis tuis experimentis. Enimverò tu ipſe ſuſtinuiſti ſitim, famem, calorem, frigus,

gus, lassitudinem, dolores, persecutiones, injurias, captivitatem, calumnias, oppressionem summæ injustitiæ maximam, & denique omnis generis usque ad mortem sævitias ac immanitates.

O Bonitas! Bonitas infinita! quid affligi debueras scientiâ hâc tam amarâ, nisi fuisset ad ulciscendum in te ipsa injuriam, quâ proto-parentum nostrorum curiositas affecit DEum, dum scire voluerunt bonum & malum, contra ipsius mandatum? quid addiscendum habueras propriis tuis experimentis omnes nostras miserias humanas, quæ nec unquam appropinquare debebant tabernaculo tuo, adorandæ personæ tuæ, nisi ut doceres portare nos nostras patienter ex amore tui, sicut tu illas voluntariè assumpsisti ex amore nostri? sed quomodò non vellem ex toto corde meo experiri pondus crucis tuæ, cùm tu volueris tanto cum amore portare pondus crucis meæ.

Sufficit, dicit hìc Philemon, satis supérque modo cognovi, in JEsu Christo absconditos esse omnes thesauros scientiæ & sapientiæ DEI; & abundè satisfactum mihi, quòd aliquantulùm cum otio licuerit considerare præcipuas quatuor portiones divitis hujus thesauri. Sed cur non omnes ejusdem tenentur desiderio? Cur plerique hominum ipsum ignorant, imò etiam contemnunt?

ARGUMENTUM.

Scientia JEsu Christi est excellentissima, quæ esse possit in mundo, ex parte principii, unde procedit.

Articulus III.

NOn immeritò admiraris Philemon, respondet doctus noster Ecclesiasticus, ex eo, quòd omnes in mundo homines non oblectentur plurimùm pulchritudine scientiæ JEsu Christi, ut more discipulorum sequantur vestigia ejus. Contemnitur facilè magister rudis & expers doctrinæ qui munus sibi arrogat instruendi alios; sed quando cognoscitur excellere sapientiâ & eruditione, virtute & animi magnitudine alios, respicitur cum reverentia, veluti res quæpiam divina: accurritur sponte ipsius admittuntur dogmata, & quæcunque ex ipsius proficiscuntur ore, recipiuntur velut oracula.

Cur omnes Legislatores persuaserint hominibus, leges suas proficisci à DEO.

Hinc est, quod Trismegisti, Pythagoræ, Socrates, Platones, Hesiodi, Catones & tot alii sint habiti velut Præceptores mundi, majúsque obtinuerint imperium in ani-

in animos, quàm ulli exercuerint in corpora reges. Sed sapientes hi, qui probè noverant, indolem intellectûs humani, agnoscentis semper suam in medio ignorantiæ suæ nobilitatem, quique probè gnarus, nihil esse supra se nisi DEum solum, semper difficultatem experitur submittendi se aliis sibi æqualibus; conati sunt persuadere mundo, doctrinam suam, non esse doctrinam suam, sed illam Deorum, & leges, quas illis præfigebant, tam sacras esse, quasi illas à Deorum accepissent manibus immortalium; credentes, se non satis habituros auctoritatis, ad comparandum sibi obedientiam hominum, nisi loquerentur ex jussu & mandato Dei.

Ita Trismegistus tradens leges Ægyptiis, persuasit ipsis, se accepisse illas à Mercurio. Lycurgus dat suas Lacedæmonibus, velut profectas ab Apolline. Solon commendat suas Athenienſibus velut donum Minervæ, Plato à Jove & Apolline accepisse se suas gloriatur. Charondas ut majori suas prosequerentur veneratione Athenienses, illas comminiscitur à Saturno inventas. Et omnium maximè prostitutus Mahomet, sua ut statuta Arabibus velut oracula cœli proponeret, persuadet ipsis, se illa accepisse à Deo per ministerium sancti Gabrielis. Omnia hæc demonstrant, quòd, quando homines recipiunt instructiones ab aliquo ad dirigendum suum judicium per cognitiones ipsius, vel quando accipiunt leges ad moderandos suos mores, ipsorum submissio semper eò tendat, ut prætendant se submittere Deo, velut summæ veritati, à qua non possint decipi, vel infallibili regulæ justitiæ, à qua induci non possint in errorem.

Trismegistus.

Lycurgus.

Solon.

Plato.

Charondas.

Mahomet.

Non igitur erant nec Jupiter, nec Mercurius, nec Saturnus, qui non erant nisi Dii falsi & commentitii; neque erant etiam homines, quos videbant æquè fragiles ac se, quibus suam obstringere volebant libertatem, & sui permittere directionem; sed suam intendebant reddere submissionem illi, qui solus supremam in homines habet auctoritatem ad imponendum ipsis leges, & veritatem infallibilem in seipso, ad dirigendum eos absque errore. Jam non est, nisi solus verus DEus, Deus-Homo JEsus Christus, qui supremam hanc habet auctoritatem, quique ipsa est veritas: Ab ipso igitur recipere intendebant doctrinam & leges, quibus instituebantur; nunquam enim illas receperunt, nisi quia crediderunt, quòd, cùm justæ sint & veræ, proficiscerentur à principio justitiæ & veritatis, quod ipse est solus. Et ex hoc dici

Quomodò omnes idololatræ habuerint intentionem adorandi JEsum Christum, absque eo, quòd ipsum cognoscerent.

dici potest, quòd fuerint ratione quadam omnes Christiani, saltem in intentione occulta & confusa, dum erant re ipsâ idolatræ in exercitiis suis, eorúmque observatione.

Nimiùm hoc est, quod dicis, interpellat hìc Priscus, non habent homines tantum naturalis propensionis, ut sint Christiani, quàm habeant ut sint idololatræ, cùm certum sit, quòd idololatria lenocinetur sensibus & inclinationibus naturalibus, quas Religio Christiana impugnat. Omninò contrarium, oppositum fortiter Ecclesiasticus, sine temeritate affirmare possum, non esse nisi ex deceptione, quòd aliam doctrinam recipiant homines, quàm illam JEsu Christi, & illata vi, quòd vivant sub aliis, quàm sub legibus ipsius. Constituatur & relinquatur homo in integra libertate, qui non sit præoccupatus falsis opinionibus hominum, nec exemplo multitudinis, nec timore potestatis sæcularis, qui non consulat suos sensus, nec immoderatas suas passiones, sed qui utatur ratione suâ, & proponatur ipsi doctrina JEsu Christi, quam tradit, & ipsius lex, quam imponit hominibus, impossibile est, ut hanc infinitâ ratione non præferat omnibus aliis.

Cuncti homines habent inclinationem naturalem, ut sint Christiani.

Siquidem inprimis si quærat: Unde venit hæc lex, & quis docet hanc scientiam? dicetur ipsi: Est solus verus DEus omnipotens, qui fecit cœlum & terram. Ipse non credet, dicit Priscus; sed demonstrabitur ipsi clarè. Non habemus quid antiquius, nec magis authenticum, quam historiam de creatione mundi; quam reliquit nobis Moyses: ibi dicit nobis, quòd idem Deus, qui fecit hominem ad imaginem suam, dederit ipsi sui cognitionem, & imposuerit ipsi suam legem. Ecce igitur tibi doctrinam & legem ejusdem cum mundo antiquitatis; nulla unquam alia hanc supra ipsam sibi arrogavit prærogativam; & homo recipit utramque ab eodem supremo Domino, à quo recepit & esse. Nihil igitur ita divinum est, nec ita excellens in suo principiò: hæc veritas indubitata est.

Lex Christiana tam antiqua est, quàm mundus.

Jam doctrina hæc tam antiqua, tamque divina conservata est inviolabilis & invariabilis in toto quodam populo ultra quatuor millenos annos, & semper existimata est in mundo pro lege & scientia veri Dei, quoad infinitæ aliæ leges ab hominibus vel à dæmonibus fabricatæ, sunt ortæ post ipsam, & mortuæ ad ipsius pedes. Hæc lex promittebat adventum JEsu Christi, quem pluribus obvolvebat & contegebat figuris: ipse tandem venit in tempore promisso ab ipsa, esi natus in sinu hujus legis, ipsamque in suum assumpsit finum,

Est semper conservata inviolabilis.

num, non ut ipsam suffocaret & destrueret, sicut injuriosè calumniantur Judæi, sed ut renasci ipsam de novo faceret ex ore ejusdem DEI, qui dictaverat ipsam hominibus à creatione mundi, & conferret illi ultimam perfectionem, quam non habebat, sicut ipsemet dixit: *Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut Prophetas, non veni solvere, sed adimplere.*

Matth. 5.

Est perfectio antiquæ legis.

Doctrina, quam docuit, & lex, quam condidit in mundo, non sunt ergò alia scientia, aut alia lex, quàm illæ, quæ semper in mundo fuerunt: ipse nihil abolevit, sed omnia majori restituit perfectioni; & sanè Evangelium ejus, non est alia, quàm antiqua, sed est complementum & perfectio antiquæ legis. Et hinc est, quod dixerit Judæis: Doctrina mea non est mea, sed ejus, qui misit me, Patris; ipsa est, quam dedit is vobis cunctis temporibus, quámque ego ipse dedi vobis; ego enim & Pater meus idem omninò sumus. Nonnè hoc evidentissimè concludit, quod scientia, quam JEsus Christus docere venit in mundo, sit tota divina in suo principio, eòquòd veniat à Deo Creatore, & data sit hominibus à Deo & Salvatore hominum? Cùm igitur DEus infinitâ ratione excellat cunctos sapientissimos quosque legislatores mundi; infinitâ quoque ratione admirabilis hæc lex in excellentia transcendit cunctas leges alias.

Si rogarem modò quemvis sanæ mentis, qui nondum haberet animum suum aliâ cognitione aut opinione imbutum, nec cor suum alteri affixum aut illigatum legi, ut videmus hanc post omnes alias, & considerans illam solam frui gloriâ, ut proficiscatur à Deo Conditore mundi, & insuper nullo non tempore ipsam in mundo tenuisse Sceptra, nisi in rei veritate dicat, quid sentiat, nonnè ob unicam hanc rationem, millies potius præ cunctis aliis hanc ipsam obligaret ex solo lumine rationis humanæ; tam verum est, inclinationem nostram naturalem propendere potius in partem Religionis Christianæ, quàm illam idololatriæ, & consequenter omnem hominem ratione quâdam esse naturaliter Christianum. Sed primæ huic excellentiæ scientiæ JEsu Christi adjicio aliam secundam, quæ judicio meo majores adhuc vires habet accendendi animum ipsius amore, & implendi gaudio Christianum, quòd illam profitendi potiatur felicitate. Ecce tibi illam.

Non est aliquis sanæ mentis, quin illam non potiùs obligat, quàm omnem aliam.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Doctrina JEsu Christi sola est, quæ nullum habeat errorem, nullúmque defectum.

Articulus IV.

Omnes aliæ leges habebant defectus suos.

NIhil magis probrosum est doctrinæ, quàm si doceat falsitatem pro veritate: Et nihil etiam magis exponit contemptui legem, quàm si præcipiat malum pro bono. Omnes, quos antiquitas sublimioris sapientiæ coluit nomine, ejusmodi fuerunt notæ: siquidem nec unus ex illis fuit, cujus doctrina non docuerit falsitates manifestas, & cujus leges non commendârint aliquod vitium, aut non condemnârint aliquam virtutem: comprehendi non poterat, quâ ratione hominum cœcitas ita excreverit, ut non offenderetur simplici intuitu tantarum tum falsitatum, tum absurditatum, quæ tam palpabiles videbantur, ut in ipsos incurrerent oculos.

Aliqui collocabant beatitudinem in voluptate corporum.

Nonnulli, sicut Epicurus Athenis (quem habebant in mundo ceu sanctuarium sapientiæ) docuerunt summam hominis felicitatem consistere in voluptate; & Aristippus dicere non abhorruit voluptatem hanc esse corporum. Sapientiores quique aspiciebant ipsos velut bruta ementita ac personata sub humana forma; & nihilominùs habuerunt sectatores suos, & habent adhuc hodie. Impostor Mahomet nonnè promisit paradisum bestiarum sequacibus suis? & innumeros tenet instituti sui sectatores, qui velut Vatem magnum venerantur ipsum?

Pythagoras excogitavit transmigrationem animarum.

Pythagoras, cujus doctrina moralis tantæ erat puritatis, ut suæ suaderet filiæ perpetuam servare virginitatem, excogitavit fabulosam animarum transmigrationem, docens, quòd exeuntes è corporis humanis transirent in corpus alicujus animalis, cujus in vita amaverunt & secutæ fuerant inclinationes naturales. An [illegible] quàm promittere hominibus ipsos aliquando immutandos in bestias? Et tamen invenit discipulos, qui audiêrint & secuti sint ipsum.

Plato voluit fœminas esse viris communes.

Plato, quem appellebant divinum, eòquòd appareret doctrina ipsius plùs quàm humana, quæque ex omnibus Philosophorum doctrinis proximè accedit ad illam Christianorum; nihilominus è tam sublimi vertice prolapsus est in tantam cœcitatis abyssum, ut introducere voluerit communitatem fœminarum inter omnes viros, necessarium id

judicans pro universali pace totius orbis. Et desuper in animo suo formavit leges Reipublicæ cujusdam imaginariæ, quæ tam procul aberat a sana mente, ut si quid insulsi ac stolidi exprimere volebant, dicerent: id esse Rempublicam Platonis. Et ecce nihilominus appellârunt ipsum incomparabilem ac divinum.

Aristoteles permittit patribus & matribus occidere proles.

Et Aristoteles, qui gloriabatur invenisse se solum veritatem, quam omnes alii quæsiêrint incassum, nonnè maximam & crassissimam omnium demonstrabat ignorantiam, eòquòd non cognoverit nec veritatem primam, eòquòd falsorum Deorum approbaverit idololatriam; nec primam bonorum morum regulam, cùm docuerit patres & matres suas occidere proles, si nimio excrevissent numero, sicut & velut parva monstra mactare fœtus, quos nasci viderent cum aliqua deformitate naturali? an quid crudelius, quid immanius possit excogitari? Ecce tamen illos, quos velut prudentissimos & inusitata sapientiæ oracula deprædicavit antiquitas. Quid igitur cogitandum sit de aliis, qui horum assecuti non sunt prudentiam? Abhorreret animus omnes illorum referre stoliditates, turpésque consuetudines, quas invexerunt in mundum.

Vide S. August. de Civit lib. 2. c. 26. & 27.

Sed quando consideratur admiranda pulchritudo doctrinæ Christi JEsu, non est animus in mundo, qui non afficiatur, non alliciatur illâ. Ruminetur studiosius, ponderetur penitius, examinetur accuratius, non solùm non invenietur aliquid continere falsi, sed docere & tradere veritates adeò sublimes, ut longè transcendant intellectûs humani capacitatem: videbitur, leges ipsius non solum non mandare minimum quid mali; sed nullum esse defectum tam levem, quem non condemnent, nec perfectionem tam sublimem, quam non præcipiant, vel saltem non suadeant. Et quomodò ille, qui est sapientia infinita Patris sui, in aliquem dilabi potuisset errorem? aut quomodò ille, qui est ipsemet per essentiam sanctitas sustinere minimam in doctrina sua potuisset imperfectionem? Ecce tibi amabilem, quem sequimur, Magistrum: Ecce tibi sapientissimum, à quo instituimur Doctorem: Ecce tibi legem morúmque regulam, quâ dirigimur, omninò sanctam! O DEus! quanta nobis gloria! sed quanti apex gaudii, dum discipulos nos novimus tam eximii, tâmque insignis Magistri. Nonnè deberemus incessanter dicere cum Vate regio ex toto corde nostro: *Deduc me Domine in viam mandatorum tuorum, quia ipsam volui*; nec alios volo sequi.

Doctrina Jesu Christi sola est expers alicujus defectûs.

Psal. 118.

Verum

Verum est, inquit hìc Philemon, doctrinam hanc respici magna cum veneratione, velut sanctissimam à Christianis: sed alii, qui Christiani non sunt, quanta inveniunt ibi, quæ contraveniunt sensibus, & ipsi etiam rationi humanæ? Docere, quòd DEus æternus factus sit parvus infans, quòd DEus immortalis, mortuus sit in cruce morte probrosâ ac infami, ut salvaret homines, qui suo digni erant odio potiùs, quàm amore; non loqui nisi de cruce, nisi de pœnitentia & mortificatione, & efficere viam cœli adeò difficilem, & tanta alia, quæ horrore percellunt naturam, nec ipsa approbaret prudentia humana: pari igitur ratione reperire foret in lege & doctrina ipsius, cui contradici posset, sicut in illa aliorum omnium.

Doctrina JEsu Christi est supra rationem, sed non contra rationem.

Respondeo ad hoc, mirum non esse, si sensus & humani affectus non approbent doctrinam prorsùs cœlestem JEsu Christi, cùm hæc condita non sit ad blandiendum & lenocinandum ipsorum inclinationibus, sed potius ad reformandum ipsorum immoderationem, indomitam cupiditatem, intemperantiam. Sed nec stuporem ciere debet, si ratio humana aliquantisper offendatur ab ipsa, cùm sufficientes non habeat vires, ad immensum portandum pondus maximarum, quas docet, veritatum, nisi fidei suffulciatur lumine: sed præcipuè, quamvis doceat multa, quæ ita sint suprà rationem humanam, quæ non capiat, nihil tamen proponit, quod sit rationi contrarium, ità ut hæc nullatenus illâ offendatur.

Pulchra disfertatio sancti Antonii cum Philosophis, quos confundebat mysterio crucis.

Sanctus Athanasius describens admirabilem vitam magni sancti Antonii, qui Eremi audiit miraculum, refert 46. capite dissertationem, quam habuit aliquando cum certis Philosophis paganis, eo fine accedentibus, ut confunderent ipsum; sed ipsimet recesserunt confusi. Nonnè pudet te, interrogârunt primitus ipsum, adorare te velut DEum immortalem, hominem miserabilem, infami mortuum crucis supplicio? ubi sunt oculi tui, nisi videas hoc rectæ ac sanæ adversari rationi?

S. Athanas. in vita S. Antonii c. 46.

Ipse ingemiscens in corde suo, & concitatus compassione ignorantiæ virorum ejusmodi, qui tantæ se credebant sapientiæ & censebantur ab omnibus velut sæculi sui oracula, respondit illis: Quid dicendum vobis occurrit? si innocentia JEsu Christi passa est persecutionem, & patienter toleravit vi factam injuriam, hoccine sit dedecus? an deputatis probro obrui adversitatibus, & sæva tolerare usque ad mortem supplicia pro virtute & justitia? Nonnè vos ipsi deprædicatis

catis ex eo, & usque ad æthera extollitis vestrorum virtutem Heroum? Contemnere mortem, quæ fortissimos quosque concutit tremore, seque cunctis majorem ostendere supplicii, an non ipsi asseveratis, virtutem esse, quæ cunctorum mereatur venerationem hominum? Eccur ergò puderet me adorare velut DEum illum, qui ostendit & palam exhibuit virtutem hanc divinam? Et si benè nôstis, causam supplicii sui non esse in ipso, sed in vobis, & in me, & omnibus mundi hominibus, qui peccatores sunt, ipsúmque cum Deus immortalis sit, factum esse hominem mortalem, ut pateretur pro hominibus dolores atroces ac mortem probrosam, quam suis promeruerant peccatis: nonnè cunctis nobis moriendum potius esset ex amore ejus, qui nobis tam luculentum exhibuit amorem, quàm suffundi pudore, dum adoramus ipsum, ipsíque nostrum præstamus famulatum?

Vobis potius erubescendum est & verecundandum, dum adoratis Deos, qui facinorosæ se obstrinxerunt genere vitæ, nec nisi criminibus magnis suam consignârunt posteritati memoriam. Nonnè meritò suffundat vos pudor, dum adoratis velut Deum Jovem adulterum & incestuosum, Mercurium fraudulentum & furem, Martem sanguinarium & crudelem, Venerem prostitutam & totam vitæ carnalis immersam spurcitiis? Itáne castigeretis vos ejusmodi in hominibus crimina, si committerent, & in Diis vestris adoratis illa? Ubi est vestra sapientia, Philosophi? vel potiùs quanta est vestræ enormitas stultitiæ?

Sed confundam vos aliâ adhuc ratione, per eandem DEI, quem adoro, crucem. Dicite mihi: An creditis illa omnia, quæ in codicibus Christianorum referuntur, esse vera; vel an creditis, illa omnia esse mendacia, & nonnisi meras fabulas, mera commenta? si creditis, nihil subesse veritatis, eccur creditis extitisse aliquando JEsum Christum? Cur de ipsius cruce, de ipsius ignominiis facitis verba? habetote ergò illa omnia ceu somnia. Vel si creditis nostrum Evangelium esse historiam veram; quare non creditis, dum enarrat vobis, eundem hominem propriâ virtute, tertio post mortem suam die resurrexisse à mortuis, & virtute eâdem quadragesimo post resurrectionem suam die gloriosum & triumphantem ascendisse in cœlos? quare non creditis, dum recensèt vobis, duxisse ipsum vitam adeò sanctam & ab omni noxæ genere alienam, ut, cùm suos provocâsset inimicos ad exprobrandum sibi aliquod peccatum, ipsi nec unicam vel mini-

Omnia, quæ abjecta videbantur in JEsu Christo, sublimia! sunt ea admiranda ipsius excellentias.

minimam obtrudere potuerint culpam; & cùm illorum, qui ipsius urgebant mortem, malitia excrevisset maximè, ipse judex concitatus ab iis ad pronuntiandum sententiam, clarâ contestatus fuerit voce, se nullam invenire causam mortis in eo? Quare non legitis in historia vitæ suæ, tradidisse ipsum doctrinam adeò sanctam, & promulgâsse legem hominibus tam sublimem, quâ ad summam attollantur vitæ perfectionem; insuper ut hanc miraculorum confirmaret evidentia, mundâsse leprosos, illuminâsse cœcos, erexisse claudos, liberâsse obsessos, resuscitâsse ad vitam mortuos, conspicientibus idipsum inimicis suis, qui tantorum miraculorum oppugnare non potuerunt veritatem? Si stultitia est talem adorare Deum, meam mihi verto stultitiam gloriæ, quam commutare nollem cum universa mundi sapientia.

His auditis, prorsùs confusi recesserunt Philosophi, utpote experti in semetipsis id, quod sanctus Paulus dicebat: *Quod stultum est DEI, sapientius est hominibus.* 1. Cor. 1.

Ratio humana est cœca respectu veritatum supernaturalium.

Naturaliter nos omnes cœcutimus respectu supernaturalium pulchritudinum, quas complectitur scientia JEsu Christi; nostri ibi nihil vident oculi, sed nec illas nostra comprehendit ratio humana. Affirmat autem nobis, esse se lucem mundi; ubi primum concedit animæ aliquem hujus lucis radium, mirificâ ostendit mox claritate, stupendas esse in iis rebus pulchritudines, ubi natura non invenit nec videt, nisi horrores in exercitiis humilitatis, in cruce, in paupertate, in contemptu, & in doloribus; quæ omnia ipsa aspicit velut reportatas de natura Deo suo rebelli victorias, & velut solium in quo regnare facit sui puritatem amoris, magnum non videns discrimen inter crucem & purum amorem: qui enim pati recusat, amplecti renuit puritatem amoris: *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus.* Sapientia mundi nunquam hoc capiet mysterium. Luc. 10. v. 21

Sufficit videre te Philemon, perquàm clarè, in rebus ipsis, ubi sensus & ratio humana magis videntur offendi, pulchritudines inveniri absconditas, quæ voluptate demulceant rationem, quando aspicit illas per divina illius, qui has edocuit, lumina, quæque fateri cogunt, doctrinam JEsu Christi, & legem ab ipso nobis datam tam esse amabilem, ut impossibile esset animam ipsam semel agnoscenti degustare aliam, sed plura adhuc circa hoc argumentum dicenda mihi restant; audi & benè cape, quod sequitur.

ARGUMENTUM.

Doctrina JEsu Christi sanctificat animas, ipsásque reddit beatas.

Articulus V.

Doctrina, quæ sanctificat, est sancta.

NOn exoptarem magis evidentem sanctitatis doctrinæ notam, quàm videre, quòd sanctificet eos, à quibus recipitur: Cuncta sæcula viderunt cum admiratione doctrinam JEsu Christi attulisse veritatis lumen, gratiámque sanctitatis omnibus animabus, quæ receperunt ipsam: nec mundus unquam aliam, quàm ipsius habuit legem, cui vis fuerit & virtus efficiendi Sanctos.

Descriptio doctrinæ JEsu Christi.

An speciosius quid sit descriptione, quàm de excellentiis ipsius nobis reliquit Rex David, dum dixit: *Lex Domini immaculata, convertens animas*: & cæteris omnibus, quæ legere potes in Psalmo decimo octavo. Ibi dicit nobis, divinam hanc legem esse absque macula, illam convertere animas, ipsam donare sapientiam parvulis, illam lætificare cor, ipsam illuminare oculos, illam imprimere sanctum timorem, qui conservet innocentiam animæ, ipsam desiderabilem esse super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciorem super mel & favum,

Psalm. 18.

& denique DEum præparare ipsis qui eam custodiunt, retributionem multam. Quis non fatebitur, pulcherrimam hanc descriptionem & imaginem esse, quæ fieri possit, alicujus legis, ad accendendum animos ipsius amore? Sed bonum est, pulchrius adhuc esse ipsius Archetypon. Nam ut singula leviter, quæ annotavit, inspiciamus lineamenta, ne nimium excrescat nostra Consultatio.

Convertit animas.

1. Sit primum, quòd verè convertat animas. Omnes aliæ leges datæ ab hominibus, dirigere quidem possunt aliqua exteriora, quæ concernunt verba vel actiones hominum, quod non est, nisi impedire pauliſper effectus, & non tollere & auferre causam ac radicem mali; nec ulteriùs illarum se extendit potestas. Sed lex divina, quam JESUS Christus nobis condidit, confert, affert & infert sanctitatem usq; in intima animæ nostræ penetralia. Quando præcipit ipsi mox ab initio, ut amet DEum suum ex toto corde

de suo, ex tota mente sua, & ex totis viribus suis; nonnè hoc est ictu unico rescindere omne mali & peccati genus, illámq; attollere ad sublimissimam, cujus capax sit, perfectionem? quando non solum prohibet verba mala & actus perversos, sed etiam interdicit malas cogitationes; quando collocat felicitatem hominis in eo, ut purissimum conservet cor suum, cujus virtute clarè aspiciat DEum; nonnè hoc est perfectè convertere animas, cùm verum sit, quòd mensura amoris & puritatis, quâ pollent, sit mensura sanctitatis illarum.

Præstat sapientiam.

2. Sequitur, quòd admirabilis hæc lex sapientiam præstet parvulis, id est, humilibus: arrogantes animi, qui inflantur magnâ sui ipsorum existimatione, quærunt sapientiam in scientiis humanis, in arcanis naturæ, in arduis mundi consiliis & artibus, & manifestè apparet, ipsos hanc ibi non invenire, eòquòd hæc omnia non serviant ipsis, nisi ut deflectant à vera ultimi sui finis via, recedant à Deo, & tempus inutilibus terant ac perdant occupationibus, anteponant terram cœlo, & tempus æternitati; & ideò verissimè dicit S. Paulus, quòd *dicentes se esse sapientes, stulti facti sint*; & ipsimet tandem fatentur: *Nos insensati.* Nonnè hæc sit stoliditatum omnium maxima, perdere animam suam in æternum?

Rom. 1.

Sap. 3.

Nonnisi animæ humiles & simplices adhærent unicè doctrinæ & legi JEsu Christi, in qua veram inveniunt sapientiam. Hæc docet ipsas, nonnisi Deum esse, quo satiari cor suum valeat, & solum ipsum, in quo invenire possint omnia, quo sibi satisfieri possit plenè tum in tempore, tum in æternitate; & sola hæc veritas semel ab ipsis benè degustata, liberat ipsas à millenis obstaculis, ab innumeris angustiis, quibus aliæ incassum se onerant, circa vana terræ crepundia. Similiter conspiciuntur vivere consolatæ & beatæ in unione cum Deo, quem possident jam per gratiam in hoc mundo, quémque possidere confidunt in cœlo per gloriam; re nullâ videntur affligi, de nullo audiuntur conqueri, non sunt anxiæ aut inquietæ, eòquòd nôrint separari se non posse à Deo, in quo totam suam constituant felicitatem. Dicite mihi, an hic non sit altissimæ apex sapientiæ? Jam interrogate ipsas, ubi hanc didicerint, & dicent vobis, quòd in scientia & lege JEsu Christi: *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* O quam facilè & brevi sapientes esse possemus, si unice applicare nos vel-

lemus studio legis hujus & exercitio!

3. Ah! quomodò non totus mundus huc sanctâ accurrit cum aviditate, cúmque verum sit, quod adjungit, illam corda omnia replere gaudio. Jam olim dixerat Sapiens duodecimo Proverbiorum capite: *Qui pacis ineunt consilium, sequitur eos gaudium; non contristabit justum, quidquid acciderit ei*; dum interim mali sua absque timore committere non possint crimina, & postquam commiserunt illa, indè non alium referunt fructum, nisi suæ cruciatum conscientiæ. Ante ipsum quoque confessus est regius Salomonis Parens, se majori perfundi solatio in lege DEI, quam in omnium thesaurorum suorum possessione. Sed ne testes adeò avocemus eminus, aperiamus oculos & proprio cognoscamus experimento, quòd si sint, qui consolati, beati & gaudio repleti vivunt in terris, sint illi, qui doctrinam & legem JEsu Christi in cordibus suis circumferentes, incessanter studeant cognoscere illam, amare illam, imitari illam: inveniunt enim tales thesaurum, quem cunctis Regum thesauris longè credunt pretiosiorem, possident illam securè, potiuntur illo jucundè, nemo illorum impugnat felicitatem, & ipsi ex parte sua aliud non desiderant, alio non tenentur voto, nisi plenè contentari. An mirandum sit illos tanto repleri gaudio? *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.* Sed hæc gaudii abundantia aliundè non hauritur nisi ex doctrina & lege JEsu Christi.

Prov. 12.

Replet cor gaudio.

4. Ipsa oculos simplicium splendidissimâ illuminat luce: siquidem omnis anima, quæ vacat & intendit JEsu Christo, non opus habet consulere vel libros, vel Doctores, ut cognoscat, quid sibi sit faciendum; ipsa ante oculos suos habet exemplar, quod imitetur, aspicit viam quam debeat ambulare: unicus aspectus Christi JEsu melius instituit ipsam tum in bono, quid debeat agere, tum in malo, quid debeat pati, ad portandum crucem suam post ipsum, quàm facere possent omnes sapientissimi quique in mundo. Sanctus Rex David conquerebatur de eo, *quòd narrarent sibi iniqui fabulationes*; sed quas ipsas insulsas reperit ac insipidas respectu legis Dei. In vanum suas mundus enarrat fabulas animæ cognoscenti JEsum Christum, quas maximo habet despectui. Mundus dicit ipsi, quòd honores, voluptates, divitias, quæ tria sunt, quæ incessanter aucupantur omnes, sectari debeat more aliorum, ostendendo ipsi, sapientissimos quósque & maximâ insignes prudentiâ, illuc tendere,

Illuminat oculos simplicium.

Psalm. 118. v. 85.

tendere, illuc aspirare. Deciperis, deciperis munde cœce! narras mihi fabulationes, si millena allegaris mihi argumenta, video totum oppositum in JEsu Christo, qui nihil amavit nisi humiliationes, afflictiones, paupertatem: Hæc est veritas æterna, impossibile est me decipi, ipsam credendo, ipsam sequendo, ipsam imitando. Quis diffitebitur, animam simplicem aspiciendo solummodò JEsum Christum, magis illuminari, quàm omnes sapientes mundi? *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Eheu! ut quid nunquam non cœci sumus, cùm facem habeamus præ oculis?

Imprimit timorem Dei.

5. Aliam nobis demonstrat pulchritudinem regius Vates in hac lege, dum adjungit, quòd imprimat & conservet sanctum in animabus timorem. Timor perfectus gignitur ab amore; siquidem nunquam aliquid perdere timemus, nisi id amemus. In instanti, quo lex JEsu Christi cordi nostro imprimit perfectum amorem Dei, virtute primi præcepti sui, ejusdem etiam nobis imprimit timorem; sed filialis est hic timor, totus amore plenus, qui nihil affert anxietatis animæ, sed tres bonos in illa producit effectus. Primus est, detestatio peccati, vel actionis minimæ, quæ possit illi displicere; secundus est, fuga omnium occasionum, quibus posset separari ab ipso; tertius, perfecta submissio in omnes supremæ hujus Majestatis voluntates, quibus ità absolutè vult subdi in omnibus, ut nihil velit unquam, nisi quòd fuerit ipsi magis acceptum. Et tertius hic timoris effectus, veluti horum præcipuus, tantæ est nobilitatis, ut semper mansurus sit in Beatis, sicut scribitur: *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi.*

Exstimulat promissione magnifica retributionis.

6. Tandem ultima ipsius excellentia, quæ sola abundè sat esset ad excitandum summam in nobis æstimationem doctrinæ, & accendendum vehementissimum amorem legis, divini Redemptoris nostri, est magnifica retributio promissa & jamjam præparata custodientibus illam. Profectò, si aliud sperandum nobis bonum non esset post hanc vitam, illud, quo bona anima JEsu Christo addicta, fruitur adhuc in præsenti vita, tantæ est dulcedinis, puritatis & abundantiæ, ut omnes terrenæ deliciæ, quas suis mundus pollicetur sectatoribus, in comparatione non sint nisi amaritudines, tædia, fastidia. Nam imprimis si consideretur oblectationis principium, alii hauriunt illam ex DEO, & alii ex creaturis. Jam quis abnuit, cunctis creaturis simul non esse facultatem suppeditandi animo per cuncta sæcula id, quod

largitur illi DEus in unico momento? secundò si aspicietur subjectum recipiens oblectamentum, alii recipiunt illud in suis animabus, & alii in suis sensibus. Nonne ergò verum est, quòd cùm sensus infinitâ fermè ratione inferiores sint animâ, omnes deliciæ quas gustare illi possunt, nihil propemodùm sint adductæ in comparationem cum deliciis animæ, quas hi degustant? Et denique si attendatur natura & proprietas ipsius oblectamenti, illud quod proficiscitur à DEO, purum est & tranquillum, & nulli subjectum creaturæ; hoc, quod dimanat à mundo, semper millenis admixtum est amaritudinibus, innumeris repletum est fastidiis, suósque illigans sectatores plurimis servitutis molestissimæ vinculis, quæ obstringunt carius id emere, quàm valor mereatur ipsius. Certum igitur est, miserabiles mundi servos pessimè renuntiari ab iniquo suo domino, dum ii, qui fideliter observant legem JEsu Christi, magnificas jam in vita præsenti accipiunt retributiones:

In custodiendis illis retributio multa.

Quàm bonus sit Dominus JesusChristus.

O JEsu! quàm bonus es Dominus! si omnes te homines cognoscerent, in instanti mundus cunctis suis destitueretur servis, omnésque statuerent adhærere tibi. O quàm amabilis est lex tua, dum omnia præcepta tua in solo constringis amore. Non permittis duntaxat nos amare te, tibique familiares esse amicos, ô Majestas adoranda, sed idipsum nobis præcipis; & quod à nobis requiris velut servitium, est revera locupletissimum præmium, quod recipere possimus pro cunctis servitiis nostris, nempè honor & gloria, quâ licet nobis & amare te, & amari à te, & intimâ tuâ uti familiaritate. O bonitas infinita! quomodò possibile est, unicum tantum hominem foveri in terra, qui tibi se nolit devovere?

Unde venit, quòd omnes homines mundinon serviant ipsi?

Verùm si tam magnificas largiaris retributiones servis tuis in vita præsenti, quanti erit illa pretii, quam præparas ipsis in æternitate? Hanc nulla potest assequi hominis cogitatio, hanc declarandô omnium mutescunt ac stupent linguæ & ora, hanc considerandô omnium deficiunt præ gaudio, præ desiderio, præ amore corda, & sublimi hujus exspectatione elevantur supra se, supra universum mundum. Quando promittitur nobis possessio boni infiniti, quando pollicitatio fit nobis, conspecturos nos pulchritudines essentiæ Dei infinitâ ratione amabiles, si benè intelligeremus, quid sibi velit hoc verbum, in ipso instanti moriendum nobis foret, & nostra è suo corpore illatâ vi se divelleret anima, ad evolandum in sinum

num ineffabilium harum deliciarum. Et quando felix hæc vita duratura non esset, nisi per aliquot momenta, millenorum annorum supplicia solvendæ illi haudquaquam essent paria. Sed quid sit, dum verum est, nos possessuros hoc bonum infinitum in æternum? Itane, verum est, anima mea, quòd si sequi volueris JEsum Christum parvo hoc vitæ momento, te visuram in æternum infinitas faciei divinæ pulchritudines? Quid est pulchritudo hæc infinita? Quid est magna hæc felicitatis æternitas? comprehende benè utrumque? Eja perde te auspicatissimâ jacturâ in magnis hisce abyssis, in his relinquo te, ampliùs ne exeas indè; hic intus addisce, quâ ratione tenearis amare JEsum Christum.

CONSULTATIO XV.

Modus admirabilis, quo JESUS CHRISTUS usus est ad stabiliendam Ecclesiam suam in mundo, clarè demonstrat ipsum esse DEum.

PAucis à diebus post habitas consultationes cum Prisco & Philemone, quos diversa negotia abstraxerant à nobis; cùm soli essemus, bonus noster Ecclesiasticus & ego, in nostri prosecutione itineris, obvium habuimus hominem rei politicæ peritissimum, qui omnem mundi sapientiam suo videbatur complexus capite; tam congruè loquebatur de omnibus, tantamque ostendebat ingenii acrimoniam.

Industria alicujus Politici investigando omnia bono regimini conducibilia.

Erat hic Minister Regis, faciens iter absque comitatu, velut incognitus, qui ut compararet sibi capacitatem serviendi melius suo Principi, & dignè commissi sibi muneris adimpleret partes, insinuavit se clàm, dissimulatâ suâ personâ, in omnes aulas, ut illarum addisceret arcana & occultissima consilia. Post evolutas omnes præteritorum sæculorum historias, & studiosè observatas Romanorum in administratione suæ reipublicæ regulas, post exploratas Imperatorum in conservandis & amplificandis Monarchis suis solertias, post cognitas Cæsarum & Alexandrorum in obtinendis suis victoriis Martiales industrias, universalem is sibi comparaverat gerendarum rerum publicarum notitiam, in qua se nemini existimabat secundum: discurrebat de his luculenter;

ter ; præcipuè tamen reducens illa ad quatuor puncta, sine quibus tenebat , jura dare populis nullum posse Monarcham.

Quatuor sunt necessaria ad gubernanda benè imperia

Potentia armorum erat primum : dicebat namque, Principem sine armis esse corpus sine brachiis & manibus. Abundantia divitiarum erat secundum : opinabatur enim Principatus absque ærario inexhausto esse corpus absque anima & vita. Facundiæ Oratorum tertium assignabat locum ; siquidem affirmabat hanc esse, quæ imperaret animis, & sæpius plura lucraretur armis. Pro quarto adjiciebat promptitudinem ac solertiam accommodandi se genio populi, exhibendo & demonstrando illis omne studium obsequendi cunctis ipsorum propensionibus. Tenebat firmiter pulcherrima quæque , & omnia politici instituti arcana quatuor his constringi documentis , & impossibile esse absque his vel erigere vel stabilire Monarchiam ; Principem autem his omnibus instructum & ea congruè in opus deducentem , facilè obtenturum dominium universi orbis.

Non semper ii, qui magnam habent notitiam rerum mundi, eâdem exculti sunt circa res Dei. Observavimus quamprimum hunc hominem non admodùm pollere zelo Religionis : Siquidem loquebatur modò de Mahomet, & magno, quod stabilierint in Oriente imperio, plurimi æstimans certa suæ politices scita & placita; modò loquebatur de JEsu Christo, velut altero insigni politices experto, instituens quandoque similitudines & comparationes tam odiosas , ut intolerabiles essent auribus Christianis : quod me exstimulabat, ut dicerem ipsi :

JEsus Christus stabilivit suum Monarchiam absque omnibus his rebus

Quantum ad me, constat mihi, magnum quendam Principem acquisivisse sibi in mundo imperium maximum , absque armis absque divitiis, absque facundia , & absque promptitudine obsequendi naturalibus subditorum suorum propensionibus. Fabula est, respondet mihi subasperè ; non est homo in orbe, qui sine rebus præfatis possit hoc efficere; id namque absolutè est impossibile. Obligavi me ostensurum ipsi hunc Principem, & desuper exorsi sumus consultationem circa admirabilem modum, quo JEsus Christus uti voluit ad stabiliendum imperium suum per universum orbem, qui totus oppositus est mundi politicæ, ex quo tandem cognovit & fateri debuit , impossibile esse, hominem id facere potuisse , quod fecit , adeóque necessariò ex hoc deduci ipsum fuisse Deum.

ARGU-

ARGUMENTUM.

JEsus Christus stabiliit Religionem suam & Imperium suum in universo orbe absque armis.

Articulus I.

JEsus Christus stabilivit suum regnum in terra absque armis.

DIc mihi, ubi sunt exercitus, ubi militares copiæ, quas JEsus Christus coëgit, ad extendendum suum nomen, suámque potentiam in universo orbe? siquidem nullus est in mundo locus, ubi non habeat obsequentes sibi subditos & sectatores, non solùm velut supremus Monarcha, sed velut DEus omnipotens, quem demississimo prosequantur adorationis cultu ac latriæ obsequio.

Olim Senatus Romanus accensere volebat Alexandrum Magnum numero Deorum, credentes hominem, qui intra duodecim spatium annorum obtinuisset dominium in magna orbis parte, esse non posse hominem terræ, sed necessariò descendere debuisse è cœlo. Sed sanctus Chrysostomus ipsorum illudit opinioni: Quid invenitis prodigii? si homo, dicet illis, cui natura largita est stemma & prosapiã illustrissimam, animum intrepidum, agendi & gubernandi modum omni prudentia conspicuum, qui roboris maximi ducebat agmen, qui divitias possidebat immensas, quique immodicâ suâ potentiâ parcente nemini, ubivis locorum, maximum omnibus incusserat terrorem: quid prodigii, ipsum tam insignes reportâsse victorias, demessuisse palmas? Quivis alius iisdem instructus viribus, eodem pollens robore nonnè conficere potuisset, quod ipse? ubi sunt notæ divinitatis in eo, quod quilibet homo exantlare vi potest armorum?

S. Chrysost. hom. 66. ad pop.

Falsa opinio Romanorum circa Alexandrum Magnum.

Sed quòd JEsus Christus, qui natus est inops, quique censebatur nonnisi Filius fabri, qui nonnisi in vili hac conspectus est conditione, operam navans laboribus in officina fabri usque ad annum circiter ætatis suæ trigesimum, qui nullas unquam possedit divitias, qui nullum unquam tractavit gladium, nunquam armis invasit virum, sed hæc potius interdixerat suis; quòd JEsus Christus, qui non aliâ asseclarum seque comitantium stipatus erat turbâ, quàm pauperum duodecim piscatorum, quos instituebat non velut milites ad pugnam, sed velut discipulos suos ad patientiam, ad humilitatem & mundi contemptum, hâc ratione occupaverit imperium mundi: hoc est, quod

Quòd Christus JEsus cum duodecim egenis & inermibus hominibus obtinuerit imperium mundi, probat ipsum esse DEum.

manifestè annuntiat & clarè evulgat ipsius divinitatem. Quis enim diffitebitur, hoc opus non esse hominis, quódque conficere id nunquam potuisset, nisi fuisset DEus?

JEsus Christus post ignominiosissimam mortem suam imperavit ubique: quis fecit hoc?

Ulterius auditum est nunquam, habuisse hominem plus roboris ac potentiæ post mortem suam, quàm habuerat tempore vitæ: ex adverso videtur, evertere mortem & prosternere maximè formidandam mundi potentiam, illámque in summam redigere infirmitatem. Alexander hic mundi triumphator, cùm viveret, futurus mox mortis præda coactus fuit omnes suas dimittere prædas & exuendus mox solio, omnia sua inter amicos dividere spolia. Si JEsus Christus maximæ visus est infirmitatis (quamvis totum id aliud fuerit) penes judicium humanum, dum mortuus est velut facinorosus morte non minus probrosâ, quàm pœnosâ, quâ reddi debuerat nomen ipsius odiosum & memoriæ aspernanda per universum orbem; siqúe in hoc statu per omnes mundi regiones suum dilatavit imperium, & eousque suam extendit potentiam, ut agnitus & adoratus fuerit pro DEO, tum à populis, tum ab ipsis Monarchis: Nonnè hæc divinitatis ejus sint argumenta ipso clariora sole? Quod promiserit piscatori, collaturum se ipsi Monarchiam mundi, relinquendo ipsum pauperrimum, quódque in illius induxerit ipsum possessionem, postquam recesserat jam à mundo: an notæ magis manifestæ requirantur, quod ille, qui hæc potuit conficere, non sit homo è terra, sed DEus è cœlo?

David absque armis occidit Goliath lapide.

Prodigium fuit, quod totum stupefecit universum, quando David absque armis prostravit Goliath, horrendum hunc gigantem, totum cataphractum ferro: offerebantur ipsi arma Saulis; sed non ferro afferre consuevit DEus victoriam suis: arripit manu baculum, selegit quinque lapides, qui totum constituebant ipsius apparatum, currit ad pugnam, nonnisi unico utitur lapide, quem projicit & immittit in frontem decumani hujus ex carne Colossi: Prosternitur Goliath ad pedes Davidis, qui præscidit ipsi caput, quod dum abstulit, tulit victoriam. Et omnes mundi nationes, quæ id noverant, exclamant miraculum, evulgant prodigium. Ecce tibi ingens Dei omnipotentis cum prodigio miraculum.

JEsus Christus usus est Petro Apostolo suo ad feriendum & prosternendum caput mundi, quod est Roma.

Verùm hoc erat nonnisi tenue ac leve specimen magni à JEsu Christo patrati miraculi, dum dominium comparavit sibi universi mundi. Aspice totum ac ingens hoc universum velut portentosæ magnitudinis gigantem; sed gigantem totum cataphra-

phractum ferro: Nam quæ pars magni hujus Colossi non stabat in armis, quibus incutiebat timorem universis populis? Ex iis Roma occupat frontem: *Roma caput mundi.* Sic nuncupata fuit ex effato oraculi, quod interrogatum, quid sibi velit, quòd abscissum caput fuerit inventum, dum fundamenta fuerunt effossa ad ædificandum urbem, respondit: Hoc bonum signum est; Roma erit caput mundi. Verus David volens prosternere hoc caput ad pedes suos, non armavit se ferro nec igne: apprehendit manu baculum, lignum sanctæ suæ crucis; elegit sibi lapidem, usus operâ Petri piscatoris, quem misit adversùs caput gigantis, caput inquam mundi; & prostratus est magnus hic Colossus, à lapide, à Petro petra; cecidit formidanda hæc potentia ad pedes Petri piscatoris, quem velut suum honorat Principem & Monarcham; non domuit illam nec ferro, nec sanguinis effusione, sed duntaxat ictu & percussione. Et post tot sæcula dominatur JEsus Christus in Vicarii sui persona summus Pontifex Romæ, quæ totius mundi caput est & metropolis, cui totius orbis potentia unita & incorporata erat, ut omnes mortales videntes hoc prodigium faterentur, nonnisi Deum omnipotentem esse, qui prosternere ad pedes suos potuerit caput fortissimi hujus gigantis, & superare illud absque aliis armis, quàm baculo & lapide, cruce suâ suóque Apostolo.

Quid videtur tibi de hac vincendi ratione? suum erexisse imperium, & sustulisse illud supremæ hujus potentiæ toti mundo dominantis solium? obtinuisse absolutum illius dominium, absque vi facta, absque effusa sanguinis humani gutta? ubi sunt tuæ statuta politicæ, quæ asserunt, quòd impossibile sit Monarchæ imperare, multò magis conquirere regna, nisi vim impendat armorum? Nonnè conspicis id feciisse JEsum Christum, quod judicabas impossibile cunctis hominibus terræ? Et consequenter asseverandum est, ipsum non solummodò esse hominem infirmum, sed omnipotentem DEum. Tu qui tantam tuis studiis es assecutus in arte imperandi notitiam, an quid simile legisti in cunctis elapsorum sæculorum historiis; vel an ejusmodi quid vidisti in omnibus, quas frequentâsti, Regum Principúmque curiis? Non, dicit mihi, fateor hoc humanum non esse, & esse non posse nisi opus brachii DEI.

Consideratio circa modum, quo JEsus Christus usus est in vinceudo mundo.

Verùm quid ergò dices, si considereres aliam, quâ in sua utitur gubernatione, legem ac regulam, quæ magis evidenter adhuc confundit omnem Principum

JEsus Christus aufert suis arma, ut conferat ipsis victoriam.

mundi politicam ? Et est, quod pro eo, dum congregant alii & cogunt magnam populorum vim, quos armatâ mittunt manu ad mactandos & trucidandos suos inimicos; JEsus Christus non elegerit nisi duodecim pauperes viros, non aliâ nisi piscatoriâ instructos arte, quos dato præcepto, ne portarent arma, inter medios abire jussit inimicos, ut trucidentur ab illis. Ite, inquit ipsis; ego mitto vos sicut agnos inter lupos; nolite portare nec virgam, nec baculum, sinite vos discerpi à ferocibus his bestiis, & velut innoxiæ victimæ vestrum effundite cruorem : hâc ratione evadetis Principes mundi, & meum in universo orbe dilatabitis imperium. Quis audivit unquam de simili Monarchiam stabiliendi ratione ? an humanum hoc sit? quis alius nisi DEus poterat hâc ratione subjugare sibi mundum?

Omnes primi Christiani occisi auxerunt numerum fidelium.

Insuper si diceretur: Non stetit id sanguine & vitâ nisi his duodecim. Sed quod tot Christiani, quos Gentilitas potuit invenire, dum erant adhuc numero valdè exiguo, fuerint ab ipsis trucidati, absque eo, quòd vel unicus se defenderit vi armorum; quódque Ecclesia Christiana, dum natare vidit cunas nativitatis suæ in filiorum suorum sanguine, ultrà spatium trecentorum annorum, ubi omnes mundi potestates cum toto inferno conspiraverant ad profligendam ipsam è terra, non solùm non fuerit extincta, sed ne quidem debilitata ac imminuta, quamvis perpessa tam copiosas sanguinis effusiones, ut quandoque ad triginta millenos filiorum suorum viderit trucidatos intra minus quàm mensis unius spatium, & hoc in unica urbe Roma, prætercundo continuas, quæ alibi fiebant strages, & mortis edicta è Capitolio emanata, quibus præcipiebatur ipsorum exterminium in universo orbe? ubi est manus, quæ defendit ipsos absque armis, & absque ulla resistentia visibili ? Eratne hæc manus hominis ? ubi est potentia, quæ non solùm conservabat ipsos, sed maximos ipsis largiebatur progressus, ita ut multiplicarentur aspicientibus cunctis in media tempestate rabiosissimæ hujus persecutionis, quam ab universo tolerabat mundo ? Estne potentia humana, quâ fecit hæc? ubi est cœcus, qui non videat è manifesto hoc experimento potentiam JEsu Christi divinam?

Tertullianus

Hoc est, quòd Tertullianus seriò ponderavit in capite quinquagesimo admirabilis sui Apologetici : *Sola Ecclesia persecutionibus stetit.* Nonnisi Ecclesiæ est confirmari persecutionibus sibi ab universo inflictis mundo. Omnes aliæ Monarchiæ quassantur

santur, dum oppugnantur, & corruerent, nisi ruerent in arma, seque defenderent ac resisterent. Nonnisi Monarchia JEsu Christi est, quæ tolerando omnia absque resistentia, stabilita & solidissimè in universo orbe: *Martyriis coronata est.* Ipsa conorata est honore & gloriâ, per probra & infamias, quas in suis perpessa est filiis: accepti sunt ipsi velut scelerati, eadem tolerârunt supplicia, quorum condemnantur proditores, sacrilegi, paricidæ; & tantum abest, ut hæc probra ipsorum maculârint gloriam, ut cineres ipsorum sint in veneratione, ipsorúmque laudes & encomia in universa decantentur sæcula. An humanum hoc est? Siccine tractantur scelerati, qui mactati sunt per manus carnificum? Nonnisi JEsus Christus solus est, qui, cùm suam noverit extollere & sublimare gloriam in crucis suæ solio, in ignominiarum suarum medio facultatem habet eâdem ratione illustrandi servorum suorum honorem & gloriam: *Crudelitas illecebra est sectæ.* Quando Ecclesia crudelius afflicta est à persecutorum rabie, tunc majoribus affluebat illecebris, quibus ad sui trahebat amorem: & per prodigium omninò oppositum affectibus & effectibus naturæ, quæ abhorret aspicere reum torqueri, illi, qui Christianum intuebantur cruciari, cruciati sunt & ipsi sanctâ quâdam invidiâ & vehementi succensi desiderio in societatem veniendi felicitatis illorum, ut plures videre fuerit, etiam infideles altùm exclamantes: Ego sum Christianus sicut ille, ego patiar quoque sicut ille. Quis non videt effulgere ex hoc manifestè splendores divinitatis JEsu Christi? An natura ejusmodi inferere potest animo affectus & sensa? *Plures efficimur, quoties metimur.* Quando metimur, tunc ferimur, & quando minuimur, tunc augemur; Christiano, cui quid abscinditur, plurimum adscisciturr; ex morte duntaxat unici, nascuntur quantocyùs quingenti. Quæ virtus operari valet tam ingens prodigium, nisi manus ejusdem Dei omnipotentis qui è paucis frumenti granis projectis in terram, singulis producit annis messes copiosas, quibus nostri dum operiuntur campi, magni aperiuntur nobis thesauri? Semen est sanguis Christianorum. Ita unica sanguinis gutta à Christiano pro gloria divini sui Magistri effusa, pollebat virtute plures progignendi Christianos?

Pulchra consideratio Tertulliani circa id, quòd augeatur Ecclesia persecutionibus.

Quid dicis ad hæc magne Politices Magister? an invenis, potuisse hominem simplicem stabilire Monarchiam adeò amplum in universo orbe absque apparatu armorum, sed armo-

rum usum prohibendo suis: non trucidendo inimicos, sed permittendo trucidari suos per repetita decies centena millia ab inimicis, velut agnos absque defensione. Si JEsus Christus non esset DEus omnipotens, an imperare hâc ratione potuisset in orbe per tot elapsa jam sæcula? Fateor, inquit mihi, valdè evidenter ex hoc meum convinci animum. Sed an forsan aliis usus est mediis æqualis cum armis potentiæ ad stabiliendum regnum suum? Videamus.

ARGUMENTUM.

JEsus Christus stabilivit Regnum suum in terra absque divitiis.

Articulus II.

Potentia divitiarum.

AN effundendô divitiarum thesauros in manus populorum JEsus Christus se Regem fecit agnosci, & adorari ceu DEum ab universo mundo? Verum est, sæpius obtineri potentiâ auri, quod comparari non poterat valore ac robore ferri; & quod æneorum vis tormentorum dejiciendo civitatum muros conficere non poterat, promissos frequenter confeciſſe thesauros, & apportatum aperuisse aurum victoribus portas. Sed quando nonnisi maxima exhibetur paupertas, quæ à cunctis summæ miseriæ censetur nomine, an medium sit lucrandi homines, vel potius absterrendi eos ac horrore percellendi ipsorum animos?

Impotentia paupertatis.

Si verum est, argentum summâ pollere potentiâ, quæ imperet ubique ac impetret obtemperari sibi ab omnibus: *Pecunia obediunt omnia*; verum quoque est, paupertatem maximâ languere impotentiâ, cui facultas non sit, nisi ut afficiat miseros, deprimat, humiliet, submittat, obedire omnibus cogat, omniúmque plantis suos substernat asseclas; & si paupertas in plebe ejusmodi est, quid erit in Principe, quid in Monarcha? Si talis exspoliando semetipsum omnibus divitiis, & desiderando eandem in subditis suis exspoliationem, prætenderet hâc ratione regnum stabilire amplissimum & inexpugnabile in universo orbe, nonnè diceretur prætendere ipsum quidquam impossibile? Et nihilominùs debili huic fundamento suum inniti voluit regnum JEsus Christus, ut conferret illi firmitatem cunctis stabilem & inconcussam sæculis.

Nonnisi omnipotentis DEI erat opus, immensam terræ molem

lem ædificâsse & exstruxisse super nihilum, quod nonnisi ipsissima est imbecillitas: *Qui appendit terram super nihilum.* Et nonnisi JEsus Christus DEus-Homo est, qui magnum Ecclesiæ suæ ædificium erigere potuit innixum ceu fundamento, paupertati, quæ nonnisi contemptibile est nihilum coram oculis hominum. Nonnè hoc magnum in admirationem rapuit Apostolum, qui fideles in eandem rapere volens ob magnitudinem vocationis suæ ad Christianismum, dixit illis: Videte fratres mei ingens vocationis vestræ prodigium, & considerate, quòd noluerit DEus adhibere potentiam mundi, nec uti sapientiâ hominum, sed nonnisi elegerit ignominias crucis suæ, & ipsammet imbecillitatem, paupertatem & simplicitatem, mansuetudinem, patientiam, impotentiam, & id quod in æstimatione hominum habetur pro nihilo; *Ea quæ non sunt, ut destrueret ea quæ sunt*, nempè magnum hoc Gentilitatis ædificium, & suam exstrueret Ecclesiam, adversùs quam omnes mundi potestates & omnis inferorum rabies prævalebunt nunquam. Judica jam ipse, an JEsus Christus conficiens rem tam absolutè impossibilem hominibus, non evidenter suam ostendat divinitatem?

Job. 16.

JEsus Christus fundavit suam Ecclesiam super nihilum.

1. Cor. 1.

Quando vocabat homines ad sui sequelam, non fecit hoc promittendo illis magnas divitias, aut magnos honores, aut magnas voluptates; sed dicebat illis: si quis voluerit venire post me, renuntiet omnibus, quæ possidet, & distribuat ea pauperibus, & quotidiè portet crucem suam, & sequatur me. An potentes hæ sint illecebræ trahendi post se mundum? quis mundi dominus vel unicum invenire posset famulum, si diceret ipsi: Quòd si meis devovere te velis obsequiis, non solùm te non faciam divitem, sed exuam te omnibus bonis tuis, & onerabo te laboribus, miseriis, afflictionibus usque ad finem vitæ tuæ. An quenquam hâc conditione sibi famulaturum inveniret? Et nihilominus JEsus Christus, cùm aliud nihil promittat suis, trahit post se mundum universum: *Ecce mundus totus post eum abiit.* Quid dicere ad hoc potest tota mundi politica, dum ita se videt inversam? nonnè invita fateri debet, non esse hoc opus hominis, sed digitum DEI esse hìc? O arcana & incomprehensibilis potentia Spiritûs DEI! O admirabile consilium, omnem hominum confundens sapientiam!

JEsus Christus attrahit homines, non illis promittens nisi miserias.

Joan. 12.

Sed nonnè dicis, resumit hìc noster Politicus, ipsum promisisse suis, quòd largiri ipsis velit magnas divitias post hanc vitam, usque

Deum esse oportet ad persuadendum hominibus ea, quæ non sunt verisimilia.

usque adeò, ut unusquisque possessurus sit regnum suum. Quid ergò non faciat homo, qui spe lactetur totum olim possidendi regnum? Verum est, dixi ipsi: sed quomodò persuadere illis poterat rem, quæ tam modicum habebat verisimilitudinis? An crederes homini tibi dicenti: Desere cuncta bona tua, expone te cruciatibus, & crudelem subi mortem in gratiam mei, & posthæc locupletabo te, teque reddam beatum. Non est homo in orbe, qui persuadere hoc possit vel uni hominum. Ille ergò, qui persuasit idipsum tot millionibus hominum, plùs erat, quàm homo; necessariò debebat esse DEus, ut talem imprimeret affectum animabus adeò contrarium sensibus, adeóque superiorem omni humanâ ratione.

Nihilominus, prosequitur hic mundi sapiens, non videmus, regnum JEsu Christi tantæ esse paupertatis, cùm ipsius Ecclesia tantis abundet divitiis. Mirum non est, totum mundum currere post ipsum, seque velle ipsius devovere obsequio; non attrahuntur sanè illecebris paupertatis, sed desiderio divitiarum: siquidem advertunt, se hâc ratione obtenturos absque labore possessionem magnorum reditum, suóque jucunde victuros commodo: facilè admodùm est magnam sibi comparare famulorum catervam, ubi tam largâ donantur mercede. Sed an multi adhæsuri essent JEsu Christo, si nihil ab eo referrent commodi; quid putas?

Ad hoc respondebo tibi, non esse divitias, sed paupertatem, quæ fundaverit Ecclesiam JEsu Christi; sed nec divitias esse, quæ fulciant & conservent ipsam; imò nec has esse, quibus vel perficiatur, vel augeatur. Prorsùs ex opposito certum est, quòd sicut Monarchiæ temporales innituntur & fulciuntur divitiis, sic illa JEsu Christi, quæ æterna est, suum inveniat robur, suam perfectionem, suam amplificationem in paupertate; & dici potest, divitias illi semper plùs obfuisse quàm profuisse. Nunquam ipsa fuit fortior, nisi quando fideles cuncti nihil possidebant proprium, & singuli sua vendentes bona, illorum afferebant pretium ad pedes Apostolorum: siquidem tunc Ecclesia, quæ nonnisi parvo adhuc constabat Christianorum numero, invincibilis erat cunctis tum humanis, tum infernalibus potentiis. Nunquam majores fecit progressus Evangelium, nisi quando alia bona non habebat administranda, nisi salutem animarum & gloriam JEsu Christi, nec aliud quærebatur commodum, nisi honor pro illo patiendi; tunc enim fideles tantò ditiores erant fide, zelo,

Bona temporalia non sunt fulcrum Ecclesiæ.

zelo, sanctitate, & omnibus cœlestibus bonis, quantò pauperiores erant facultatibus terrenis, cùm purissimum amoris Dei aurum totus fuerit thesaurus, cui cor suum devovebant totum.

Nunquam Ecclesia fuit potentior, quàm quando fuit pauperior.

Hoc paupertatis suæ circumfusa statu fundebat hostes suos, in suis triumphans pugnis, destruebat Gentilitatem, diffundebat imperium JEsu Christi in regiones & regna infidelium, acquirebat ipsi ditiones & regna. Primus Christianorum Imperatorum Constantinus Magnus, qui incepit locupletare Ecclesiam, majorem, quamvis innocenter, movit ipsi persecutionem, illámque magis periculosam (etsi crudelis non videretur) quàm Nerones, & omnes Gentilitatis tyranni. Abundantia bonorum temporalium peperit imminutionem spiritualium: cœpit imminui zelus gloriæ Dei & salutis animarum, dum suppeditata est occasio, occupandi ic commodis magis sensibilibus; & Ecclesia, quæ anteà metuebat nihil, cùm nihil haberet, quod perderet, incepit timere potestates sæculares, eòquòd haberent, ubi eam apprehenderent, bonorum temporalium occupationem.

Ingentia mala, quæ pepererunt bona temporalia in Ecclesia.

Initium divitiarum in Ecclesia aperuit januam avaritiæ, quæ est radix omnium malorum, sicut ipsam magnus nuncupat Apostolus; & reverà quantæ exortæ sunt ab ea malorum horribilium legiones, quæ miserrimam conciliârunt Ecclesiæ Dei jacturam?

Hinc extinctio veri Spiritûs JEsu Christi, qui est sanctæ Ecclesiæ anima: divinus hic Spiritus non spirat nisi paupertatem, humiliationem & afflictionem, pro eo, quòd visus sit, & adhuc videatur dominari spiritus avaritiæ, ambitionis & voluptatis in tot personis, quæ istas immoderationes nutriunt & alunt ex abundantia bonorum Ecclesiæ.

Hinc Simoniæ & negotiationes sordidæ ac abominabiles beneficiorum, quæ toties gemitus expressérunt & lamentationes universæ Ecclesiæ, illámque exstimulârunt ad cogenda plura Concilia, quæ suis anathematibus ferirent infernale hoc monstrum. Et nihilominus ita ex integro nunquam suffocare id potuit, quin semper è suis renasceretur cineribus.

Hinc infelicitas tot Principum sæculi, qui vehementissimo obcœcati avaritiæ affectu, sæpius violentas manus injicere sunt ausi thesauris Ecclesiæ, & toties severissimè etiam mulctati sunt à manu Dei.

Hinc ruinæ irreparabiles Provinciorum & Regnorum prorsùs integrorum, quæ naufragium fecerunt in fide, quæque rescissa sunt à corpore Ecclesiæ: nonnè

hujus lamentandum proſtat exemplum in Regno Angliæ? Quis ignorat, unam maximarum difficultatum, quæ ſemper fuerunt & ſemper erunt reſtabiliendi hic fidem Catholicam, eſſe abundantiam bonorum Eccleſiaſticorum, quæ cùm iniquè occupentur à potentiſſimis quibúsque, hi nunquam in illorum conſentient reſtitutionem.

Hinc denique damnatio æterna tam' ingentis multitudinis hominum, eòquòd abutantur bonîs Eccleſiæ, firmiſſimè ſed falſiſſimè perſuaſi, ſe uti illîs poſſe eâdem prorsùs ratione, quâ ſuô utuntur patrimoniô, non conſiderantes, quid DEus illis dicat per os ſanctorum Patrum Eccleſiæ, ſancti Auguſtini & ſancti Bernardi. Primus ſermone ducenteſimo decimo nono de tempore inquit: *Id quod nobis reſiduum eſt ex victu & amictu congruo, non impendere debemus luxui, ſed reponere in theſaurum cœli per Eleemoſinas; quod ſi non fecerimus, diripimus bonum alterius.* Hæc ſententia maximi Eccleſiæ Doctoris nonnè evellere deberet omnes avaritiæ radices ex corde omnium, quicunque ſuæ curam gerunt ſalutis? Et S. Bernardus dicit adhuc clarius: *Dignum eſt, ut, qui altario deſervit, de altario vivat, non autem ut de altario luxurieris, ut de altario ſuperbias, ut indè compares tibi fræna aurea, ſellas depictas, calcaria deargentata, varia griſeáque pellicea è collo & manibus, ornatu purpureo diverſificata. Denique quidquid præter neceſſarium victum ac ſimplicem veſtitum de altario retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt.* Quid vehementius dici poſſit?

S. Auguſtin. ſerm. 219. de temp.

Maximum periculum eorum, qui poſſident bona Eccleſiaſtica.

S. Bernardus Epiſt. 2. ad Fulconem.

Ubi eſt ergò ſpes ſalutis pro tam ingenti turba hominum, qui omninò turgidi & abundantes bonis Eccleſiæ, minimam eorum partem effundunt in manus pauperum, nec in opera miſericordiæ? ſed omnia abliguriuntur vanitatibus & voluptatibus vitæ omninò ſæcularis & profanæ. Quam rationem reddent JEſu Chriſto de rapina bonorum ſuorum?

Exprobratio, quam JEſus faciet diſſipantibus bona Eccleſiæ.

Concrediderat tibi vineam meam, ut excoleres illam & proventus reciperes ex ea, permittens tibi ſumere ex illis, quantum tibi pro honeſta & congrua ſuſtentatione fuerit neceſſarium, hâc lege, ut reſiduum meo impenderes ſervitio, ad nutriendum me in perſonis pauperum & conſervandum domos meas, quæ ſunt Eccleſiæ: quid feciſti cum illis? Recepiſti tantum tali anno & tali loco (ſeponamus id, quod opus tibi fuerat, ut honeſtè vivere poſſes) quid egiſti cum reſiduo, quod tuum non erat juxta doctrinam Patrum? Tali anno recepiſti tantum bonorum meorum, & in tali anno tantum. Ubi eſt uſus, in quem impendiſti illa?

illa? an indulseram tibi illa, ut educeres ex eo exercitus adversum me, ut potentem te redderes & expeditum ad committendum facilè crimina, ad insultandum cruci meæ, passioni meæ, paupertati meæ, & portandum quasi in triumpho vanitates & voluptates sæculi?

Non quæro ex te, quomodò dederis operam culturæ vineæ meæ, cujus reportabas fructus? sed quid contuleris industriæ, ut meam promoveres gloriam? quæ tenuerit te solicitudo reparandi meas Ecclesias, mea sacella, meas domos, quas video minitari ruinam? quam ostenderis zelum in promovenda salute animarum pretioso meo sanguine redemptarum? quidve boni spiritualis reddideris illis, pro bonis ipsorum temporalibus, quæ devorâsti in conviviis, vitam ducens divitis helluonis? siquidem circa hoc quid poteris mihi respondere? Vidi te mittentem manum in thesauros meos, ut dissipares illos in helluationibus, ludis, vanis sæculi curiositatibus, cunctisque sensuum deliciis; tu, quem portare oporteret crucem meam, cum meis adornes te insignibus & vestiariis, ut ita loquar, tesseris. Vidi te esse scandalo Ecclesiæ meæ, qui debueras ipsi esse honori; & sustinui te: Tu eras mihi opprobrio, mihi dedecori, quem meæ tangere debuerat cura gloriæ; & permisi te agere: Tu perdidisti, vel saltem perire permisisti tot pauperculas animas, quas redemeram meæ pretio vitæ, mei lytro sanguinis, tu, cujus partes fuerant deducere ipsas ad cœlum, cùm ob hoc tuam receperis mercedem ac præmium: illæ modò lugent in abysso inferni, undè perpetuò efflagitabunt vindictam adversùs immanitatem tuam: Et ego te non mulctavi!

Crimen enorme eorum, qui abutuntur bonis Ecclesiæ.

Sed saltem misereberis mei, qui mea tuis manibus consignata tenes bona? Toties me tuis coram exhibui oculis in persona pauperum, extendens ad te manus, teque obsecrans, ut ex eo levem mihi tribueres portionem, quod tibi tantâ erogaveram cum largitate: tu nonnisi durum exhibuisti te mihi, munificum econtra & prodigum in equos & canes, quos impinguâsti, & meos permisisti mori præ fame filios? Tu domûs tuæ parietes pretiosis adornabas aulæis; & filii mei prorsùs nudi tremebant præ frigore & ingemiscebant præ miseria. Tu tua adimplebas curiosis vanitatibus conclavia, & filiis meis deerat omninò palea ad cubandum in vilibus suis tuguriis?

Lubens scirem de innumeris hominibus possidentibus Ecclesiæ bona, támque indignè dissipantibus illa, an credant se esse

ipsorum dominos, pro eo, quòd illorum tantummodò sint œconomi? Lubens nôssem ex iis, quid responsi dare poterunt in judicio DEI tantis hisce interrogationibus, tantisque aliis sibi proponendis? Et exin quis diffitebitur, illa, quæ nuncupantur bona Ecclesiæ, multò melius Ecclesiæ mala posse nuncupari? profectò si benè consideraveris horrendas, quas divitiæ conciliârunt jacturas tum Ecclesiæ universali, tum innumeris ipsius filiis, maximo exin perculsus horrore ingemiscendô dices: Ubi es, ô sacra paupertas, quæ prima posuisti fundamenta Ecclesiæ, quam tam firmiter stabilieras super unicam virtutem & Spiritum JEsu Christi, quámque conservaveras tam longo tempore in innocentia sua? Divitiæ terræ, bona caduca, ut quid insinuatis vos in gremium ipsius tam abundanter, ut corrumpatis ipsam?

Bona Ecclesiæ sunt mala ipsius.

Hoc satisfuerat ad demonstrandum clarissimè Politico nostro, non fundâsse JEsum Christum suam super divitias Ecclesiam, sed supra paupertatem; & benè cognovit, quod qui spiritum paupertatis denuò stabilire potuerit in Ecclesia, evellens è cordibus eorum, qui possident ipsius bona, avaritiam & eorundem bonorum concupiscentiam, ita ut suis soluti affectibus immoderatis, converterent eorum malum in usum bonum juxtà mentem Christi JEsu, restitueret meliùs quàm unquam pristino flori Ecclesiam, quæ vivacius semper floruit & viguit spiritû paupertatis & contemptû divitiarum: impediretur quoque hâc ratione perditio, & procuraretur salus animarum excedentium numero plures milliones, & innumera bona exercerentur opera, quæ sic negliguntur.

Magna bona quæ ex bono usu bonorum Ecclesiæ evenirent,

Cùm igitur verum sit, dixi ipsi, quòd JEsus Christus non fundaverit suum in mundo imperium, nec per potentiam armorum, nec per abundantiam divitiarum, quid indè concludendum, nisi quòd id effecerit per infinitam suæ potentiam divinitatis? Respondit mihi, quòd benè impendere potuisset ad felicitandum auspicato eventû suum consilium, facundiam inusitatam, quæ quandoque excedit viribus & divitias & arma ad omnium sibi animas conciliandos. Sed oppositum ipsi demonstravi.

ARGU-

ARGUMENTUM.

JEsus Christus nullis usus est Oratoribus ad stabiliendum Regnum suum in mundo vi ac robore eloquentiæ humanæ.

ARTICULUS III.

IMperium Cæsarum firmiter stabilitum erat in mundo vi ac potentiâ armorum; illud dæmonum firmius adhuc stabilitum fuit supra animas hominum vi ac valore superstitionum, quæ dominabantur ubique, quæque summa cum religione observabantur velut oracula cœli.

Non erat Imperium Cæsarum, quod JEsus Christus aucupabatur, & ideò mirum non est, quòd usus non fuerit armis materialibus ad expugnandum illud. Imperium erat dæmonum, quod destruere volebat, ut suum super ruinas ipsius imperium fundaret, seque ostenderet supremum Monarcham, Principem ac DEum animarum. Hinc est, quod magnus Apostolus dixerit:

2. Cor. 10. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt;* eòquòd non corpora, sed animas expugnare ac vincere statutum sit nobis. Hinc cœlum armans Apostolos in die Pentecostes, non misit illis gladios, dum ipsos misit ad expugnationem mundi, nolens ipsos adhibere manum ad effundendum sanguinem è venis, sed misit ipsis linguas, volens, ut adhiberent verba veritatis, ad educendum errorem & ignorantiam ex animabus.

Cur JEsus Christus dederit Apostolis linguas pro gladiis.

Verùm oportuit cœlum mittere has linguas divinas, quia nulla in terris erat lingua, id est, eloquentia humana, cui vis inerat ingens hoc opus feliciter exantlandi: Contribuebant omnia ad conservandum firmiter imperium, quod exercebat in animas diabolus. Erant inprimis sensus exteriores, quibus plerique homines se moderabantur, qui fortiter pugnabant pro iis, & mundo persuadebant, aliam non esse divinitatem, nisi Deos aureos & argenteos, æreos, lapideos, ligneos, quos volebant, quósque interdum audiebant pronuntiare sibi oracula voce sensibili.

Erant voluptates corporis, quibus totus propensione naturali inhiat mundus: siquidem dolosâ hâc tenebantur malitiâ, ut sibi persuaderent, voluptates esse res divinas, adeóque esse Deum ebrietatis & epularum, qui erat Bacchus; esse Deum vindictarum & homicidiorum, qui erat Mars; esse Deum furtorum & frau-

Quàm firmiter stabilitum fuerit imperium dæmonum in mundo.

fraudûm, qui erat Mercurius; esse Deum etiam impudicitiarum & voluptatum carnalium, quem viri sanctè possent imitari, qui erat Jupiter, & insuper Deam, cujus vestigia decenter premere possent fœminæ, quæ erat Venus. An captivare & constringere poterant homines catenis fortioribus, quàm illis, ubi inclinationes naturæ corruptæ & jura religionis tam benè conveniebant?

Et quod magis ipsorum confirmabat causam, habebant pro se lumen rationis humanæ, quæ cùm attollere se supra seipsam non posset ad cognoscendum res divinas, facilè quâdam inducebatur verisimilitudine & externâ specie ad tribuendum divinitatem rebus humanis. Videbat ipsa idolis exhiberi obsequia magno cum splendore cæremoniarum, adorari ipsa à supremis mundi potestatibus, Imperatores ipsos illis immolari propriis manibus victimas. Videbat Sapientes, Philosophos doctissimos confirmare & approbare illa speciosis rationibus, sicut & facundissimos Oratores, qui illorum elogia aureis deprædicabant verbis. Videbat denique ritum publicum, consuetudinem universalem, & exemplum multitudinis trahentis post se omnes alios in particulari, eâ ratione, quâ torrens è vertice montis dilapsus trahit omnes post se aquas eâdem præcipites inundatione. Nihil hic melius stabilitum erat, quàm magnum hoc dæmonum in omnes animas imperium: quæ ergò potestas satis habebat virium ad illud evertendum?

JEsus Christus non usus est eloquentiâ humanâ ad lucrandos animos.

Si JEsus Christus illud destruere volens, egisset velut homo & humanis uti voluisset mediis, plures legiones facundissimorum Oratorum, & sapientissimorum Philosophorum non suffecissent, nec habuissent sat roboris ad concutiendum illud vel modicum; videre fuisset pugnare eloquentiam contra eloquentiam, rationes contra rationes, verborum strepitus & disceptationes nunquam intermissas, in quibus veritas discerpitur quidem, sed non discernitur, ad hoc ut agnoscatur, & nemo ex illis cedere, herbámque porrigere voluisset. Sed vide prodigium: Eligit solùm duodecim viros pauperes nullâ exarmatos facundiâ, nullâ imbutos literaturâ humanâ; suo duntaxat verbo, & verbo simplicissimo ipsorum instituit ora; & unico hoc instructos apparatu mittit ipsos ad expediendum magnum hoc momenti maximi negotium.

Imaginare tibi, in occursum tibi venire S. Apostolum

Quantum portentum videre euntem sanctum Petrum Romam, ad stabiliendum illi imperium JEsu Christi,

lum Petrum, quando Romam versùs suum dirigebat iter: vidisses hominem simplicem, qui pedester incedens & malè vestitus, carebat & armis & argento & societate, solus ambulans, destitutus omnibus, verba faciens tecum eâ facundiâ; quæ exspectari potest à sene quodam piscatore, qui suam contriverat vitam inter remos & retia pauperis alicujus naviculæ.

Quo vadis miser homo! Vado Romam. Quid ibi facturus? Vado instructurus totam hanc magnam civitatem, illumque edocturus religionem, quam non noverat hucusque. Sed Roma instructa est in omnibus, à sapientissimis, quos mundus amplectitur viris; ipsa est centrum cunctarum Religionum totius universi. Non est DEus in mundo, quem non agnoscat, quem non adorat. Demonstrabo ipsi, quod ignara sit & superstitiosa, ostendamque ipsi DEum, pro quâ dimittet cæteros omnes. Vah! quis est iste DEus, quem annuntiare ipsis voles? Est homo, qui natus est pauper in stabulo, qui pauper vixit, quique mortuus est in cruce, condemnatus à Pilato Præside Romanorum, & supremo affectus supplicio à Judæis. Vah! miser & simplex homo, quis talia te proponentem audiet? inures ipse tibi notam stultitiæ. Quid dices ipsis, ut fidem adhibeant, ipsum esse DEum?

Mirabilis concio Sancti Petri.

Dicam ipsis, quod ille sit omnipotens Creator cœli & terræ, quòd sit supremus Dominus, qui dederit ipsis esse, quòd teneat vitam & salutem hominum in manibus suis, quòd commune sit remedium omnium peccatorum in mundo, & universalis omnium mortalium Redemptor, quódque aliquando comparendum sit illis omnibus coram tribunali justitiæ ipsius, ut judicentur ab illo juxta opera sua; quòd duas æternitates suis constringat manibus, unam beatam & infinitis plenam bonis, ad largiendum hanc bonis, & alteram infelicem ac horrendis refertam tormentis, ad infligendum hanc malis.

Sed quam rationem, quodve argumentum afferes illis, ut inducas ipsos ad credendum, hæc esse vera? aliam afferre non possum rationem, nec efficacius allegare argumentum, nisi quod ipsemet hoc dixerit, isque infinita sit veritas, cui omnes mortales credere teneantur.

Dic mihi ergò, quo utêris artificio, ut persuadeas ipsis fidem, quæ tam parum habet verisimilitudinis, quæque ipsi repugnat sanæ rationi? Non aliquo utar artificio, sed dicam ipsis omninò simpliciter, quod oporteat ipsos deserere suos omnes falsos DEos,

Deos, contemnere omnes splendidas paganæ suæ superstitionis cæremonias, condemnare omnem falsæ suæ religionis doctrinam, ut credant in JEsum Christum, velut solum verum DEum, quem oporteat adorare; quod oporteat ipsos immutare mores, alia sequi placita, alia tenere scita, alium amplecti agendi & vivendi modum, & totum operari contrarium ei, quod operantur modò, ut sub ipsius vivere possint legibus, ipsum sequi, ipsius vitam imitari? an tantis ipsa abundat illecebris, ut tanto totum succendat mundum desiderio amplectendi ipsam? Non; siquidem ipsa exacta est in paupertate, in humiliatione, in persecutionibus, in afflictionibus.

Omnis sapientia mundi se opponit JEsu Christo.

Verùm an consideras, quinam sint illi, quibus ejusmodi res proponere tibi stat fixum animo? an nôsti tria hominum genera esse in mundo? Nonnullos magnates, potentes, divites: alios sapientes, doctos, & politices inprimis gnaros: aliquos voluptarios, in luxum ac delicias effusos. Potentes & nobiles non sunt idonei, ut recipiant legem ab aliquo, cum ipsi prætendant suarum esse partium, condere & imponere leges aliis; divites submittere se non volent, nec se humiliare, eòquòd credant se esse mundi Deos & omnia debere subesse sibi. Sapientes & docti admittere nolent disciplinam & instructionem ab homine simplici, cum videantur sibi præripere palmam excultissimis quibusque & geniis & ingeniis, solos se esse sæculi soles, cunctaque sua effata accipienda esse velut oracula. Et voluptuarii tandem, qui solos beatos se credunt, qui inveniisse se putant, quam alii inquirunt, felicitatem, adeò contenti sunt secum ipsis, ut pro nulla re suam vellent immutare conditionem. An omnes tuo voles inflectere verbo, sicut inflecti solent arundines vento. Aliis ergò tibi opus esset illecebris fortioribus, aliis honoribus, aliis divitiis, aliis scientiis, aliis voluptatibus, aliisque prærogativis magis allicientibus, quas illis promittas, ut ipsos obstringas ad dimittendum illas.

Non, nullâ ipsos lactabo spe, toto tempore vitæ, nec honorum, nec voluptatum, nec divitiarum; econtrario dicam ipsis: Si sequi vultis JEsum Christum, totum commodum, quod sperandum & exspectandum vobis sit in hâc vitâ, est, quod magni tolerandi vobis erunt contemptus, nemo non oppugnabit vos, sævis exagitabimini persecutionibus, trademini judicibus, condemnabimini velut facinorosi & nefandorum criminum

num rei, moriemini fortassis per manus carnificum, alii suspensi, alii combusti, alii ense percussi, alii in bestiarum morem dilaniati, discerpti, excarnificati.

Omnis sapientia humana confunditur.

Omnis voluptas, quæ exspectat vos, dum insistere voletis vestigiis JEsu Christi, erit, renuntiare omnibus sensuum illecebris, mortificare absque intermissione vestra corpora, portare crucem pœnitentiæ cunctis diebus vitæ vestræ.

Denique omne, quod ex eo in vos proficiscetur lucrum quoad vivetis in mundo, est, quod omnes vestras diripient facultates, vestris vos exuent muneribus, vestras addicent fisco domos, ignominosè vos vendent velut mancipia, vel è vestrâ relegabunt vos patriâ in insulam quandam desertam, ubi deserti vitam spirabitis, quoad exspirabitis, miserabilem. Ecce omnia, quæ promittere possum iis, qui adorare volent, quem annuntio, Deum; hâc namque ratione exceptus fuit ipsemet in hoc mundo, dicens nobis; quod non oporteat discipulum majorem esse Magistro, nec blandius accipi servum suo Domino.

O Deus! qualis hæc concio, quæ fieri debeat coronæ Magnatum, Sapientum, divitum, voluptuariorum, innumerorum hominum, qui nonnisi repleti sunt spiritu sæculi! Ubi estis vos insignes mundi creatores? Quid videtur vobis de hoc eloquentiæ genere tam apto ad dissuadendum id, quod vult persuadere, & ad conciliandum summum horrorem ab eo, cujus adnititur conciliare amorem. Quis vobis de tantâ ipsius fortitudine sensus, dum videtis ipsam tam efficaciter persuasisse id, quod volebat, ut fuerit mandatum executioni? JEsus Christus est agnitus Romæ pro solo Deo vero, & omnes Dii falsi expulsi sunt inde in perpetuum; doctrina & omnes vanæ superstitiones gentilitatis sunt abrogatæ, & Evangelia audita sunt ibi annuntiari velut oracula cœli.

Effectus admirabilis simplicis Prædicationis Evangelii.

Monarchæ sustulerunt Crucem JEsu Christi in diadematum suorum verticem, & ex ipsius opprobriis suam constituerunt gloriam: Sapientes suas relinquendo ratiocinationes, scientiis à se acquisitis suos clauserunt oculos, ut captivarent intellectum in obsequium fidei, & crederent res incomprehensibiles intellectui humano: divites suos aperuerunt thesauros, illos distribuerunt pauperibus, ut se ipsos accerserent pauperum numero, plures facientes sequelam JEsu Christi in hâc exspoliationem, quàm possessionem omnium divitiarum mundi: Voluptuarii amplexati sunt crucem pœnitentiæ, & plus volu-

ptatis solidæ invenerunt in sensuum suorumque mortificatione, quàm invenerant, dum lenocinabantur ipsis. Didicerunt homines non timere persecutiones, nec exilia, nec exspoliationem bonorum, nec tormenta, nec mortem ipsam pro gloriâ JEsu Christi post obtentam aliquando ipsius cognitionem. Denique simplicitas sancti Petri & aliorum Apostolorum exantlavit ea omnia, quæ omnis mundi sapientia & tota magnorum oratorum facundia judicâsset prorsus impossibilia. Quid videtur tibi de hoc prodigio.

Conversio mundi major est omnibus miraculis JEsu Christi.

An quid est, quod magis & clarius ostendat virtutem divinam & omnipotentem energiam sub simplici verbo JEsu Christi inclusam? Nonne luculenter hoc demonstrat, ipsum esse idem Verbum æternum, sapientiam infinitam, & virtutem DEI Patris sui, qui ad nihilum loquens, inde omnia extruxit entia creata. Sanctus Augustinus usque adeò admiratur modum, quo usus est Salvator in convertendo mundo, ut credat id esse ratione quâdam miraculorum ipsius maximum: quid enim est magis incredibile, quam videre, hâc ratione credidisse mundum, & cum nonnisi parvum piscatorum numerum misisset cum retibus fidei in magnum hujus mundi Oceanum, ipsos concluisse & cepisse portentosam multitudinem piscium generis diversi, magnos, parvos, mediocres, id est, simplicem plebem, doctos, divites, nobiles, principes, monarchas, qui omnes adorant JEsum Christum pauperem, contemptum, passum & pendentem in cruce? Habeto verba S. Augustini: *Et ipse modus, quo mundus credidit, si consideretur, incredibilior invenitur. Ineruditos liberalibus disciplinis, & omninò, quantum ad istorum doctrinas attinet, impolitos, non peritos Grammaticâ, non armatos Dialecticâ, non Rhetoricâ inflatos piscatores Christus cum retibus fidei ad mare hujus sæculi paucissimos misit, atque ita ex omni genere tam multos pisces, & tantò mirabiliores, quantò rariores, etiam ipsos Philosophos cepit.* S. Augustin. lib. 22. de civit. DEI c. 5. Pondera hoc benè, ô magne mundi Politice, maturius id tecum discute, centenis rimare annis, & dicito mihi, quâ ratione id dari potuisset executioni, nisi JEsus Christus fuisset DEus omnipotens?

Cùm ergo nullo uti voluerit medio, quo uteretur mundi politica, nec armis, nec divitiis, nec eloquentiâ: quid dicendum tibi restat, nisi quod.

ARGU-

ARGUMENTUM.

JEsus Christus non stabiliit regnum suum in terra, obsequendô inclinationibus suorum subditorum.

Articulus IV.

Plures Principes acommodârunt se indoli nationum devictarum.

TU credis esse unam è pulcherrimis politici instituti inter principes regulis, accomodare se & indulgere genio ac indoli populorum, seque demittere usque ad ipsos ad obsequendum paulisper ipsorum inclinationibus, ut facilius attollant se super ipsos ad imperandum ipsis, eòquòd nullam experiamur repugnantiam in obsequendo illi, qui nobis obsequitur, quique ostendit fovere se vota, nostris votis fovendi, illisque faciendi satis. Videre erat Imperatores Romanos, quibus placuit vestire se more nationum, devictarum, quamvis visum; idipsis fuerit ridiculum addiscere ipsarum idioma; quamvis hoc fuerit barbarum, accommodare se ipsarum vivendi modo, & quærere oblectationem in rebus, quæ ipsas oblectant, quamvis à genio suo prorsus alienis. Faciebant hoc, quia probè noverant, se nonnisi factos esse Dominos corporum vi ac valore armorum; sed cum dominari quoque vellent ipsarum cordibus, ad melius stabiliendum regnum suum, non efficacius censebant esse medium, quàm indulgere & obsequi omnibus inclinationibus earum.

Plures Legislatores studuerunt suis obsequi.

Plerique Legislatorum, qui condere voluerunt leges pro regimine civitatum aut rerumpublicarum, omnem navârunt operam? ut explorarent genium ac indolem populorum, ut formarent ipsis statuta tam suis conformia inclinationibus, ut nullam experirentur repugnantiam in recipiendis illis, & observare illa possent absque magnâ difficultate. Quodnam hoc genus Legislatorum, qui reipsâ non dabant leges, sed recipiebant eas potius à populis, cum nonnisi statuerent illas, quas anhelabant ipsi! non impares imperitis illis architectis de quibus loquitur Aristoteles, qui accommodabant regulam lapidi, non rectificantes id, quod erat curvum, sed curvantes id, quod erat rectum: an ratione hac speciosum erigere poterunt ædificium? Et quis non videt non minus esse impossibile, moderari feliciter rempublicam, si decernantur nonnisi præcepta, quæ cernuntur cunctis populorum

inclinationibus esse consentanea?

Bonæ leges non blandiuntur inclinationibus subditorum, sed illas dirigunt.

Non sanciuntur leges ad lenocinandum & satisfaciendum inclinationibus populorum, sed potius ad corrigendum & dirigendum illas. Quid foret, si aliquis Princeps caperet consilium eòusque obsequendi cunctis suis subditis, ut illorum quemlibet gubernare vellet, prout placeret ipsi? Quâ ratione redigendi forent in unum corpus, ad constituendam nonnisi unam ex iis Monarchiam? Quælibet natio suas habet inclinationes valdè diversas ab aliis: requirerentur ergò tot leges particulares pro quâlibet natione. In quâlibet inæquales inveniuntur status, quorum genius & propensiones ab aliis differunt maximè; ad satisfaciendum ergò illis tot opus esset legibus particularibus, quot status essent diversi in ista natione. In statuum quolibet non habent singuli eundem genium, eosdem affectus, easdem proclivitates; oporteret ergò ad obsequendum illis tot condere leges particulares, quot contineret quilibet status personas. Et tandem quælibet persona sæpius immutat genium & inclinationes suas, juxta quod immutat vel ætatem, vel officium, vel conditionem, vel negotium, necesse igitur foret incessanter cum ipsâ suam mutari legem, si consolata vivere vellet. Et quænam hæc foret in universo orbe perturbatio?

Non sanè molli hâc & dissolutâ indulgentiâ, quâ obsecundatur propensionibus subditorum, moderari feliciter licet Principi Monarchiam: oportet, ut faciat obtemperari sibi, cumque voluntas sua inclusa sit in lege, ipsa universalis sit regula voluntatis populorum. Non oportet ipsum transcendere rectitudinem legis, ut voluntatibus condescendat subditorum; Nam si nunquam recederet ab eâ, ipsius gubernatio tam æquitati foret consentanea, tam felicitate refecta, ut nunquam invenire liceret in ipsa defectum vel minimum.

Nunquam Princeps minus indulsit inclinationibus subditorum quam JEsus Christus.

Nunquam stabiliit Princeps tam vastum imperium in terra, sicut JEsus Christus; nunquam aliquis tam perfectè suis præfuit, nec unquam aliquis tam parum est obsecutus suorum inclinationibus subditorum: Nam potius reluctatur illis in omnibus, & non est, qui de eo audeat conqueri; imò potius ob id ipsum adoratur ut DEus & amatur ardenter à cunctis fidelibus servis suis, qui non cessant inferre sibi vim, seque ipsos oppugnare, ut obediant ipsi, proprio suo edocti experimento, in hac perfectam suam consistere felicitatem. Ille semetip-

metipsum fecit legem & regulam subditorum suorum, quæ nonnisi in tribus consistit verbis: *Ego sum via, veritas, & vita.* Joan. 14. Pauca hæc verba, quæ includunt omnia æternitatis circa opus salutis hominum decreta, sunt solidum fulcrum ac basis regni JEsu Christi in terris, cujus ante finem sæculorum non erit finis.

JEsus Christus est sola via, quam sequi oportet.

Ego sum via, dicit nobis, sequimini me, omnes me sequi oportet, omnes mea premere vestigia; Ego enim unica sum via, quæ ducit ad vitam æternam, nec alia est via, quâ accedatur illuc: quicunque aspirat eò, per me accedat, necesse est; quisquis sit, cujuscunque nationis, cujuscunque conditionis, cujuscunque animi, cujuscunque indolis, & in quocunque vivat sæculo; oportet omnes indiscriminatim per eandem ambulare viam; qui deflectit ab ea, aberrat & peribit in æternum; Ego solus sum via, nec est alia extra me.

Sed Domine, via hæc est nimis arcta; siquidem tu nunquam tenuisti viam latam, id est, tu nunquam vixisti lautè, nunquam in abundantia & commoditatibus vitæ, sed semper arctatus & contentus purâ necessitate, quæ & sæpius tibi defuit. Nunquam trivisti viam nec divitiarum, nec honorum, nec voluptatum; sed potius cuncta tua itinera fuêre paupertas, humiliatio, afflictio. An ergò omnes delectu omni remoto vis ambulare per hanc viam? Cum unica sis via, oportet necessariò per hanc incedere, vel renuntiare saluti. Verùm hæc summè adversatur cunctis naturalibus inclinationibus hominum.

Omnes tentantur ambulare hanc viam.

At quid saltem non dispensas, nec eximis ab ea Magnates mundi, molles, delicatos, ingeniosos, illustri prosapiâ genitos, effœminatè in conditione sublimi educatos? Quâ enim ratione sequi te potuerunt per hanc viam, quæ tam est oppositа inclinationibus ipsorum naturalibus. Sed quando vident, diceret tibi, quod ego ipsemet incesserim per eam, quid allegabunt pro dispensatione sui? An majores sunt me, illustrioris prosapiæ, delicatiores, ingeniosiores, sublimioris me conditionis? Quando vident, me per hanc incessisse ex amore sui, abnuere an poterunt ambulare per illam ex amore mei? Si autem amore mei nolint, considerent saltem & benè perpendant, pendere ex eo æternitatem suam. Ego unica sum via, quæ deducere potest ipsos ad æternitatem beatam; reliquæ omnes, quas arripere poterunt, non deducent ipsos nisi ad miseram & perpetuò infelicem.

Abusus igitur est & error, persuadere sibi, non obligari omnes ad ducendam vitam Christianam, eòquòd non omnes similis sint conditionis; quod unusquisque ambulare debeat & possit viâ suâ, sibique formare semitam suæ conformem dispositioni, sicque omnes esse possint boni Christiani pro modulo suo, fraus est, abominandus error est. Nonnisi unicus & solus JEsus Christus est, quem sequi oportet, nonnisi unica via est, quæ ducit ad salutem; ipsa recta est, ipsa inflexibilis est, indeclinabilis est. Nemini licet curvare illam, ut incedere possit per eam juxta inclinationem suam; sed oportet omnes renuntiare sibi ipsi, & proprias suas dimittere propensiones, ut amplectantur illas viæ hujus; nemo enim unquam invenit viam cœli, naturales suas sequendo inclinationes.

Hæc veritas erat ultra captum nostri Politici: siquidem objecit mihi, nec æquum esse, nec possibile, quod omnes indifferenter eâdem incedant via. Nonne oportet habere Principem omnis conditionis, & diversi instituti subditos in regno, suo quorum unicuique libertatem concedat vivendi more suo, ratione suâ? Quid enim foret, si omnes reducere vellet ad eandem vitæ formam & normam? sed capiebat id malè: siquidem differentia est inter Principes sæculi, quorum regnum est extrinsecum & imperans corporibus, & JEsum Christum, cujus regnum est internum & dominans animabus.

JEsus Christus vult omnes subditos imperii sui, ejusdem esse conditionis respectu sui.

Verum quidem est, Principes mundi considerare plurimùm conditiones diversas; nec velle debent, omnes suos subditos æqualis esse instituti, tenere eandem aut similem vivendi formam. Sed JEsus Christus, cujus regnum est in animas, absque eo, quod attendat diversitates has externas conditionum & institutorum, vult omnes indifferenter ambulare eâdem viâ, omnes eodem vivere spiritu, omnes easdem credere veritates, omnes easdem exercere virtutes, omnes eandem fovere spem, omnes ad eundem tendere finem, & omnes eosdem in corde suo nutrire affectus. Et sic inter maximam varietatem conditionum & officiorum externorum, quæ concernunt gubernationem Principum sæculi, illa JEsu Christi, qui non attendit has differentias, vult omnes animas ejusdem esse conditionis, ejusdem instituti, per eandem incedere viam: *Ego sum via.*

Ad-

JEsus Christus est sola veritas, cui credendum est.

Adjungit expresè: *Ego sum veritas.* Ne desumas vitæ tuæ interioris lumina & cognitiones extra ipsum: siquidem invenies ubivis alibi non esse nisi vanitatem, & videbis, quòd omnis homo sit mendax. Quando dicent tibi: Beati divites, qui habent hìc consolationem suam: quódque suavi modo per hanc viam possit quis procurare salutem suam, ne credas; ego enim dico tibi ex adverso: *Væ vobis divitibus, qui habetis hìc consolationem vestram. Quàm difficilè est divites intrare Regnum Cœlorum! Facilius est transire Camelum per foramen acûs, quàm divitem intrare in Regnum DEI.* Jam hoc fieri non potest nisi per miraculum, & miracula possibilia non sunt cunctis viribus humanis. Et hoc est, quod dixit: *Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

Luc. 6. & 18.

Luc. 14.

Stulta sapientia mundi non suadet, nisi errores.

Hæc renuntiatio potest esse vel exterior, quæ pertingat usque ad exspoliationem actualem omnium rerum temporalium: hanc suadeo, sed non præcipio: vel potest esse interior usque ad separationem perfectam cordis ab omni affectu erga cuncta bona caduca, ita ut anima, quamvis possideat exterius magnas divitias, sit pauper spiritu & voluntate, quasi nihil possideret in mundo; & hoc renuntiationis genus omnibus præcipio, quòd absolutè necessarium est ad salutem. Si repugnet hæc lex inclinationibus vestris naturalibus, memores estote, me eam non condidisse ad obsecundandum & indulgendum illis, sed ad corrigendum & dirigendum ipsas: Et creditote mihi; siquidem *Ego sum veritas.*

Si mundus dicat vobis, permissum esse nobilibus, potentibus, ac iis, qui illustri orti sunt genere, vel qui splendidis præsunt muneribus, amare gloriam, seque attollere super alios: assentior quidem, quòd penes exteriora necessarium non sit, occupare tales ordinem & locum intervernas & servos, cùm oporteat quandam esse subordinationem, & quemlibet tenere locum suum; sed si dicat vobis, permissum esse aliquibus amare honorem & vanam mundi gloriam, ne credatis illi, decipit vos. Ego enim ex adverso dico omnibus: *Amen, Amem, dico vobis; nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Matth. 18.

Neminem excipio, non discerno inter dominos & servos, inter Principes & nobiles ac commune vulgus: omnes animæ sunt æquales, & omnes eâdem obstringuntur ambulare viâ. Oportet ergò omnes suum abstrahere cor ab omni desiderio vanæ gloriæ mundanæ, omnésque verè exercere virtutem humilita-

militatis, saltem intus in animo: oportet omnes agnoscere infinitam suam dependentiam à DEO, seque nihil esse ex nativitate sua, cùm omnes æquali ratione prodierint è nihilo, & consequenter nihil ipsis debeatur, nisi contemptus; & hoc est, in quo propriè consistit Spiritus humilitatis.

Non attendendum, cujus conditionis quis sit, penes exteriora.

Ne attendas, cujus conditionis exterius, sed considera, quod cùm omnes æqualiter sint Christiani, omnes æqualiter obligati sint, exercere paupertatem spiritus & humilitatem interiorem. Nullum facio discrimen inter maximos & minimos in mundo, nisi quod magni & divites debeant esse magis pauperes & humiles, eòquòd indigeant virtute magis solidâ magisque heroicâ, ut vivere possint pauperes spiritu in medio omnium suarum divitiarum, & humiles corde in medio honorum, quibus afficiuntur. Ne permittas te decipi vanis illusionibus mundi, nec adulatoriis persuasionibus hominum, nec tyrannide consuetudinis, nec exemplo multitudinis, nec propriarum tuarum inclinationum pondere: Nam reluctantibus his omnibus verum est, neminem esse in mundo, cujuscunque sit conditionis, qui obtinere possit salutem absque vera cordis humilitate. Et circa hoc nemini credito, quam mihi; nam *Ego sum veritas.*

Omnes æqualiter sunt Christiani.

Quando dicent tibi; quòd liceat quærere vitam magis jucundam, magisque commodam, ad custodiendum te, quantum potueris, à patiendo; quòdque ducere tibi liceat dies tuos in omni genere voluptatum, modò innocentes sint & innoxiæ; ne credas iis, decipiunt te; non enim hæc cœli est via, quam declaravi arctam esse ac difficilem, dum dixi: *Quòd oporteat portare crucem suam omnibus diebus vitæ suæ*, id est, quòd oporteat pati; *quòd Regnum Cœlorum vim patiatur & violenti* (id est, qui sibi vim faciunt) *rapiunt illud.* Verum ergò non est, quòd operari quis possit salutem suam, suam agendo vitam in omni voluptatum genere, modò hæ sint innoxiæ; cùm omnibus indiscriminatim hominibus intimaverim: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.*

Christianus non debet dicere vitam molliem. Luc. 9. Matth. 11. Luc. 13.

Nec dicatis mihi, mundum hoc non credere, omnesque mundi homines credere contrarium, & ita quidem, ut, quamvis omni studio se munierint contra omnia afflictionum genera, & aucupati fuerint vitam, quantum ipsis licuerit, maximè commodam cunctisque voluptatibus plenam, promittant sibi, se certò ituros ad cœlum, modò enormia non committant peccata. Dico enim vobis, illos plurimùm decipi; cùm ego sim via, hancque viam

Fraus eorum, qui fugiunt austeritatem.

viam ambulaverim nunquam. Et quando ita se invicem sequuntur ad exploranda media, quibus suis indulgeant & obsequantur inclinationibus, quamvis id innocenter se facere credant, cœci sunt, quorum unus ducit alterum, ut omnes in eandem præcipites agantur foveam. Omnis homo est mendax, & stultorum infinitus est numerus; ne assentire ipsorum opinioni, crede mihi potius; nam *Ego sum veritas.*

JEsus Christus est vita, extra quam non est nisi mors.

Et tandem nobis dicit: *Ego sum vita.* Qui vult vivere, totus esse debet plenus ipso, id est, debet habere ipsius spiritum, ipsius regulas, ipsius affectus & sensa, debet agere, quod egit, & omnes ipsius sequi inclinationes, quæ magis adversantur nostris, quàm adversetur dies nocti: siquidem nos propendemus ad aucupandum voluptates sensuum, ipse ad amandum crucem & afflictionem; nos ad sectandum vanos mundi honores; ipse ad immergendum se in profundissimas humiliationum abyssus: nos ad desiderandum ardentissimo affectu abundantiam divitiarum; ipse ad oblectandum se perfectissimâ extremæ paupertatis exspoliatione. Cùm igitur divinæ ipsius inclinationes, quæ omnes sunt supernaturales, sint vita animarum Christianarum, sequitur, quòd nostræ, quæ totæ terrestres sunt & naturales mors sint spiritûs Christiani in animabus. Nos vivere non possumus vitâ Christianâ, nisi relinquamus inclinationes nostras naturales, & induamus nos illis JEsu Christi; & quando deserimus divinas ipsius inclinationes, ut sequamur nostras, deserimus vitam ut apprehendamus mortem: Nam quicunque recedit à vita, ingreditur in mortem.

Obliviscì JEsum Christum & vivere sibi ipsi, est mori.

O JEsu vera vita animarum nostrarum! quam multi sunt, qui moriuntur tibi, abs eo, quòd sentiant ex eo dolorem! Eheu! Nonnè potiùs abhorrendum, nonnè magis nobis timendum, ne perdamus te, quàm vitam nostram corporalem? Cùm enim verum sit, te esse vitam, non habere te, est esse privatum vitâ; & verissimum est, quòd esse privatum vitâ tali, sit crudelissimè mori. Semper recedimus à te, quando deserimus inclinationes tuas prorsùs divinas, ut sequamur nostras omninò naturales; & nos credimus vivere jucundè, quando morimur reipsâ morte multò pejore, quàm illâ corporum. Mori igitur est aucupari honores, voluptates, divitias; plerique Christiani sic moriuntur perpetuò, & cœci id non advertunt, dum Angeli in cœlo ipsorum deplorant miseriam, & luctum induunt ob ejusmodi mortem. Bona anima, quæ novit JEsum Christum, non ignara,

ipsum veram esse vitam, nihil ita timet, quàm pretiosam hanc perdere vitam, nihilque magis curat, quàm mori incessanter sibi ipsi, ut vivat illi soli.

Quàm exactus sit JEsus Christus in cunctis legibus suis.

Fatendum est, nunquam Principem quemcunque minus indulsisse, minus obsecutum fuisse naturalibus subditorum suorum inclinationibus, eòquòd è contrario adversetur illis ita absolutè in omnibus, ut non tantum interdicat ipsis illa, quo natura propendet, sed præcipiat etiam hæc, à quibus maximè abhorret. Nihil indulget nec permittit illis quidem actionem inutilem, aut verbum otiosum, aut cogitationem malam. An quid exactius, quid severius sit, quàm opponere se malorum etiam minimo? Principes mundi timerent irritare & concitare in rebellionem suos subditos, si nimiùm refrœnarent illos: hoc est, quod firmius alligat & illigat JEsu Christo omnes animas, quæ probè cognoscunt ipsius spiritum. Mirum non est, infirmi tantò plus amant medicum, quantò efficacius affert remedium sanando vulneri, magisque amovendo omni malo idoneum. Et bonæ animæ tantò magis amant JEsum Christum, quantò minus in ipsis tolerat infirmitatis, & quantò magis obstringit ipsas ad vitæ puritatem.

Ecce tamen maximum imperium, & majus, quàm unquam fuerit in terra, cùm se extendat in omnes mundi partes; & imperium magis diuturnum, quàm esse possit, cùm tot ac tantis jam duraverit sæculis; magisque potens, cùm invincibile sit cunctis inimicorum suorum viribus. Ecce tibi illud stabilitum, conservatum, amplificatum, florentissimum contra omnia scita politices humanæ, absque armis, absque divitiis, absque eloquentia, absque indulgentia. Quid dicis ad hæc? Estne hoc opus simplicis hominis? An splendidiori opus sit luce ad demonstrandùm nobis clarè, quòd ille, qui operari potuit hæc prodigia, sit Homo-DEus?

Fateor, reponit mihi, magnus noster Politicus, omnem hanc agendi rationem esse prorsùs admirabilem; sed video aliquid, quod magis adhuc stupendum mihi videtur. Et hoc est.

ARGU-

ARGUMENTUM.

JEsus Christus stabiliit Imperium suum in mundo, quando non amplius visibilis erat mundo.

Articulus V.

Ingens miraculum, quòd JEsus Christus infirmus in vita, imperet velut omnipotens post mortem suam.

QUis est hic Princeps, qui cùm adeò infirmus apparuerit tempore vitæ suæ, tam potens exorsus sit imperium post mortem suam contra naturæ cursum? Siquidem videmus, cæteros omnes non imperare nisi tempore vitæ: Potentissimi quique, qui terrore confixerant universum, dum vixerant, nihil sunt nec faciunt amplius, dum vitâ excesserunt. Salomon Regum maximus affirmavit: *Fui Rex in Israël*; id est, Rex fui, sed ampliùs non sum; breve admodum meum fuit imperium, & potentia mea, quæ apparuit mundo velut fulgur, evanuit velut umbra. Et hic, cujus potentia, quoad vixit, abscondita fuit velut umbra, post mortem suam prodiit quasi sol, è sinu auroræ crescens luculenter, & progrediens in mundo usque ad plenam meridiem gloriæ suæ; & majori cum splendore ipsius apparuit majestas, quando apparere desiit inter homines ipsius persona.

Eccli. 2.

Quando imperâsset in universa terrâ majori cum potestate & gloria, quàm omnes Reges & Cæsares, ignominiosa ipsius mors debuerat esse sepulchrum & tumulus omnium excellentiarum ejus, & nihil relinquere ipsi, nisi memoriam tam odiosam posteritati, ut nulla nisi per contemptum deinceps fieri debuissent de ipso verba: & oppositum prorsus videre erat, cùm maximus hic contemptus glorioſum fuerit initium exaltationis ejus. Siquidem fatis vix cesserat per manus carnificum, in loco infami, in societate latronum, condemnatus per sententiam justitiæ, pro eo, ut acciperetur eorum more, qui fine tam tragico, tamque probroso clausêre vitam, mox honorari cœpit velut Monarcha: fuit enim depositus in sepulchrum omninò novum, velut suum in palatium; duo insignes viri, Joseph, qui erat nobilis Decurio, & Nicodemus, qui erat Princeps Synagogæ, sibi ipsis imposuêre munus, sacrum illuc comitandi funus, afferri jussis plurimis aromatibus, ad perfundendum odore suavissimo locum istum: collocati sunt milites ad ejus tumulum, velut stativum præsidium circa Principis solium. Quanta magnificentia, quantus splendor in ejus sepultura, cujus mors tam erat infamis,

Mors erigiens sceptrum cunctis Principibus, consignat illud Jesu Christo.

famis, probrosa, obscura! Unde est, quòd tota gens Judaica, quæ tantâ fuerat accensa in ipsum rabie non impedierit hæc omnia? sed vinci ipsa incepit, dum credidit se vicisse.

Adorari fecit JEsum Christum publicatio crucis & probrosæ mortis ejus.

Exin videre erat publicari ipsius gloriam velut illam Dei immortalis; & allegata fuit ipsius crux, ipsius mors, ipsius ignominiæ, ipsius probra, in medio eorum, qui ea viderant, velut efficacissima media & motiva ad conciliandos ipsi supremos honores; & occulta quædam virtus persuasit mundo contra omnem verisimilitudinem, ut universus orbis amplecteretur hanc fidem, ficque ipsius imperium dilatatum fuerit in omni terra: fateor, non tantum complecti hoc in se nihil humani, sed insuper nil esse, ex quo majori cum splendore effulgeat potentia Dei.

Verùm ita est, dicebam ipsi, quòd Deo sic placuerit sapientiam confundere humanam. Regnum JEsu Christi est regnum gratiæ; nunquam id melius stabilitum est, quàm supra ruinas naturæ: continua & nunquam intermissa est pugna naturam inter & gratiam; quando natura tenet imperium, succumbit gratia, sicut accidit in omnibus mundi servis, & quando gratia obtinet sceptrum, oportet succumbere naturam, ipsamque destrui, sicut contingit in servis Dei. Oritur admiratio, quòd ipsos nunquam non adoriantur millenæ calamitates, quódque omnia tam inauspicato ipsis succedant omine secundùm naturam, ut infelicissimorum accenseantur numero in terris; sed ex hoc ipso maximum faciunt profectum & referunt fructum ex parte gratiæ: quælibet calamitas, quæ nobis videtur destruere illos, est victoria gratiæ supra naturam, quæ semper debilitatur, & quando tota destructa est, est gratiæ triumphus & absolutum imperium spiritus Dei; & huc qui pervenerunt, sunt in regno JEsu Christi.

Magna oppositio inter servos Dei, & illos mundi.

Quàm opposita est conditio servorum DEI & servorum mundi! hi prosperitates suos finiunt cum vita sua, & inveniunt ibi initium æternarum suarum calamitatum; & illi finiunt afflictiones suas cum vita sua, & inveniunt in hoc fine principium æternæ felicitatis suæ. Felices humiliationes tam parvi temporis mox finiendæ, quas excipiet gloria finienda nunquam! Et sic res agitur coram oculis nostris, quin ponderemus, ipsámque cordi habeamus: nam qui haberet, protinus videret illud, quod regnare nuncupamus in hoc mundo, splendere dignitatibus, seque attollere super omnes, viam esse, quâ ad nostrum pertingamus nihilum; & id, quod

quod appellamus obrui miseriis, & nonnisi malè ominatos habere eventus, esse viam, quam JEsus Christus stravit & aperuit nobis ad conscendendum summum verticem gloriæ ; esse viam, quam omnes ambulârunt Sancti, & per illam obtinuerunt possessionem regni.

Imperator Arcadius & Eudoxia ipsius conjux regnabant in mundo non minus gloriâ coronati, quàm prosperitate inflati, dum magnum illud Ecclesiæ Orientalis lumen sanctus Joannes Chrysostomus obruebatur laboribus, quos zelus gloriæ Dei & salutis animarum, pro utilitate gregis, ipsius imponebat humeris. Zelus ipsius videbatur ignitus nimium pluribus in aula magnatibus, quibus odio est veritas quæ adulari nescit : mirifica ipsius libertas in arguendis ac increpandis vitiis eousque displicebat Imperatrici, ut lethalem in ipsum conciperet indignationem, & ejusmodi concitaret persecutionem, quam persuadere sibi quis potest fabrefieri posse à potestate tam absoluta, & quidem obcœcato animi impetu præoccupatâ.

Mirabilis triumphus S. Chrysostomi post persecutionem & mortem ipsius.

Post plures ipsi intentatas & ab eo toleratas injuriarum tempestates, quibus obruebatur eo consilio. Ut ipsemet discederet ad quærendum pacem in fuga sua, videns Imperatrix, ipsum hanc in sua invenire patientiâ, ablegavit illum in exilium, in angustum quendam locum Armeniæ, cui alia non est eminentia, nisi quòd honoratus fuerit tanti viri præsentiâ. Et in hoc exilio dilectam suam invenit patriam, felicissimè pœnosam finiens vitam, totus onustus palmis, quas ipsa demetere & reportare fecit ipsum in omnibus pugnis suis. Hucusque non fuerant, nisi tribulationes, nisi persecutiones, nisi contemptus, nisi injuriæ, nisi minæ, & omnis generis miseriæ ; sed quod sequitur, non sunt nisi honores, nisi gloriæ, nisi triumphi. Tenuit nimirum iter divini sui Magistri Chrysostomus, persecutionibûs, sicut ipse exagitatus usq; ad mortem, & exin regnare incipiens in morem Monarchæ, velut ipse, ab instanti mortis.

DEus vindicat mortem ejus.

Siquidem quamprimum DEus suas in aciem eduxit copias, & omnia ad ulciscendam mortem servi sui concitavit elementa : horrenda namque dilapsa est grandinis copia, supra civitatem Constantinopolim, velut tot spiculâ, evibrata in ipsos à cœlo in æquissima sua iracundia : quatuor post dies citata est infelix Eudoxia ad comparendum coram judicio Dei, & reddendum rationem de vita à se extincta, quæ sola majoris erat pretii, quàm cætera omnia sui imperii ;

& ipsemet Imperator Arcadius non longè pòst eâdem cum ipsa subire coactus est fata.

Reliquiæ ipsius non possunt transportari.

Quandoquidem sanctus Joannes Chrysostomus semper vivens & regnans in corde charissimi sui gregis, tanto succenderat ipsos desiderio, fruendi ipsius præsentiâ, & saltem ipsius possidendi corpus, abripiente sibi cœlo illius animam, catervatim accedunt Imperatorem Theodosium juniorem, supplicem ipsi præsentantes libellum exaratum suis supra faciem lachrymis, elatâ declamatum voce per gemitus & clamores populi: Restituatur nobis thesaurus noster, reddatur nobis charissimus pastor noster; Theodosius obsecuturus ipsis, ablegavit nonnullos è Senatoribus, quibus in mandatis dedit, ut pretiosa & sacra hæc Constantinopolim transferrent sanctissimi viri Lipsana. Vadunt, omnem adhibent conatum sed impossibile ipsis erat dimovendi illa è loco.

Nicephorus l. 14. c. 24.

Socrat. l. 7. c. 24.

Theodoret. l. 5. c. 36.

Baron. an. 438.

Theodosius attonitus & commotus ex abnutu, ex repulsa sibi facta à sancto, cogitavit secum, quid faciendum, ut adducerent ipsum ad hoc, quatenus suâ se vellet dignari & honorare præsentiâ. Init consilium cum Proculo successore Chrysostomi in sede Constantinopolitana, & pluribus aliis sanctis & sapientibus viris, ipsisque dicit, statuisse, se scribere Sancto quasi adhuc viveret, & porrigere ipsi humillimum codicillum supplicem, in quo post factam honoris reparationem, & petitam injuriarum à parentibus suis acceptarum veniam efflagitaret instantissimè, quatenus reverti dignaretur Constantinopolim, recepturus ibi solemnes cum magnificentia applausus sibi debitos, suamque reascensurus Cathedram, è qua iniquissimè fuerat ejectus. Egregium hoc approbatum fuit consilium, & quantocyus excutioni mandatum.

Opus magnæ pietatis confectum à Theodosio Juniore.

Affertur epistola Imperatoris S. Chrysostomo; legati collocant ipsam maxima cum veneratione supra sacrum ipsius corpus, & prostrati ante ipsum flexo in terram poplite obsecrant, ne obseret aures Monarchæ huic sibi devotissimo, & toti suo gregi amore sui vehementer accenso, instantissimè supplicantibus. Quatenus Ecclesiam suam consolari suâ velit præsentiâ. Annuit illis & amoveri se sinit absque difficultate; supponunt humeros pretioso huic thesauro deportando Presbyteri, præcedit Cleri sacer ordo, replens æthera carminibus lætitiæ, gratiarum actionis Deo, & encomiorum magni hujus Sancti: innumerabilis hominum multitudo adjungit se comitem, accensas torquens manibus faces, & splendido hoc appa-

hoc apparatu Calcedoniam usque deducit ipsum, quò accesserat Imperator Constantinopoli cum Senatu & Episcopo, nobilibus & totius civitatis Magnatibus ad excipiendum illum. Videbatur terræ induisse cœlum, mirum in modum resplendens gloriâ Dei, tot videre erat accensa lumina, quæ velut totidem erant firmamenti sidera; videbatur sibi quisque novenis Angelorum interesse choris, demulsus suavitate harmoniæ cœlestis; & quilibet credebat se Paradisum jam tenere, inebriatum torrente æternarum ipsius deliciarum; tanto demulcebantur in cordibus suis gaudiorum cumulo.

Translatio glorioſi corporis S. Chryſoſtomi.

Ubi attigerat pretiosum hoc corpus Thracii ostium Bosphori, impositum est magna cum reverentia Imperatoris triremi. Mox Pontus magis honoratum, quàm oneratum sacro hoc depositò se æstimans & quasi alia ex parte illectus clangore tubarum tranquillè & velut in triumpho portabat illud: interim venti volentes quoque ex parte sua huic contribuere magnificentiæ, levem quandam concitârunt tempestatem, quæ alio carebat effectu, nisi quòd navigiis utrobique dissipatis, reliquerit triremem regiam in medio cæterarum omnium, quæ componebant velut coronam hacque cingebant illam. Non diu autem manens in hoc statu, abscedit subitò, impulsa vento impetuoso & deducta à manu Dei, vel potius stimulata ab ardenti viri sancti, quem portabat, zelo, ferebatur rectà versùs vineam pauperis viduæ Theognostes, cujus susceperat defensionem contra tyrannidem Imperatricis Eudoxiæ, velut si cœlum demonstrare voluisset approbationem, quam dabat glorioſæ illi actioni, porrigens ipsi hujus victoriæ palmas, in actu ipso sui triumphi.

S. Chryſoſtomus mortuus reponitur in ſedem ſuam, & pacem dat populo.

Ventis mox omnibus pacatis, & mari tranquillitati suæ restituto, omnes se congregant triremes, & feliciter appellunt Constantinopolim, quæ maximo cum desiderio exspectat charissimi sui pastoris adventum, tota disposita recipere ipsum omni sibi possibili cum splendore, pompâ, magnificentiâ. Imperatoris Rhedâ in suam devectus Ecclesiam, fuit à Proculo repositus in solium suum Episcopale, interim universo populo, qui confertim impleverat Ecclesiam, altùm acclamante: Resume tuum locum, ô charissime noster Pater, reside iterum in tua Cathedra, & esto semper Episcopus noster. Proculus ipsemet & plures alii attestantur, audîsse se ex ore Sancti plenissima hæc paterno amore verba: *Pax vobis.*

Hâc

Hâc ratione JEsus Christus regnat, hâc ratione regnare facit suos; ipsorum regnum non est de hoc mundo; quamdiu hic sunt, accipiuntur velut servi, & quamdiu conspiciuntur, despiciuntur. Sed quando non amplius spectantur in mundo, tunc dominium obtinent, & evadunt supremi Monarchæ mundi. Nonnè enim videntur non solùm populi, sed supremæ mundi potestatis se prosternere ad pedes eorum, ad præstanda ipsis homagia?

O JEsu! quis non admirabitur majestatem imperii tui? Tu stabilisti illud in mundo absque armis, absque divitiis, absque eloqnentia, & absque indulgentia; & absque his omnibus dilatatum est in universo orbe, & cunctis labentibus sæculis, eâdem subsistit cum potestate, substrata pedibus suis tenens sceptra, & Regum terræ diademata. Veruntamen ipsius magnificentia carnis non patet oculis, cùm tota concluſa sit in interiori, & potissima ipsius ornamenta sint humilitas, patientia, charitas, & cæteræ virtutes omnes, quas nihili facit mundus.

O vanæ mundi fallaciæ, quantum decipitis miseros mortales, quanto estis dignæ despicatu! Esse ultimum & novissimum in regno JEsu Christi pluris est, quàm esse primum in florentissimo regno mundi. Imò conditio ultimi omnium servorum Dei, absque comparatione majoris est conditione primi & præcipui è Regibus terræ, si ipse non sit servus Dei. Siquidem eheu! quàm citò humanæ tragœdia luditur & concluditur vitæ! Et quid prodest homini lusisse & tulisse hic personam illustrem paucis vitæ suæ momentis, si posthæc condemnetur ad ardendum inter flammas devorantes in omnem æternitatem? & quid obest homini non egisse nisi personam pauperis, contempti, afflicti, persecutionibus oppressi, afflictionibus onerati, fluente brevissimo hoc vitæ momento, si regnabit posthæc beatus possessione boni infiniti, per cuncta sæculorum sæcula. Pondera hæc benè, & vide differentiam inter servos Dei, & misera mundi mancipia. Perpende hæc seriò, & cunctâ vitâ tuâ huic immorare & immorere cogitationi.

Melius est esse ultimum in regno JEsu Christi, quàm primum in regno mundi.

CON-

CONSULTATIO XVI.

Miracula, quæ JESUS CHRISTUS operatus est ad confirmandam suam doctrinam, clarè ostendunt ipsius Divinitatem.

QUando exclamatur, miraculum, miraculum! omnes arrigunt aures, & quivis jam videtur dispositus ad auscultandum cum voluptate, quid sit dicendum. Videtur hoc ideò esse, quòd exspectetur quidpiam inusitati, quod facere possit satis curiositati. Verum hoc est reipsâ ex occultâ quâdam inclinatione, quâ afficimur omnes, intuendi effectum quendam insolitum omnipotentiæ DEI, qui nos magis luculenter deducat in ipsius cognitionem. Siquidem verum est, non vehementiori nostram teneri animam desiderio, quàm suum cognoscendi Creatorem.

Cur omnes ità desiderent videre miracula.

Certum est, ipsum se nobis demonstrare satis clarè in operibus naturæ, quæ viderentur nobis tot miracula, nisi essent nobis quotidiana, nunquam non ob oculos, & semper eadem. Sed videtur, quòd intellectus noster velut nauseans assuetam hanc rerum naturalium seriem, urgeatur fame videndi aliquid, quo attollatur sursum, quo immutetur, quo invertatur, quia putat, visurum se hic magis evidenter manum DEI. Hoc est, quòd plures efficit tam credulos miraculorum enarrationi, ut non discernant quasi inter falsa & vera, non considerantes, haud minus malum esse credere nimium, quàm credere nimis parum. Primum tendit ad superstitionem, alterum infidelitatis est indicium.

Ardens & vehemens erat disceptatio occasione alicujus miraculi recens facti, quando adjunximus nos societati plurium & diversorum hominum, qui redierant è peregrinatione & visitatione sacri cujusdam loci. Aliqui dicebant, id esse nonnisi illusionem, alii credebant id verum esse miraculum, & singuli suas afferebant rationes. Sed quia homines erant majoris pietatis, quàm eruditionis, conveniebant staturos se judicio boni nostri Ecclesiastici, qui in utraque insignis erat; & exin recen-

ſuerunt illi factum, obſecrantes, ut ſuam deſuper ferret ſententiam. Inſtituit ergò cum illis non minus jucundam, quàm doctam Conſultationem circa miracula, quæ ejusmodi fuit, ſicut videbis.

ARGUMENTUM.

Quid æſtimari poſſit verum miraculum, & quomodò diſcernantur vera à falſis.

Articulus I.

CONvenitis in hoc omnes, dari miracula, cum hoc diſceptationis veſtræ ſit argumentum: non enim de miraculis vobis eſt dubium, ſed ſolùm contenditis de veris & falſis. Is, qui probare nititur, factum enarratum falſum eſſe miraculum, valdè benè probat per hoc, vera dari miracula; impoſſibile enim eſſet, falſum aliquod eſſe miraculum, niſi daretur aliquod miraculum verum, cùm certum ſit, nihil haberi poſſe pro falſo, niſi id, quod deflectit à veritate; quemadmodum non daretur aurum falſum, vel argentum falſum in mundo, niſi daretur aurum vel argentum verum, eòquòd falſum non ſit niſi illud, quod habet ſpeciem veri, naturam tamen veri non habet: quemadmodum etiam nunquam fuiſſet tam ingens falſorum Deorum numerus, niſi eſſet unus ſolus verus Deus, eòquòd eorum falſitas non ſit niſi receſſio ab ipſius veritate, eorúmque multitudo digreſſio ab ipſius unitate. Tolle unitatem, multitudo ac numerus non erit amplius; tolle veritatem, & amplius non erit falſitas & mendacium. Sic poſito, non dari vera miracula, nihil haberi poſſet pro miraculo falſo, eòquòd nihil deflecteret à veritate, quæ non eſſet.

Oportet vera eſſe miracula, eòquòd ſint falſa.

Verùm inveniuntur plura falſa miracula, eòquòd inveniantur plura miracula vera. Nemo ſanæ mentis eſt, qui negare audeat omnes Scripturas veteris & novi Teſtamenti, omnesque hiſtorias & ſanctorum volumina Patrum, quæ redundant enarratione miraculorum, quæ cunctis patrata ſunt ſæculis; patrantur ejusmodi adhuc quotidiè, quæ pluribus firmantur teſtimoniis. Quomodò enim hæc omnia habeantur velut figmenta, fraudes, fallaciæ?

Nihilominus, inquit ille, qui difficilem ſe præbebat ad credendum: pro vero miraculo, quod quandoque contingit, recen-

Falsa miracula non debent fidem auferre veris.

censentur plura miracula falsa, quæ dubium non immeritò movent de veritate aliorum. Et accidit, ut pro eo, quòd aliqui nimiùm se credulos exhibeant, & omnia pro veris admittant miraculis, alii econtra, ne leviusculæ credulitatis sibi inurant notam, perstringant hæc omnia falsorum miraculorum censurâ. Sed ambo malè faciunt, reponit Ecclesiasticus: nam sicut verum non est, id omne, quod vulgus aspicit velut quidpiam portenti, re ipsâ verum esse miraculum, ita verum quoque non est, quòd inter hæc omnia nec unicum sit miraculum verum. Fateor, quandoq; circumveniri aliquem posse, sed habemus infallibiles notas, ex quibus discernamus miracula vera à falsis; & ecce tibi illas.

1. p. q. 105. a. 7.

Sanctus Thomas docet, quòd ad probandum verum miraculum, requirantur potissimum tria. Primum, opus tam difficile, ut excedat omnes vires naturæ. Secundum, ut illud sit inusitatum, & non contingat nisi rarò. Tertium, ut rapiat in admirationem, eòquòd accidat contra omnem verisimilitudinem, & contra omnem spem; hocque propriè est, quod illi tribuit nomen miraculi, eòquòd conciliet admirationem.

Tres conditiones requiruntur ad verum miraculum.

Examino quodpiam miraculum ex prima conditione, & quæro: Estne aliquod opus, quod excedat omnes vires naturæ? si quæstio est de natura divina, nihil est, quod excedat ipsius potentiam, quæ est infinita: Et hinc est, quòd quamvis verum sit, nonnisi solius Dei esse, patrare miracula, nihilominus dici non possit, aliquid miraculosum esse respectu omnipotentiæ DEI, cùm omnia, quæ producit opera, quamvis magna nobis videantur & admirabilia, nihil propemodùm sint respectu ejus, quod producere potest. Creatio mundi, quod exquisitissimum nobis videtur opus, non est ergò miraculum, cùm certum sit, quod omnipotentia Dei innumerabilem multitudinem eorum, qui multò majores & speciosiores sint præsenti, posset producere. Sic dici posset, quòd Deus solus cuncta faciat miracula, & quòd Deus solus nunquam faciat miracula.

S. Thom. ibid. a. 8.

Deus nulla facit miracula, & facit omnia

Verùm si quæstio sit de natura creata, certum est videri res, quæ omnes transcendant naturæ vires, & consequenter vera sint miracula: Et hoc evidenter probat, nullam creaturam, nec Angelos, nec homines, nec dæmones, unicum solum operari posse miraculum, eòquòd nulla causa operari possit supra vires suas naturales; & nihil pro vero haberi possit miraculo, quod omnes naturæ vires non transcendat: quando ergò aliqua creatura quoddam patrat miracu-

Nulla creatura facere potest miraculum.

lum, inde est, quòd attollatur supra conditionem suam naturalem ab omnipotentia Dei. Semper ergò Deus est, qui miracula operatur.

Difficillimum est cognoscere, an aliqua res transcendat vires naturæ.

Major difficultas est, scire, an aliquod opus re ipsâ transcendat omnes naturæ vires: quis nobis hoc dicet? Siquidem tam arcta & parva est nostra scientia, ut maximam ignoremus partem arcanorum naturæ: abscondit ipsa in sinu suo certas admirandas virtutes, quas magis curiosi quandoque ex parte inveniunt, & dum iis utuntur ratione quâdam nonnisi sibi solis cognitâ, res tam stupendas operantur, ut in admirationem rapiant populos, quas aliqui censent pro miraculis, alii pro fascinis & incantamentis, quamvis re ipsâ nec miracula sint, nec incantamenta, sed simplex effectus virtutis naturalis incognitæ. Et si homines hæc possint, quantò magis Angeli & dæmones, dum utuntur profundâ illâ rerum naturalium cognitione, quæ nostram absque comparatione plurimùm transcendit. Quis nôsse id potuisset; quòd Angelus Raphaël edocuit juniorem Tobiam, quem DEus uti voluit incenso jecore certi cujusdam piscis ad effugandum dæmonium? quis dubitat, quin multas res inusitatas operari possint, quamvis naturales, quas ignorantia nostra nobis proponet velut ingentia miracula?

Quid ergò faciendum, ut benè discernatur verum miraculum à falso per primam hanc notam, quæ præcipua est, & quasi unica infallibilis? Sanctus Thomas dicit, quòd aliquis effectus excedere possit omnes vires causarum naturalium tribus modis. D. Th. 1. p. q. 105 a. 8.

Aliquis effectus esse potest supra vires naturæ tribus modis.

Primò, quoad substantiam rei, quando nihil est in effectu, quò potentia naturalis pertingere possit; velut reddere vitam mortuo, largiri visum cœco nato. Et ejusmodi miracula nuncupantur miracula primæ classis. Secundò, quoad accidentia, quando res non est impossibilis causis naturalibus, nisi ratione aliquarum circumstantiarum: sicut esset, ambulare super aquas, ubi non est nisi moles corporis, vel fluiditas aquæ vincenda; manere in igne & non comburi, ubi nonnisi retinenda est activitas ignis, vel passibilitas corporis. Et hæc vocantur miracula secundæ classis. Tertiò solummodò quoad modum, quando res ex se fieri quidem posset naturaliter, si adhiberentur media congrua, fit tamen absque his mediis, vel etiam cum contrariis, sicut esset subitanea & repentina curatio alicujus morbi absque medicamentis, sive tangendo duntaxat ægrotum, sive formando crucis signum super illum,

lum, ſive fundendo preces pro illo, & ejusmodi miracula vocantur tertiæ claſsis.

Diabolus poteſt fingere miracula.

Sed dices, hoc non ſufficit, ad diſcernendum vera miracula à falſis; nam diabolus facere poterit hæc omnia. Ipſe occupare poteſt corpus alicujus mortui, illúmque exhibere velut vivum, ita ut ambulet, loquatur, videat absque oculis; ipſe poteſt efficere, ut ambulet homo ſiccis pedibus ſuper aquam, ut permaneat in igne, quin comburatur; ſicut dicitur facere veneficis, ut adimat ipſis metum ignis infernalis, quem exhibet quaſi refrigerantem damnatos, ſicut aqua refrigerat vivos; poteſt etiam repentè & absque uſu mediorum plures ſanare infirmitates, ſicut videtur in pluribus, qui ægrotos reſtituunt ſanitati ſolis tantummodò verbis, vel actionibus ſuperſtitioſis, ubi conſtat, pactum aliquod intervenire cum diabolo. Fateor hæc omnia; & verum eſt, non neminem hìc aliquamdiu decipi poſſe? ſed ecce, quâ ratione detegi & manifeſtari poſsit deceptio hujus patris mendacii.

Prima nota.

1. Apoſtoli, qui vera patrabant miracula, ad confirmandam veritatem Evangelii, quam annuntiabant, oppugnabantur à Magis & incantatoribus, qui falſa exponebant aſpectui miracula, ad imminuendam illius auctoritatem: ex hoc mundus tenebatur ſuſpenſus, qui ex utraque parte intuebatur miracula. Quid agendum ad demonſtrandum fraudem falſorum miraculorum? Recurrebant ad orationem, quæ æqualiter ſervit ad obtinenda à DEO vera miracula, & deſtruenda commentitia & falſa. Quando Simon magus aſcendere præſumpſit in cœlum coram omnibus, ad conſervandam, quam ſibi comparaverat, exiſtimationem, quâ credebatur eſſe magna virtus Dei; Simon Petrus proſtratus in terram, ſuas in cœlum ejaculatus eſt preces, quæ prævertentes magum, fulguris in morem præcipitârunt ipſum in terram, ac ipſius contriverunt crura; ita ut hic infelix, qui affingere ſibi volebat alas ad volandum in cœlos, amiſerit plantas ad ambulandum in terris: ſicque omnium aſpectui patuit deceptio falſi miraculi. Oratio igitur eſt optimum medium ad diſsipandum illuſiones diaboli.

Secunda nota.

2. Vera miracula communiter non patrantur niſi à viris Sanctis, & præcipuè ab iis, quorum vita majorem exhibet rigorem & auſteritatem, ſicut annotârunt Sancti, Hieronymus, Athanaſius, Theodoretus, qui deſcribentes vitam admirabilem Sanctorum, Hilarionis, Pauli, Antonii, Simeonis Stylitæ & aliorum,

liorum, ſpeciatim obſervârunt, quòd ſemper fuerit animadverſum, Sanctos, quorum vita erat auſterior & ſeverior, potentiores fuiſſe in patrandis plurimis & maximis miraculis; aliósque, quorum vita erat mitior, magísque uſitata, non patrâſſe niſi pauca & valdè rarò. Non eſt, quòd hæc regula nullam patiatur exceptionem: ſiquidem ſanctus Joannes Baptiſta, cujus vita non erat niſi continuum & inimitabile auſteritatis miraculum, nulla unquam alia patravit miracula, & ex adverſo impoſsibile non eſt DEO, quandoque vera patrare miracula per homines ſceleratos, ſed hoc tam inſolitum eſt, ut regulæ communi nihil præjudicet. Quando miraculum fulcitur & ſtabilitur à ſanctitate vitæ, facillimè verum cenſetur miraculum; ſed quando oppugnatur à vitæ perverſitate, æquiſsimo jure fit ſuſpectum. Periculum eſt ſemper minus reprobando plura vera miracula, quàm admittendo duntaxat unicum, quod ſit falſum.

Tertia nota.

3. Miracula falſa parvo perdurant tempore, veluti ficta theatrorum ſpectacula quantocyùs evaneſcunt. Vera perdurant ſemper, veritas namque Domini manet in æternum: Adhæc ſemper obſervatum fuit, falſa terminari fine tragico & probroſo; velut ſi diabolus animet aliquandiu corpus mortuum, quod fictè repræſentat vivum; quantocyùs enim videbitur cadaver horridum ac fœtidum, quod majorem pariet abominationem oculis, quàm pepererit admirationem, falſum miraculum animis.

4. Ulterius ſanctus Thomas annotat, detegi poſſe fraudem falſi miraculi, quod redoleat ſuperſtitionem, vel artem magicam ex quatuor infallibilibus indiciis. Ne fidas, nec credas, ſemper verum eſſe miraculum, quod obtinetur vel precibus, vel jejuniis; ſed attende 1. an hæ preces nihil contineant, quod ratione quâdam inſinuet invocationem dæmonis. 2. an non proferantur aliqua verba, quæ omninò ſint incognita, quæque nullius ſint idiomatis, ita ut neſciatur, quidnam ſignificent. 3. an non complectantur quidquam falſi, vel abſurdi, ac indecori, quódque non conveniat cum doctrina ſanctæ Eccleſiæ: ſi enim hoc ſit, manifeſtum indicium eſt, eſſe inventionem patris mendacii. 4. Si miſceantur profana Sanctis, & verba ſacra Scripturæ cum verbis frivolis; vel ſi obſervanda ſit vana quædam cæremonia, ſicut vertere ſe orando in unam & non in alteram partem; in tali ſitu, & non in alio; jejunare tali, & non alio die; jejunare tot diebus, & non pluribus.

D. Th. 2. 2. q. 96. a. 4.

Quarta nota continens adlias quatuor aſſignatas à S. Thoma.

bus. Omnia hæc redolent manifestè arcana abominanda artis magicæ; & si accidere contingat hâc ratione aliquam speciem vel verisimilitudinem miraculi, violentam parit suspicionem, subesse miraculum falsum, adeóque condemnandum.

Quinta nota.

Tandem, cùm vera miracula magna sint opera omnipotentiæ Dei, quæ transcendant usitatos effectus naturæ, & sint velut dispensationes à communibus providentiæ ipsius legibus; nunquam operatur illa, nisi ob finem operis hujus nobilitati proportionatum; non ad oblectandum curiositatem, vel satisfaciendum desiderio humano. Verum miraculum nunquam fit, nisi ob finem, ex quo mirum in modum commendetur omnipotentia Dei. Sed quis hic finis, quærit aliquis è Societate scienti avidior? Et hoc præbuit ansam bono Ecclesiastico eundem illis explanandi.

ARGUMENTUM.

Quem ob finem DEus operetur miracula.

Articulus II.

Falsa miracula fiunt ob diversos fines

SI quæras, quare tot homines perversi comminiscentur miracula, & quare diabolus, qui pater est mendacii, conetur exhibere & oculis spectanda præbere illa; dicam tibi id fieri ob fines multiplices, eósque valdè diversos, quorum quilibet habet, quò collimet. Unus nonnisi suum spectat commodum, & ut capiat prædam ex iis; alter, ut aucupetur gloriam suique existimationem; alius quærit oblectationem sui ipsius decipiendo mundum, ludósque faciendo illi; alius intendit seducere & perversam quandam confirmare doctrinam; qui omnes fines sunt pessimi. Sed media, quæ arripiunt illuc pertingendi sunt adhuc pejora: siquidem videtur, velle homines per ea adducere Deum in falsum testem, execranda cum blasphemia; & ipse id suffert admiranda cum patientia, sicut cætera crimina.

Vera miracula non fiunt nisi ob duos fines.

Sed vera miracula nunquam fiunt nisi ob duos fines, vel ad confirmandam veritatem, vel attestandam sanctitatem ejus, qui facit miraculum. Non est verum miraculum, si non ambo hi fines illic inveniantur, vel saltem id non conducat illorum uni sufficit, ut necessarium sit ad confirmandam veritatem nostræ fidei; pessimus homo, qui prædicat & annuntiat eam, facere posset miracula. Legimus in Evangelio, venturos, qui dicturi sint

Matth. 7. ri sint JEsu Christo in die judicii: *Domine, Domine, nonnè in nomine tuo prophetavimus*, id est, prædicavimus veritatem, *& in nomine tuo damonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Ipse negabit, quòd prophetaverint aut prædicaverint veritatem, quódque ad ipsam confirmandam signa fecerint & virtutes; & ideo dicet ipsis: Discedite à me, qui operamini iniquitatem; nescio vos. Reprobi ergò vera patrare possunt miracula, quando annuntiant veritatem; sed miracula non sunt indicia sanctitatis vitæ eorum; sunt solummodò argumenta certa veritatis doctrinæ ipsorum.

S. Gregor. lib. 20. mor. c. 9. Hinc sanctus Gregorius pulchram hanc sententiam in moralibus suis exaratam reliquit: *Probatio sanctitatis non est signa facere, sed unumquemque ut se diligere: de DEO autem vera cognoscere, de proximo verò meliora, quàm de semetipso sentire. Nam quia vera virtus in amore est, non autem in ostensione miraculi; veritas demonstrat, qua ait: In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Qui enim non ait: In hoc cognoscetur, quia mei discipuli estis, si signa feceritis, sed ait: si dilectionem habueritis ad invicem: apertè indicat, quia veros DEI famulos, non miracula, sed sola charitas probat.* Et alibi præclarè dicit: *Nolite ergò fratres charissimi amare signa, qua possunt cum reprobis haberi communia; sed quæ modò diximus, charitatis atque pietatis miracula amate, qua tantò securiora sunt, quantò & occulta, & de quibus apud Dominum eò major fit retributio, quò apud homines minor est gloria.* Ecce tibi bona sanctitatis indicia. Quis est, qui se beatum non æstimaret, si possideret gratiam miraculorum, ut illa pro arbitrio patrare posset? sed aliquid longè majus in tua est potestate; Ama Deum & proximum tuum, æstima alios, teque contemne ipsum; hoc majus est coram Deo, tibique utilius, quàm miracula, quæ facere posses; nam cum his posses damnari, & cum aliis non potes non esse, nisi æternùm beatus.

Miraculum est ad confirmandam veritatem doctrinæ, vel sanctitatem vitæ.

S. Greg. hom. 29. in Evang.

Cur tot miracula in primis Ecclesiæ sæculis, & quare modò respectu eorum tam pauca? Ambo nempe fines verorum miraculorum id temporis requirebant ea: ex una parte veritates sancti Evangelii nondum erant receptæ, & firmiter in mundo stabilitæ: Ecce quam ob causam, dum illæ prædicatæ sunt, necessarium fuerit, evidenter confirmare illa miraculis; & ex altera parte omnes primi Christiani erant sancti, & ideò ad patranda miracula idonei erant omnes. Modò firmitas fidei in mundo non requirit amplius miracula: *quia & nos,* (ut dicit S. Gregorius) *cum arbu-*

Cur tot miracula in primis Ecclesia,

S. Gregor. ibid. in Evan.

sundi-

sta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videamus; & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Et deinde Christiani non sunt his temporibus amplius tam sancti, pauci eorum merentur, ut Deus magnæ ipsorum virtuti testimonium reddat per miracula.

Tempore S. Pauli quasi omnes Christiani faciebant miracula.

Judicari id potest ex eo, quod sanctus Paulus scribit ad Corinthios, quòd omnes sui temporis fideles, usque ad Laicos patrârint miracula; dicit enim illis: *Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate*; nemo certus est, quòd illam habeat, nisi ejusdem certas quoque habeat probationes. Scimus quidem, nos credere in JEsum Christum, sed profectò nescimus, an solùm fide humanâ, & quia nos homines ita docuerunt; an fide divinâ, & quia sic Deus nobis revelavit. Quomodò ergò id scire possum? JEsus Christus ipsemet nobis dedit indicia ad discernendum eos, qui veram habuerint fidem: *Linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non nocebit eis, super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Videtur ergò sanctum Paulum dicere voluisse Corinthiis juxtà opinionem Theophylacti: Facite ipsi experimentum vestræ fidei per miracula, & si nulla ejusmodi facitis, non benè firmatos vos credite in fidei possessione. Verisimile igitur est, quòd primis temporibus, ubi adhuc nascebatur quasi Ecclesia, & illi, qui prædicabant fidem, & illi, qui recipiebant ipsam, hujus æqualia dederant argumenta, evidenter patrando miracula. Sed in illis miracula probabant veritatem doctrinæ, in his attestabantur sanctitatem vitæ.

2. Cor. 13. v. 5.

Marc. 16.

Sed modò cùm amplius non videamus miracula nec in prædicatoribus Evangelii, nec in auditoribus, quam certitudinem habere possumus de veritate nostræ fidei? Ne eodem metiaris prædicatores cum auditoripede; respondet ipsi Ecclesiasticus: siquidem prædicatores hoc tempore non amplius indigent miraculis, ad confirmandas veritates, quas velut indubitatas universa recepit Ecclesia: Idem Evangelium, quod firmatum est in mundo per miracula, subsistit modò absque miraculis, eâdem cum potestate semper idem, & semper invariabile cuncta per sæcula. Et qui hodie confirmare id vellet novis miraculis, non augere sed potius imminuere videretur magnam, quam ubivis terrarum acquisivit, existimationem.

Cur modò non ampliùs tot videantur miracula.

Non sic res habet cum auditoribus, nunquam non dici poterit ipsis: Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ne sitis contenti, didicisse vos has veri-

Omnes veri Christiani semper deberent facere miracula.

tates ex ore hominis illas prædicantis: si non creditis illas, nisi quia ipse has dixit, non esset hæc fides, nisi humana; sed attendite, an receperitis illas verè velut ex ore Dei, illásque credatis fide divinâ: memores estote, quòd cùm eadem sit fides, quæ recepta fuit à primis Christianis, ipsa in vobis operari debeat eosdem effectus; aliàs certi non estis, habere vos veram fidem. Jam illi pro certo credere non audebant, quòd fidem haberent, nisi facerent miracula, quæ JEsus Christus ipsemet designavit illis ceu indicia eorum, qui crediturі essent in illum. Quomodò ergò persuadere tibi poteris, te verè & absque figmento eandem circumferre cum ipsis fidem in anima tua, si nec unicum ex omnibus iis patraveris miraculum?

Quæ miracula facere deberent veri Christiani.

Si non loquaris linguâ novâ, sed eosdem semper profanos effutias discursus, quos frequentat mundus, & eosdem eructes infidelium, qui Dei cognitione privantur, affectus & sensus; si non tollas serpentes, vel eos, qui lethales aliis infigunt morsus venenato obtrectationis dente; vel eos, qui mala per suos sibilos tibi suggerunt consilia; si vel minimum mali exempli venenum, quod hauseris vel per oculos, vel per aures occidat te, tuamque inficiat & interficiat animam; si non imponas manus tuas super ægrotos, ad sanandum ipsorum infirmitates, ad sublevandum ipsorum miserias eleemosynis tuis, & aliis charitatis obsequiis; si unico verbo, si fides tua non producat opera conformia doctrinæ, quam docet, quam habes certitudinem, habere te fidem, cùm non videas in te notas, quas JEsus Christus designavit ad cognoscendum illam? Ex fructu cognoscitur arbor, & ex effectu suo causa. Opus est miraculis, ut certitudo habeatur, hanc fidem esse veram: sed optarem in te videre miracula, id est, opera, quæ transcendant omnes naturæ vires, ut certus sis, habere te verè hanc fidem. Sic enim dicit tibi S. Jacobus: *Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis.* Jacob. 2. v. 18.

Si vel parum haberemus veræ fidei, JEsus Christus promittit nobis, facturos nos miracula, & visuros etiam miracula magnæ suæ ergà nos bonitatis. Aspice fidem istorum populorum, qui secuti sunt ipsum in desertum, quos post se traxerat suorum illecebris verborum: oblivisebantur ipsi omnium, ut totos se illi consecrarent & aliud nil cordi haberent, nisi cognitionem & amorem ipsius. Ecce tibi mirabilem zelum, & JEsus etiam ex parte sua ingens patrat miraculum in favorem horum

Sequi JEsum Christum usque ad miraculum.

tam

tam à longè se sequentium populorum, ut panem amplius non haberent; nam ipse hujus abundantissimam providit illis annonam. Credibile est, plures, qui tam vivâ fide carebant, dereliquisse ipsum in medio itineris, ut pransum irent, vel alia expeditum negotia domestica. Non omnes sequuntur JEsum Christum eousque, ut totos se illi consecrent, cùm semper tangantur curâ, ne defutura sint ipsis necessaria: nostra raro proficit & progreditur fides usque ad miraculum, id est, ut se attollat supra omnem verisimilitudinem & omnem apparentiam naturalem; & tamen certi non sumus, nos veram habere fidem, nisi confirmetur per miracula.

Deo placet, si creatura sua faciat pro ipso miracula.

Quemadmodum nil ita oblectat homines, quàm si spectare liceat ipsis miraculum profectum à Deo; ità nil magis delectat oculos Dei, quàm si miraculum videat in creatura sua. Miraculum est, si ipsa attollat se supra seipsam, & reluctantibus naturalibus suis propensionibus, quibus trahitur ad creaturas, feratur in Deum solum universali abdicatione eorum omnium, quæ non sunt Deus. JEsus Christus tentat quandoque ipsos sicut sanctum Philippum; adoritur enim ipsos timore: Quid faciemus? quâ ratione vivemus, si nos totos ità consecremus & alteri non vacemus nisi soli Deo. Non creditur, hunc qui nos tentat, esse JEsum Christum; & tamen est ipse, qui has suggerit cogitationes, ut tentet fidelitatem & confidentiam animarum. Ut quis unicè sit ipsius, & vivat ipsius vitâ, non oportet magni facere propriam suam vitam. Optimæ alicujus animæ facultates & divitiæ sunt, totam se committere Dei providentiæ.

ARGUMENTUM.

De magnitudine & multitudine Miraculorum JEsu Christi.

Articulus III.

Plures fecerunt miracula majora quàm JesusChristus.

ECce tibi propositionem factam ab aliquo è societate magis perito, cui nomen Probus, qui accedens bonum nostrum Ecclesiasticum, dicit ipsi: Domine, videtur mihi, non ex eo affulgere maximè excellentiam & gloriam JEsu Christi, si dicatur, ipsum patrasse miracula. Tot enim alii patrarunt ea, sicut ipse, imò plura adhuc & majora, quàm ipse: non ergò

deducitur ex eo ingens illa in ipso eminentia, quâ infinitâ ratione transcendit omnes alios.

Verùm maxima hîc differentia est, respondet Ecclesiasticus: siquidem non solum dicendum est, JEsum Christum fecisse miracula, sed dicendum est, ipsummet esse immensum & inexhaustum miraculorum Oceanum; & ut verum fatear, ipse solus est, qui independenter ab omni alio facere possit miracula, & absque ullo alterius concursu; siquidem nec Deus solus facit miracula, nec creatura sola miracula facit. Quando Deus operatur per seipsum, abs eo quòd admittat concursum alicujus creaturæ, sicut, fecit exempli gratiâ, in creatione mundi, dici non potest in rigore, ipsum facere miracula, eòquòd non faciat opera, quæ excedant vires propriæ suæ naturæ divinæ; & quando creatura operatur per seipsam absque supernaturali concursu Dei, ipsa facere non potest miracula, eò quòd impossibile sit, ut elevet seipsam supra vires suas naturales. Non igitur Deus solus facit miracula, nec miracula facit creatura sola.

Quomodò verum sit, non nisi solus Jesu Christi esse facere miracula.

Ad faciendum verum miraculum oportet concurrere Deum & creaturam.

Ad faciendum miraculum oportet concurrere ambos, Deum & creaturam. Jam nonnisi JEsus Christus solus complectitur utrúmque, dum Creator est & creatura, Deus & homo, mirabili ratione uniens duas naturas divinam & humanam in eadem sua persona. Nam sine ratione ergò tibi dixit, nonnisi propriè spectare ad ipsum solum patrare miracula: adhæc ipse solus est, qui facit ea omnia, & ea facit independenter ab omni alio; hæc potentia & virtus est ipsius soli personæ divinæ specialis. Et quando omnes Sancti patrárunt miracula, non fuit nisi dependenter ab illo, & à potentia, quam ipsis communicavit.

Unde ergò venit, interrogat Probus, quòd ipsi fecerint plura & majora ipso? Quis dixit tibi, respondit Ecclesiasticus, quòd Sancti fecerins plura miracula JEsu Christo? nonnè ergò observâsti, quâ ratione loquantur de iis Evangelistæ? sanctus Lucas dicit, quòd fuerit copiosus fons, è quo dimanabat virtus divina conferens omnibus sanitatem: Virtus de illo exibat & sanabat omnes. Tu dixisses, solem esse, qui effundat è sinu suo torrentes luminum ad dissipandum ubique tenebras, & illum effundere torrentes beneficiorum super omnes miserabiles. Et sanctus Marcus adhuc clarius dicit, quòd ubicunque veniret in civitates & vicos, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut vel fimbriam

Luc. 6.

Nunquam aliquis fecit tot miracula, sicut Jesus Christus.

Marc. 6.

briam vestimenti ejus tangerent:
Joan. 5. *Et quotquot tangebant eum, salvi fiebant.* Sanctus Joannes dicit, quòd habuerit in manibus suis omnem infinitam potentiam Dei Patris sui, ad dandum sanitatem & vitam, cuicunque vellet *Filius hominis, quos vult, vivificat.* Et sanctus Matthæus, ipsum ejecisse diabolos unico verbo, & sanâsse omnes ægrotos:
Matth. 8. *Ejiciebat spiritus verbo, & omnes malè habentes curavit.*

Hâc super re totus in admirationem raptus S. Joannes Chrysostomus exclamat. Videtis, quàm innumerabilem multitudinem curationum Evangelistæ constrinxerint paucis verbis? Benè viderunt, se non omnes recensere posse sigillatim; hinc simul & semel integrum exposuerunt mare prodigiorum:
S. Chrysost. hom. 28. in Matth. *Uno verbo pelagus ineffabile miraculorum inducentes.* Et exin dices, patrâsse Sanctos plura JEsu Christo miracula? Numerari possunt miracula Sanctorum; sed dicitur miracula ipsius innumerabilia & ineffabilia esse: speciatim exarata sunt omnia miracula Sanctorum, & iis impleta sunt volumina; sed sanctus Joannes dicit, quòd si quis conscribere vellet sigillatim omnia, quæ JEsus
Joan. 21. Christus operatus est mira, *totus mundus capere non posset eos, qui scribendi essent, libros.*

Sed quàm bonum est, S. Chrysostomum comparâsse JEsum Christum patrantem miracula, mari, quod ingens est omnium aquarum receptaculum? Siquidem dicere nobis voluit, quòd sicut fontes, rivi, flumina nihil habent aquæ, nisi illam, quam trahunt è mari, & hæc omnis in mare revertitur; ita omnes Sancti nihil habeant potentiæ ad patranda miracula, nisi illam, quam receperint à JEsu Christo, & hæc tota referenda sit ipsi, eòquòd ipsius sit principium. Dicendum igitur non est, ipsos plura illo patrâsse miracula, cùm magna hæc virtus, quæ in ipsis tam admirabilis effulsit, non fuerit nisi tenuis participatio ipsius abundantiæ.

Omnes Sancti non fecerunt miracula, nisi per JEsum Christum.

Totum vetus Testamentum refertum est prodigiis per Patriarchas & Prophetas patratis: Solus Moyses patravit tantam illorum multitudinem, ut repleverint totũ universum stupore, & cuncta sæcula admiratione: dicebatur tenere ipsum cœlum, & terram, & omnia elementa in suo arbitrio, ut pro libitu uteretur illis ad edomandam potentiam & humiliandam arrogantiam Pharaonis. Exercitus muscarum sternunt copias & legiones munitas ære ac ferro; scinditur mare per medium ut faciat è sinu suo refugium, quo salvetur Israël, & gurgitem, quo absorbeantur ini-

mici ejus; columnæ ignitæ ambulant in aëre, & serviunt ceu duces viæ sexcentis millenis luctatoribus, nubes cœli sunt promptuaria, quæ porrigunt annonam, ipsisque suppeditant panem Angelorum; scopuli & petræ non obstante suâ siccitate & duritiâ inexhaustos fundunt & aperiunt fontes.

Josue. 10. Alii, velut Josue, continuerunt solem in medio cursu suo. Alii, velut Elias, descendere fecerunt ignem è cœlo; alii, velut Elisæus, reddiderunt vitam mortuis solo contactu ossium suorum. Nunquam poterit, si quis enarrare voluerit omnia miracula, quæ referuntur in Scripturis veteris Testamenti.

Sed quis operatus est omnia hæc ingentia prodigia, quæ adeò ttanscendunt omnes vires humanas? Num erant Prophetæ qui non erant nisi homines? quis non videt, eandem potentiam, quæ tribuit eis facultatem enuntiandi oracula, contulisse illis quoque virtutem patrandi miracula, ad confirmandum illa? Jam ipsi non loquebantur, nisi ad vaticinandum JEsum Christum, & promittendum adventum illius; verum igitur est, ipsos omnes non fuisse, nisi instrumenta ipsius; ipse erat, qui loquebatur per illorum ora; ipse erat, qui suam demonstrabat potentiam per miracula ab ipsis facta; ipse erat, qui largiebatur gratias, & remittebat peccata; ipse erat, qui immolatus fuit in omnibus victimis in templo sacrificatis; ipse erat, unico verbo, qui erat omnia, quique faciebat omnia tam in veteri, quam in novo Testamento, cum hoc solo discrimine, quòd fecerit omnia in figuris in Testamento veteri; & facit omnia in Testamento novo in veritate. Fatendum igitur est, omnia miracula veteris Testamenti verè fuisse miracula JEsu Christi.

JEsus Christus fecit omnia miracula veteris Testamenti.

Et omnia ex novo nonnè magis manifestè pertinent ad ipsum? Quis est, qui accendit sidus novum in cœlo, in ipsius nativitate? quis tenebris involvit solem in ipsius morte? quis tremore concussit terram, discidit petras, aperuit tumulos, coegit mortem tot reddere vivos? quis mandavit tempestatibus, ut quantocyus sisterent furorem, quis ambulavit super aquas velut marmoreum super pavimentum, quis toties ejecit dæmones auctoritate summâ, nomine suo proprio præcipiens illis? quis reddidit visum cœcis, loquelam mutis, auditum surdis, sanitatem infirmis? Evolve totum Testamentum novum, videbis ipsum hic plura patrâsse miracula in propria sua persona, quàm patraverit in veteri, in persona omnium Prophetarum.

Hoc

JEsus Christus reliquit Ecclesiæ suæ donum miraculorum.

Hoc est admirabile, quod reliquerit hanc miraculorum potentiam Ecclesiæ suæ, quâ cunctis sæculis, ipsa cum tanto effulsit splendore, ut ab ascensione sua, quæ fuit reditus ipsius in cœlum, decies centena millia Sanctorum infinitam ipsorum exantlârint multitudinem; sed nonnisi nomine, nonnisi potentiâ ipsius. Et sicut omnes Prophetæ veteris Testamenti ipsius fuerunt instrumenta, per quæ faciebat miracula, ad certiorandum homines, se venturum; ita omnes Sancti in novo Testamento sunt adhuc ipsius instrumenta, per quæ omnia facit miracula, ad certiorandum nos, se jam venisse, & operatum esse salutem mundi; ita ut semper ipse solus sit, qui omnia operetur miracula tum veteris, tum novi Testamenti. Dicendum igitur non est, quòd multi alii patrârint miracula, quæ ipse, & plura numero, quàm ipse, & etiam majora, quàm ipse, cùm ipse sit, qui faciat ea omnia, & nonnisi ad ipsum propriè spectet, illa facere.

Verumtamen, reponit Probus, nonnè is ipsemet dixit in Evangelio, quòd credituri in ipsum, majora se facturi sint miracula: *Et majora horum faciet?* Et quod dixit, accidit. Exploratum est, umbram sancti Petri contulisse sanitatem infirmis, & vitam mortuis: JEsus Christus nunquam hoc fecit; sed opus erat, ut loqueretur mortuis ad conferendam illis vitam, vel infirmi saltem tangerent fimbriam vestimenti ejus pro recuperanda sanitate. Quis diffitebitur, hæc tam magna miracula non esse, sicut largiri sanitatem vel vitam solâ corporis sui umbrâ.

Joan. 14.

Sanctus Augustinus nunquam non sublimis in sacrarum Scripturarum intelligentiâ respondet egregiè ad hoc. Discipulus non est major Magistro, nec creatura Creatore. Idem JEsus Christus, qui promisit, eos, qui credituri sint in eum, majora se facturos miracula, dixit illis etiam, quòd sine se nihil possint facere: ipse vitam dedit mortuis, illos vocando & alloquendo; sed absque auxilio sancti Petri, aut alterius hominis: sanctus Petrus reddidit vitam mortuis umbrâ suâ, sed non absque auxilio JEsu Christi; divina ipsius erat potentia, quæ operabatur in Apostolis suis. Nonnè advertis, quomodò loquatur illis in Evangelio? *Qui credit in me, opera faciet, quæ ego facio.* Ipse ergò illa faciet, quia ego facio illa: Ego facio illa per potentiam mihi propriam; ipse faciet illa per potentiam, quam ei tribuo, & etiam majora horum faciet, non per aliquam potentiam, quam habet in seipso, sed per eam, quam ipsi

August. tract. 72. in Joan.

In quo sensu verum sit, quod plures Sancti majora fecerint miracula, quàm JesusChristus.

ipsi conferam, manifestiùs demonstrare volens meam potentiam in servis meis, quàm in meipso.

JEsus Christus vult glorificare servos suos.

Et itane mi amabilissime JEsu! an ita accipis eos, qui serviunt tibi? nonnè ergò satis sit illis gloriæ tuo devoveri servitio? an majore vis ipsos ditare honore, quam temetipsum, dum divinam tuam potentiam ipsorum consignas manibus ad majora facienda miracula, quàm feceris ex temetipso? Novi probè, te semper esse, qui omnia facias miracula, sive per teipsum, sive per eos; sed quare majora per ipsos, quàm per teipsum? An id ergò, quòd ipsos plus ames, quàm te? an ideò, quòd ipsorum gloria tibi magis sit cordi, quàm tua? O bonitas! bonitas ineffabilis! Omninò evidenter id demonstrâsti: Dedisse propriam vitam tuam pro nobis, nonnè demonstret, te plus amare nos, quàm temetipsum? onerari voluisse opprobriis & ignominiis, quibus eramus digni, ut iterum indueres nos stolâ gloriæ, quæ nonnisi congruebat tibi, nonnè hoc satis ostendat nobis, amare te plus nostram, quàm gloriam tuam? Non ergò miror ampliùs, quòd volueris servos tuos majora te facere miracula; nihil magis oblectat te, quàm ipsorum gloria: *Voluit facere, ut magnificentur, voluit agere, ne vilescant.*

S. August. serm. 29. de diversis. c. 5.

Eccur hæc experimenta nobis tam manifesta, non efficaciter persuadent nobis maximum, quo nos prosequeris, amorem? Eccur non omnium corda hominum accenduntur igne illo divino, quem venisti mittere in terram? O Deus! quomodò nosse possumus, quòd amemur, nisi amemus saltem ex gratitudine? Et quomodò videre, amari nos tam perfectè à suprema hac majestate, ergà quam totum cœlum ardentissimo flagrat amore, & permanere in ignava vecordia, in stupida insensibilitate, quasi non esset digna amari à nobis, & quasi amandi ipsam nulla nobis foret obligatio?

Quomodò nostræ veritates indigeant consideratione.

Id non ponderatur, respondet Probus: Si quis enim insculptas haberet veritates has cordi suo, seriò perpendens, quomodò JEsus Christus toties omnes naturæ ex amore ergà nos inverterit leges, faciens per se & per suos miracula infinita, quæ omnia in bonum nostrum sunt facta: qui benè revolveret animo, quòd ipsemet sit factus miraculorum omnium maximum, efficiens, ut Deus omnipotens homo esset infirmus, & Deus immortalis moreretur in cruce; & hæc omnia ex amore ergà nos: qui perpenderet hoc benè, ac desuper seriam frequentem ac profundam institueret meditationem, impossibile foret, quin

corde

corde tangeretur; sed de hoc non cogitatur. O funesta oblivio! Heu! de quo ergò cogitandum sit? an erit nobis excusationi, vel potius condemnationi, in die judicii, de hoc non cogitâsse?

ARGUMENTUM.

Dispositio, Ordo, & Tempus Miraculorum JEsu Christi.

Articulus IV.

S. August. de vera & falsa relig. c. 41.

Multitudo & magnitudo miraculorum JEsu Christi non solùm replet animum illâ considerantis, sed etiam obruit illum; & dum videntur tantùm in confuso, non ita considerantur singula in particulari. Sanctus Augustinus affirmat, res maximè defectuosas aliquam habere pulchritudinem, si in bono sint ordine; saltem enim illarum delectat ordo & dispositio. Dicendum igitur est, res pulcherrimas plurimum perdere venustatis, quando sunt absque ordine & spectantur confusæ. Nihil tam visu jucundum est, sicut miracula JEsu Christi; sed ut videantur in tota sua pulchritudine, digerenda sint in ordinem, observando seriem & tempus, in quo illa facere voluit.

An cognosci hoc potest, interrogat Probus? an observari id potest ex lectione Evangelii? potest, respondet Ecclesiasticus, saltem in pluribus, quorum tempus & locus distinctè annotantur in sacra historia; & de aliis fertur saltem judicium ex circumstantiis & serie, quo tempore sint facta. Statuam hic tibi illa ob oculos, quodlibet in ordine suo, ut ordinis pulchritudo juncta excellentiæ operis, tuo animo plus afferat delectationis. Ne interpelles me, sed fac advertas seriem & dispositionem magnorum prodigiorum, quibus JEsus Christus implevit cursum vitæ suæ; invenies ipsam observatu dignissimam.

Ordo & series miraculorum JEsu Christi.

Ingressus est mundum per miraculum miraculorum omnium maximè incomprehensibile, quando citra id, quòd desereret cœlum, descendit in terram, & quin desineret esse Deus, factus est homo, nascens ex Maria Virgine anno quinquies millesimo, nonagesimo nono, à mundi creatione, juxtà supputationem Martyrologii Romani. Dies nativitatis ejus fuit vigesimus quintus Decembris, circa finem anni, ad innuendum nobis, antiquam legem circa finem

Quando & quomodò Jesus Christus intraverit mundum.

esse & propediem exspirare: post dies octo fuit circumcisus & insignitus augustissimo nomine JEsus; hic est dies primus Januarii, & primus dies anni Christiani.

Fuit adoratus à Magis.

Elapsis diebus sex, decimo tertio nativitatis suæ die adoratus fuit à Magis. Intermitto hic annotare omnia miracula infantiæ & pueritiæ ipsius, quæ ipsemet abscondit, non volens adhuc agnosci à mundo illorum luce ac splendore. Novimus solùm, duodecimo ætatis suæ anno apparuisse ipsum in templo, in medio Doctorum, interrogantem eos velut Magistrum, & audientem illos velut discipulum. Sed parvus hic divinæ ipsius sapientiæ radius, quem ostendit, quamvis maximum fuerit miraculum, non tantum non illuminavit illos, sed majori adhuc caligine obvolvit.

Luc. 2.

Fuit in medio Doctorum anno ætatis duodecimo.

Quid fecerit ab eo tempore.

Ab anno ætatis duodecimo, usque ad trigesimum vitæ suæ, mansit incognitus & absconditus in parva civitate Nazareth, in domo sanctissimæ Virginis Matris, & sancti Josephi, qui creditus fuit Pater ipsius; qui cùm pauper esset & opificio suo Faber lignarius, credi potest, juxtà omnem verisimilitudinem JEsum Christum operatum esse manibus suis cum illo, ipsúmque adjuvisse in comparenda sustentatione vitæ; quod sanè erat spectaculum, cunctos rapiens in admirationem Angelos, cùm intuerentur magnum hunc mundi architectum laborare manibus suis, seque defatigare in taberna pauperis opificis, illi obedire, & parvas conficere opellas ex ligno, velut simplicissimus hominum. Infideles exprobrabant Christianis hanc abjectionem Dei sui *Quid fabricatur modò lignarius vester?* quærebat unus ex ipsis Christianum tempore Juliani Apostatæ; hic appositè respondit illi: *fabricatur feretrum Juliano;* & paulò pòst Julianus miserabiliter occisus fuit.

1. Hic apparere incipiunt magna miracula JEsu Christi, quæ præcedebant ipsum velut lucentes faculæ, ad demonstrandum illum universo mundo. Absolverat trigesimum annum ætatis suæ, & inceperat trigesimum primum, usque ad diem decimum tertium, qui erat sextus Januarii (idem dies, quo adoratus fuerat à Magis ante triginta annos) quando baptizatus fuit à sancto Joanne in Jordane, & cœli aperti sunt super eum, Spiritus sanctus apparuit super caput ipsius in forma columbæ, & vox Patris audita fuit pro Filio suo dilecto declarantis ipsum. Nonnè cernis jam in unica hac actione plurium concursum miraculorum?

Luc. 3.

Baptizatur & declaratur pro Filio Dei.

Matth. 3.

2. Eo-

Matth. 4.

2. Eodem hoc die discessit solus & solitarius in desertum, ubi incepit quadragintadiale suum jejunium, noctésque diésque id continuans, absque sumptione ullius cibi corporalis toto hoc tempore, quod sanè magnum est miraculum impossibile imbecillitati humanæ. Exiens è deserto die decimo quinto Februarii, reversus est in Nazareth, ubi mansit in silentio diebus quindecim juxta mentem sancti Epiphanii.

Ipsius jejunium qudaragintadiale.

S. Epiph. hæres. 51.

3. Qui dicit etiam, fuisse decimum quintum diem Martii ejusdem anni, quo invitatus ad nuptias in Cana Galilææ, mutavit aquam in vinum. Et Evangelista sanctus Joannes expresè observavit, hoc fuisse exordium miraculorum JEsu: *Hoc fecit initium signorum JEsu:* non quòd antecedenter adhuc fecerat nullum; sed quia hoc incepit manifestare ipsius gloriam, cùm factum fuerit in occasione, in tempore, & in necessitate, ejúsmodi circumstantiis, quæ debebant illud quantocyùs proferre in publicum. Opus sanè fuit, ut præcederet hoc & duceret quasi totam legionem aliorum subsequentium, eòquòd designaret mutationem veteris Testamenti in novum, cùm unum respectu alterius sit, quod aqua respectu vini generosi. Sed quod fecit tunc in momento, nunquid hoc facit singulis annis in universo orbe, dum immutat aquam terræ in vinum in omnibus vinetis? Et hoc non advertimus, ut adoremus ipsius providentiam, ipsíque grates rependamus.

Mutat aquam in vinum in nuptiis Canæ.

4. Diebus aliquot à primo hoc miraculo, appropinquante die Festo Paschatis, contulit se JEsus Carpharnao (ubi jam suam elegerat habitationem) Jerosolymam, ubi maxima sua patrare intenderat miracula; & cùm ingressus mox esset in templum, ejecit ex eo catervam mercatorum, quos negotiantes invenit in loco hoc sancto, velut in publico foro. Prædicavit ibi, & exin plura patravit miracula, quibus suam confirmabat doctrinam; sed Evangelistæ non speciatim recensent illa, dicentes solùm: *Multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus, quæ faciebat.*

Ejicit vendentes è templo & patrat plura miracula,

Joan. 2.

5. Incepit igitur paulò pòst Festum Paschæ & in initio Aprilis ejusdem anni, prædicare per vicos & per urbes circa confinia Jerosolymæ. Sed videns, quòd Herodes ergastulo constrinxerit præcursorem suum sanctum Joannem Baptistam, ut evitaret persecutionem ejus, relictâ Judæâ reversus est in Galilæam, ubi Herodes non dominabatur, & transiens per Samariam, convertit famosam illam Samaritanam

Convertit Samaritanam.

Joan. 4.

nam, & per ipsam totam civitatem Sichar: exin prosequens iter suum versùs Galilæam, reversus est Canâ, ubi primum suum operatus est miraculum: Ibi rogatur à quodam Principe, ut sanaret filium suum lethali morbo detentum in domo sua, cujus votis dum annuit, in instanti sanatur.

v. 46.

Replet totam Provinciam Galilææ doctrinâ suâ & miraculis.

6. Accuratè non constat, quot effluxerint dies vel menses, quando ambulans juxta litora maris Galilææ vocavit sanctum Petrum & sanctum Andream, duos fratres, & quantocyùs etiam sanctum Jacobum & sanctum Joannem duos alios fratres, qui omnes erant piscatores, & fecit ex eis primos suos Apostolos: Exin prædicatum ivit cum illis in omnibus Synagogis Galilææ, replens omnia luminibus doctrinæ suæ & admiratione prodigiorum: nam sanctus Matthæus dicit, ipsum curâsse omnes malè habentes, variis languoribus & tormentis comprehensos, dæmonia habentes, lunaticos & paralyticos, ita ut ipsius fama & existimatio totam impleret & occuparet Syriam. Hæc multitudo miraculorum & beneficiorum, quam effundebat in omnes, traxit ad eum innumerabilem copiam populorum, non tantùm è Galilæa, sed etiam ex Judæa & Jerosolyma, sequentium ipsum & audientium verba ejus.

Matth. 4.

7. Post Prædicationis suæ labores in omnibus vicis Galilææ, secessit in Capharnaum, quæ erat Metropolis Provinciæ, ubi dum prædicabat in Synagoga, audi- Expellit dætorio præsens aderat aliquis ob- monem ex sessus à dæmone immundo, al- propria sua tùm exclamans, & ipsius inter- potestate. pellans sermonem: *Sine, quid nobis & tibi, JEsu Nazarene? venisti* Luc. 4. *perdere nos? scio te, qui sis, Sanctus DEI;* JEsus Christus alloquitur ipsum cum potestate, & dicit illi: Obmutesce, & exi ab eo, & confestim obtemperavit, & exiit ab illo. Prodigium hoc percelluit omnes pavore: quid est hoc? dicebant ad invicem: quæ potentia inaudita in homine? in potestate & virtute imperat immundis spiritibus, & exeunt. Unde & omnes summa admiratione defixi hærebant & attoniti.

8. Exit è Synagoga per præ- Sanat Socrum dicationem & intrat in domum sancti Petri. Simonis Petri, ubi inveniens socrum ipsius febricitantem, ob- Luc. 4. stinatæ huic imperat infirmitati, ut dimittat eam, & in instanti ex integro ita sanata fuit, ut surgeret è lecto & ministraret ipsis ad mensam: & circa vesperum, omnes qui habebant infirmos, afferebant eos, & ille singulis manus imponens curabat omnes.

nes. Similiter & multa à multis exibant dæmonia solâ ipsius præsentiæ virtute, clamantia & dicentia: *Tu es Filius Dei;* sed imposuit illis silentium, quia nolebat à Patre mendacii ita suam evulgari divinitatem. O Deus! quàm prodigiosus miraculorum numerus! & quid factum esset, si omnia sigillatim fuissent enumerata.

Matth. 8. 9. Sed quæ sequuntur, majora adhuc sunt: Nam sanctus Matthæus refert, quòd cùm JEsus ascendisset in naviculam, & ipso dormiente ingens exorta esset tempestas in mari, quæ naviculam operiret fluctibus, unde haud leve imminebat periculum, excitaverint eum, ipsius implorantes auxilium: ipse imperavit venti & mari, & quantocyùs facta est tranquillitas. Et cùm venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, habuisseque sibi obvios duos obsessos à legione diabolorum, hos ejicit è corporibus illorum, & volens ipsorum votis obsequi, permisit introire ipsos in gregem bis millenorum porcorum ibi pascentium: ingressi sunt illos, & omnes in mare egerunt præcipites.

Imperat ventis & tempestati.

Matth. 9. 10. Exinde reversus est in Capharnaum, ubi sanavit paralyticum, quem submiserunt per tectum domûs ante ipsum, ob multitudinem præsentis in ea populi, nec permittentis ulli per portam introitum. Relictâ hâc domo, intravit illam Jairi, cujus filiam resuscitavit mortuam; sed in via mulier sanguinis fluxum passa tetigit fimbriam vestimenti ejus, & in momento sanata est. Redux è domo Jairi, quam totam gaudio & benedictione Dei reliquit plenam, obviam factus duobus cœcis altùm ejulantibus & invocantibus ipsum: *Miserere nostri, Fili David;* benignas præbuit aures & utrique contulit usuram lucis; & eodem fermè tempore ejecit dæmonium mutum, cujus Lucæ historia facit mentionem. In omnibus JEsu actionibus non aliud videre licet, nisi continuam miraculorum seriem; & fatendum est, cœcitatem & duritiem Judæorum esse debuisse stupendam, quòd non omnes credidederint in ipsum, hæc usurpantes auribus & oculis miracula: Ecce enim nondum illorum partem minimam.

Sanat Paralyticum.

Resuscitat filiam Principis Synagogæ.

Duo cœci illuminati.

Luc. 11.

Joan. 5. 11. Anno trigesimo secundo ætatis suæ incepto, & Festo Paschatis appropinquante, reversus est Jerosolymam, ubi sanavit inveteratæ illius ægritudinis infirmum, triginta octo annos habentem in infirmitate sua, quem jacentem invenerat ad porticum piscinæ probaticæ. Patrabat sæpius miracula die Sabbathi, quem Judæi eousque credebant quieti

Matth. 12.

Sanat ægrotum triginta octo annorum.

consecratum, ut etiam eo die fieri quidpiam boni prohiberent: ansam igitur capiebant ex falsa sua superstitione calumniandi JEsum Christum & apertè

Marc. 3. dicendi: Non est hic homo à Deo, quia Sabbathum non custodit: Et ipse, cùm esset die Sabbathi in illorum Synagoga, circumspiciens ipsos & contristatus super cœcitate cordis eorum, dixit illis: An creditis, quòd non liceat Sabbathis benè facere? & ut confunderet eos, dicit homini, qui tunc præsens erat, habenti manum prorsùs siccam, mortuam & aridam: *Extende manum tuam*; & serviat hæc tibi sicut altera; & illicò factum est ita. Sed quod debuerat ipsos convertere, inserviit ad ipsos magis prævertendos: siquidem consilium faciebant adversùs eum, quomodò eum perderent.

Marc. 3. 12. Ipse tamen, ut locum daret ipsorum iræ, statuit ab illo recedere loco, & suas aliò deferre gratias. Secessit ergò versùs mare, ubi instruebat populos, plurimos curabat infirmos, & multos liberabat obsessos. Eodem anno ascendit in montem, quò post transactam in oratione totam noctem, manè suos vocans Apostolos, quos multa secuta fuerat turba, fecit illis admirabilem hunc sermonem de octo beatitudinibus à S. Matthæo prolixè relatum, tot constantem miraculis, quot verbis, & demonstrantem, in quo vera vitæ Christianæ consistat beatitudo.

Multos sanat infirmos & prædicat octo beatitudines.

Matth. 5.

13. Descendens è monte in planitiem Capharnaum sanavit leprosum sibi in via obvium; paulò post ingressus civitatem restituit sanitati servum Centurionis paralyticum; paucos post dies se conferens in parvam civitatem Naim, ubi cùm inveniisset extra portam filium unicum afflictæ viduæ, qui portabatur ad tumulum, reddidit illum vivum Matri suæ.

Leprosus sanatus. Matth. 8. Luc. 7. Filius viduæ Naimiticæ resuscitatus.

14. Herodes hausto rumore ubique resonante de miraculis Jesu Christi, quem non noverat, angebatur suspicione, ne sanctus Joannes Baptista quem decollaverat, resurrexisset à mortuis, & omnia illa patraret prodigia. Et quia semper plenum est periculi movere suspicionem Principi, Jesus Christus optimè gnarus, sub falsa hac persuasione moliendam sibi ab eo persecutionem, nuntiari jussit ipsi verba à sancto Luca relata: *Ite, & dicite vulpi illi: Ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodiè & cras, & tertio die consummor: veruntamen oportet me hodiè & cras, & sequenti die ambulare, quia non capit Prophetam perire extra Jerusalem.* Ipse ponit hîc dies pro annis, ipsique significat per tres hos dies, tres vitæ suæ

Luc. 13. Habet Herodem velut vulpem, & fugit ipsius malitiam.

suæ publicæ anos; quódque duos primos peracturus esset operando ubivis cum libertate miracula; sed quòd tertio occidendus esset, affixus cruci in Jerusalem.

15. Ut impleret hanc Prophetiam, seque subduceret furori Herodis, cum omnibus suis secessit trans mare Galilææ in aliquod desertum, quasi se vellet omninò subtrahere cognitioni hominum: Sed nunquam se sol reddere potest invisibilem. Populi pulchritudine doctrinæ ipsius & beneficiis ab eo sibi collatis illecti, accesserunt ipsum in profundâ hâc solitudine tam numerosè, ut invenirentur personæ ibidem congregatæ circiter quater mille si mulieres excipias & parvulos, quorum numerus verisimiliter debebat adæquare, si non superare magnum illum numerum. Adduxerant secum plurimos mutos, cæcos, claudos, infirmos, quos straverunt ad pedes ejus; & sanavit omnes, ne unico quidem excepto, cui desideratam negaret gratiam. Tribus integris diebus intenti erant audiendis divinis ipsius oraculis, quorum dulcedine ita fuerant capti, ut caperentur oblivione cibi corporalis.

Multiplicatio panum & curationes miraculosæ.

16. Sed divina ipsius providentia quæ prospicit omnibus, noluit ipsos diutius relinquere jejunos. Dicit Apostolis suis: Misereor turbæ, quia ecce jam triduo me sustinent, nec habent, quod manducent, & si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via, quidam enim ex eis de longè venerunt. Quid commeatûs habetis? responderunt ei: Non nobis sunt nisi septem panes & pauculi pisces; sed quid hæc inter tantos? sufficit, facite illos discumbere per convivia, & afferte mihi panes. Accipit illos in divinas suas manus, benedicit, & facit distribuere hos illis in tanta abundantiâ, ut benè fuerint saturati omnes, & post refectionem remanserint septem sportæ fragmentis plenæ. Sic pauca hæc Apostolorum & divini ipsorum Magistri annona non fuit imminuta, dum fuit in tam profusas effusa eleemosynas. Perpendendum jam vobis relinquo, an miraculum tam celebre, tótque suffultum testibus, non fuerit evulgatum ubique.

Marci 8.

17. Non ita pridem inchoaverat annum trigesimum tertium vitæ suæ, qui erat ultimus, quem complevit in terris: siquidem cruci affixus fuit paulò post inchoatum trigesimum quartum. Nolebat juxta consuetudinem suam ire Jerosolymam ad Festum Paschæ, ut Scribis & Pharisæis subtraheret occasionem, quam inquirebant se occidendi, ubi primùm comprehendendi se obtinuerint facultà-

Matth. 15. Liberat Filiam Cananæa.

cultatem. Sed consultò secessit in Galilæam & exin versùs regionem Tyri & Sidonis in principio mensis Maji, ubi filiam mulieris Cananææ liberavit à dæmone, à quo fuerat obsessa.

Marci 7.

Posthæc reversus in Galilæam, sanavit hominem illum, qui erat surdus & mutus, mittens digitos suos in aures ejus, & linguam ipsius tangens salivâ suâ.

Transfiguratio.

18. Mensis Augusti sequentis die sexto contigit augustum illud miraculum Tranfigurationis ejus; cúmque die proximo descenderet è monte Thabor,

Matth. 17.

Ejicit dæmonem, quem ejicere Apostoli non poterant.

liberavit dæmoniacum, quem discipuli ejus liberare non poterant: quærentibus hujus impotentiæ rationem, responsum dedit, hoc genus non ejici nisi oratione & jejunio.

Dat visum cœco nato.

19. Mense Octobris ejusdem anni curavit cœcum natum, quem Scribæ & Pharisæi tam longis & curiosis pulsârunt interrogationibus, quas sanctus

Joan. 8.

Joannes ad longam deducit, quærentes imminuere & fœdare gloriam tam ingentis miraculi, ex eo quòd patraverit illud die sabbathi. Sed sanaverat jam decem leprosos, de quibus locutus est sanctus Lucas.

Sanat decem leprosos Luc. 17.

Sanat hydropicum Luc. 14.

20. Fuit invitatus ad manducandum in domo cujusdam Pharisæi, ubi post data egregia charitatis & humilitatis documenta sanavit hydropicum, qui haberi possit pro symbolo superbi, quia ambo sunt inflati, unus corpore, alter animo.

Resuscitat Lazarum.

21. Sed omnium miraculorum portentosissimum, quod cæteris magis emicuit, atque splendore suo inimicorum rabiem summè succendit, fuit resuscitatio Lazari. Erat is vir

Joan. 11.

clarus, nobili stirpe ortus, spectatus & magni æstimatus à Principibus Jerosolymitis, qui cognitâ ipsius morte venerant in castellum Bethaniæ consolatum sorores ejus Martham & Magdalenam. Erat jam invectus tumulo à diebus quatuor & semi jam confectus putredine; Et in præsentia illustris hujus societatis nomine proprio vocavit ipsum voce forti ac validâ, & eduxit è viscera tumbæ restitutum vitæ. Erant omnes testes oculati, veritas tam manifesta non poterat celari: nonne omnes debuissent ex eo convelli, convinci, converti, & credere in JEsum Christum? Nihilominùs res stupenda! cum cor ipsorum magis induruisset morte, & viscera ipsorum magis irriguissent marmore, tantâ succensi sunt rabie, ut statuerent & Lazaro inferre necem, quem amabant ceu amicum, eòquòd ipsius vita esset continua & eloquentissima Panegyris excellentiarum JEsu Chri-

Christi; & ut malitiam ac rabiem suam ad summum eveherent fastigium, è vestigio decreverunt ipsummet, quanticunque etiam sibi staret, occidere. O rabiem! ô phrænesin! ô cœcum furorem, qui horrore concutiat ipsum infernum!

22. Quod statuerant, quantocyùs præstiterunt, siquidem ingens hoc miraculum accidit circa initium mensis Martii, & anni trigesimi quarti vitæ JEsu Christi, & vigesimo quinto ejusdem mensis configi fecerunt ipsum cruci. Interim non cessabat plura adhuc patrare miracula, hæc namque fuerant ipsi perpetua. Contulit visum duobus cœcis propè Jericho, quorum unus magis erat notus, nomine Bartimæus: Intravit Jerosolymam in die palmarum glorioſus & triumphans in medio inimicorum suorum; ingressus est templum, ubi plurimis cœcis & claudis reddidit sanitatem, transeundo dedit ficui infructuosæ maledictionem, quæ continuo exaruit.

Illuminat duos cœcos.

Matth. 20.

Matth. 21.

23. Sed tandem in cruce triumphavit circumdatus legione miraculorum, implentium cœlum & terram, commoventium astra & petras, concutientium vivos & mortuos annuntiantium mortem ipsius orbi universo, cum ipse interea esset miraculorum maximum profundens vitam DEI pro salute peccatorum, prodigio charitatis, humilitatis, obedientiæ, patientiæ, omniùmque maximarum virtutum, quæ in perpetuam rapient admirationem tum Angelos, tum homines. An aves adhuc miracula majora?

Matth. 27. Miracula Calvariæ.

24. Tertiô post mortem suam die resuscitavit seipsum propriâ suâ virtute, & quadragesimo die post resurrectionem suam, ascendit in cœlum in conspectu omnium Apostolorum suorum, sanctissimam humanitatem suam deducens in triumpho, adhuc perforatam, vel potiùs adornatam plagis, quas in passionis suæ pugnâ inflixerat ipsi amor nostri. Ah! quàm jucundum est sic JEsum aspicere triumphantem, totum circumfusum Majestate intrantem in gloriam suam, sedentem cum potestate ad dexteram DEI Patris sui! Regna, ô amabilissime JEsu, regna ubivis, in cœlo & in terra velut omnipotens, universum tibi applaudat cœlum, universa te adoret terra, & creaturæ universæ tuas decantent laudes in æviterna sæcula.

Marci 16.

Resurrectio & Ascensio ipsius.

ARGUMENTUM.

Nullus homo est excusabilis, nisi agnoscat JEsum Christum, ipsumque adoret post tot patrata ab ipso miracula, ad probandam Divinitatem suam.

Articulus V.

Miracula sola non sufficiunt ad probandam sanctitatem personæ illa operantis.

FAteor, dicit Probus, post exceptam intento animo totam hanc longam enarrationem, quæ tamen nonnisi brevissima Synopsis erat miraculorum JEsu Christi. Fateor è plurimis hisce prodigiis haud obscurè deduci, ipsum non vulgari & inusitatâ pollere debuisse potentiâ. Verùm an hoc sufficiat ad demonstrandum evidenter ipsius divinitatem? an omnes ii, qui operantur miracula, sint Dii? Tanti Sancti operati sunt illa, qui Dii non sunt; & tanti etiam peccatores illa patrârunt, qui non sunt sancti. Nonnè omnes Doctores docent, gratiam miraculorum non esse nisi gratiam gratuitam, adeóque non certò denotare sanctitatem personæ, quæ patrat illa? Quomodò ergò denotare possint ipsius divinitatem?

Unicum solum verum miraculum, respondet Ecclesiasticus, tam fidele præbet testimonium veritati, quam attestatur, ut, si per impossibile, id quod mihi per miraculum probatur, non esset verum, dicere possem, ipsum Deum me decepisse, eò-quòd ipsius omnipotentia mihi manifestè loquatur in miraculo.

Differentia miraculorum à peccatoribus, à Sanctis & à JEsu Christo factorum.

Si aliqui peccatores patrârunt miracula, id non erat, nec ad demonstrandum ipsos esse Deos, nec ad probandum, ipsos esse Sanctos; sed esse debuit ad probandam aliquam, quam proponebant, veritatem: Et hæc veritas erat infallibilis, non quia peccator illam dixit: sed quia miraculo illam DEUS confirmavit.

Quando Sancti fecerunt miracula, non hoc erat ad declarandum, ipsos fuisse Deos, sed erat ad attestandum vel sanctitatem ipsorum vitæ, vel veritatem ipsorum doctrinæ. Et tunc utrúmque, vel etiam ambo erant infallibilia, quia Deus ipse reddebat testimonium illis per miraculum: Et hoc tam verum est, ut inauditum sit, quòd Deus unquam patraverit miraculum, ad probandum, quòd peccator fuerit sanctus, vel ad attestandum, quòd hæreticus aut infidelis dixerit veritatem: aliàs veritas infinita redderet testimonium mendacio.

JEsus

JEsus Christus solus fecit miracula, ad probandum, quòd sit Deus.

JEsus Christus solus est, qui operatus est miracula ad probandum veritatem doctrinæ suæ, & sanctitatem vitæ suæ, & potentiam divinitatis suæ. Nullus præter ipsum, quantùm legi, dixit unquam, se esse verè Deum, & proprium Filium Dei, unúmque ac idem cum Deo Patre suo. Sed ipse clarè hoc dixit in Evangelio. Judæi non tenebantur credere veritatem tam admirandam, tamque stupendam, eòquòd sic dixerit ipse; hinc est, quod respònderent illi: Tu testimonium perhibes de teipso, testimonium tuum non est verum.

Remittit ipsos ad Scripturas veteris Testamenti, quæ perhiberent testimonium de se, eòquòd vaticinatæ sint & promiserint adventum suum. Sed omnia hæc argumenta demonstrativa satis non erant, ad eximendum ipsos dubio: siquidem licèt clarè viderent in Prophetis adventum Messiæ, ipsum tamen promissum Messiam esse clarè non videbant: poterat ipsis esse suspectus non absque fundamento, eòquòd destruere videretur traditiones seniorum.

Sed quando probavit ipsis doctrinam suam miraculis tam certis, tamque manifestis, ut dubitare de ipsis non possent, eòquòd ipsímet illorum essent testes oculati, inexcusabiles sunt, si non credant in ipsum. Et hoc est, quod ipsemet exprobravit eis: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Quid enim dicent, quam rationem allegabunt pro defensione pertinacis incredulitatis suæ? Joan. 15.

Judæi non possunt allegare aliquam excusationem incredulitatis suæ.

An dicant, non declarâsse ipsum sibi, quòd esset proprius Filius Dei, & promissus in lege Messias? sed dixerat hoc ipsis modis tam diversis, & verbis tam manifestis; imò, quando urgebant ipsius mortem, rationum validissimarum, quas putabant se allegare contra ipsum, hæc una fuit: *Debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Et sanctus Joannes luculenter dicit: *Quærebant eum Judæi interficere, quia non solùm solvebat Sabbathum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Negare igitur non possunt, quòd exhibuerit & præsentaverit se ipsis velut verum Filium Dei. Joan. 19. Joan. 5.

Num dicant, quòd sufficienter sibi probatum non sit, ipsum fuisse Filium Dei, quódque satis non sit, id dicere, aut etiam ostendere prodigia ad id confirmandum, eòquòd Moyses in Deuteronomio adhortatus fuerit ipsos: *Si surrexerit in medio tui Propheta, qui prædixerit signum atque portentum, & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos, non audias* Deut. 13.

audias verba Prophetæ illius. Faciebat is miracula, signa atque portenta, sed erant contra legem Moysis, quæ est lex veri Dei, & ad destruendam nostram religionem; non tenebamur ergò ipsi credere. Verùm an unquam exhortatus est ipse mundum, ut sequerentur Deos alienos? an unquam locutus est contra Deum verum, aut contra ipsius legem, aut contra Moysen? nonnè oppositum declaravit manifestè, dum dixit: *Non quæro gloriam meam, sed ejus qui misit me Patris; & quæ placita sunt ei, facio semper.* Nonnè profitebatur apertè: Non veni solvere legem, sed adimplere? nonnè in omnibus occurrentiis usus est testimoniis ex antiqua lege depromptis, ad demonstrandum, procul abesse se ab illa condemnandâ, cùm evocaret ipsam in testimonium ejus, quod dicebat? nonnè laudibus exornavit Moysen, exprobrando illis: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit;* minitando insuper illis, ipsum fore accusatorem & testem contra eos in die judicii, ad confundendam ipsorum incredulitatem? Estne hoc loqui contra Deum, aut contra legem, aut contra Moysen. Hac ergò ex parte nullam habent, quam afferant, excusationem.

Joan 8.

Frivolæ excusationes Judæorum.

Joan. 5.

An denique dicant, se non vidisse miracula facta ab hoc homine, qui se dicebat Filium Dei. Sed viderunt illa tam prodigiosa, tamque stupenda, ut impossibile fuerit illis dubitare, quin fuerint miracula vera, in quibus manus Dei omnipotentis, quem adorabant, ostendebat se illis manifestissime. Fuerunt illorum testes oculati: nonnè enim viderunt Lazarum è tumulo suo post quatuor dies prodeuntem ad vocem Dei Hominis? nonnè aspexerunt cœcum natum, cui donavit visum, imponendo lutum super oculos ejus? in quo sæculo ejusmodi quid auditum unquam fuit? Nonnè sæpiùs intuiti sunt ipsum ejicientem dæmonia, cum potestate imperantem illis, ac injungentem ipsis obedientiam? quod possibile non est, nisi Deo soli Sed nonnè viderunt ipsum in medio sui operantem tam portentosam miraculorum multitudinem, ut horum in seipso videretur habere fontem, illaque operaretur in omni occasione & tempore, quandocúnque vellet. Et hanc ipsam prætendebat causam maledictum illud conciliabulum, quod Pontifices & Pharisæi congregarunt adversùs ipsum: *Hic homo multa signa facit, & si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Statuendum igitur est, incredulitatem ipsorum omni ex parte esse inexcusabilem; cùm certum sit, sola miracula ipsis

Judæi viderunt miracula plusquàm manifesta, quàm ut de iis dubitare possint.

Joan. 11.

ipsis exhibita efficacissimè demonstrâsse illius divinitatem.

Certi sumus, miracula JEsu Christi esse vera.

Hoc quidem est contra eos, replicat Probus, quia ipsimet viderunt omnia hæc portenta & prodigia; sed totus mundus non vidit, nec omnes viderunt illa mortales. Nos, qui longè absumus à tempore, in quo sunt facta, quam certitudinem habemus de iis, quòd sint vera? Verùm potiùs, quod dubium habere possumus de iis, quòd non sint vera? respondet Ecclesiasticus. Sola diuturnitas temporis, ex quo omnes infirmâ hâc perstiterunt fide, sufficiens esset argumentum & probatio hujus veritatis: siquidem mendacium & deceptio non persisterent tempore tam longo. Et dein, quis sanæ mentis suspicari posset, Apostolos & Evangelistas, qui erant viri simplices, ausos fuisse exarare & prædicare tanti momenti impostura, quæque fuissent adeò manifestæ ad fundandum & extrahendum desuper magnam hanc religionem, quæ immutatura erat faciem mundi, quamque evertere cuncta non poterunt sæcula? loquebantur ipsi de rebus exploratissimis, quæ nitebantur testimonio nationis integræ, & nationis talis, quæ ardebat odio in in id, quod dicebant, quæ cuncta inquirebat media inceptum dissipandi opus Religionis Christianæ. Si convincere potuissent Apostolos alicujus falsitatis, nonnè id feciissent? & si feciissent, nonnè totum mox opus redegissent in nihilum?

Vide Consult. 6. art. 3. & 4.

Non credo, Judæos, qui viderunt vitam & miracula JEsu Christi, magis fuisse certos de iis, quàm nos, qui non vidimus illa; ex opposito, nos magis de illis certos esse, comperio. Quare hoc? interrogat Probus, non mediocriter admiratione hujus propositionis attonitus: Ratio est, quia ipsis suffragabatur quidem veritas sensuum ad videnda hæc miracula; sed non habebant adhuc fidem, quâ certi erant, hæc miracula esse vera: Et hodiè non adstipulantur nobis sensus, quibus videamus illa præsentia, sed tenemus fidem, quâ credamus illa; id quod erat objectum ipsorum sensuum, jam nostræ est fidei objectum. Jam hoc, quod scio ex revelatione fidei divinæ, absque comparatione certius scio, quàm quod compertum mihi est ex relatione sensuum. Hinc est, quod JEsus Christus dixerit sancto Thomæ Apostolo: Beati, qui crediderunt, & non viderunt: Beatior ille, qui innititur certitudini fidei, quàm experimentis sensuum.

Magis certi sumus de veritate miraculorum JEsu Christi, quàm Judæi, qui ea viderunt.

Quando lego in Evangelio resurrectionem Lazari, multò certior sum de ea, quàm si vi-

Sensus majorem faciunt commotionem, sed fides majorem dat certitudinem,

dissem illam propriis meis oculis. Verum quidem est, quòd si viderem illam præsentem, evidentia facti majorem conciliare posset in sensibus meis commotionem, non tamen tam magnam conferret animo meo certitudinem: siquidem certior sum de eo, quod ipsemet mihi Deus asserit & affirmat in verbo suo, quàm quod sensus mihi suo ostendunt experimento, eòquòd sciam impossibile non esse, quòd à meis decipiar sensibus, impossibile autem, quòd decipiar à Deo.

Non tenemur credere miracula, sed tamen credere miraculis.

Est, si ita loqui liceat, reciproca quædam obligatio inter Deum & hominem; homo est obligatus recipere veritatem, quam Deus ipsi revelat, quamvis hæc ipsi non sit evidens, cùm superet & transcendat rationem suam; sed Deus quoque se obligat

Bonum est, difficilem se exhibere credendo miraculo.

monstrare & ostendere ipsi, quòd illa sit certa miraculorum evidentiâ. Ipse non obligat me credere quantocyùs miraculum, quod mihi proponitur, relinquit mihi de eo dubitandi libertatem: vituperantur ii, qui nimìs faciles se exhibent adhibendo fidem miraculo, absque eo, quòd benè examinaverint illud; exponunt enim se facilè deceptionis periculo; & laudantur econtra ii, qui ita difficiles se ostendunt credendis miraculis, ut magno cum rigore examinent ea & nunquam recipere ea volunt, illisque assentiri, nisi postquam tam exactè ponderârunt omnia, ut nullus ampliùs relinquatur ipsis de illorum veritate ambigendi locus. Quoad revelationes fidei, exigit Deus ab homine, ut in iis credendis suum captivet intellectum; sed quoad miracula, quæ confirmant illas, quæque inducunt, ut illas credamus, relinquit homini libertatem intellectûs sui, ut judicet ipse de evidentia facti, an vera sint vel falsa.

Certitudo est in fide, & evidentia est in miraculis: ita ut, quando fides mihi probatur per miracula, habeam certam & evidentem cognitionem de veritate fidei meæ, & amplùs excusare me non possim ex eo, quòd fides relinquat intellectui meo obscuritatem, cùm hæc mihi auferatur per evidentiam miraculorum. Si annuntiarem arcana Dei, velut revelationes, quas recepissem ab ipso, nemo teneretur mihi credere; & si horum peteretur à me probatio, hanc dare non essem obligatus: Dei est, probare id, quod dixit, non autem probare quòd id, quod dixit, sit verum: siquidem non opus est probatione, ut quis sit certus, quòd id, quod proficiscitur à veritate infinitâ, sit verissimum; sed volumus esse certi, an ipse sit, qui loquitur:

Certitudo est in fide, evidentia in miraculis,

jam

jam ipse evidenter hoc probat per miracula. Si igitur DEus mihi præcipiens proponere veritatem, quam homines non comprehenderent, eodem tempore patrare me faceret miracula ad eam confirmandam, ut si rederem vitam mortuis, transferrem montes; obligati omninò forent mihi credere, & si non crederent, maxima foret impietas.

Judæi fuerunt impii non credendo in JesumChristum.

Deduc ex hoc, quanta fuerit Judæorum impietas, dum non crediderunt JEsu Christo prædicanti ipsis veritates tam sublimes, tam sanctas, tam divinas, quas etiam confirmari viderunt miraculis tam manifestis, & maximo cum numero patratis; & judica, quantò majoris nos arguendi essemus impietatis, si non firmiter crederemus in ipsum, videntes conjuncta in Scripturis, & eandem doctrinam, quam prædicavit, & eadem miracula, quæ patravit ad confirmandum illam; cúmque omnia hæc uno simul aspici possint intuitu, ubi doctrina confirmatur per miracula, & miracula vicissim per doctrinam. Nam quæ difficultas haberi possit credendo, quòd doctrina tam sancta confirmata sit magnis miraculis, vel etiam credendo, quòd tam magna miracula facta sint ab eo, qui tam sanctam docuit doctrinam.

Nos habemus hodie majorem obligationem credendi in JEsum Christum quàm habuerint Judæi.

Adjunge his plurima efficacia motiva, quæ hodiè nobis sunt, credendi in JEsum Christum, quibûs caruerunt Judæi: siquidem ipsi non habuerint nisi sanctitatem vitæ & doctrinæ, sicut & evidentiam miraculorum ejus: Nos habemus hæc omnia, sicut ipsi; sed insuper habemus, quod illi habuerunt; nimirum possessionem Religionis Christianæ roboratam & confirmatam tot sæculis, assensum tot millionum sapientissimorum & sanctissimorum hominum, qui horum sæculorum decursu vixerunt; falsam religionem idololatrarum, & antiquam (sed imperfectam) Judæorum prostratam, ad pedes Religionis JEsu Christi, & infinitudinem miraculorum, quæ subsecuta sunt semper, & fiunt adhuc hodie in tota Ecclesia Christiana, quæ evidentia sunt argumenta, & novæ semper antiquæ hujus veritatis confirmationes.

Vide Consultationem 3. art. 2. & 3.

Ubi ergò est hodiè homo in universo orbe, qui reperire possit excusationem, quâ se purget & culpâ eximat, nisi crediderit in JEsum Christum? Nonnè in sole posuit ipse tabernaculum suum? nonnè luci exposuit Ecclesiam suam, ut videri & conspici possit ab universis totius mundi partibus? Quis est homo, qui ignoret, JEsum

sum Christum esse, & Ecclesiam Christianam? sed plures infideles, inquies mihi, eòquòd audierint fieri de ipso verba, non habent sat luminis, quo excitentur ad credendum in JEsum Christum, cùm nimis procul distent ab eo: Assentior. Ille, qui de nocte videt facem à longè, non habet sat luminis ad legendum; sed saltem sat luminis habet, ut videat, se satis non habere, & exinde invitetur, ut propiùs accedat, & plus luminis accipiat. Quis impedit omnes totius mundi homines, aspicientes à longè veritatem Religionis Christianæ, quin propiùs accedant, & magis circa illam illuminentur? sed nos saltem, quibus optima hæc obtigit è cœlo sors, ut vivamus in meridie veritatis Christianæ; proficiamus ex magna hac nostra felicitate, amemus JEsum Christum, devoveamus nos unicè illi, contendamus ipsum semper magis magisque cognoscere, ipsius ratas & gratas habere leges, ipsius nos implere spiritu, ipsius vivere in terris vita, ut vivamus in ipso, & ipsi soli in omnem æternitatem.

Consultatio XVII.

De falsis Miraculis Anti-Christi.

Omnia habent suum contrarium,

Admirabilis est dispositio magnæ hunc mundum gubernantis providentiæ, quæ nunquam non in ipsius observatur regimine. Nihil est, quod suum non habeat contrarium, quo oppugnetur, & à quo, dum pugnat, melius stabiliatur. Veritas pro hoste suo habet falsitatem, lumen habet tenebras, calor habet frigus, album habet nigrum, sanitas habet morbum, pax habet bellum, virtus habet vitium, bonum habet malum, vita habet mortem, ipsemet verus DEus habet Deos falsos, à quibus oppugnetur, & JEsus Christus habet Anti-Christum, qui ipsius sit Antagonista.

Totum vetus Testamentum exspectabat JEsum Christum: totum novum exspectat Anti-Christum,

Totum tempus veteris Testamenti exactum est in exspectatione adventûs JEsu Christi, & totum tempus novi Testamenti exigitur in exspectatione adventûs Anti-Christi. Prophetæ prædixerant, JEsum Christum esse venturum, hoc erat certum. JEsus Christus, & Apostoli, & plures Sancti prædixerunt, Anti-Christum esse venturum, hoc est certissimum. Vetus Testamentum prædixerat, nationes infideles fore conver-

vertendas ad fidem, per miracula JEsu Christi, & videmus hanc prophetiam adimpletam. Novum Testamentum prædicit inducendos fore in errorem per falsa miracula Anti-Christi, etiam ipsos electos, si foret possibile; & hujus videbitur adimpletio prophetiæ. Exspectabatur JEsus Christus velut Salvator totius mundi; exspectatur Anti-Christus velut universalis mundi subversor. JEsus Christus est Agnus DEI, qui tollit peccata mundi, ad introducendam hìc sanctitatem; & Anti-Christus erit Leo diaboli, qui abolere molietur omnem è mundo sanctitatem, ad stabiliendum ibi peccatum. JEsus Christus missus fuit è cœlo in mundum, ut salvaret animas, ipsásque attolleret in cœlum; & Anti-Christus mittetur ex inferno ad animas damnandas, & in infernum detrudendas. Et ut verbo complectar, Anti-Christus magis oppositus erit in omnibus JEsu Christo, quàm mors vitæ, peccatum gratiæ, & tenebræ luci.

Curiositas exstimulat ad desiderium sciendi res magnas & inusitatas.

Tenemur omnes congenito nobis desiderio sciendi res futuras. Probus, qui ostenderat singularissimâ se affectum fuisse voluptate ex habito de miraculis JEsu Christi sermone, utpotè rebus inusitatis & admiratione dignis, videns doctum nostrum Ecclesiasticum exorsum fuisse discursum de Anti-Christo, & falsis ejusdem miraculis, majori adhuc monstrabat se aviditate inflammatum percipiendi ea, quæ dicturus esset, haud inaniter augurans, deprompturum ipsum talia, quæ studiis suis circa hanc materiam indagaverat magis exquisita, magisque curiosa, declaraturum insuper multa stupenda, magna portenta, quorum nonnisi tenuem & superficialem habebat notitiam.

Quod de Anti-Christo dicendum sit in hac Consultatione.

Et ut ipsum meliùs hìc implicaret, explicandas proposuit ipsi hâc super re plures quæstiones: 1. Quis futurus sit hic Anti-Christus, de quo tanti sunt sermones, unde venturus, quæ ipsius nativitas & educatio. 2. Quales futuræ sint ipsius inclinationes, mores, negotia. 3. Quâ viâ obtenturus sit tantam in mundo potentiam. 4. Quâ ratione regnaturus sit in mundo, quámque diu duraturum ipsius regnum. 5. Quæ miracula facturus, & cur dicatur, futura hæc falsa. 6. Quare Deus sit permissurus tantos seduci à deceptore hoc homines. 7. Qualis futurus sit finis & conclusio funestæ hujus tragœdiæ.

Suppeditas mihi argumentum tam amplum, inquit Ecclesiasticus, ut longo indigerem tempore, si ad longum tuis vellem satisfacere quæstionibus; sed argumentum tam funestum, tamque lamentabile est, ut loqui de eo non possem tam parcè, quin fuerim locutus abundè nimis. Siquidem eheu! qualis oblectatio capi posset ex eo, dum ponuntur ob oculos, acerbæ miseriæ, quæ totam ingemiscere faciant naturam, & horrore concutient creaturas universas. Vis illas nôsse.

ARGUMENTUM.

Quis futurus sit Anti-Christus, undè venturus, & qualis ipsius nativitas.

Articulus I.

Si capias nomen Anti-Christi juxta id, quod universaliter significat, id est, contrarium vel oppositum Christo, dicendum est cum sancto Joanne, jam plures esse Anti-Christos, magnum valde ipsorum esse numerum, & futurum semper usque ad consummationem sæculorum. Siquidem quantos videre est homines in universo mundo contrarios Esu Christo, hunc in suis effatis & affectibus, istum in suis machinationibus & consiliis, illum in suis moribus & operibus. Eheu! nonne affirmari potest cum dolore, multò plures Anti-Christos, quàm veros Christianos in toto orbe.

1. Joan. 2.

Semper fuerunt plures parvi Anti-Christi.

Sed universale hoc nomen Anti-Christi, quod dari potest omnibus impiis, speciale erit impiorum maximè impio, & antesignano; & ut nobis ostendat, ipsum in se solo conjecturum omnem malitiam omnium aliorum reproborum, Scriptura singularem ipsius personam designat nomine universali omnium malorum, dum vocat ipsum Anti-Christum. Forsitan is habebit quodpiam aliud nomen proprium, sed hoc ignoratur. Novimus duntaxat, S. Paulum nominare ipsum per antonomasiam *Hominem peccati*; quod est idem ac si diceret, ipsum nasciturum è peccato, ipsum nutritum iri peccatum, ipsum non respiraturum nisi peccatum, ipsum serviturum nonnisi peccato, ipsum non amaturum nisi peccatum, ipsum totum fore devovendum peccato, & in hoc suam collocaturum

Quid sit futurus verus & magnus Anti-Christus.

rum beatitudinem. Hæc duo verba Apostoli, *Homo peccati*, majora innuunt execrandorum scelerum portenta, quàm possit explanari.

2. Thess. 2.

An Papa sit Anti-Christus.

Sunt, qui putant, verum Anti-Christum esse Papam, interpellat hîc Probus; inter alios Musculus pro certo id tenet & probat, cùm asserat, quòd Anti-Christus idem significet, quod Vicarius JEsu Christi. Jam non est, nisi solus Papa in orbe, qui gerat hoc nomen: ipse solus ergò est Anti-Christus. O quàm egregia opinio, replicat Ecclesiasticus, sanctæ indignationis correptus zelo! Juxta mentem ipsius oportebit sanctum Apostolum Petrum primum fuisse Anti-Christum, & omnes successores ipsius, quibus accensentur plurimi sanctitate insignes, fuisse tot Anti-Christos; & Ecclesiæ Catholicæ semper clavum tenuisse Anti-Christum, ità ut nunquam habuerimus in terra Ecclesiam JEsu Christi, sed semper illam Anti-Christi. Relinquo judicio tuo, an proficisci possit propositio magis nefanda ex ore Anti-Christi ipsius?

Impossibile est, Papam esse Anti-Christum.

Sed quis somniare fecit hunc hominem, quòd nomen Anti-Christi significet Vicarium JEsu Christi? Quàm parùm etiam peritus fuisset Grammatices, videre debuisset, tantum abesse, quòd Anti-Christus & Vicarius Christi sint idem, ut duo sint verba eâdem ratione sibi invicem opposita, quâ sunt amicus & inimicus: siquidem Anti-Christus significat adversarium JEsu Christi, & Vicarius significat Substitutum JEsu Christi; unus oppugnat ipsius auctoritatem, alter illam defendit; unus machinatur abolere ipsius nomen & gloriam; alter nil agit, nisi in ipsius nomine, nec agit aliud, nisi ut augeat honorem ipsius & gloriam; unus dicet, JEsum Christum esse nihil, & se solum adorandum esse in terra; alter dicit, se nihil esse in sua persona, nisi humillimum servum servorum Dei, & JEsum Christum solum adorandum esse in mundo. Ubi est ergò quidquam sanæ mentis homini, qui effutire audeat, nomen Anti-Christi significare Vicarium Christi? nonne hoc est dicere, quòd ignis significet aquam, quódque tenebræ significent lucem? an unquam imaginatio fuerit magis insulsa, absurda & inepta?

Et deinde Anti Christus juxta omnes scripturas erit homo quidam particularis, qui conspiciendus non exhibebitur mundo, nisi in fine sæculorum, ad subvertendum ex integro im-

Anti Christus erit homo quidam particularis.

perium Romanum, tamque absolutè demoliendum Ecclesiam Christianam, ut nemo sit ausurus confiteri manifestè, se servum esse JEsu Christi, nisi committere se velit sævissimis quibusque hominis istius cruciatibus ac tormentis, ab ipsius crudelitate sibi infligendis.

Et undè veniet hoc monstrum? Nonnè erit diabolus incarnatus, quem infernus evomet in terram? Non erit verus homo ex natura, quamvis dici Unde venturus sit Anti-Christus. possit, ipsum solum exhibiturum ratione quâdam omnes dæmones in malitia. Creditur verisimiliter, ipsum nasciturum inter Judæos, ipsósque recepturos illum primos ceu verum Messiam, diffluentes gaudio, quòd habeant occasionem occultam suam effundendi rabiem, quam foverant in corde suo adversùs Jesum Christum, quando videbunt hominem, qui impugnabit ipsum: Et videtur, Jesum Christum prædixisse ipsis satis clarè funestam hanc sortem in Evangelio: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me; si alius venerit in nomine suo,* Joan. 5. v. 43. *illum accipietis.* Erit illi facilè prima mox fronte lucrari omnes Judæos: siquidem non solùm demonstrabit illis lethale ergà Jesum Christum odium, quo sibi summum ipsorum conciliabit amorem, sed etiam locupletabit illos bonis temporalibus; quorum semper fuerunt avidissimi, quæque à vero suo Messia recipere sperabant firmissimè. Omnes thesauros in fundo maris absconditos & in viscera terræ sepultos, opitulantibus diabolis poterit invenire, ut manibus Judæorum consignet illos.

Nascitur inter Judæos, qui recipient ipsum velut suum Messiam.

Porrò non caret fundamento, quòd nasciturus sit è tribu Dan; si consideretur, quod in Genesi, quæ est initium Scripturæ sacræ, capite quadragesimo, ubi adventus Messiæ clarè admodum promittitur, ubi tempus nativitatis ejus designatur, ubi eximiæ ipsius perfectiones verbis magnificis enarrantur, & ubi Jacob exspirat in exspectatione desiderabilis hujus Salutaris Dei, pro eo, quòd benedictionem largiatur omnibus tribubus Israël, illa Dan non recipiat nisi maledictiones, & accipiatur haud aliter, quàm serpens: *Fiat Dan coluber in via;* quasi prævidens nasciturum Anti-Christum ex malè ominata hac familia. Hæc opinio est sancti Augustini: *Talia dixit de Dan, ut de ipsa tribu exisimaretur exsurrecturus Anti-Christus.* Et in Apocalypsi, quæ est finis Scripturæ sanctæ, ubi sanctus Joannes, dum citat omnes alias tribus Israël, dicens, quòd

Nascetur ex tribu Dan. Gen. 49.

S. Aug. lib. 44. super Josue q. 22.

Apoc. 7.

viderit

viderit ex unáquáque tribu duodecim millia signatos, id est, portantes signum prædestinationis, solam omittit tribum Dan, quasi nullum vidisset ex tota hac familia, magnificâ hâc notâ insignitum, quod funesto est illi præjudicio, dum esse poterit Anti-Christi origo. Quamvis hæc constringentia non sint argumenta, sunt tamen tanti valoris conjecturæ, ut alia ex parte fortiores non liceat invenire.

Propheta Daniel, qui prolixè scripsit de eo, affirmat, ipsum sorte infimâ & loco obscuro fore nasciturum: siquidem appellat ipsum, *vilissimum, despectum, & indignum honore regio*; & alibi nuncupat ipsum *cornu parvulum*, quod ab initio nihil est, sed successivè semper crescit. Sanctus Hieronymus opinatur ipsum nasciturum in Babylon. O Deus! qui erunt parentes, pater & mater hujus monstri? Sanctus Damascenus asserit, ipsum fore nothum ac spurium, sed non declarat, an nasciturus sit ex adulterio vel ex sacrilegio, vel ex puella, quæ simulabit se concepisse & peperisse manendo virginem, quamvis futurum id sit fraude & operâ diaboli, ut in omnibus oppugnet JEsum Christum, etiam in nativitate ubi sanctissima ipsius Mater verè permansit Virgo tam post, quàm ante partum suum, eòquòd conceperit ex operatione Spiritûs sancti. Hæc fuit quorúndam sententia, quos Rabanus refert in tractatu, quem scripsit de Anti-Christo; verùm quô fundamentô?

Dan. 11 v. 20 & 21.

Item c. 7. v. 8.

Anti-Christus erit ex abjecta stirpe & spurius.

S. Damascen. l. 4. de fide c. 27.

Verum quidem est, quòd sanctus Hieronymus in caput decimum sextum, Isaiæ nuncupet diabolum patrem Anti-Christi; sed dicere solùm vult, quòd per potentiam Dei accepturus sit imperium tam absolutum in ipsum ab utero matris suæ, ut ipsius humores & organa dispositurus sit tali ratione, unde enascatur temperies & habitudo corporis idonea & proclivis ad omnia vitiorum genera, quódque ab infantia sua repleturus sit ipsum execrandissimâ quâvis malitiâ, imprimens ipsius sensibus, ipsius imaginationi, ipsius intellectui, cogitationes nefandissimas, nec permittens ipsum unquam concipere unicam solam bonam cogitationem, nec habere inclinationem ad bonum vel minimam. Et hoc est, quod S. Paulus expressis dixit verbis: *Cujus est adventus secundùm operationem Sathanæ*, in signis, & prodigiis, & mendaciis, & in omni seductione iniquitatis. Sed prodigiorum omnium ipsius maximum,

S. Hieron in c. 16. Isaiæ.

Diabolus erit ratione quâdam pater Anti-Christi, quia formabit ipsum ad sui similitudinem.

2. Thess. 2, v. 9.

mum, quod tum pavore tum stupore concutiet universum orbem, erit, intueri, quòd possibile sit in universa natura humana tantæ malitiæ reperiri hominem, quantæ est ipse.

Anti-Christus habebit libertatem faciendi bonum, & posset salvari, si vellet.

Et itáne, dicit desuper Probus totus attonitus ex idæa & effigie talis monstri? Si natus est ita ad malum, an ergò nullam habebit libertatem operandi aliquid boni? ergò operari non poterit salutem suam, quando id etiam voluerit? Ergò in partem omninò non veniet gratiarum JEsu Christi? Videtur ergò ipsum nasci eo nomine velle Deum, ut damnetur? Non, inquit Ecclesiasticus, articulus est fidei, quòd Deus nunquam fecerit aliquem nasci, aut unquàm nasci faciet consultò & deditâ operâ, ut damnetur; ipsius anima erit creata ad imaginem Dei, sicut animæ reliquorum hominum; Deus vult salutem ipsius sicut illam cunctorum mortalium; JEsus Christus mortuus est pro ipso, sicut pro omnibus cæteris peccatoribus; assignabit illi Angelum custodem, sicut aliis hominibus, offeret ipsi suas gratias, & paratus erit recipere ipsum in amicitiam suam specialem, ut efficiat ex ipso Sanctum, si suis vellet cooperari gratiis. Sed repellet incredibili cum malitia illas omnes, & indies singulari cum studio se magis magisque indurabit, crescens sinè intermissione in odio adversùs JEsum Christum, & in rabie adversùs Deum verum usque in finem.

Habebit Angelum custodem, & JEsus Christus ipsi suas exhibebit gratias.

Nihilominùs DEus conservabit illi & esse & vitam, & obsequia præstabit ipsi per omnes creaturas suas, quibûs non utetur, nisi ad ipsum offendendum, pro eo, quòd omnes creatæ sint ad ipsum glorificandum: permittet potiri ipsum suâ luce, suâ terrâ, suo aëre, omnibûs suis elementis; adjuvabit etiam ipsum ad perficiendum omnia, quæcúnque voluerit, & concurret ad omnes ipsius actiones, quantumvis maximè execrandas & nefandas; nunquam non suos habebit defixos in ipsum oculos, quin unquam denegaturus sit ipsi paternæ suæ providentiæ curas, & portabit, sicut cæteros homines, ipsum in sinu suo. Accipiet auxilium à DEO.

Hæc inaudiens Probus, exclamavit totus occupatus & abreptus affectu ciente ipsi lachrymas ex oculis: An igitur verum est, infinita Bonitas, amare te eousque hominem, qui nonnisi odit te, téque tantâ offendit & oppugnat cum rabie? An igitur verum est, quòd

eousque

eousque ascendens malitia non evellat & eruat è corde tuo bonitatem Patris, Creatoris, Conservatoris, amici intimi, quæ invigilet omnibus, quæ prospiciat cunctis necessitatibus, majori cum cura, quàm amantissimus in mundo pater prospicere posset indigentiis cunctis filiorum suorum, quos amaret tenerrimè? sed an igitur verum est, amabilissime mi JEsu, abyssus misericordiæ! mortuum te esse pro illo in cruce (neminem enim excluisti ab ingenti hoc Redemptionis beneficio, nec magis ipsum quàm cæteros homines: *Pro omnibus mortuus est Christus*) & tu eousque amabas hominem, qui eousque te prosequebatur odio? & collocabas in corde tuo illum, qui te, si posset, annihilare vellet? Quis comprehendere valeat, ô JEsu, copiosam hanc bonitatis tuæ abundantiam! quâ tuam das vitam pro illo, qui vellet ex toto corde suo, te tuâ exspoliare divinitate. Verùm oportebat bonitatem JEsu Christi infinitâ ratione excellere Anti-Christi malitiam & perversitatem.

Quantum bonitatis Dei prodigium, quod sustineat maximos, peccatores illisque beneficiat.

Tu igitur triumphas, ô bonitas Redemptoris mei; immò tu triumphas semper manifestè de maxima hominum malitia: tu plures possides gratias, quas exhibeas ipsis, quàm ipsi committere possint peccata, modò verum duntaxat concipiant dolorem, tuámque implorent misericordiam. Quâ ratione noverimus te esse tam bonum, & non amemus te? quâ ratione agnoscamus te tam amabilem, & non unicè nos tuo devoveamus obsequio?

Sed optarem intueri propiùs Anti-Christi malitiam, ut effulgere magis viderem ex oppositione admirabilem bonitatem JEsu Christi. Quâ ratione possibile erit, hunc hominem nihili, tantæque malitiæ conscensurum tam sublime potentiæ fastigium, ut subversurus sit regna & imperia ac universam Ecclesiam, atque tyrannide suâ terrrorem incussurus universo orbi: Hoc mihi stupendum prorsùs videtur.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Quænam futuræ sint qualitates, quive mores Anti-Christi & unde is obtenturus sit suam potentiam.

Articulus II.

MAgis adhuc hærebis attonitus, dum percipies, omnes ipsum habiturum qualitates malas, quæ unicum solum hominem exponere possent odio ac despectui cæterorum hominum omnium; nihilominùs ità illos omnes fascinaturum, ut credituri sint ipsum pollere cunctis qualitatibus bonis, quæ unicum hominem solum reddere possent amabilem simul & formidabilem hominibus universis.

Anti-Christus erit impius, nihilominus finget, se habere magnam pietatem.

1. Siquidem imprimis erit tam impius, ut machinaturus sit annihilare ipsum Deum, suis substernens pedibus omne genus divinitatis, volens agnosci & adorari à cunctis hominibus, velut solus & verus Deus; sic enim sanctus Paulus describit ipsum: *Extollitur super omne, quod dicitur Deus, & quod colitur.* An quidquam magis abterrere possit ac debeat omnes homines, qui ex naturæ instinctu circumferunt in corde sensum Divinitatis, quæ transcendat & elevata sit suprà conditionem suam naturalem?

2. Thessal. 2. v. 4.

Nihilominùs nil magis præseferet, quàm speciem pietatis, persuasurus fermè omnibus, consistere illam in adorando se solo, quia credere illos volet, se solum esse verum Deum omnipotentem, quia bona vel mala conferri possit hominibus.

Omnes intendet nervos, ut universaliter aboleat omnia Religionum genera, Christianam, Judaicam, Mahumetanam, Paganam, & abrogabit etiam omnes indiscriminatim leges, humanas & divinas. Nonnè putes hoc medium esse susque déque vertendi universum mundum? (omnis namque homo amat naturaliter religionem & legem suam) & nihilominùs, res mira! omnes ferè eò reducet homines, ut credant nullam aliam religionem veram & legem esse, nisi illam voluntatis suæ.

Dan. 7. v. 25.

Abrogabit omnem religionem.

2. Erit idololatra in occulto: siquidem Propheta Daniel nobis asserit, adoraturum ipsum velut Deum suum, certum quendam diabolum, quem appellat *Maozim*, quod verbum est Hebraicum,

Dan. 11 v. 38.

Erit idololatra & simulabit se odisse idololatriam.

braicum, significans propugnacula, munitiones, potestates: undè plures ansam sumpserunt credendi, hunc Deum esse Martem, quem idololatræ antiquitùs adorabant, velut Deum belli. Sed maximâ abscondet solicitudine occultum hunc familiaris sibi diaboli cultum, qui palam factus probrosam ipsius ostenderet servitutem, ipsúmque haud leviter redderet contemptibilem. Nihilominùs uteretur illo, ut ostendat exteriùs, se solum esse verum Deum, quem oporteat adorare: siquidem mediante illo habebit legiones diabolorum ad sua servitia.

Hippolytus lib. de consummat.

Sanctus Hippolytus in libro de Consummatione sæculi, asserit, quòd modò missurus sit illos in universum orbem, ipsíque conspiciendi sint velut legati, magnifico cum apparatu ubivis annuntiaturi: *Natus est Rex omnipotens in terra, venite, adorate, ipsum omnes; omnes præparate vos ad intuendum prodigia potentiæ ejus; ipse est, qui donabit vobis abundantiam frumenti & vini, quique pretiosas dispertietur vobis divitias & sublimes dignitates; siquidem mare & terra obediunt ei. Venite ad ipsum omnes.* Et modò revocaturus ipsos ad se, ut splendidum exhibeant sibi famulatum, recipiendo eos, qui ex omni loco catervatim adventuri sunt ad reddendum ipsi homagium: *Apparebunt collocati in pulchro ordine, velut Angeli lucis, cantantes ipsius laudes, ipsique reddentes divinos honores; & quandoque attollent ipsum in sublime versùs cœlum, velut in triumpho, & exin reportabunt ipsum in terram pompâ cum magnificâ, quæ admirationem & reverentiam excitabunt in omnibus populis spectaculum hoc intuentibus.* Quæris: undè ipsi hæc tanta potestas? Nonnè cernis, esse infernum, qui hanc suppeditet ipsi ex permissione DEI?

Legiones diabolorum servient ipsi velut legati & aulici.

3. Erit addictissimus spurcitiis impudicitiæ, sicut Daniel depingit illum: *Et erit in concupiscentiis mulierum*; siquidem non contentus erit unâ, nec duâbus fœminis, sed magnam illarum habebit copiam, ut fœdis suis satisfaciat concupiscentiis. Veruntamen fascinabit oculos hominum, ne suas intueantur brutalitates: volet enim haberi velut Angelus in terris, probè persuasum habens, se nunquam adorandum ut Deum, si carnis adoret voluptates, vivátque bestiam. Simulatione ergò & hypocrisi suâ, cuncta sua abscondet vitia, ad stabiliendum imperium suum sub specie & imagine virtutum. Dan. II. v. 37

Erit impudicissimus, & desiderabit videri castus.

3. Institutum ipsius particulare erit Magia, quâ imbutus erit à sua infantia, ut Magorum omnium, qui fuerunt unquam,

Erit tam expertus magiæ, ut doctus sit ipsos diabolos malitias,

evadat maximus ; & pro eo, quòd S. Chrysostomus dicit, sanctum Paulum fuisse Evangelistam Angelorum, ipsumque illos illuminâsse, Anti-Christus erit magister diabolorum, ipsósque, quas nescièrant, edocebit malitias, quásque è proprio suo desumet & hauriet intellectu, qui erit velut indeficiens & inexhausta iniquitatis abyssus : & exin utetur illis velut executoribus execrandorum, quæ conceperat ipse, consiliorum. Hinc S. Irenæus appellat

Irenæus lib. 5. c. 29.

ipsum *recapitulationem universæ iniquitatis* ; id est, Synopsin, Epitomen, compendium universale iniquitatum, quas unquàm commiserint homines. Ecce tibi qualitates & mores illius. Et nihilominùs execrandus & omnibus hominum dignus supplicìis, supremos sibi comparabit honores, nonnisi soli & vero Deo debitos.

Erit arrogantior Lucifero.

Sed cætera omnia crimina non erunt nisi velut gradus ad conscendendum altissimum impietatum suarum fastigium, quod consistet in superbia tam immoderata, ut longo intervallo relictura sit post se illam Luciferi, & omnium Angelorum apostatarum : Hic enim ambiebat ad summum similis esse Altissimo ; ille autem attollere se volet super Altissimum, & ipsum suis substratum habere pedibus. Hic JEsus, dicet ipse, qui venit, quique acceptus est pro Messia, non erat Messias, nec Filius Dei, non erat nisi seductor ; nunquàm ampliùs fiat mentio de eo ; ipsius doctrina erat falsa & fraudulenta ; non credatur ampliùs illi ; ipsius Sacramenta erant vanæ superstitiones, despicatui habeantur jam illa ; ipsius lex erat abominabilis, jam cunctis horrori sit illa. Ego sum solus, qui Deus sum mundi, & salvator mundi, & felicitas mundi. Et ego solus sum, dicet, qui volo adorari.

Ædificabit sibi ipsi templum, sub vana spe decipiens Judæos, se daturum id illis, ad restituendum pulchrum illud Salomonis templum, quod erat miraculum mundi. Sed ædificabit id pro seipso, ut faciat se in illo adorari ; hinc offerri sibi volet sacrificia, thura, holocausta, & omnia exhiberi supremi cultûs obsequia ; & qui hæc ipsi abnuet præstare homagia, impiissimus censebitur hominum, & mulctabitur velut reus læsæ majestatis divinæ, ob denegatam vero Deo adorationem ; non erit supplicii, nec crudelitatis genus, quo torquendus, & divexandus non sit.

Eriget sibi templum, ubi adorari se faciet velut solum verum Deum.

Hinc est, quòd sancti Patres dicant, tunc multò illustrio-

Apoc. 13. v. 10. striores futuros Martyres iîs omnibûs, quos prima viderunt & tulerunt sæcula, sub dominio tot Imperatorum idololatrarum, qui in nascente Ecclesia persecuti sunt Christianos: siquidem non tolerabant illi tunc nisi tyrannidem hominum propugnantium honorem falsorum suorum Deorum; sed ultimîs hîs temporibûs, ubi abominatio desolationis erit sub regno ejus, cùm inciderint in manus ipsiusmet, qui se dicet solum verum Deum, voluptatem is capiet, declarando quantùm potuerit, existimatam suam omnipotentiam, & vindicando se de iis, qui ausi sibi fuerint reluctari, evocans diabolorum, quorum magister & dominus erit, ministerio, sævissima quæque ex inferno in terram supplicia, quibûs affligat & cruciet mortales. O Deus! sola imaginatio barbararum & immanium crudelitatum, quas tunc exerceri continget, nonnè sufficiat ad incutiendum horrorem, qui surrigi faciat in fronte capillos, & congelascere sanguinem in venis?

Erunt tunc illustrissimi Martyres JEsu Christi.

Ecclesia non deficiet unquam ex integro.

Nihilominùs verum est, quòd frustrà obluctante omni ipsius rabie ac furore, nunquàm ex integro defectura sit fides Ecclesiæ. Reperire nunquàm non erit fideles, qui amabunt JEsum Christum milliès plùs propriâ suâ vitâ, qui confitebuntur adorandum ipsius nomen, quíque propalabunt gloriam ejus usque ad rotas acutas, rogos ardentes, & ipsos ungues diabolorum, quando erumpent è penetralibus inferni velut efferati leones, ad discerpendum illos. Siquidem, cùm scriptum sit, ipsum persecuturum Sanctos, semper igitur Sancti erunt, qui sustinebunt & superabunt constantiâ suâ omnes ipsius persecutiones. O felices animæ, quibus tam exoptatæ erunt occasiones adornandi triumphum amori JEsu Christi in vestrorum difficultate certaminum; quis est, quem non vestræ incessat cupiditas felicitatis? sed Eheu! digni non sumus, ut quidquam patiamur pro amore & ex amore JEsu Christi.

Si Anti-Christus modò veniret, quid futurum.

Ne verba quæso tam speciosa, interpellat Probus, ne jactemus nos ità gloriosè; æstimo nos nimiùm quàm beatos, quòd istis expositi non simus occasionibus: siquidem an multos hodiè reperire esset Christianos, qui non contremiscerent & succumberent quantocyùs solis ingentium horum cruciatuum minis, cùm videamus absque intermissione, ipsos deserere Deum ob minimam quámque utilitatem? O quàm procul absumus, ut nobis sit animus resistendi tam sævis as-

ſultibus, cùm à leviſſima proſternamur tentatione! O Deus! ſi Anti-Chriſtus veniret modò in mundum, quàm facili negotio plerósque poſt ſe traheret Chriſtianos! fides illorum, nonniſi è filo pendet; minimum quid induceret illos ad deferendum ipſam; ſi exhiberentur ipſis divitiæ, honores, voluptates, dignitates, munera ſplendida. quàm innumerabilis multitudo curreret poſt ipſum, & renuntiaret JEſu Chriſto, citrà id, quòd geminas paterentur inſtantias ac ſolicitationes!

Et ſi quis malâ hâc affectus eſt diſpoſitione, eámque videat in cordis intimo Deus, ſicut procul dubio in multis erit, qui forſan idipſum non advertent: nonnè quaſi ſit tantum, ac ſi jam deſeruiſſent fidem ſuam, religionem ſuam, eòquòd expediti ad hoc omninò ſint, nec aliud illis deſit, niſi ſola occaſio? Eheu! quid ſcio, an ego ipſe, qui vobis hæc dico, fidelis forem & conſtans in fide?

Sed nondùm ſatisfactum eſt meæ admirationi, quâ percellor circa perſonam infelicis hujus hominis. Dicitur ipſum imperaturum Regibûs & populis, ipsúmque ſolum dominaturum cum ſuprema poteſtate univerſo orbi. Quâ ratione homo tam obſcuro ſatus loco, tam abjectâ prognatus ſtirpe, tam deſpectâ oriundus conditione, eòusque attollet ſe, & quidem tam repentè & brevi tempore? ſiquidem pro certo tenetur, ipſum nonniſi valdè paucis regnaturum annis. Quibûs utetur mediis? an mediis forſan divinis? ſed maximus is erit inimicus Dei. An mediis humanis? ſed id, quod faciet, ut tyrannicum in homines principatum, humanum non erit. An media igitur erunt diabolica? verum eſt, ipſi hæc omnia fore ad ſervitia. Sed quam potentiam habent dæmones, niſi illam, quam permittet ipſis Deus? Et dein tot alii Magi uſi ſunt illis ante ipſum, & nemo eòúsque eſt progreſſus? Quid igitur faciet? audi, dicam tibi.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Quibûs mediis Anti-Christus usurus sit ad reddendum se velut Omnipotentem in mundo.

Articulus III.

Plures parvi Anti-Christi disponunt indies negotia magni Anti-Christi.

IPsius opus non erit totum ipsius opus, id est, quòd deducet quidem ad ultimam metam mysterium iniquitatis, non autem inceperit illud. Dici potest, illud quodammodò esse opus omnium sæculorum: siquidem nunquam non fuit lectum, & legetur semper effatum illud veritatis in Scriptura: *Nunc Anti-Christi multi sunt.* Non est sæculum, nec annus, nec mensis, nec dies, cui hæc explorata non fuerit veritas; siquidem certum est, quòd mundus nunquam caruerit ingenti numero adversariorum JEsu Christi, ipsius spiritûs, ipsius vitæ, ipsius doctrinæ; & hi omnes parvi Anti-Christi sunt præcursores Anti-Christi magni, cui præparant viam, ac ipsius disponunt & ordinant negotia.

1. Joan. 2. v. 18.

Assectæ mundi sunt præcursores Anti-Christi.

Quid est aliud lex mundi cum suis regulis contrariis omninò illis JEsu Christi, nisi tyrocinium doctrinæ Anti-Christi: Et videmus, plerósque homines intendere illi animum, absque eo, quòd magni pendant Evangelium. Quid est aliud lex sensuum, penes quam se omnes quasi moderantur, & dirigunt, nisi extinctio omnium luminum & cognitionum fidei divinæ in animabus? Verum quoque est, quòd quasi nemo habeat cordi, quod lex ipsum docet, vel ipsi præcipit, sed id quod sensus proponunt ipsi. Non est quasi ampliùs fides in mundo; & ideò JEsus Christus dixit: *Quando Filius hominis veniet, putas inveniet fidem in terra?* Ecce tibi tot dispositiones ad deducendum facilè in opus omnia consilia Anti-Christi.

Luc. 18.

Hæretici sunt præcursores Anti-Christi.

Omnes hæretici, qui contendunt subvertere fidem, incipiunt valdè benè opus ipsius; omnia ingenia curiosa ac superba, quæ non amant nisi opiniones novas à se inventas, quæ disceptationibus involvunt cuncta, quæ perscrutantur & investigant vetustissima antiquitatis monumenta, ut inveniant, de quo in omnibus moveant dubia, & quasi de re nulla habeant certitudinem, valdè benè prosequuntur opus ipsius: omnes impii, qui gloriæ sibi vertunt vertere in contemptum res sacras, & spiritualem potestatem suîs conculcare pedibûs, quasi persuasum sibi habe-

rent, Deum esse nihil, nisi imaginationem quandam Chimæricam, optimè ipsius agunt & tractant negotia.

Avari coacervant thesauros pro Anti-Christo.

Omnes avari, qui maria fatigant & terras ad coàcervandos thesauros, quíque illos sæpiùs in utróque elemento relinquunt sepultos, abs eo, quòd constent ulli hominum, replent sine intermissione per hoc thesauros ærarii ipsius: ipse enim benè dæmonum ope noverit invenire immensos hosce thesauros, illósque impendere ad felicitanda sua prospero eventu consilia. Nonnè etiam dicitur, illos, qui in investigandis & eruendis è terra absconditis thesauris suam navârunt operam, sæpiùs molestatos fuisse à diabolis, quando detexerunt & invenerunt illos? quod indicio est, illos ibi commorari, ad conservandum eos illi, qui suus sit olim futurus magnus Dominus & Magister.

Anti-Christus inveniet mundum totum dispositum ad se recipiendum.

Quàm innumerabilis multitudo hominum inservit perpetuò consiliis Anti-Christi? Non immeritò ergò dixi vobis, quòd ipsius opus non erit totum ipsius opus; multi alii, qui velut sunt ipsius præcursores, huic per cuncta sæcula suas adjicent manus. Cùm ergò inventurus sit mundum tam benè ad vota sua dispositum, suísque prensationibus inclinatum, an mirùm sit, quòd absque difficultate prosperè deducat & exequatur negotium, quod judicares impossibile, nisi fuisset prius hac ratione dispositum ac præparatum. Jam ecce tibi, quâ ratione sit illud directurus, juxtà quod id clarè videre possumus, vel saltem admodùm verisimiliter conjicere ex iis, quæ legimus in Scripturis.

Dæmones dabunt Anti-Christo omnes thesauros absconditos in terra.

1. Inprimis, quia benè instítutus erit in Magia à suis unguiculis, utetur ministeriô dæmonum, ut trahat in possessionem suam omnes thesauros auri & argenti, vel absconditos in sinu terræ, vel immersos profundo mari. Sic enim Propheta Daniel depingit ipsum velut absolutum omnium thesaurorum dominum: *Et dominabitur thesaurorum auri & argenti.* Et quia verum est, omnia obedire argento, animo tam erit inflato, ut jam credat per hoc medium se habere in manibus dominium totius mundi. Dan. 11. v. 43

Lucrabitur Judæos & populos Orientales divitiis.

2. Per hoc ipsum lucrabitur primitùs omnes Judæos, omnésque Orientis populos, cùm affectus avaritiæ dominetur ferè in universo mundo tanta cum potestate, ut nonnisi pro Deo habeantur divitiæ. Dum replebit ipsorum manus, tam absoluto dominio occupabit ipsorum animos, ut unicè se suis addicturi sint obsequiis, ipsi servituri, ipsi obtemperaturi, & etiam ado-

adoraturi ipsum, velut solum Deum verum, qui felices se reddet ac beatos. Et credibilissimum est, illum ab ipsis proclamandum velut supremum suum Principem & Monarcham.

Eriget thronum imperii sui Jerosolymis: Et quare.

3. Stabiliet ergò thronum imperii sui in Jerusalem, ubi templum Dei, quod reædificaverit erit ipsius palatium; non quòd Jerusalem sit celeberrima totius dominii sui civitas; sed quia desiderabit agnosci & adorari velut Deus omnipotens in ipsomet loco, ubi supremus vero Deo cultus maximo semper cum splendore fuit redditus per cuncta sæcula; & ubi JEsus Christus verus Salvator operatus est salutem hominum. Exin machinans consilia universalis tyrannidis super universum orbem extendet imperium suum non solùm in tres mundi partes, in quas diffusa est Religio Christiana, Asiam, Africam & Europam, sicut sanctus Chrysostomus scribit; sed S. Hieronymus in Prophetam Daniel, & S. Augustinus vigesimo libro de Civitate Dei, asserunt, quòd suum imperium extensurus sit usque in Indias, & tam per seipsum, quàm suos Vicarios reducturus sub suam potestatem universum terrarum orbem; sed diu non durabit ipsius dominium, uti mox dicam vobis.

Hieron. I. cap. 11. Dan. & Aug. de civit. lib. 20. c. 11.

Quare facturus sit tam brevi tempore tot progressus

4. Sed quâ ratione id conficiet tam brevi tempore, quòd Alexandri & omnes Cæsares conficere non potuerunt cunctis diebus vitæ suæ? Respondeo, quia ipsi non habuerunt, uti ille, thesauros immensos, non habuerunt totum infernum & omnes dæmones ad sua obsequia; non noverant, uti ipse, artem patrandi infinita prodigia & miracula apparentia, quæ diffundent admirationem ipsius magnitudinis, & timorem ipsius potentiæ in universos fines terræ. Sed præcipuè non habebant armorum ipsius potentiam invincibilem: quamvis enim ingentes eduxerint copias, omnes tamen simul juncti nunquam habuerunt numerum adeò formidandum, qualem nobis ipsum habiturum sacra designat Scriptura, cujus enarratio sola tantum ciet admirationis, ut videatur quasi incredibile.

Apoc. 20, v. 9.

5. In Apocalypsi comparatur hæc copiarum multitudo arenæ maris; & quia hic numerus indeterminatus non conferret nec præferret idæam satis exactam ipsius magnitudinis, sanctus Joannes expressè dicit: Et erit numerus equestris exercitûs vicies millies dena millia. In Græco habetur; duæ myriades myriadum; una myrias continet decem millia, & duæ myriades myriadum ducentos

Prodigiosus numerus copiarum ipsius.

con-

constituunt milliones. Juxtà hanc ergò supputationem numerabit in exercitu suo ducentos milliones equitum; & si numerus copiarum pedestrium, qui semper in exercitibus transcendit illum equestrium, juxtà proportionem æqualis est magnitudinis, cogitandum tibi relinquo, quanto perculsurus sit terrore universum mundum. Et innumerabiles hæ copiæ sua recipient stipendia ex immensis thesauris, quos suæ consignatos habebit potestati. Num quæras adhuc, quomodò tempore tam brevi conquirere & subjugare poterit ditiones & regna, quibus comparandis & Alexandrorum & Cæsarum toto vitæ spatio impensa potestas non sufficiebat?

Cur non collocaturus sit sedem suam Romæ,

Admiror, dicit hîc Probus, quòd cùm futurus sit universi orbis Monarcha, non potiùs collocaturus sit sedem & solium imperii sui in urbe Roma, quæ à fundationis suæ initio vocata est *Caput mundi*; & dein ipsa est velut Caput Religionis Christianæ, contrà quam præcipuè omnem suam evomet rabiem, eòquòd non aliundè nuncupetur Anti-Christus, nisi quòd futurus sit maximus JEsu Christi inimicus. Quis obstabit ergò illi, ne triumphet de ipso in ipsomet imperii sui throno? Respondeo ad hoc, non amplius fore Romam in orbe, quando venturus est in orbem Anti-Christus.

Siquidem communis est opinio plerorúmque sanctorum Patrum, quando conferunt caput decimum septimum Apocalypseos, cum capite decimo septimo Prophetæ Danielis, imperium Romanum totaliter fore destruendum ante nativitatem Anti-Christi, urbémque Romam non solùm exspoliandam & demoliendam, sed ita annihilandam, ut non mansurus sit lapis super lapidem, nec minimum relinquendum alicujus civitatis vestigium, & futuram velut aperti liberíque campi planitiem: adhæc decem Reges, qui obtenturi erunt Romani imperii dominium, divisuros inter se illud totius mundi: sed Anti-Christum, dum regnare incipiet, invasurum bello tres ex his Regibus, nempè Regem Æthiopiæ, Regem Libyæ, & Regem Ægypti, ipsúmque hos mactaturum crudelissimè; septem autem alios formidandâ hâc potentiâ extertefactos submissuros se ipsi voluntariè, omnésque suas deposituros coronas ad pedes ejus, ut ipsi soli dominium relinquant totius universi. Hieronymus. Theodoretus. Cyrillus. Irenæus.

Non miror ampliùs, resumit Probus, quòd erecturus non sit solium suum Romæ, cùm urbs Roma tunc ampliùs non sit futura: sed admiror ignorantiam & cæ- Ignorantia eorum, qui dicunt Papam esse Anti-Christum.

& cœcitatem hæreticorum, dicere non reformidantium, Papam esse Anti-Christum, eòquòd sedem suam teneat Romæ; cùm unica hæc ratio evidenter probet, ipsum Anti-Christum esse non posse; cùm abominandus hic nunquam vel unicum ibi fixurus sit pedem. Hic locus nimis quàm sanctus est, cùm irrigatus sit sanguine tantorum Martyrum, qui suam sacrificârunt vitam in magno hoc mundi theatro pro gloria JEsu Christi, quàm ut unquàm contaminetur maximi Antagonistæ JEsu Christi præsentiâ. Et thesaurus hic universalis omnium gratiarum & divitiarum omnium cœlestium, undè diffunduntur per universum orbem, nimis quàm pretiosus est, quàm ut diripiatur ab infensissimo inimico Dei. Interim verum manet, illam demoliendam, & vestigium illius quasi nullum permansurum, haud aliter ac si nunquàm extitisset.

Specioſum ſancti Petri fanum, quod accenſeris maximis hodiè mundi prodigiis, evaneſces & non exiſtes ampliùs? magnificum Principum Eccleſiæ palatium, adæquans majeſtatem regiarum ædium, adæquaberis ſolo, exſcindêris funditùs? Ingentes divitiæ, ſtatuæ tam raræ, picturæ tam miræ, exquiſitiſſima omnium artium opera, quæ exornatis modò magnam hanc urbem, redigemini in cineres, & nihil veſtri erit ſuperſtes, niſi mœſta memoria? O quàm vanæ ergò ſunt omnes tam ſacræ, quàm profanæ magnitudines terræ! Eheu! quis aſpiciat omnes has magnificentias, velut res redigendas olim in cineres, & non magnum ipſarum concipiat animo contemptum? Tu ſola es, ô civitas ſancta, ubi JEſus in ſua regnat gloria. Tu ſola es, ô cœleſtis Jeroſolyma, chara mea patria! Tu ſola es, quæ nunquàm evertêris, ſed easdem poſſidebis in omnem æternitatem pulchritudines. O quàm dilecta ſunt magis tabernacula tua iis omnibus, quæ noſtris uſurpamus oculis in terra! Tu ſola proſequenda deſideriis; Tu ſola expoſtulanda ſuſpiriis.

Vanitas magnitudinum terrenarum.

Sed revertamur ad noſtrum propoſitum.

ARGUMENTUM.

Anti-Christus patrabit miracula tam prodigiosa, ut nunquàm quidquam simile fuerit conspectum.

Articulus IV.

NOn dedisti mihi sat otii, prosequitur Ecclesiasticus, ut satisfacerem ex integro petitioni tuæ circa media, quibus utetur Anti-Christus, ad obtinendum absolutum dominium totius mundi. Dixi tibi, usurum ipsum abundantia divitiarum & potentia armorum. Hoc sufficeret ipsi quidem ad ostendendum & ostentandum se maximum Monarcharum, qui unquam extiterunt in mundo; verum hoc ipsius non explebit ambitionem; videri volet Deus, sibique supremos impendi honores nonnisi Deo debitos. Ecce tibi, cur facere voles, saltem juxtà speciem, opera nonnisi possibilia omnipotenti dexteræ Dei, veluti sunt miracula.

Cur Anti-Christus facere volet miracula.

Non latebit ipsum, patrâsse JEsum Christum miracula tam splendida, támque frequentia, ut evidenter per hæc suam probaverit & demonstraverit divinitatem: desiderabit ergò patrare his multò majora, attollere se volens in omnibus suprà ipsum. Stupendum est sanè, aspicere ea, quæ desuper legimus in scriptis sanctorum Patrum. Ecce tibi propria illorum verba.

Sanctus Methodius Episcopus & Martyr, in revelationibus suis, in tomo secundo Bibliothecæ Patrum relatis, ità loquitur de illis: *Ipse faciet plura signa & prodigia Sophistica*, id est, fallacia & dolosa, *cæci videbunt, claudi ambulabunt, surdi audient, obsessi sanabuntur. Ipse convertet Solem in tenebras, & Lunam in sanguinem, juxtà speciem & apparentiam.* Ex hoc conabitur persuadere mundo, se verum Messiam esse, quem Prophetæ depinxerunt, dicentes, magnum hunc, tum corporum tum animarum medicum venientem è cœlo in terras, sanaturum omnes languores ac infirmitates hominum.

Miracula Anti-Christi secundùm Methodium.

Sanctus Martyr Hippolytus libro de consummatione mundi, non solùm confirmat hæc omnia, sed etiam adjungit & asserit: *Mundabit leprosos, reddet vigorem paralyticis, expellet dæmones, aperiet & nuntiabit res longè dissitas, velut præsentes, resuscitabit mortuos, transferet montes coram spectatorum oculis, ambulabit suprà mare*

Prodigiosa miracula Anti-Christi.

mare pedibus siccis, faciet descendere ignem de cœlo, convertet diem in tenebras & noctem in diem, diriget & deducet Solem quocúnque voluerit. Et ut omnia unico dicam verbo, toti ostendat mundo, mare, terram, & omnia elementa obedire imperio voluntatis suæ. Omnes Evangelistæ, qui recensuerunt miracula JEsu Christi, nihil ejusmodi dicunt de ipso; & si juxtà speciem judicandum foret, quis non diceret, potentiam illius multò esse majorem?

S. Ephrem. tract. de Consummatione mundi & Anti-Christo.

Sed sanctus Ephrem magnus hic contemplativus, cujus conversatio magis erat in cœlo, quàm in terra, quique tam sublimes habebat notitias arcanorum Dei, magis adhuc stupenda enarrat. Ecce ipsius verba: *Transferet montes & Insulas falsò, & videbitur verè mons currere in conspectu omnium, licèt reipsâ maneat immobilis, suis fixus fundamentis; ambulabit super abyssos, & simulabit indifferenter incedere posse super aquam, sicut super terram. Tribulatio dierum illorum erit permagna, quando exhibebit se velut Deum per prodigia formidanda, volans per aërem; & omnes dæmones sub forma Angelorum lucis, videbuntur volare circa tyrannum, quasi contremiscentes præ timore, in conspectu Majestatis ejus.* Ecce verba sanctorum Patrum, quæ quidem non constituunt articulos fidei, digna tamen sunt, quibus fides adhibeatur. Siquidem cùm certum sit, JEsum Christum reliquisse donum Prophetiæ in suâ Ecclesia, possumus intueri eos ratione quâdam velut Prophetas novi Testamenti, qui prænuntient nobis adventum & abominationes Anti-Christi, sicut illi Testamenti veteris prædixerant nobis adventum & eximias perfectiones JEsu Christi.

Auxiliare, Domine, exclamavit Probus, totus exterrefactus ex eo, quod audiebat. O Deus bone! quantæ tentationes vix vincibiles! Eheu! quâ ratione totus mundus non persuadebitur, totúsque pervertetur ex aspectu horum prodigiorum? siquidem cùm miraculum sit effectus visibilis omnipotentiæ Dei, quo convinci deberent maximè increduli; quis videndo illa tam numerosa, támque prodigiosa, ut simile nihil fuerit conspectum néque in veteri, néque in novo Testamento, solùm dubitare poterit, quin ille, qui hæc tam manifestè faciet, & propriâ suâ auctoritate, in præsentiâ totius mundi, sit verè Deus omnipotens, quem oporteat adorare?

Fateor, inquit Ecclesiasticus, crudeliorem hanc fore persecutionem, & tentationem magis periculosam, quàm Ecclesia toleraverit unquàm; sicut & JEsus Christus ipsemet prædixerat

Magna tentatio bonorum.

in Evangelio : *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi úsque modò, néque fiet : Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi.* Eodem tempore dixit omnibus hominibus: *Videte ne quis vos seducat ; ecce prædixi vobis.* Prophetia est miraculum , & quando per aliquam Prophetiam admonemur, ut nobis caveamus à seductore venturo, & patraturo falsa miracula, illuminamur cognitione veri miraculi, ut intueamur illusionem miraculorum falsorum ; & nemo hìc decipietur , nisi voluerit.

Quomodò benè admoneamur periculi.

Imò benè, replicat Probus, si quis certus esset, hanc veram esse prophetiam, si ejusdem videretur adimpletio, adesset semper de veritate certitudo , non obstantibus in contrarium aliis apparentiis. Sed quis hoc scire potest ? non est facilius discernere inter veram & falsam prophetiam, quàm inter verum & falsum miraculum. Quis mihi dicet, an falsitas sit in miraculo, an in prophetia ? unum condemnat alterum ; & certum est, si unum sit verum , alterum esse falsum. Sed quodnam è duobus ?

Respondeo ad hoc, certa nos habere indicia , ad cognoscendum veritatem vel falsitatem alicujus prophetiæ, & certas quoque notas ad cognoscendam veritatem vel falsitatem miraculorum. Quando videmus adimpletionem alicujus prophetiæ , plenam habemus certitudinem de veritate ejus ; & quando videmus res accidere prorsùs aliter , quàm prophetia nuntiaverat, certi sumus ex hoc de ipsius falsitate. Usque huc poterat haberi conjectura ; sed eventus decidit dubium , & clarè ostendit veritatem vel falsitatem prophetiæ.

Prophetia, quòd Anti-Christus venturus sit, vera est.

Si Anti-Christus non veniret ante extremi diem judicii, manifestum esset, omnes prophetias, quæ nobis illius prædixerunt adventum, fuisse prophetias falsas: sed adventus ejus prophetias verificabit. Credendum ergò illis erit, quando dicunt, ipsum facturum miracula falsa, & omnia, quæ exhibebit prodigia, non fore , nisi abominanda mendacia, ad inducendum in errorem orbem universum. Et tunc veritas prophetiarum , quarum videbitur adimpletio, erit facula dissipans tenebras falsarum apparentiarum , & clarè ostendens falsitatem & deceptionem miraculorum , per signa infallibilia, quibus vera à falsis discernuntur.

Sed quænam sunt hæc signa, interrogat Probus , quæ ostendent hominibus , omnia hæc prodigia tam manifesta, támque stupenda non fore miracula ve-

ra ?

ra ? sufficeret quidem, respondet Ecclesiasticus, quòd eadem prophetia, quæ prædicit adventum Anti-Christi, affirmet, omnia ipsius miracula fore falsa: sic enim illa nominat S. Apostolus Paulus : *In signis & prodigiis mendacibus*; sed S. Augustinus in libro de civitate Dei allegat tres excellentes ratione falsitatis illorum. Prima est, quòd illa omnia patranda sint ad avertendum homines à vero cultu Dei, & inducendum illos ad cultum maximè abominandum omnium idololatriarum : impossibile ergò est, illa esse opera omnipotentiæ Dei; siquidem Deus non impenderet robur omnipotentis brachii sui ad destruendum seipsum; & consequenter non erunt vera sed falsa miracula. Et ut declaret, in quo consistat fraus; affert

2. Thess. 2.

3. Augustin. de civit. lib. 20. c. 19.

Rationes, quæ ostendunt falsitatem miraculorum Anti-Christi,

Rationem secundam falsitatis illorum, quæ est, quòd pleráque futura sint meræ illusiones diaboli, qui callet artem fascinandi oculos hominum, quâ persuadet illis, se videre, quod reipsâ non vident. Exempli gratia, quando putabunt cernere se montem currentem ex uno loco ad alterum, non erit nisi imago, quàm depingent in ipsorum oculis dæmones, exhibens ipsis motum in aliqua re immobili conspiciendum: quando putabunt videre se solem per totum cœlum extrà lineam suam ecliypticam ambulantem, non est, quòd indè unquàm exeat; sed erit effectus luminis cujusdam volantis, quo dæmon fascinabit oculos spectatorum. Et nonnè videmus quotidiè parvum quoddam miraculum naturale, quod aliquis infans potest conficere? quando circumagit titionem quendam accensum cum aliquali celeritate, exhibet oculis circulum ex igne omninò perfectum & consummatum, quamvis re ipsâ ignis non sit nisi in parva circuli parte. Sic pleráque pars miraculorum Anti-Christi, non erit nisi figmentum depictum in oculis eorum, qui aspicient illa, quamvis reipsâ nulla sint futura.

Verum quidem est, ipsum facturum plura prodigia vera, quæ maximam cunctis animis parient admirationem, quæque pro veris habenda erunt miraculis; & nihilominùs miracula non erunt, quia erunt tantummodò effectus merè naturales, id est, producendi vel à potentia diabolorum naturali, vel ex occulta virtute naturæ corporalis. Nos tantâ laboramus ignorantiâ, ut quasi nihil ex utraque constet nobis; nescimus, quanta sit potentia naturalis dæmonum, quæ longè majorum, quàm credamus, est virium, quas Deus permittet tunc illis magis exerere &

S. Auguſt. ibidem.

exercere, quàm unquàm: *Tantam, quantam nunquàm habuit, accipiet poteſtatem:* adhæc nos latent plures virtutes occultæ cauſarum naturalium, quæ in certis eventibus producunt effectus tam ſtupendos, ut miraculorum cenſeamus illos nomine, cùm inuſitati ſint & illorum ignoremus cauſam; ſed noſtra eſt inſcitia, quæ in hunc nos egit errorem.

Plura miracula apparentia Anti-Chriſti erunt effectus naturales.

Sic pleraque miracula Anti-Chriſti, quæ attonitos reddent omnes homines, effectus erunt ſolius potentiæ naturalis, quâ mali præſtant & pollent Angeli. Ambulabit ſuper aquas pedibus ſiccis. Nonnè dæmones ſuſtinere poſſunt ipſius corpus, ne ſummergatur? deſcendere è cœlo faciet ignem: nonnè hoc dæmones fecerunt ex permiſſione Dei tempore ſancti Jobi, ad comburendam partem ipſius gregis? videbitur volans in aëre, circumfuſus pluribus ſpirituum legionibus, qui repræſentabunt Angelos lucis: Simon Magus nonnè viſibiliter ſublatus fuit versùs cœlum, tempore ſancti Apoſtoli Petri? Omnia hæc non tranſcendunt potentiam naturalem dæmonum.

Quinam inventuri ſint fraudem miraculorum Anti-Chriſti.

Sed quia pauciſſimi hæc conſiderabunt, pauciſſimi quoque eorum percipient fraudem: nonniſi illi, qui firmam adhibebant fidem prophetiis prænuntiantibus adventum Anti-Chriſti, quique illas videbunt adimpletas, firmiter quóque credent id, quòd illæ nobis annuntient, quòd nempè omnia, quæ demonſtrabit ipſe prodigia, totidem falſa futúra ſint miracula; & abs eo, quòd admirentur illa, examinabunt ea penitius, & eorum eruent & reperient fraudem. Sed quàm pauci hi erunt reſpectu innumerabilis multitudinis eorum, qui, cùm in omnibus nonniſi ſe dirigant per ſenſus, convinci & perſuaderi illicò ſe ſinent apparentiis, omnes agentur in præcipitium, & ferè omnes, pauciſſimis exceptis, veri Dei deſerent cultum, & nefandum hunc adorabunt ſeductorem, magnum hunc inimicum Dei.

Quàm terribilia, ô magne Deus, ſunt judicia tua! Apoſtolus tuus dicit verbum, cui facultas ſit lethalem incutiendi horrorem animo id conſideranti: *ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* 2. Theſſal. 2. Novi probè, hoc intelligendum non eſſe, quaſi tu ipſe impulſurus ſis dæmones vel Anti-Chriſtum, ad committendas omnes has fraudes, quibûs ſeducent illos; ſed illos non impedies, omnem illis relinques libertatem ſequendi torrentem malitiæ ſuæ, & ad tempus permittes triumphare infernum de cœlo; permittes Eccleſiam tuam tam longo tempore paternæ providentiæ tuæ curâ

Deus permittet homines decipi.

curâ conservatam omnimdæ quasi ruinæ fieri proximam; religionem tuam veritate, quæ æterna est, suffultam, annihilare fermè in universo orbe; omnésque homines, quos pretioso tuo sanguine redemisti, usque ad servos tuos, splendidis hisce apparentiis deceptos, te deserere, & miserabiliter perire in suæ pœnam infidelitatis; & hoc ex arcanis, sed semper æquissimis justitiæ tuæ judiciis, quæ incomprehensibilia sunt nobis. Quare hoc, mi Deus?

ARGUMENTUM.

Ob quam causam permissurus sit Deus, omnes fermè homines seduci ab Anti-Christo.

Articulus V.

NOnnè stupenda omninò sit res, quòd, cùm unigenitus Filius Dei eo nomine è cœlo venerit in terras, ut salvaret homines, post exantlatos tantos labores in quærendis peccatoribus, post impensas suas curas, suas preces, sua jejunia, suas prædicationes, sua miracula, suas vigilias, suos sudores, suas lachrymas, suum sanguinem, propriamque suam vitam, ut ad optatum ipsorum conversionem deduceret exitum, vix tamen comparaverit parvum mundi pugilium, qui crediderit in illum; quódque Anti-Christus negotio tam facili lucraturus sit homines, ut penè totum in se credentem visurus sit mundum intrà brevissimum temporis spatium? quis capere possit horum duorum adeò diversorum eventuum rationem? interrogat Probus. Estne indè, quòd JEsus Christus reipsâ tantæ non fuerit potentiæ, quantæ erit Anti-Christus? an ex eo, quòd fortius veritate sit mendacium? an ideò, quòd à bono non vincatur, nec vincendum sit malum? Itáne? fortunâ utatur secundâ Anti-Christus; & nonnisi sorte fruatur Christus siniſtrâ, plurimas expertus contradictiones. Quid est hoc?

JEsus Christus parum in mundo comparavit sibi, Anti Christus fere totum mundum post se trahet. Quare?

Mirari non oportet, respondet Ecclesiasticus, omnimoda est oppositio in omnibus JEsum Christum inter & Anti-Christum. Unus venit ad salvandos homines, qui erant perditi, & alter veniet ad perdendos illos. Jam quis non videt, multò facilius esse, perdere id, quod jam totum est peditum, quàm ejus vel minimam salvare partem. Est tota aliqua civitas infecta peste; aliquis malignus venit ad con-

Facilius est perdere, quàm salvare.

congeminandum adhuc venenum: hic faciliùs occiderit centies millenos, quàm expertissimus in mundo medicus sanaverit eorum quinos vel senos. Totus mundus veneno peccati immersus. Fuerat Anti-Christus magis adhuc immersurus ipsum novâ criminum illuvione, facili negotio omnes perdet & subvertet animas; sed magni est loco miraculi; quòd possibile non sit, nisi omnipotenti Christi JEsu bonitati, parvum ex illis salvâsse & conservâsse numerum: siquidem ad perdendum contribuunt omnia, ad salvandum quasi omnia se opponunt.

Quare peccatum plures perdat animas, quàm gratia salvet.

Sed nonnè scriptum est, gratiam Salvatoris superabundare, ubi abundaverat delictum? gratia, quæ salvat, nonnè potentior est peccatô, quod perdit, cùm unica sola gratia delere & abolere possit totam myriadem peccatorum? Respondeo, quòd hâc in re inveniatur reciprocatio: myrias gratiarum annullabitur unico solo peccato; & myrias peccatorum annullabitur quóque unicâ solâ gratiâ. Sed nihilominùs gratia JEsu Christi, quæ salvat, & peccatum, quod perdit & damnat, operantur modo valdè diverso in animabus. Gratia attollit naturam suprà seipsam; hic status, qui ipsi naturalis non est, non blanditur ipsius inclinationibus; peccatum nonnisi sequitur inclinationem naturæ; & hic status naturalibus ipsius & depravatis propensionibus est consentaneus. An mirum sit, si illud, quod lenocinatur naturæ, magis devinciat & alliciat ipsam, quàm id, à quo oppugnatur. Ecce tibi, quare via perditionis lata, ampla sit ac facilis; totus mundus juxtà arbitrium suum ambulat & frequentat illam; via cœli autem arcta est & difficilis; nonnisi illi, quibus animus est, haud intermissam sibi inferre violentiam, incedunt per eam: & horum perquàm exiguus est numerus; pauciſſimi enim profectò sunt, qui in omnibus contendant suis contrariari inclinationibus naturalibus.

Tria requiruntur ad faciendum bonum, quibus opus non est ad faciendum malum.

Accedit, quòd ad sequendos sacros motus gratiæ JEsu Christi, quæ nos exstimulat ad operandum bonum, opus sit ex parte nostra concurrere tria, quæ non semper ad manus habemus & præsentia. Primò oportet de eo cogitare, & plurimùm temporis non cogitamus de eo. Secundò oportet illud velle, & sæpè, licèt cogitemus de bono, illud nolumus. Tertiò oportet illud exequi, inferendo sibi semper aliquam violentiam, & nemo quasi sibi violentiam vult inferre. Interim hæc omnia requirunt bonum usum libertatis nostræ, quæ non semper in suo

est

est exercitio. Sed ad faciendum malum & devovendum se peccato, non opus est tantis observationibus; non opus tantùm attendere & invigilare sibi ipsi; siquidem cogitatur de eo, quin quasi de eo cogitetur. Non opus est longâ deliberatione, ut quis resolvat se, ad illud volendum; siquidem voluntas jam ex seipsa illuc propendet, antequàm eò propellatur. Nec opus est ad illud exequendum, sibi aliquid inferre violentiæ: cùm sequatur propensionem inclinationis naturalis.

Habemus inclinationem naturalem ad malum.

Nihilominùs hæc omnia non sunt nisi effectus naturæ, vel potiùs defectus naturæ corruptæ, quæ semper in suo est exercitio: volo dicere, quòd semper feratur & inclinet in malum, abs eo, quòd exspectet deliberationem voluntatis, velut pondus, quod noctes diésque tendere non cessat versùs centrum suum naturale, citrà hoc, quòd quispiam cogitet de eo. Hoc est, quod lachrymas expressit David Vati Regio suas deploranti noxas: experiebatur inclinationem naturalem, quâ ferebatur in malum, tantum roboris accepisse à peccato à se commisso, ut dominaretur ipsi velut imperiosa, quasi cogere ipsum volens ad obediendum sibi: *Iniquitates meæ,* dicebat, *supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me*; volebat dicere: experior peccatum meum esse pondus, quod conterit me, quódque incessanter me trahit ad nova peccata. Puniebatur is à seipso. Portabat cum difficultate onus, quô seipsum aggravaverat cum voluptate. Transeat, portare ipsum in hoc pœnam peccati à se commissi: sed lamentandum magis est, ipsum onus esse, quô trahatur specie quâdam violentiæ ad committendum nova peccata.

Psal. 37.

Tu quæris, cur Deus permissurus sit, ut omnes ferè homines, qui superstites fuerint in terris, seducendi sint ab Anti-Christo, & omnes perituri, magno hoc criminum diluvio involuti, quô involvetur universus orbis in sæculorum evolutione. Erit hæc justa peccatorum præteritæ ipsorum vitæ pœna; & quia peccati pœna justa, hinc illa justè ordinabitur à Deo. Quando dicimus, Deum nunquam velle peccatum, sed solùm permittere, ut committatur contra suam voluntatem, dicimus verum; & quando dicimus, ipsum positivè velle pœnam peccati, quia justa est, ipsámque ordinare ex sanctissimis divinæ voluntatis suæ decretis, etiam dicimus verum Quando dicimus, peccatum secundum esse pœnam primi, & tertium pœnam secundi, Deúmque justè castigare unum peccatum peccato altero, dicimus

Deus permittit peccatum in pœnam peccati.

Deum velle peccatum & non velle peccatum ; & in hoc dicimus verum. Ipse non vult peccatum, in quantum hoc est injuria Deo facta ; hoc námque esset injustissimum ; sed vult peccatum , in quantum hoc est punitio & pœna peccatoris ; & hoc est justissimum.

Quæ Theologia est hæc, totus attonitus objecit Probus , & quasi scandalizatus similia audiendo ? Videtur igitur, te Deo attribuere peccatum, cùm dicas, quòd illud ratione quâdam velit, id est , in quantum est pœna & punitio alterius peccati. Et dein, cùm certum sit, quòd peccator evitare non possit punitionem peccati sui, sequetur ex eo, quòd amplius impedire non possit , quin nova committat peccata , postquàm commiserat jam primum : & hâc ratione collocas ipsum in necessitate inevitabili peccandi perpetuò : quoties enim peecat , oportet ipsum punire, & quoties punitur , peccat iterum de novo, cùm ipsius punitio sit peccatum ipsum ; cùm de novo peccet, oportet ipsum puniri denuò , & consequenter labi in novum peccatum, quod evitare ipsi non est liberum, eòquòd arcere & propulsare à se non possit punitionem Dei : & ultima hæc punitio est peccatum , quod promeretur alterum, quod iterum erit peccatum, quod promerebitur aliud ; & hæc connexio punitionum & peccatorum sibi invicem implexorum , quæ non est, nisi eadem omninò res, ibit in infinitum : poterit is dicere , quod Vates Regius : *Funes peccatorum circumplexi sunt me ;* id est, quòd peccatorum vincula se implicaverint ità, ut illis se amplius exsolvere non possit. In quantam miseriarum abyssum immergeres ipsum ?

Discursus, qui posset intricare, quamvis sit verus.

Psal. 118.

Verùm ipsemet est, qui se immergit voluntarie, respondit Ecclesiasticus ; siquidem non Deus est , qui voluit ipsum peccare , cùm peccare non potuerit , nisi faciendo contrà voluntatem Dei : & secundum peccatum , quod committit , est ejusdem omninò rationis, cujus erat primum : non est Deus, qui velit committi ipsum, cùm committi ab eo non possit, nisi faciendo contra voluntatem Dei. Et hoc etiam verum est, de tertio, & de decimo , & de centesimo, & de omnibus aliis: nunquàm homo committit peccatum, quin faciat contra voluntatem Dei. Impossibile est attribui peccatum Deo, cùm semper essentialiter oppositumsit voluntati Dei.

Deus non vult unquàm peccatum.

Quomodò ergò dicis, id verum esse , in quantum illud est punitio alterius peccati ? Hoc est dicere , quòd peccatô illô à maligna voluntate peccatoris com-

Quô sensu dici possit, Deum velle peccatum.

commisso contra sanctissimam voluntatem Dei, Deus uti velit ceu punitione peccatoris justissimâ percutiens ipsum propriis suis armis, sicut propriô gladiô præscidit suum Goliatho David jugulum. Tu pugnare audes contra Deum, & Deus vindictam sumit de te per lapsum tuum: sed in lapsu tuo, ubi novum committis peccatum, iterum insolentius oppugnas Deum, & Deus iterum de tua sese ulciscitur insolentia per lapsum novum, in quem te voluntariè agis præcipitem: & in eodem hoc actu, ubi tu exerces injustam tuam malitiam, ipse exercet justam suam vindictam: tu non cupis peccatum tuum, in quantum est punitio, sed in quantum est injuria facta Deo, ut desideriis faceres satis malæ tuæ voluntatis; & Deus econtrà non vult peccatum tuum, in quantum est injuria sibi facta, sed in quantum est justa vindicta, quam de tua sumit malitia.

Quomodò Deus puniat peccatum ipso peccato.

Involvis me labyrintho, replicat Probus, has non capio subtilitates; comprehendo quidem, peccatum & punitionem peccati esse inseparabilia: quando volo peccare, Deus me vult punire: mea voluntas vult malum, & voluntas Dei vult bonum, quô reparet hoc malum: hoc est justissimum. Comprehendo quidem etiam, idem peccatum, quod committo, ingentem esse pro me punitionem ac pœnam; siquidem absque eo, quòd unquàm inferre possim aliquod præjudicium infinitæ magnitudini Dei, æternam meam in peccato meo invenio ruinam. Nihil ergò reipsa hîc est mali, nisi pro me; & hoc facile est captu. Sed cùm dicas, quòd peccatum sequens sit justa punitio ejus, quod præcessit, quódque Deus semper velit punitionem peccati commissi: volet igitur semper, me committere novum peccatum, ad puniendum me de eo, quod commiseram; & cùm justam punitionem Dei evitare non possim, non potero igitur evitare, quin perpetuò nova committam peccata. Hoc me perturbat, scio namque peccatum impunitum manere non posse.

Modus impediendi, ne Deus puniat peccatum nostrum novo peccato, est, si nos ipsos mox puniamus.

Non, inquit Ecclesiasticus; sed tu illud ipsemet punire potes, & impedies, ne puniat illud Deus; non enim bis is punit idipsum, idémque peccatum: puni peccatum quantocyùs, quod commisisti, per seriam pœnitentiam, & Deus non puniet illud miserabili lapsu in novum peccatum, quod commisisses quantocyùs infallibiliter, nisi evitâsses hanc miseriam promptâ & acceleratâ pœnitentiâ. Deus relinquit libertati tuæ, ut te custodias à severissima immisericordis justitiæ

ſtiæ ſuæ manu, ſi ipſemet apponas manum plagis tuis, ipsisque congrua applices remedia. Is plura adhuc facit; ſiquidem amicabiliter de eo te ſolicitat, tibíque dicit: Nolo mortem tuam, ô peccator, ſed magis, ut convertaris & vivas beatus: ſi permanſeris ad tempus voluntariè in peccato tuo, hoc impune non erit: ſiquidem, niſi tu ipſemet punire illud volueris, oportet me illud punire; & ego puniam peccatum peccatô alterô, malum infinitum aliô malô infinitô, infernum æternum accumulatum aliô infernô æternô. Vide, an pœnitentia ſit in mundo, quam exercere potiùs non debeas, & exercere quantocyùs, quàm permaneas ad tempus in ſtatu peccati, ſicque te exponas malæ auſpicatæ neceſſitati, quâ puniaris per novum in culpam lapſum à Deo: puni citò peccatum tuum, fac ipſemet quod oportebit facere Deum, niſi ipſius prævenias juſtitiam: memineris manum tuam ſemper in te mitiorem futuram, quàm illam DEI.

Quomodò juſtitia Dei triumphatura ſit tempore Anti-Chriſti.

An putas permiſſurum ipſum, univerſalem omnium ferè hominum lapſum in idololatriam Anti-Chriſti, ſi omnes infelices illi tantum non meruiſſent ſupplicium, tantam pœnam vitæ ſuæ præteritæ peccatis? Credetur triumphare ubíque abominatio peccati; & nihilominùs ſplendidus erit juſtitiæ triumphus, qui ulciſcetur ſe de omnibus peccatis generis humani, ultimo hoc univerſaliſſimo, & peccatorum omnium peccato maximè abominando. Credetur, nonniſi infernum omnes ſuas adhibiturum machinas, ad coronandum felici exitu ſua conſilia; & nihilominùs cœlum ipſum hac in parte ſuis non deerit partibus, ſed ſedulam quoque ex parte ſua contribuet operam: verum namque eſt, quod dixit Apoſtolus: *Eòquòd charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent; ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* 2. Theſſ. 2. Ecce igitur rationem, ob quam Deus permittet, ut totus ferè mundus ſit ſeducendus per fraudes vel violentiam Anti-Chriſti: erit hoc æquiſſimum ſupplicium, pœna juſtiſſima peccatorum præteritæ vitæ ipſorum.

Verumtamen retinebit adhuc terra parvum quendam numerum juſtorum. Erit Elias & Enoch, & alii nonnulli boni ſervi veri Dei, qui nunquam non defendent partes JEſu Chriſti, & oppugnabunt Anti-Chriſtum divinâ quâdam virtute & zelô admirandô, ipsúmque tandem ſuperabunt, ità ut regnum ipſius nonniſi paucis duraturum ſit annis, poſt quos triumphans videbitur nomen & potentia JEſu Chriſti,

Christi, majori cum splendore & gloria, quàm unquàm, & impius demergetur in profundum inferni. Res autem eveniet, utì modò intelliges.

ARGUMENTUM.

Anti-Christus oppugnabitur à parvo numero Servorum JEsu Christi; duratio Regni ipsius erit brevis, & infelix finis ipsius.

Articulus VI.

QUantum vìs maximè formidanda ac terribilis hujus tyranni futura sit in universo orbe potentia, nihilominùs reperire erit parvum quendam verorum JEsu Christi servorum numerum, qui incessanter invincibili cum zelo ac animo oppugnabunt ipsum. Leges cunctæ, naturæ, Moysis & Evangelii suppeditabunt Heroas intrepidos, qui aperto hoc impietatis monstrum invadent bello, palàm prædicantes adversùs ipsum, & defendentes ubique veri Dei gloriam contra vanas ipsius, quas impendet, machinationes, ad abolendum illam.

Anti-Christus oppugnabitur à tribus magnis servis JEsu Christi.

Lex naturæ dabit Enoch, lex Moysis Vatem Eliam, lex Evangelii Seraphicum Patrem, sanctum Franciscum. Quod concernit Enoch & Eliam; ipsos oppugnaturos esse Anti Christum, articulus est fidei. Satìs clarè annotatus in Apocalypsi, ubi nuncupantur *duo testes, qui prophetabunt*, id est, prædicabunt, *diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis*; ubi dicitur, quòd sint *duæ olivæ*, nunquàm non afferentes oleum gratiæ, & *duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes*; & *si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum, id est, quòd descendere facient ignem de cœlo, per verbum suum; quòd habebunt potestatem percutere terram omni plagâ, quotiescúnque voluerint; & cùm finiêrint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abysso*, id est, Anti-Christus, *faciet adversùs eos bellum, & vincet illos, & occidet eos; & corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ*, id est, Jerusalem, *ubi & dominus eorum crucifixus est, insepulta per tres dies & dimidium. Et post hos Spiritus vitæ à Deo intrabit in eos: & steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam de cœlo, dicentem eis: Ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum in nube, & viderunt illos inimici eorum.* Certum igitur est, Enoch & Eliam venturos ad oppugnandum

Apoc. 11. Elias & Enoch oppugnabunt Anti-Christum.

dum Anti-Christum, de quo sine errore dubitari non potest.

S. Franciscus oppugnabit Anti-Christum cum Enoch & Elia.

Quod spectat ad Seraphicum Patrem, sanctum Franciscum, an & ipse venturus sit tertius, cúmque illis pugnaturus, non est, nisi pia fides; sed quæ videatur tantum habere probabilitatis & verisimilitudinis, ut ii, qui penitiùs considerare voluerint stupenda gratiæ prodigia, nulli alteri Sancto, nisi vivo huic JEsu Christi Exemplari & Ectypo concessa, haud difficulter sibi sint persuasuri, magnæ consilium molis circa ipsum machinari Deum, quod non machinetur circa Sanctos alios.

Siquidem quo consilio credere possumus, quòd effingere ipsum voluerit Christus JEsus, tam perfectam sui ipsius imaginem, non solùm quoad internos animi affectus, inserendo ipsúmque animando Spiritu suo, qui est ille sancti Evangelii; ipsi saporem & amorem scitorum, placitorum ac dogmatum suorum, sed etiam, quoad exteriora, imprimendo corpori ipsius visibiliter & manifestè sacratissima vulnera sua, ità ut si utérque tibi prorsùs appareret nudus, discernere non posses, quis è duobus esset Ectypon, quis Archetypon? ambo possent tibi dicere: *Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum.* Nonnisi ipse (saltem ità notanter) portat gloriosa hæc stigmata in Ecclesia Dei.

Cur Jesus Christus impresserit vulnera sua corpori S. Francisci.

Luc. 24.

Sed quem ob finem, volebat corpus hoc, divinis his insignitum characteribus, incorruptum semper post tot remanere sæcula; & non solùm incorruptum, sed etiam erectum in pedes suos absque fulcro, facie magis serenâ & suavi, carne magis tractabili, ac imbutâ vivaciori colorum acrimoniâ, quàm in vitâ sua; oculos, quasi viverent, semper gerens apertos, & in cœlum defixos, more contemplantis. Siquidem ipsemet vidi tres viros, qui conspexerunt ipsum in hoc statu, qui viderunt, tetigerunt & osculati sunt pretiosas ipsius plagas omninò rubicundas, & totas adhuc cruentas, quíque legerunt magnificum illud Epitaphium, quod magnus quidam Pontifex suâ inscripsit manu basi è marmore candido pedibus ipsius substrato, ubi, postquàm deprædicavit ipsum velut perfectam imaginem Salvatoris, affirmat, quòd *nec mortuus sit, nec vivus.*

Quare Deus conservet corpus ipsius incorruptibile.

Tres hi viri, quorum præcipuus erat Cardinalis, & duo alii Sacerdotes religiosi, singulari pietate insignes, viderant ipsum antè duos vix elapsos annos (id est, sub finem Pontificatûs Innocentii Decimi) quando hâc super re mihi hoc reddiderunt testimonium.

Quâ ratione visum fuerit corpus S. Francisci.

Sed quæro, eccur prodigium hoc inauditum, quódque unicum

cum hujusmodi est, de quo constet in tota Ecclesia Dei? an credatur, non moliri desuper cœlum magni cujusdam momenti consilium? Videre, quòd Deus servet ipsum absconditum cognitioni hominum, sicut servat Eliam & Enoch, in statu, in quo apparet nec vivus nec mortuus, & in quo non incongruè attribui ipsi possit elogium, quod Tertullianus attribuit ipsis, dum vocat ipsos *Candidatos æternitatis*; videre ipsum semper vestitum sacco more illorum; sed videre, quòd suprà illos gloriosâ hâc fruatur prærogativâ, quâ conceditur ipsi portare actualiter & manifestissimè sacratas JEsu Christi in corpore suo plagas: quis credat hæc omnia vera esse, absque magno divinæ providentiæ consilio?

Tertull. lib. de Resur. Carnis.

Adhæc verum est, quòd cùm satiari non possem loquendo in omni occasione de miraculo tam stupendo, intellexerim, sanctum quendam Religiosum, quem videndi, quem alloquendi mihi sæpiùs obtigit felicitas, non procul abhinc habuisse revelationem, quòd Deus eo nomine conservet sanctum Franciscum in hoc statu, ut producat ipsum in lucem cum Enoch & Elia, ut suo ipsum, sicut illos, repleat Spiritu, & pariter adhibeat ipsum cum illis, ad oppugnandum Anti-Christum in fine sæculorum.

Revelatio, quòd S. Franciscus oppugnaturus sit Anti-Christum.

Quidquid sit de hoc, certum est, ipsum fortiter fore oppugnandum à parvo quodam fidelium servorum Dei numero. Et clarè legimus in Propheta Daniele, ipsum non regnaturum in formidanda sua potentia, nisi quamdiu reà dies mille, ducentos nonaginta, qui constituunt tres annos cum dimidio, & paucis adhuc diebus; & vocat hos dies tempus, & tempora, & dimidium temporis, id est, secundùm sanctum Augustinum, sanctum Cyrillum, & plures alios, unum annum, duos annos, & dimidium annum. Dicendum igitur est juxtà hanc supputationem, Anti-Christum superstitem fore morti Eliæ & Enoch triginta duntaxat diebus, cùm ipsi prædicaturi non sint, nisi mille ducentos, nonaginta dies. Et novissimis hisce diebus, cùm ab adversariis suis se liberum viderit ac immunem, verè omnipotentem se credet, & suas impleturus abominationes, eoúsque proruet impietatis, ut fatigaturus sit patientiam cœli, stimulósque additurus ipsi ad sumendam de se ultionem. Sed quâ ratione? Ecce tragicum infelicissimi hujus finem.

Dan. 7. v. 25.

Quamdiu reà gnaturus sit Anti Christus.

Sanctus Apostolus Paulus manifestis verbis descipsit ipsum, dum dixit: *Quem Dominus JEsus interficiet Spiritu oris sui.* Sive omnipotens hic mundi Creator, qui, quando sibi placet, loquitur per

2. Thess. 2. v. 8.

Infelix finis Anti-Christi.

per ora tonitruum suorum, contriturus sit ipsum ictu fulminis, sicut aliqui volunt; sive missurus sanctum Michaëlem Archangelum suæ defensorem Ecclesiæ, qui splendidâ refulgens majestate, & coruscam manu vibrans machæram, percussurus sit ipsum plagâ lethali, uti verisimiliùs videtur, juxtà verba Pro-

Dan. 12. v. 1.

phetæ Danielis capite duodecimo: sic enim illa explicat

D. Thomas in Paulum.

S. Thomas, quando exponit hæc sancti Pauli: *Quem Dominus JEsus interficiet Spiritu oris sui; quia*, inquit, *sanctus Michaël interficiet Anti-Christum suprà montem Oliveti, undè Christus in cœlos ascendit.* Et hâc ratione videbitur summa Christum inter & Anti-Christum oppositio: siquidem pro eo, quòd JEsus Christus ascenderit in cœlum è monte Oliveti, pretiosa sua quasi in triumpho portans vulnera, usque in regnum Dei Patris sui; Anti-Christus econtra, lethaliter percussus è monte Oliveti descendet, & aperiente se terra sub pedibus ipsius, præcipitabitur corpore & animâ in barathrum inferni.

Ecce te igitur, deformis bestia, eò dilapsam temeritatis, ut attollere te volueris suprà Deum omnipotentem; ecce te relegatam & detrusam in infimum mundi locum infrà novissimam creaturam; ecce te in throno gloriæ, quem meruisti, & in quo transiges, abs eo quòd transacturus sis unquàm, totam tuam integram æternitatem. Præcipe modò Angelis tuis, ut attollant te in curru triumphali, téque efferant & evehant in cœlum; ambula modò supra aquas sicco pede, vel saltem defende te ab ardore devorantium harum flammarum, quæ circumfluunt te, & tua arrodunt viscera, ossiúmque tuorum consumunt medullas; ascende super Altare veri Dei, fac offerri tibi sacrificia, præcipe te adorari, tibíque supremos exhiberi honores nonnisi Majestati omnipotentis Dei debitos. Ubi est momentanea gloria tua? dissipata est velut umbra: & ecce jam te opprobriis immersum sempiternis: ubi sunt voluptates tuæ, ubi carnales deliciæ? evanuerunt sicut fumus; & ecce jam damnatum te ad tolerandum tantas æternitates horrendorum cruciatuum, quot delibâsti momenta vanarum deliciarum. Quò devenerunt immensi, quos possederas, thesauri, quos velut unicum habebas tyrannicæ tuæ potentiæ fulcimentum? ecce te jam miserum! qui te conspexeras paucis diebus felicissimum mortalium, modò autem in omnem æternitatem miserrimum, infelicissimum: mendicissimum.

Exprobratio facta Anti-Christo jam sepulto in inferno.

Verùm non sufficit tibi, exspoliatum te esse in æternum deliciis,

liciis, honoribus, divitiis: aliâ ratione te oportet locupletari. Ecce tibi apertos iracundiæ & vindictæ Dei omnipotentis thesauros; hauri ex iis abundanter funestas, quas tibi ipsi accumulâsti, divitias: tot infelices invenies ibi æternitates, quot peccata commisisti, quot patrâsti iniquitates. Numera tuas, si potes, ex otio successivè culpas, & culpæ cuilibet suam attribue æternitatem. Invenies ibi ignes, rotas, forcipes, novaculas, uncos ferreos, & horribilia quævis tormenta, quibus JEsu Christi afflixisti servos, qui omnes stabunt seque congregabunt adversùm te. Invenies ibi immensum pondus odii omnipotentis Dei, quem irritâsti adversùm te impietatum omnium maximè abominanda, quam attingere poterat alicujus creaturæ malitia. Invenies accensos ibi furores tot millionum damnatorum, quibus replêsti infernum, quorum in omnem æternitatem sævissimas experieris vindictas.

Et ut nihil tibi desit ex omnibus, quibus reddaris infelix, & infelicium omnium infelicissimus, sicut facinorosorum omnium fueras facinorosissimus, tuos in altum attolle oculos, & gloriam intuere Sanctorum, quos tanta persecutus es cum immanitate. Sed cumprimis infinitam aspice Majestatem JEsu Christi, quem despexisti summè, quem odisti irremissè, cujus abolere spondebas tibi nomen & gloriam. Vade, maledicte à Deo, execratio cœli & terræ, abominatio summa creaturarum omnium dignus non es, cui fiat sermo, cujus subeat animum cogitatio.

Quanta mundi futura sit admiratio, conspecto fine Anti Christi.

Considera, inusitato percellendos stupore omnes habitatores terræ, cùm viderint Enoch & Eliam visibiliter ascendentes in cœlum, & Anti-Christum visibiliter quoque præcipitatum in inferni barathrum. Cœcus omninò foret, qui non clarè videret fraudem, nec se disponeret ad resumendum veri Dei, quem deseruerat, cultum. Hinc est, quod Propheta Daniel reliquit exaratum: *Beatus, qui expectat & pervenit usque ad dies mille trecentos, triginta quinque.* Et hoc est, in quo sancti Patres & omnes Scripturæ Interpretes conveniunt, quòd post mortem Anti-Christi, Deus, qui in medio iracundiæ suæ non oblivisciturmiserationum suarum aliquod elabi permissurus sit tempus, ut otium concedat & libertatem hominibus se per seriam convertendi pœnitentiam, seque disponendi ad comparendum coram tribunali suo & judicio, quod paulò post sequetur. Et S. Hieronymus in verba Danielis dicit, quòd in diebus illis maxima futura sit tranquillitas & pax uni-

Dan. 12. v. 12.

versalis in universo orbe, ut amplior concedatur facultas hominibus invigilandi sibi, suísque consulendi rebus, quin aliquo turbandi sint mundi strepitu, aut hominum timore.

Quantum temporis concessurus sit Deus hominibus ad agendum pœnitentiam post mortem Anti-Christi.

Quamdiu hæc duratura sint tempora, videtur non vacare temeritatis notâ, aliquid determinare velle; aliàs certò constaret nobis finalis judicii dies contra expressum effatum JEsu Christi, qui affirmat, de die illa & hora neminem scire, neque Angelos cœlorum, nisi solum Patrem. Aliqui putant, homines non habituros, nisi quadraginta quinque dies ad agendum pœnitentiam, eòquòd Daniel dicat *Beatus, qui exspectat & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque*; id est, qui victurus est quadraginta quinque dies post mortem Anti-Christi, qui non regnabit, nisi mille ducentos nonaginta dies. Sed videtur nimis angustum hoc tempus esse, ad restituendam Ecclesiam toti splendori suo & convertendi omnes mundi nationes ad religionem Christianam.

Hinc alii existimant, non tantùm quadraginta quinque dierum intervallum fore inter mortem Anti-Christi, & magnum magnum judicii finalis diem, sed plurium mensium, imò plurium etiam annorum. Et dubio procùl verisimiliùs hoc est, cùm certum sit, conspiciendam fore conversionem universalem, vel quasi universalem omnium hominum. Siquidem sanctus Apostolus Paulus verbis expresis dicit in epistola ad Romanos, quòd *omnis Israël salvabitur*; id est, quòd omnes Judæi, qui superstites erunt in terris, convertendi sint, & agnituri JEsum Christum, ipsúmque veluti verum suum adoraturi Messiam. Et Lyranus in glossa super epistolas sancti Pauli asserit, communem sanctorum Patrum & Catholicorum Doctorum opinionem esse, quòd post mortem Anti-Christi, ipsius deceptio & malitia manifestè sit detegenda, & omnes nationes terræ convertendæ sint ad JEsum Christum. Rom. 11. Lyran in 1. Thessal. 5.

Ecclesia & Religio Christiana, restituetur majori quàm unquam, splendori.

Ædificabuntur ubivis locorum Ecclesiæ; excitabit Deus innumerabilem multitudinem prædicatorum insignium, quos suo animabit Spiritu, qui tanto cum fervore, támque felici cum eventu prædicabunt Evangelium, ut totum conversuri sint mundum. Videre erit ubivis exempla pœnitentiæ tam inusitata, tantam lachrymarum torrentis in morem effusarum copiam, tanta jejunia, támque diversas austeritates, tanta virtutum exercitia, & affectus in Deum tam ardentes in plerisque animabus, ut gloria JEsu Christi omnium ex ore publicata, majores quàm unquam effusura sit splen-

splendores, & Religio Christiana, majori quàm unquam cum fulgore in omnem terram extendenda. Jam manifestum est, hæc omnia requirere tempus, non tantùm excedens quadraginta quinq; dies, sed plures annos tanto operi futuros vix satis; dicere autem quantos, mysterium est, quod sibi solus Deus in cognitionis suæ reservavit arcano.

Prolixus hic Ecclesiastici discursus, tam attentum, támq; defixum tenuerat Probum, ut quasi totus videretur attonitus, & aliquanto tempore profundum servans silentium, nonnisi in pauca hæc se effunderet verba, quæ etiam Consultationi imposuêre finem: O JEsu? quàm invincibilis tua est patientia, dum pateris, quòd homo, qui est creatura tua, quique minor est vermiculo coram serenissima tua Majestate, evertat ac diruat paucos intra dies totam Ecclesiam tuam, exquisitissimum illud gratiarum tuarum opus, quod per tanta ædificaveras sæcula; quòd profanet, quidquid sacri, quidquid sancti habet terra, túque illum adhuc conserves! O JEsu! quàm dives es in misericordia, quòd non omnes damnes ac perdas homines, quotquot consensêre sacrilegæ abominandi portenti hujus impietati? largiris illis adhuc tempus se agnoscendi, aperis illis munificè inexhaustos gratiarum tuarum thesauros, indulges & condonas ipsis omnia, amas illos, præparas illis coronas. O amabilis JEsu! omnes linguæ & ora laudent te, benedicant te, omnium mentes adorent te, omnium corda diligant te, in sæculorum sæcula.

CONSULTATIO XVIII.

Thesaurus inexhaustus omnium gratiarum inclusus in Persona JEsu Christi manifestat Divinitatem ipsius.

NIhilominùs æstimatur vir apprimè intelligens & excultus scientiâ; nemo illi vel ignorantiæ, vel perversæ doctrinæ affingit maculam; nescio, quâ ratione, ejusmodi effuderit & effutiêrit propositiones. Sed fortassis non benè intellixisti ipsum? Imò intellexi ipsum optimè; sed ex eo

non satisfactum est mihi, consulam desuper virum prudentem, ut dilucidet, ut enodet mihi difficultatem.

Fortuita occasio hujus Consultationis.

Hic erat discursus, quem percepimus, quamvis aliquo modo confusè, duarum personarum nos præcedentium, gressu lento, ut quantocyùs, etsi non acceleraremus nostrum, attingeremus ipsos. Bonus noster Ecclesiasticus nunquam non abundans charitate, semperque expeditus ad afferendum cunctis solatium, quamvis desuper non requisitus, gradum promovens, ipsósque accedens, inquit: Domini mei, quid vobis est rei, de qua agitis? Unus è duobus, qui vocabatur Theonas, attonitus ex inopinato hoc occursu, támque obsequiosâ oblectatus benevolentiâ, post humanissimum dictum Ave, respondit: Opportunè venis, Domine, credo à Deo te nobis missum, ut non levi nos expedias difficultate.

Periculosum est dicere in publico coram simplicibus veritates nimis subtiles.

Revertimur à concione, ubi Ecclesiastes, cui magnus est populi applausus, quique in sua, quam exercet arte, censetur versatissimus certas quasdam protulit in medium propositiones, quæ haud levi me tenent admiratione defixum. Dixit nobis, JEsum Christum bis esse Filium Dei, habere ipsum nativitatem æternam, quâ primâ vice nascatur Filius Dei, & nativitatem temporalem, quâ secundâ vice efficiatur Filius Dei. Quod durum videbatur animo meo, est, quod adjunxerit, ipsum per nativitatem suam primam esse naturalem Filium Dei, & per secundam esse Filium adoptivum. Semper credideram, JEsum Christum non esse Filium adoptivum (hoc enim peccatorum est, quando recipiuntur in gratiam) sed ipsum esse proprium Filium Dei naturalem, æqualem in omnibus, & consubstantialem Patri suo.

Sed quod meam tum admirationem, tum repugnantiam auxit, est, quòd ex eo asseruerit, JEsum Christum pluris æstimásse, se esse Filium adoptivum Dei per secundam nativitatem, quàm si fuisset solùm Filius naturalis per primam. Videtur mihi referre quandam speciem impietatis, hanc instituere comparationem, majorémque hanc existimationem. Et ecce, quod difficultatem mihi parit.

Disseruit exin ad longum de diversis gratiis JEsu Christi, & dixit, has ipsi fuisse omninò necessarias; & ego semper credideram, nullam pro ipso esse gratiam; quid enim est gratia, nisi favor gratuitus, quem denegare quis potest, si velit, eòquòd non sit debitus. Sed omnia debentur JEsu Christo, cùm & ipsum jus habeat possidendi gloriam, ipsíque

ipsique velut propria sua debeatur hæreditas, ob eminentem dignitatem quam ipse solus habet, quâque existit ipse proprius Filius naturalis Dei Patris sui. Jam gloria majus quid est, quàm gratia; cùm ergò jus habeat possidendi id, quod majus est, & non exhibeatur ipsi gratia, sed reddatur justitia, si illius tribuatur ipsi possessio ab instanti conceptionis suæ; videtur mihi ipsum etiam jus habere possidendi id, quod minus est, nempè gratiam. Jus ergò habet ad omnes thesauros gratiæ, non minùs, quàm ad illos gloriæ; & consequenter pro eo, quòd respectu nostri omnia sint gratia, respectu illius nihil sit gratia, cùm ad omnia jus habeat absolutum & integrum. Ecce tibi cogitationem meam, nescio an decipiar!

Benè perspicio, respondit ipsi Ecclesiasticus, tenaci te pollere memoriâ; vellem non minorem tibi esse intellectûs acrimoniam & perspicaciam. Verùm instituti tui non est tam profundè scrutari abstrusas Theologiæ difficultates. Id quod Concionator proposuit, non tantâ percelluisset te admiratione, si intellexisses id benè. Ipsius doctrina censoriâ non meretur notari virgulâ, cùm bona sit; sed indiget parvâ quâdam declaratione, cùm non familiaris & usitata satis sit, ut ab omnibus intelligatur. Ut ergò tibi satis fiat, dabo tibi desuper declarationem, & omnia tua dissolvam dubia circa filiationem & gratias JEsu Christi. Fortasis non minùs admiraberis ingentes luminis splendores, quos perspicies, quàm admiratus fueris aliquas noctis umbras in quibus hærebas: siquidem nihil tam dignum est admiratione, quàm intueri immensas gratiarum divitias, quarum thesaurus incluſus est in adoranda JEsu Christi persona. Auscultа me, méque benè intellige!

ARGUMENTUM.

Quâ ratione JEsus Christus bis sit Filius Dei, per naturam & per gratiam.

Articulus I.

Duæ nativitates in JEsu Christo.

HAud difficulter capimus nos Christiani, JEsum Christum bis esse Filium Dei, cùm fides nos doceat, ipsum admirandum esse è duabus naturis, divinâ & humanâ compositum: divinâ, juxta quam nascitur ab æterno Deus de Deo, æqualis Patri suo,

& ejusdem cum divino Patre suo naturæ; & humanâ, juxta quam nascitur in tempore, è sinu Virginali sanctissimæ Matris suæ, æqualis illi, & ejusdem naturæ cum illa.

Hoc benè concludit, dicit Theonas, ipsum semel esse Filium Dei Patris sui, & semel Filium sanctissimæ Virginis Matris suæ; sed non video ex hoc, quòd bis sit verus Filius Dei, sed potiùs oppositum. Nam si ad generandum filium requiratur, ut quis producat personam similem sibi secundùm naturam, fateor quidem, JEsum Christum esse verum Filium Dei, secundùm nativitatem suam æternam, eòquòd genitus sit à divino Patre suo, ipsi æqualis in natura, imò potiùs ejusdem naturæ divinæ: sed fateri non possum, ipsum esse verum Filium Dei secundùm nativitatem suam temporalem, ubi non video, quòd recipiat naturam divinam, æqualem Deo Patri, sed solùm naturam humanam, æqualem sanctissimæ matri suæ; & ex eo naturalis ipsius est Filius.

JEsus Christus est Filius Dei naturalis non solùm velut Deus, sed etiam velut Homo.

Verum est, rationem tuam non carere aliquâ verisimilitudine, respondet Ecclesiasticus: Nam sicut non est verum dicere, quòd JEsus Christus sit propriè Filius sanctissimæ Virginis, secundùm nativitatem suam æternam, & naturam suam divinam, eòquòd non recipiat ipsam ab illa; sic etiam videtur dicendum non esse, quòd verè fuerit Filius Patris æterni, secundùm nativitatem suam temporalem, & naturam suam humanam, eòquòd non recipiat illam ab ipso. Verùm si attendas, quòd JEsus Christus in quantum homo, & secundùm nativitatem suam temporalem, non solùm habeat naturam humanam, quam à sanctissima sua Matre accepit, sed etiam personam divinam, quam accepit à Deo Patre suo; quódque ambæ, natura & persona æquali ratione sint necessariæ ad constituendum verum hominem: benè capies, ipsum necessariò esse Filium Dei, tam secundùm nativitatem suam temporalem, quàm secundùm æternam, eòquòd in ambabus non sit nisi eadem persona, hæcque persona divina sit & verus Filius Dei. Et ex eo dicimus, quòd JEsus Christus bis sit proprius Filius DEI per naturam.

An naturale sit Jesu Christo Homini, esse Filium Dei.

Verùm an dicas, replicat Theonas quòd naturale sit JEsu Christo Homini, esse Filium Dei? Non, reponit Ecclesiasticus, est gratia incomparabilis & omnium gratiarum maxima, quam exhibere Deus possit creaturæ per cunctas vires omnipotentis brachii sui. Nobis non constant nisi quatuor canales, per

per quos Deus liberaliter in nos effundit divitias ineffabilis bonitatis suæ. Primus est ille naturæ, per quem nobis dat esse cum omnibus prærogativis idipsum concomitantibus. Secundus est ille gratiæ, per quem largitur nobis cor suum, & expostulat nostrum, volens nobiscum intimam inire & illigare amicitiam. Tertius est ille gloriæ, per quem dignatur nos attollere usque ad possessionem propriarum suarum deliciarum æternarum. Credebatur collocatos hîc fore omnium liberalitatum suarum limites, ac impossibile esse longiùs extendere suæ amplitudinem munificentiæ erga creaturam. Sed quartum adhuc possidebat canalem ab æterno jam præparatum ac dispositum, per quem formaverat decretum communicandi sanctissimæ Humanitati JEsu Christi, non bona creata, utpote ipsô infinitâ ratione inferiora, sed proprium suum esse, propriam suam Personam divinam, attollendo hunc hominem è statu naturali, in quo omninò erat similis nobis, ad statum non solùm supernaturalem, sed divinum, ubi non tantùm similis est illi, sed eadem cum ipso Persona, ubi non tantum est intima Personarum unio, sed unitas perfecta; ità ut adorando huic dicat Homini: Tu es ego, & ego sum tu. Ecce tibi id, quod exhaurit totum thesaurum amabilissimæ munificentiæ Dei erga creaturam suam, cùm impossibile ipsi sit, quidquam amplius eidem unquam communicare.

Cajet. in 3. p. q. 1. a. 1.

O amantissime Deus, quis cogitare possit incomprehensibilem hanc sublimitatem sanctissimæ Humanitatis JEsu, quòd non abreptum sentiat cor suum admiratione, gaudio & amore! Tu igitur ô sanctissima & summè adoranda Humanitas, immersa es infinitis Personæ divinæ excellentiis. Illa te sustentat ac fulcit, illa te elevat & attolit, illa te consummat, illa te perficit; & per illam tu es Homo perfectus & Deus. Tu igitur es Persona adoranda, adoranda Angelis & hominibus, eòquòd una sis è tribus Personis adorandæ Trinitatis. Tu es igitur Persona omnipotens, eòquòd sis verè Deus; Tu es Persona immensa, eòquòd sis ubíque (licèt non secundum esse tuum humanum, tamen secundum Personam tuam divinam) imò nos semper simus omnes in te. Quàm jucundum habitaculum omnium te amantium animarum! quámque tutum animarum omnium, quas amas, refugium!

Gaudium sanctissimæ Humanitatis, quòd immersa sit in Personna Verbi.

Interrogabas me, Theona, an naturale sit JEsu Christo Homini, esse Filium Dei. Respondeo tibi,

Naturale & supernaturale est JEsu Christo homini, esso Filium Dei.

tibi, si naturale vocas id, quod ingreditur compositionem naturæ cujusdam perfectæ, in hoc sensu esse Filium Dei personaliter, est ipsi naturalissimum, cùm hoc in ipso sit perfectissimum. Verùm si naturale vocas id, quod homo habere potest ex solis suis viribus naturalibus, in hoc sensu nil minus est naturale JEsu Christo Homini, quàm esse proprium Filium Dei personaliter, eòquòd nil magis transcendat omnes vires naturæ humanæ. Est igitur opus gratiæ, & quidem opus exquisitissimum & perfectissimum, quod posset unquam operari.

Benè capio, replicat Theonas, ipsum bis esse Filium Dei ex natura, jamque intelligo, te per hoc mihi dicere, quòd etiam sit Filius Dei ex gratia miraculosæ hujus unionis naturæ humanæ cum Persona divina. Sed quæro, an Concionator rationem habuerit dicendi, quòd hæc gratia faciat ipsum esse Filium Dei per adoptionem; cùm mihi videatur, quòd esse Filium Dei naturalem, & Filium esse ipsius adoptivum, non benè conveniant.

An JesusChristus sit Filius adoptivus Dei,

Fateor equidem, replicat Ecclesiasticus, hanc propositionem esse aliquantisper subtilem, &, nisi capiatur in bono sensu, à censura non fore immunem. Novi olim duos Episcopos Hispaniæ, Elipandum & Felicem esse damnatos in Concilio Francofurtensi, eoquòod propugnaverint, JEsum Christum esse Filium adoptivum Dei Patris sui, & Papa Adrianus severissimè illos accipit in Epistola sua velut hæreticos. Verùm id ideò, quòd manifestè ceciderint in errorem famosorum duorum hæresiarcharum Arii & Nestorii; quódque dividentes JEsum Christum, in quantum est Deus, à JEsu Christo, in quantum est homo, dixerint, ipsum quidem esse proprium Filium naturalem diviniPatris sui, in quantum est Deus; sed Filium ipsius esse adoptivum, in quantum est homo. Et dicebatur ipsis: Vos estis hæretici; an dividere vultis JEsum Christum ab ipso JEsu Christo? an attribuere vultis ipsi duas personas, sicut duas naturas? Nonnè semper eadem est Persona divina, sive aspiciatis ipsum ut Deum, sive consideretis ipsum ut Hominem? semper igitur ipsius est Filius naturalis, & non solùm adoptivus.

Et nihilominùs, si propositionem hanc sumimus in bono sensu, defendi posset velut Catholica, quamvis deflectat ab usitato loquendi modo Theologiæ nostræ Scholasticæ: & tolerare ipsam nollem, nisi in quantum servit ceu efficax valdè motivum ad inducendum animo nostro

stro summam æstimationem glorioſæ prærogativæ adoptivorum filiorum Dei, quam recipimus per gratiam ſanctificantem, utì in ſequentibus videbis.

Plures ſancti Patres nihil ſenſerunt difficultatis, utendo hoc verbo *adoptionis*, loquentes de JEſu Chriſto, velut Filio Dei. Sanctus Irenæus libro tertio contra hæreſes, quòd *receperit adoptionem, ut eſſet Filius Dei.* Sanctus Hilarius libro ſecundo de Trinitate ſcribit, quòd *dignitas potentiæ non ſit amiſſa, quando humilitas carnis eſt adoptata.* Et plures ſimiles loquendi modos invenimus in ſanctis Patribus, qui, dum dicunt, JEſum Chriſtum in quantum eſt Homo eſſe Filium Dei adoptivum, non negant, ipſum etiam eſſe Filium ipſius naturalem; quid enim impediat, quin ſit utérque ſub diverſo reſpectu? Aſpicis naturam ipſius divinam, quam recipit naſcens ab æterno è ſinu Patris ſui, non dubitabis, quin ſit Filius ipſius naturalis. Aſpicis Humanitatem ipſius, quam recipit in tempore è ſinu Matris ſuæ, & vides ipſam totam delibutam eſſe Divinitate, velut pretioſâ unctúrâ, quæ ſit origo & fons omnium gratiarum, dubitare non poteris, quin ſit Filius ipſius adoptivus. Siquidem cùm omnes Theologi fateantur, quòd gratia ſanctificans reddat JEſum Chriſtum formaliter ſanctum, non video, cur hæc ſanctitas formalis, quæ reſpicitur in omnibus Sanctis velut filiatio divina, non etiam ſit in Jeſu Chriſto, qui eſt Sanctus Sanctorum, cùm nihil dicat imperfectionis, & incompatibilis non ſit cum filiatione ipſius naturali. Simul igitur eſt & Filius adoptivus, & Filius naturalis Dei Patris ſui.

S. Hilarius lib. 2. de Trinitate.

Non putas Patrem infinito demulceri gaudio, quòd talem habeat Filium, qui ſolus ſufficiat ipſi, ad explendam omnem infinitam amplitudinem intellectûs ſui, aſpiciendo ipſius pulchritudines; & omnem infinitam cordis ſui magnitudinem, amando infinitam ipſius bonitatem. Tantâ afficitur voluptate ex eo, quòd ſit ipſius Pater, ut non ſolùm producat ipſum ſemper actualiter, absque eo, quòd unquam inceperit, vel quòd unquam deſiſtat, aut quòd unquam finiat, ſed inſuper velit omni ratione & omni modo eſſe ipſius Pater; Pater ipſius æternus, & Pater ipſius temporalis; Pater ipſius per naturam, & Pater ipſius per gratiam; Pater ipſius, qui ipſum generet, & Pater ipſius, qui ipſum adoptet; Pater ipſius ſecundùm nativitatem ejus æternam, Pater ipſius ſecundùm nativitatem illius temporalem; Pater ipſius, qui ſit ipſi æqualis; Pater ipſius, qui ſit illius Dominus; Pater ipſius

Gaudium Patris æterni, quòd habeat talem Filium & gaudium Filii, quòd habeat talem Patrem.

sius, cui nil debeat, & Pater ipsius cui debeat omnia; Pater ipsius, qui non antiquior sit ipso, unico duntaxat instanti naturæ, & Pater ipsius, qui integrâ æternitate antiquior sit ipso. O Paternitas admiranda! O Filiatio adoranda! O fons & origo excellentiarum gloriæ & gaudiorum ex utraque parte! Nam si Pater tantum habet oblectationis habendo talem Filium, non minus oblectationis ex sua parte habet Filius, habendo talem Patrem.

Nostra felicitas, quòd simus filii Dei.

Et nos, qui deberemus continuò mentis excessu abripi, dum nos videmus in immensarum harum divitiarum admitti partem; quid cogitamus, quid sentimus? Nobis facultas & honor est, habendi eundem Patrem cœlestem cum JEsu Christo; imo & ipsemet non solùm permittit nobis, sed etiam præcipit, ut ipsum quotidiè hoc compellemus nomine, dum ipsum oramus: Pater noster, qui es in cœlis. Eâdem nos sorte beamur, quòd simus sicut ipse, ipsius Filii per gratiam, & ipsemet dignatur nos ceu suos agnoscere fratres, nosque ità nuncupare, dum ait: Dicite fratribus meis. O felicitatem inæstimabilem supra omnem felicitatem, quam conferre nobis mundus posset! sed felicitatem tam vilipensam, ut quasi sit nemo, qui æstimet illam! Jactamus vel minimas, quæ obtingere nobis possunt prærogativas, ex prosapia, ex industria, ex fortuna; & inæstimabilem hanc excellentiam nobis è cœlo profectam, quâ constituimur Filii Patris cœlestis, & fratres Filii ipsius unigeniti, ut tandem cohæredes simus Regni ipsius æterni, æstimamus tam parvi, ut ipsius obliviscamur, ipsam contemnamus, de ipsa nullam admittamus cogitationem. O vilitatem humanæ mentis, quò tuas deprimis cogitationes! O vecordiam cordium humanorum, cui vestros devovetis affectus, vestra desideria!

Theonas, qui dilatatum gaudio experiebatur cor suum, ex eo, quòd ità loquentem percipere doctum hunc & pium Ecclesiasticum, interpellat ipsum & interrogat. Et itáne, mi Domine, an ergò verum est, nos eâ beari sorte, ut simus filii Dei per gratiam, eadem ratione, quâ Christus JEsus? Non eâdem omninò, dicit ipsi: Nam sicut vidisti, ipsum bis esse Filium unicum Patris sui divini per naturam, sic quoque bis ipsius est Filius per gratiam, semel, quia accepit summam hanc gratiam cunctis gratiis longè superiorem, quæ consistit in hoc, quòd sanctissima ipsius humanitas personaliter unita sit cum Divinitate, hæcque ipsi omninò sit particularis;

laris; & semel, quòd tota ipsius anima repleta sit gratiâ sanctificante, quæ est divina hæc qualitas, quâ omnes justi adoptantur in filios Dei. Ipse velut Caput & justorum antesignanus, primus est omnium filiorum adoptivorum Dei per sanctificationem gratiæ; verùm ejusdem qualitatis exoptat habere fratres, nósque divinæ hujus filiationis reddere participes, ut simus, sicut ipse, filii Dei per gratiam.

JEsus Christus pluris facit, se esse Filium Dei per gratiam sanctificantem, quàm per hypostaticam unionem.

Benè hoc capio, fatetur Theonas, nec obscurè video, JEsum Christum bis esse Filium Dei per gratiam, sicut bis ipsius est Filius per naturam, semel per gratiam unionis Hypostaticæ, & semel per gratiam sanctificantem. Sed videtur mihi maximum esse discrimen inter utramque, gratiámque unionis hypostaticæ sine comparatione nobiliorem esse gratiâ sanctificante. Et hoc est, quod percelluit me stupore, dum audivi Concionatorem dicentem, quòd JEsus Christus tanti fecerit prærogativam, quâ Filius Dei est per adoptionem gratiæ sanctificantis, ut præferat illam gloriæ, quâ Filius Dei est per gratiam unionis personalis; quódque si necessariò privandus foret unâ vel alterâ, solummodò esse mallet Filius Dei adoptivus per gratiam sanctificantem, absque hoc, quòd esset Filius Dei per unionem personalem, quàm esse duntaxat personaliter Filius Dei, sinè illo, quòd esset adoptivus per gratiam sanctificantem. Quis ejusmodi propositionem percipere posset citra horrorem? Nonnè enim videtur hæc comparatio, quin potiùs præexistimatio haud levi afficere injuriâ Deum?

Haud abominabilis est hæc propositio, si in sano sensu intelligatur, replicat Ecclesiasticus, támque procul abest, ut injuriosa sit Deo, ut potiùs cedat ad ipsius gloriam; támque parum nobis esse debet horrori, ut potiùs nobis esse debeat perjucunda, utpote tantum nobis afferens utilitatis, ut si hanc scrutari & oculis perspicere possemus, haud intermisso stupore maneremus abrepti, & continuâ admiratione attoniti ex nostræ intuitu felicitatis. Audi stupenda, quæ satis admirari non possunt nec omnes Angeli, nec omnes homines. Uniri personaliter cum Divinitate, sicut unitur sanctissima Humanitas JEsu Christi, est verè esse Deum; adeóque adorandum esse tum Angelis, tum hominibus adoratione supremâ; & hoc infinitâ ratione est magnum. Fateor, sed non habere, quàm hoc præcisè, non est amare Deum, nec posse illum amare amore hoc supremo, quem requirit à creatura rationali: siquidem hic amor ipsi

Differentia inter esse Deum & amare Deum.

reddi non potest ab anima, nisi habeat gratiam sanctificantem. Ex altera parte uniri Deo per gratiam sanctificantem, sicut uniuntur omnes animæ justorum, hoc quidem non est esse verè Deum; est tamen posse amare Deum amore hoc perfecto, in quo consistit maxima creaturæ ipsius obligatio. Jam certum est, melius esse creaturæ, non esse Deum, & posse amare Deum, quàm esse Deum, & non posse amare Deum suum.

Quid inquis, interpellat ipsum subitò Theonas, totus extra seipsum abreptus ex auditu veritatis sibi prorsùs novæ atque stupendæ, quòd majorem nempè afferat utilitatem & felicitatem creaturæ, amare Deum amore perfecto, quàm esse DEum personaliter? Exin voce validâ in excessu raptûs sui, omnes allocutus homines exclamavit: O mortales, amate Deum vestrum! O pauperculi homines terræ amate Deum amore perfecto! & eritis magìs felices, quàm si essetis ipsemet Deus in Persona. Ah utinam omnes homines firmiter crederent magnam hanc veritatem! verùm non est tantæ ipsa evidentiæ, ut recipiatur ab omnibus absque contradictione; non capit ipsam animus, obruitur ab ipsius magnitudine.

Exspecta, replicat Ecclesiasticus, exhibebo tibi hujus rei demonstrationem tam claram, tamque evidentem, ut nullus tibi relinquendus sit ambigendi de ea locus. Non instituo comparationem inter esse Dei in seipso, & gratiam sanctificantem vel amorem Dei in anima: probè novi, unum infinitâ ratione excedi ab alio, nihilque comparari posse cum esse Dei. Sed quæro: Quid prodesset creaturæ, possidere hoc esse personale Dei, quod infinitæ est nobilitatis, si non haberet amorem Dei, eòquòd observare non posset maximum legis præceptum, quod obstringit ipsam ad amandum Deum ex toto corde suo, ex tota anima sua, ex totis viribus suis, cùm impossibile sit satisfacere huic magno præcepto, absque auxilio gratiæ sanctificantis & sanctæ charitatis? & si anima non implet indispensabile hoc præceptum, quomodò pertingere poterit ad ultimum suum finem?

Plus est amare Deum perfectè, quàm esse Deum personaliter.

Non creavit Deus hominem ad imaginem suam, ut esset Deus personaliter, sed ut amaret Deum ex toto corde suo. Non collocavit ipsius finem ultimum & felicitatem ipsius æternam in hoc, ut esset Deus in Persona, sed ut amet

Deum,

Deum, contempletur eum, possideátque ipsum in æternum. Hunc in finem produxit omnia opera tum naturæ, tum gratiæ; ipsáque Incarnatio, in qua attollitur homo ad esse Dei, non est nisi medium ad confirmandum amorem perfectum in animabus nostris. Nonnè ergò vides, quòd, licèt esse Dei infinitâ ratione nobilius sit amore, quo ferri in ipsum possumus; nihilominùs melius sit creaturæ amare Deum, quàm esse Deum personaliter. O si sciremus, quàm incomparabilem complectatur excellentiam exercitium hoc amoris Dei! sed arcanum id est, plerísque incognitum mortalibus.

Quàm inæstimabilis pro nobis prærogativa, quod possimus amare Deum.

Itáne mi DEUS, exclamavit desuper Theonas, totus extra seipsum abreptus? Itáne ergò major in creaturam redundet felicitas ex eo, quòd possit te amare vero amore supernaturali, quàm si esset personaliter Deus, absque eo, quòd amaret te? Et quicunque est filius Dei per adoptionem gratiæ sanctificantis, an magnâ hâc frui potest felicitate? Procul dubio potest, & ut velit, incessanter solicitat ipsum Deus per sanctas suas inspirationes. Et quid ergò mente revolvunt homines, præcipuè viri boni, qui sunt in statu gratiæ? quibus cor suum occupant affectibus? cui suas devovent & consecrant studio animas? Eheu! de hoc ne cogitatur quidem; fortassis etiam de hoc nil constat, nec est, qui fidem adhibeat. Siquidem ô amantissimè Deus! qui firmiter crederet, qui seriò perpenderet inæstimabilem, quam nostris manibus consignatam habemus felicitatem, quáque miserabiliter ob nostram privamur ignorantiam, an perficere aliud quid posset in tota vita sua, quàm nunquam intermissum actualis amoris Dei exercitium? substitit ad hæc verba, quasi totus alienatus à mente, & nostra finem accepisset Consultatio, nisi desiderium penitiùs rimandi thesaurum infinitum gratiarum JEsu Christi, me exstimulâsset, ad proponendum eruditissimo nostro Ecclesiastico quæstionem sequentem.

ARGUMENTUM.

Quid opus habeat JEsus Christus gratiis, cùm ipse Deus sit, & fons omnium gratiarum.

Articulus II.

JEsus Christus est magnus Oceanus omnium gratiarum.

IDem omninò est, dicit mihi, ac si quærerem ex te, quid opus est mari aquis, cùm ipsummet sit elementum, fons & origo omnium aquarum. Nam ob hoc ipsum suo complecti debet sinu omnes aquas; & hanc ipsam ob causam continere oportet Jesum Christum omnium gratiarum thesaurum in Persona sua, eòquòd ipse magnus sit Oceanus, & velut elementum omnium gratiarum. Totum ipsius esse est gratia, & omnes ipsius operationes sunt gratiæ: sicut enim tota natura est opus Creatoris, sic tota gratia, quæ est velut alter mundus nobilior, longè transcendens illum naturæ, est opus Redemptoris.

Quo sensu omnia sint natura in JEsu Christo.

Sed quomodò dicis, Domine, quod totum esse JEsu Christi sit gratia? si propiùs id aspicias, perspicies & invenies, id totum esse naturam: siquidem nil video in ipso, nisi divinitatem & humanitatem simul unitas in Persona Verbi, ex quo totum constituitur ipsius esse. Jam divinitas non est gratia, est natura divina; humanitas etiam non est gratia, est natura humana; unio ambarum similiter non est gratia, nihil enim est aliud, quàm duæ partes simul unitæ: Et celebres quidam Theologi consentiunt, ipsas immediatè unitas esse seipsis, absque eo, quòd aliquid creati sit inter ipsas, quo uniantur. Et juxta idioma sanctorum Patrum, unio divinitatis cum humanitate in Persona JEsu Christi vocatur naturalis. Sanctus Fulgentius ipsam nominat: *Commistionem naturalem.* Et in epistola Sophronii, quæ lecta fuit & approbata in sexta Synodo, exaratum est, quòd divinitas naturaliter sit unita corpori & animæ JEsu Christi. Non igitur sentiunt, totum esse JEsu Christi nil esse aliud, quàm gratias, uti dicebas.

Fulgent. lib. 3. ad Trasimund. cap. 15.

Sophron.

Hallucinaris & erras, respondit mihi, circa hæc verba naturæ & gratiæ. Quando dixi, quòd totum esse JEsu Christi sit gratia, non intendi dicere, ipsam esse aliquam qualitatem creatam, sicut esset gratia sanctificans, quam Deus nostris confert animabus: sed sumendo nomen gratiæ in sensu magis sublimi & amplo, pro favore Dei gratuitò concesso, qui non cadat sub meritum, qui non debeatur, quique

Quo sensu omnia sint gratia in JEsu Christo.

exce-

excedat capacitatem & omnes vires naturæ: nonnè stupenda sit gratia, & omnium gratiarum sublimissima, quod Deus conferre voluerit propriam suam Divinitatem sanctissimæ Humanitati JEsu Christi, ut non componeret cum illa nisi unam eandémque Personam, & per hanc donaret illam toti naturæ humanæ, quæ hâc ratione veram contrahit cognationem cum Deo, quod admiratione percellit Angelos in cœlo. Nonnè verum est, id puram esse gratiam, quam omnes promereri nunquam possent, quæque infinitâ ratione transcendat vilem & abjectam humanæ nostræ naturæ conditionem?

Sic ergò intelligendi sunt Doctores, quando loquuntur de gratia unionis Hypostaticæ, & dicunt, ipsam esse summam & præcipuam omnium gratiarum JEsu Christi. Per hoc verbum gratiæ non intelligunt ipsi qualitatem aliquam creatam; sed dicere volunt, summum & maximum omnium favorum, quos Deus exhibuit ipsi, esse, quòd unierit Divinitatem cum Humanitate in Persona sua. Et quando sancti Patres dicunt, illas unitas esse naturaliter, dicere non volunt, quòd ipsarum unio facta sit ex solis viribus naturæ, sicut esset unio animæ & corporis in animali; sed ad declarandum, hanc unionem naturæ divinæ cum natura humana, non esse imaginariam & fictam, sed esse realem & verissimam; sicut etiam non esse artificialem, uti esset unio plurium materiarum ad componendum ædificium, sed esse naturalem, sicut est illa partium, quæ componunt corpus humanum; nec etiam esse accidentalem, sicut est illa, quæ unit animam justi cum Deo per gratiam sanctificantem, quæ non est nisi accidens, sed esse substantialem, vel ut loquitur sanctus Joannes Damascenus, essentialem: duæ naturæ, divina & humana uniuntur immediatè seipsis, absque aliquo accidente ipsas uniente: *Essentialem esse hanc unionem dicimus, hoc est, veram & non specie tenùs.* Et ecce tibi, quid propriè vocetur gratia unionis hypostaticæ, quæ fons est & principium omnium aliarum.

Quid intelligendum sit per gratiam unionis hypostaticæ.

Damasc. lib. 3. de fide c. 3.

Si benè te capio, Domine, hæc unio tam stupenda naturarum, divinæ & humanæ, quæ componunt nobis Deum-Hominem, non est tam gratia (sumendo nomen gratiæ pro eximia qualitate exornante animas justorum, & reddente illas gratas Deo) quàm principium & origo omnium gratiarum. Sicut mare origo est omnium aquarum, quas effundit nobis per fluvios & fontes. Sed quænam est prima gratia, quæ producitur

ante

ante omnes alias, quæque dimanat ex hac tam fœcunda & copiosa scaturigine?

In quo consistat gratia Capitis, quæ est in JEsu Christo.

Est suprema illa auctoritas & potestas, respondit mihi, quæ constituit JEsum Christum Monarcham & Caput Angelorum ac hominum, ipsique tribuit potentiam & facultatem absolutam effundendi super illos virtutem ac influxus vitæ supernaturalis, illos nempè suarum gratiarum, sui Spiritûs, omnium auxiliorum divinorum, quæ necessaria sunt ad perfectam ipsorum sanctificationem. Hæc specialis illa est gratia, quæ nonnisi convenit ipsi soli, cùm absolutè incommunicabilis sit omni alteri, & inseparabilis etiam ab ipso: hæc est gratia, quam Theologi vocârunt *gratiam Capitis*; gratia, quæ non est perfectio nova, nec aliquid positivum Personæ ipsius superadditum; sed est jus ipsi acquisitum, quodque naturaliter possidet à seipso; est potestas ipsi particularis, quámque recepit nonnisi à divino Patre suo, qui hanc ipsi legavit, dum ipsum ad nos ablegavit.

Magnus Apostolus verbis admodùm magnificis illam nobis expressit in epistola ad Hebræos:

Hebræor. 5. *JEsus Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum; Filius meus es tu; ego hodiè genui te.* Est ex supremâ auctoritate Dei Patris, quòd Verbum æternum missum sit in terras, ut fieret homo; & in instanti, quo est Deus Homo, divinus ipsius Pater, qui novam erga ipsum acquirit paternitatem, majorem etiam ipsi largitur auctoritatem, instituens ipsum Ecclesiæ suæ tum militantis tum triumphantis summum Pontificem, Caput, Dominum, Monarcham & Principem absolutum Angelorum & hominum; hoc jus est ipsi naturale, inseparabile à dignitate Dei Hominis.

O Deus! quàm exquisitum, ac prodigiosum omninò opus Omnipotentis manus Dei, quæ copulare tale noverat caput cum tali corpore, & tale corpus cum tali capite! quàm jucundum spectaculum, cujus pulchritudo omnes abriperet animos, si utrúmque eodem conspici posset intuitu.

Quando sanctus Thomas proponit quæstionem: An JEsus Christus sit Caput Angelorum, sicut est hominum, ità discurrit. Ubi non est nisi unum idémque corpus, ibi non est nisi unum idémque Caput: Jam omnis multitudo Angelorum & hominum non constituunt nisi unum idémque corpus, quamvis non sint ejusdem omninò naturæ: nam ultrà hoc, quòd valdè magna sit similitudo inter animas hominum, quæ spirituales sunt, & Angelos, qui sunt spiri-

D. Thom. 3. p. q. 8. a. 4.

JEsus Christus est Caput Angelorum & hominum.

spiritus, sufficit, quòd ambo ordinentur ad eundem finem, pro quo Deus creavit illos. Cùm igitur non sint, nisi unum corpus, non habent nisi unum Caput, & unicum corpus, non habent nisi unum Caput; & unicum hoc Caput magni hujus Corporis, quod constat ex Angelis & hominibus, est JEsus Christus. O Anima mea, quanta tibi gloria! JEsus Christus, Deus æternus, quem universa adorat natura, est verè Caput Corporis, cujus tu existis membrum, quid agendum tibi est, nisi quod firmissimè adhæreas ipsi, recipias ipsius spiritum, sequaris ipsius motum, dirigi & deduci te sinas divino ipsius lumine, cœlesti illius doctrinâ: O quanta tunc quies, quanta tibi securitas! Deus Pater constituit eum, sicut dicit S. Paulus: *super omnem Principatum & potestatem, & virtutem & dominationem*, velut Caput supra membra Corporis sui, & vult, ut omne flectatur genu ad adorandum nomen ejus, in cœlo & in terra, imò etiam in inferno. Vide, quoúsque se extendat potentia adorandi Capitis omnium Angelorum, omniúmque hominum.

Ephes. 1. v. 21.

JEsus Christus diversimodè influit in omnia membra corporis sui,

An ergò dicendum sit interrogat Theonas, quòd omnes damnati, qui sunt homines, & omnes etiam diaboli, qui sunt Angeli, partes & membra sint hujus Corporis? si ità est, fateri oportet, ipsum Caput esse corporis vilissimi, abjectissimi, turpissimi. Respondeo, quòd, licèt verum sit, nec unum solum esse hominem, nec unum solum esse Angelum, quem Deus non creaverit ad eundem ultimum finem, & consequenter nec esse unicum solum Corpus, & noñisi unicum illius esse Caput, quod est JEsus Christus; nihilominùs non sunt omnia membra corporis ipsius, ejusdem rationis. Ecce tibi ordinem unionis illorum, quem sanctus observavit Thomas. Primi sunt, qui uniuntur ipsi in terra per gratiam & per charitatem: secundi, qui adhærent ipsi per fidem; & hi omnes sunt actualiter membra Corporis ipsius: tertii, qui nondum uniuntur illi, nec per fidem nec per charitatem, unientur tamen aliquando: quarti, qui possunt uniri cum ipso, nunquam tamen unientur; nihilominùs quamdiu adhuc sunt in potestate attingendi ultimum suum finem, ad quem à Deo creati sunt, dici potest, ipsos semper esse membra Corporis ipsius; sunt de jure, quamvis non sint de facto. Sed damnati & dæmones, quibus non ampliùs est potestas & jus tendendi ad ultimum suum finem, non sunt ullâ ratione ampliùs membra corporis ipsius, eòquòd semetipsos misera-

D. Thom. 3. P. q 8. a. 3.

Damnati non sunt amplius membra corporis JEsu Christi.

rabiliter avulserint ab ipso; nihilominùs obligati semper erunt ad exhibendum perpetuò profundissima sua homagia adorando huic Capiti, cujus olim extiterant membra; & quia glorificare noluerint ipsius misericordiam, glorificabunt in omnem æternitatem ipsius justitiam.

Bone Deus! quis non perpetuò defigeretur stupore, si eodem videret intuitu majestatem & gloriam tum Capitis, tum membrorum. Si aspicias Caput JEsum, est hic magnus æternitatis Sol, Filius unicus & splendor Dei Patris sui, qui eo nomine extraxit ipsum e sinu suo, ut intimè uniret ipsum naturæ nostræ humanæ, & indè efficeret Deum-Hominem, quem constituit unicum Caput rationis capacium creaturarum: & ex hoc aliquo modo dici potest,

Omnes Angeli sunt Christiani.

nec Angelum esse, nec hominem, qui non sit Christianus, cùm nullus omninò sit, qui non pertineat ad JEsum Christum.

Si consideres venustatem corporis, quod Deus copulare voluit tam speciosо Capiti, nihil tam est majestate, nihil tam splendore est plenum. Aspicis magnitudinem hujus corporis, ex magno membrorum suorum numero, sine meta hæc sunt & numero: siquidem tota hæc est Angelorum hominúmque multitudo, cùm nec unicus ex iis sit, qui creationis jure non pertineat ad ipsum, illósque is omnes ad eandem destinaverit beatitudinem. Intueris nobilitatem hujus Corporis ex membrorum suorum dignitate, omnes sunt spiritus immortales, substantiæ immateriales, omnes sunt nati ad coronas æternas, omnésque capaces possessionis Dei. Consideras magni hujus Corporis majestatem, suæ ob amplitudinis extensionem, replet id cœlum & terram, cùm illius jam pars triumphet in cælis, altera adhuc militet in terris. Attendis ipsius robur ob suæ diuturnitatem existentiæ, non solùm hæc cuncta adæquat sæcula, sed etiam transcendit illa, dum suum in omnem æternitatem conservabit vigorem. Tandem rimaris pensiculatiùs magni hujus corporis excellentiam ex suarum pulchritudine actionum; videbis id æmulari adorandi sui Capitis perfectiones; continuas cernes reportari ab ipso victorias de natura, de mundo, de inferno, de vitiis: frequentia videbis ibi miracula, quæ manifesta potentiæ transcendentis naturam sint indicia: denique animadvertes ibi sanctitatem tam luculentam, ut omnem omnium sibi conciliet venerationem, ut ad suos

Pulchritudo incomparabilis corporis mystici JEsu Christi.

pro-

prosternat pedes mundi gloriam, & omnes creaturas in sui rapiat admirationem.

JEsus Christus membris corporis sui varia injungit munera.

Et omnes glorioſæ hæ prærogativæ proficiſcuntur ipſi ex eo, quòd pro ſuo habeat Capite JEſum Chriſtum, cujus ſuſtentatur virtute, cujus animatur ſpiritu, cujus gubernatur providentiâ. O nos nimiùm beatos, nimióque cumulatos honore, dum fruimur prærogativâ, quòd nobis eſſe liceat membra talis Capitis, & talis partes corporis. Verùm quem tenes locum in corpore tam nobili? Alii ipſius ſunt veluti manus, ſemper ſuam navantes operam actioni, ſuámque exigentes vitam in bonorum exercitio operum. Alii ſunt ipſius velut humeri, ſua ſemper portantes onera, nunquam non ſuis aggravati adverſitatibus, ſuis oppreſſi & obruti crucibus. Alii ſunt velut linguæ & ora, ſemper occupati loquendo de Deo, pſallendo ipſius laudes, & annuntiando ipſius excellentias. Alii ſunt velut cerebrum, quod in capite ſemper manet abſconditum, nec ad aliud inſervit, niſi ad meditandum: Deus hos ſeparatos ſervat à mundo, nonniſi ſibi ſoli cognitos, nec alteri vult ipſos eſſe intentos muneri, niſi aſſiduæ infinitarum ſuarum perfectionum contemplationi. Alii ſunt denique veluti cor, æquè ſolitarii ut cerebrum, quibus aliud non eſt exercitium niſi amare Deum, & noctes diesque aduri flammis amoris divini.

Debemus contenti eſſe diſpoſitione, quam Deus nobiscum facit.

Non eſt partium corporis, ſemetipſas collocare, quò voluerint, nec eligere penſum, quod ſibi magis foret acceptum: oportet ipſas contentas eſſe loco, à natura ſibi deſtinato, injunctúmque ſibi benè obire munus. Et noſtrûm ſimiliter non eſt, talem occupare locum in corpore myſtico JEſu Chriſti, qui noſtro arriſerit palato, & tale deligere officium, quod magis fuerit nobis jucundum. Maneamus contenti ordine, quò providentiæ ipſius nos placuit collocare, & ritè noſtras impleamus partes, quas deſtinatus ab eo nobis requirit & exigit ſtatus; quando etiam non eſſemus niſi pedes ſemper depreſſi & abjecti in terram, & totius corporis onerati mole. Nonnè ſatis ex eo conſequimur honoris, ſi exequi nobis liceat conſilium & animum adorandi noſtri Capitis, cujus ſubdimur arbitrio & poteſtati? Et nonnè novimus, non minùs placere pedes Capiti, ſi ritè ſuo præſint muneri, quàm manus pateant & oculi?

Oblectabar haud parùm explanatione, quam attulit nobis de amabili hac Capitis, quam JEſus Chriſtus in omnes habet homines, poteſtate. Sed nondum adhuc videbam, cujus ge-

neris influxus & virtutes effundat in omnia corporis sui membra: hæc quia infinita sunt numero, amplissimæque sunt capacitatis, dicebam intra meipsum: oportet admirandum divitiarum divinarum thesaurum incluſum esse in hoc Capite, ad prospiciendum omnibus, cùm nihil habeant, nisi quod acceperint ab ipso. Hoc igitur erat, quod me exstimulavit ad ipsum interrogandum.

ARGUMENTUM.

Quales gratiarum & sanctitatis thesauri inclusi sint in JEsu Christo.

Articulus III.

Multitudo gratiarum JEsu Christi.

SI quæras, quot & quàm diversæ gratiæ in ipsius conjunctæ sint Persona (id est, in sanctissima ipsius Humanitate; nam Divinitas non est capax ad recipiendum ipsarum aliquam) respondebo tibi, quòd sicut non est gratiarum genus, quod necessarium non sit toti corpori sanctæ Ecclesiæ, sic nulla sit gratia quæ non sit in adorando hoc Capite, quas illud super totum suum effundit corpus. Habet igitur gratiam sanctificantem, gratiam habitualem, gratiam actualem, & gratias gratis datas, & omne id, quod sub nomine gratiæ potest intelligi, abs eo, quòd ulla desit ipsi.

Magnitudo gratiarum JEsu Christi.

Si interroges, in quo perfectionis gradu possideat omnes has gratias; dicam tibi, quòd possideat illas in omni excellentia, & in omni plenitudine, quâ Deo competebat illas dare, & subjecto illas recipere, quin ampliùs crescere, vel ampliùs perfici potuerint in illo utpote comprehensore ab instanti Conceptionis suæ, ex quo illis fuit repletus. Cogita, quòd Deus Pater, qui infinitâ ratione amat ipsum, nihil ipsi denegaverit ex omni eo, quod dare ipsi potuit. Cogita quóque, quòd subjectum hanc gratiarum divinarum abundantiam recipiens, non sit infirmus homo, sicut reliqui homines, sed sit Homo-Deus, infinitâ ratione reliquos transcendens homines; & ex hoc conjice, (nam perfectè id capere non poteris) quàm locuples debeat esse gratiarum ipsius thesaurus, qui infinitâ ratione captum transgrediatur humanum.

Verùm non pro seipso, inquiebam illi, servat omnes hasce gratias thesauro suo incluſas, siquidem is illis non indiget.

Gra-

Cur gratia sanctificans non fuerit necessaria Jesu Christo.

Gratiæ sunt semina gloriæ: Jam ipse collegit fructum, antequam semen hunc ipsi potuerit producere; ipse admissus est in plenam possessionem gloriæ à primo instanti, quo recepit esse; adeóque nulli commodo omnes gratiæ ipsi esse possunt. Gratiæ dantur animæ ad sanctificandum ipsam, & reddendum gratam Deo: jam ipse est infinitâ ratione sanctus ex seipso, & infinitâ ratione gratus Deo ex propria sua conditione Filii naturalis Dei, nullis ergò ipsi opus est gratiis. Gratiæ nobis serviunt ad promerendum aliquid coram Deo; actiones enim nostræ sine gratia nullius sunt valoris: ad ipsum autem omnia jam pertinent titulô dignitatis Filii Dei; absque eo, quòd necesse habeat comparare sibi illa per merita: consequenter nullarum omninò ipse indiget gratiarum.

Cur gratia sanctificans fuerit necessaria JEsu Christo.

Fateor hæc omnia, respondit mihi, nihilominùs verum est, necessariò ipsum habere debuisse omnes has gratias pro se & pro nobis. Inprimis gratia sanctificans fuit ipsi necessaria; & articulus est fidei, animam ipsius hâc totam fuisse repletam, juxta ex-

Joan. 1. v. 14. pressa illa sancti Joannis verba: *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis.* Non dico, hanc ipsi fuisse necessariam, ad producendum sibi gloriam, velut semen producit fructum suum; siquidem gloriam ipse possidet ex jure Filiationis divinæ, nec ad promerendum aliquid pro seipso; nam ipsi opus non est aliquid promereri, eòquòd omnia sint ipsius jure naturali generationis suæ: sed hæc necessaria ipsi fuit tres ob causas: Prima est, ut frueretur prærogativâ portandi æquè bene glorioſum titulum Filii Dei adoptivi per gratiam sanctificantem, sicut Filii naturalis per gratiam unionis Hypostaticæ. Secunda, ut attolleret animam suam, & voluntatem suam humanam ad statum supernaturalem, ex quo acquireret potestatem producendi actus supernaturales perfecti amoris Dei, quos producere non poterat ex solis suis viribus naturalibus. Tertia, ut se sanctificaret hâc sanctitate, quam vocant *formalem*, id est, propriâ & intrinsecâ: siquidem non spectat nisi ad gratiam sanctificantem conferre ipsam; sicut non spectat, nisi ad albedinem reddere subjectum album, & ad scientiam reddere intellectum scientem; sic non spectat nisi ad gratiam, quæ sanctificat, reddere animam sanctam & Deo gratam.

An Jesus Christus fuerit sanctus absque gratia sanctificante.

Et itáne, mi Domine, hoc est dicere, quòd si JEsus Christus non habuisset gratiam sanctificantem, non fuisset sanctus, nec acceptus Deo? an poterat personaliter esse Filius Dei, quin esset ipsi infinitâ ratione gratus &

absque eo, quòd esset Sanctus Sanctorum? procul dubio, replicat mihi, fuisset semper infinitâ ratione sanctus sanctitate personali, eòquòd sit Deus personaliter, sed non fuisset sanctus sanctitate formali, quia non habuisset formam, vel pretiosam illam qualitatem, quæ sola conferre potest hanc sanctitatem formalem, quæ est gratia sanctificans. Verum est quidem, quòd in consueto loquendi modo Scripturæ & Patrum, Humanitas sanctissima JEsu Christi ob intimam cum Divinitate unionem illa manserit tota imbuta, uncta & delibuta, ità, ut dicant, ideò hunc Hominem-Deum appellari *Christum*, id est, *Unctum*, ipsiúsque unctionem esse Divinitatem ipsam: *Christus unctus Divinitate.* Et S. Anselmus in caput primum epistolæ ad Hebræos loquitur hac de re verbis magnâ dignis consideratione:

Anselmus in 1. ad Hebr.

Ipse, qui existens DEus ante sæcula, per Spiritum sanctum in utero Virginis homo conceptus est, in fine sæculorum, ibi ab eodem Spiritu unctus est, ubi conceptus. Nec ante conceptus, & postmodùm unctus est, sed hoc ipsum de Spiritu sancto & carne Virginis concipi, à Spiritu sancto ungi fuit.

Et certè nemo est, qui non facilè intelligat, quòd, cùm totus immersus fuerit Divinitati, totúsque absorptus à propria Divinitate Dei; hic Homo-Deus non fuerit semper infinitâ ratione sanctus, quando etiam non habuisset gratiam sanctificantem. Sed post omnia iterùm eò deveniendum est, quòd habuisset quidem sanctitatem personalem, non autem sanctitatem formalem, quæ, si ipsi defuisset, dici poterat, ipsum non habuisse omnem perfectionem, quam poterat habere.

JEsus Christus indiguit gratiâ actuali.

Porrò ultra gratiam sanctificantem habitualem, opus fuerat Christo gratiis actualibus, id est, auxiliis supernaturalibus ipsi actualiter collatis ad concurrendum cum ipso, & adjuvandum ipsum in producendis omnibus, quæ faciebat, operibus supernaturalibus. Ratio clara est; si enim anima ipsius indiguit gratiâ habituali, ad conferendum ipsi potentiam agendi supernaturaliter, quam non habuit ex propria sua natura; sequitur illam etiam indiguisse gratiis supernaturalibus, ad adjuvandum se in producendis actibus supernaturalibus, quos solis suis viribus naturalibus non poterat producere. Eheu! quàm magna est dependentia creaturæ à Creatore suo! ipsa nihil est sinè illo, & absque ipso agere nil potest.

Non dico, quòd gratiæ actuales, quibus JEsus Christus indiguit, fuerint gratiæ excitantes & prævenientes. Novi enim, magnam

Jesus Christus, quia fuit beatus, non indiguit gratiâ excitante.

magnam hanc animam actualiter clarâ visione Dei fruentem, non habuisse opus, ut præveniretur, admoneretur, aut excitaretur ad agendum omne id bonum, quod esse videbat Dei voluntatem. Id necessarium est nobis, qui indormiscimus sæpè in ignorantia & ignava Dei oblivione. Nos indigemus pluribus gratiis, quæ nos præveniant, quæ nos expergefaciant, quæ nos excitent, quæ nos animent, quæque solicitent nos ad agendum bonum, quod nunquam ageremus, nisi misericordi hâc DEI præventione exstimulati. Sed Beati, qui clarè vident faciem Dei, semper sunt intenti, semper defixi in summum bonum, in quo clarissimè semper vident, quid à se requirat Deus, manéntque semper in voluntate actuali & determinata obsequendi ipsi in omnibus; nec unquam ab eo divelli possunt vel unico momento. Ecce, quare non indigeant aliquâ gratiâ excitante.

Benè hoc capio, dixi ipsi, quòd Beati, qui sunt in cœlo, fruentes perfectâ requie in perfecta possessione Dei, nec habentes aliam occupationem, quam semper actualiter aspicere pulchritudines infinitas hujus objecti, quo abripiuntur, quo abalienantur à seipsis, quódque absorbet ipsos in seipso; quòd ipsi non indigeant gratiâ excitante, quæ ipsis inducat memoriam Dei, facilè capio, idque non admiror.

Prodigium est, quòd Jesus Christus, cùm fuerit Viator, non indiguerit gratiâ excitante.

Sed quòd JEsus Christus versans in medio miseriarum vitæ præsentis; JEsus infatigabiliter intentus magno operi Redemptionis mundi; JEsus plurimùm occupatus rebus tot diversis atque difficillimis, quæ omnem ipsius requirebant attentionem; JEsus oppugnatus à tot adversariis, persecutiones passus à Judæis & dæmonibus; JEsus ex bonitate sua subjectus cunctis necessitatibus naturalibus conditionis nostræ humanæ; JEsus denique in suo Viatoris statu, totus similis nobis, exceptis ignorantiâ & peccato: quòd JEsus Christus, inquam, in hoc statu sui ipsius tam distractivo, támque opposito actuali attentioni ad Deum, non indiguerit gratiâ aliquâ excitante; quódque anima ipsius obligata ad prospiciendum cunctis necessitatibus tum internis tum externis proprii sui corporis, tum etiam totius magni Corporis Ecclesiæ suæ; anima ipsius obstricta ad subeundum omnes curas, quibus distinetur magnum hoc Redemptoris mundi officium, quod agebat in terris, nunquam amiserit nec unico momento actualem ad Deum attentionem, aut divinæ voluntatis ipsius intuitum,

tum, ad exequendum illam in omnibus perfectissimè; hoc est, quod transcendit (siquis considerare volet) omnem admirationem.

O quàm longè absumus ab eo, ut vel in minimo discipulos agamus & imitatores JEsu Christi, quantum concernit actualem hanc attentionem ad Deum, & continuum divinæ voluntatis ipsius intuitum! Eheu! nemo quasi est, qui contendat vel tantillum imitari ipsum hac in re, vel benè intelligat, omnem nostram perfectionem, & maximam, quam Deo reddere possimus in terris, gloriam, consistere in interno animæ nostræ cultu. Plerique hominum etiam bonorum credunt, omnia in hoc versari, si multa perficiant opera bona externa, & interim vivant in continua ferè oblivione Dei: omnia optimè peracta esse putant, dum dicunt; sed cuncta hæc nonnè sunt pro Deo? Imò. Verùm actualis attentio animæ tuæ non est ad Deum; & in hoc consistit præcipuè maximum, quod in terris perficere valeas, bonum. Siquidem non erunt bona opera externa, quæ illuminabunt te in sublimi & perfectâ Dei cognitione, aut purissimas in te succendent divini amoris flammas, quamvis revera optima sint, magnúmque tibi acquirant cumulum meritorum. Sed quid hæc sint respectu fruitionis actualis Dei, quam habere non potes, nisi actualiter intendat anima tua Deo, illius recordando, illum contemplando, illum cognoscendo, illúmque diligendo?

Error animarum negligentium internum cultum mentis.

Quarta pars horæ, quam consecras cogitationi de Deo, absque eo, quòd aliquid agas, majoris est valoris, quàm plures horæ collocatæ in exercitio bonorum operum, absque memoria Dei. Dominus noster nonnè docuit in Evangelio de corde exire omnia mala? an minùs verum sit, de corde quoque exire omnia bona? sublimes cognitiones Excellentiarum Dei, purissimus amor infinitæ bonitatis Dei, zelus ipsius gloriæ, puritas intentionis, & omnia bona, quæ sunt in anima, formantur in corde & in intimis penetralibus animæ, per actuale animi studium, quo intenditur Deo. Et internus hic animi cultus negligitur, eòquòd moriendum sit omnibus rebus externis, ad includendum se in arctam hanc solitudinem, & nemo resolvere se possit ad tolerandas tot tantásque mortes, quæ occidunt & crucifigunt naturam. Malunt vacare homines exercitiis bonorum operum externorum, ubi sensus & ratio humana,

Unde veniat tanta difficultas, quam invenimus in interno animæ cultu.

na, sicut & inclinationes naturæ sua inveniunt oblectamenta.

Interpellat me hîc Ecclesiasticus noster. Me debitorem tibi adhuc esse profiteor alicujus, in quo ut tibi facerem satis, mihi otium non reliquisti. Nôsse desiderabas divitias thesauri gratiarum, quæ sunt in JEsu Christo: exposui jam tibi illarum partem, dum verba tibi feci de gratia sanctificante & gratia actuali: sed nullam adhuc gratiarum gratuitarum feci mentionem, quod fiet illicò. Priùs tamen loquendum nobis est de gratiarum harum, quibus immoramur, magnitudine & perfectione. Ecce ergò!

ARGUMENTUM.

An gratiæ JEsù Christi habeant aliquam mensuram, vel an sint infinita.

Articulus IV.

Cur gratiæ JEsu Christi non sint absolutè infinitæ.

CErtum est illas actualiter & absolutè in esse suo non esse infinitas, aliàs essent Deus; nihil est absolutè infinitum quàm Deus solus: gratiæ JEsu Christi, quantumvis maximæ, sunt creaturæ, & consequenter existunt finitæ; sicut enim de essentia Creatoris est, esse infinitum, sic de essentia creaturæ est, in esse suo esse finitam. Et quando ex suppositio impossibili Deus creare posset gratiam actualiter infinitam, anima JEsu Christi, quæ est creatura finita, illam recipiendi careret capacitate: & dein si habere posset gratiam infinitam, posset etiam habere gloriam infinitam, cum gloria correspondeat gratiæ: si gloriam haberet infinitam, frueretur Deo, quantùm Deus ipse, quæ suut impossibilia. Concludendum igitur est, gratiam ipsius non fuisse absolutè infinitam.

Nihilominùs fatendum est, ipsam tantam habere connexionem cum infinito, ut ratione quâdam videatur infinita, si attendantur quatuor, quæ magnitudinem ipsius extollere videntur ultra omnem mensuram. Quatuor rationes, ob quas gratia JEsu Christi videatur quâdam ratione infinita.

Primum est magnitudo amoris, quo fertur Deus erga sanctissimam Humanitatem JEsu Christi: Non tantùm illam solam plùs amat, quàm totam simul naturam Angelicam, sicut dicit S. Thomas, sed amat illam plùs, quàm omnes Sanctos & cæteras omnes creaturas. Ratio est, quam affert S. Cyrillus: JEsus Christus est proprius ipsius Filius, 1. Amor infinitus, quo Deus prosequitur JEsum Christum. D. Th. 1. p. q. 10 a. 4. Cyrill. lib. 1. in Joan. cap. 17.

Filius, & Filius Unigenitus; adit ergò possessionem totius ipsius hæreditatis. Omnes homines & omnes Angeli non sunt nisi servi, qui habere quidem possunt parvam quamdam bonorum ipsius portionem; sed integra hæreditas spectat ad Filium Unigenitum: hoc idem est, ac si dicatur; quòd omnes gratiæ, quas impertitus est Deus cunctis Angelis, cunctisque hominibus, non sint nisi parvæ portiones servorum, quæ omnes simul non adæquant id, quod Filio suo impertitur Unigenito. Et ex hoc deducitur, ipsum Filio suo Unigenito dedisse omnem plenitudinem gratiæ, quæ juxta potentiam suam ordinariam possibilis est DEO. Quis hominum vel Angelorum intellectus capere posset magnitudinem gratiarum ipsius, ex primæ hujus rationis consideratione? Absorbetur animus hâc immensitate, & dicit, infinitam hanc videri.

II Dignitas infinita personæ recipientis gratias.

Secuundum, quod demonstrat infinitudinem gratiæ JEsu Christi, est dignitas infinita Personæ, quæ illam recipit. Certum est, quòd, quando sanctissima Humanitas non habuisset aliquam gratiam sanctificantem, non tamen desiisset infinitâ ratione esse sancta, cùm fuerit unita Personæ Verbi Incarnati, quamvis hæc non fuisset nisi sanctitas personalis, sicut paulò antè dixi. Sed quando recipit gratiam sanctificantem, quâ redditur formaliter sancta, hæc gratia eoúsque participat ex infinitudine Personæ se recipientis, ut verum sit dicere, quòd JEsus Christus formaliter & infinitâ ratione sit sanctus, formaliter & infinitâ ratione acceptus Deo; ubi per prodigium, quod speciale & singulare est JEsu Christo, pro eo, quòd gratia sanctificans nobilitet omnes alias Personas se recipientes, ipsius Persona è contrario nobilitet gratiam, illíque infinitam tribuat magnitudinem, quam nunquam nisi in Persona ipsius habere potest.

Tertia consideratio, quæ ostendit infinitudinem gratiæ JEsu Christi, est, quam nobis suppeditat S. Augustinus, quando ipsum considerat velut Caput totius Ecclesiæ, compositæ ex Angelis & hominibus, qui Corporis ipsius mystici sunt membra. Verum est quidem, inquit, omnia nostri corporis membra habere vitam & sensum, sed omnia simul non habent illa in hac plenitudine & in hac perfectione, sicut habet solum Caput; hoc enim omnia habet simul, visum, auditum, odoratum, gustum & tactum: omnia alia corporis membra non habent nisi tactum, qui ferè nihil est in comparatione cum oculis & aliis

III. Qualitas Capitis totius Ecclesiæ.

S Augustepist. 57. ad Dardanum.

liis sensibus, qui sunt in solo capite. Ità verum quidem est, omnia membra Corporis mystici JEsu Christi esse sancta per participationem gratiæ sanctificantis; omnia tamen simul non habent similem plenitudinem gratiæ & sanctitatis, quæ est in solo Capite. Quodvis illorum accipit quidem partem ex abundantia illius, juxta particularem suam capacitatem; sed de solo Capite JEsu Christo Apostolus dicit, *quòd in illo habitet tota plenitudo Divinitatis corporaliter.* Non vult ipse dicere, quòd Divinitas sit corporalis; sed usus est hoc verbo *corporaliter*, ad insinuandum nobis, quòd sicut anima nostra animat quidem omnia membra nostri corporis, suppeditans illis vitam & sensum, verùm tamen plenitudinem vitæ non tribuit nisi soli Capiti, ubi adunat & conjungit omnes sensus: ità vita divina, quam gratia communicat omnibus membris Corporis Ecclesiæ, non sit in ea plenitudine, quæ est in solo Capite JEsu Christo. Quis diffitebitur, hanc comprarationem penitiùs & impensiùs perpensam ostendere quamdam infinitudinis speciem in gratiis Redemptoris.

Coloss. 2. v. 9.

Sed tandem quarta & magis specioſa ratio, ob quam absque hæsitatione dici possit, quòd gratia JEsu Christi sit infinita, est, quòd ipsa sit principium meritorum & divinarum satisfactionum ejus, quæ omninò infinitæ sunt juxta consuetum loquendi modum, quo utuntur Concilia & sancti Patres. Siquidem si juxta doctrinam Philosophorum: *Infinitum est, quod nunquam exhauriri potest*; quis unquam exhaurire potest thesaurum meritorum & satisfactionum JEsu Christi? quando tot essent mundi, quot sunt creaturæ in toto hoc mundo magno, & omnes pleni essent maximis peccatoribus; & ad satisfaciendum omnibus ipsorum debitis justitia Dei hausisset abundanter è thesauris JEsu Christi; non tamen ipsos adhuc exhausisset. Repetat toties, quoties voluerit, & tantum semper hauriat, quantum placuerit, nunquam tamen exhauriet illos; infinitum enim quid est, quod nulla potestas exhaurire potest. Cùm ergò inexhausti hi meritorum & satisfactionum thesauri sint, dimanent & effluant è gratia Redemptoris; quis non videat infinitudinem planè manifestam in hac gratia?

IV. Ipsa est origo meritorum & satisfactionum, quæ sunt infinitæ.

Non dicis, mi Domine, reposui ipsi, quòd si infinitum juxta Philosophos est id, quod non potest exhauriri, sit etiam id, cui nihil potest adjici. Jam adjici potest gratiæ JEsu Christi: siquidem non negabis, Deum

Gratia JEsu Christi potuit esse major quàm sit.

potuisse ipsi hanc dare majorem, si voluisset; sicut facere, si voluisset, animam ipsius nobiliorem. Non est creatura, quam Deus facere non potuisset perfectiorem, cùm Omnipotentia DEI nullis sit arctata limitibus. Cùm ergò hæc gratia non eò pertingat magnitudinis, cui Deus nihil possit adjicere, confitendum tibi est, ipsam non esse infinitam. Dico plus, quòd qualicunque perfectionis & magnitudinis gradu illam accumulare possit Deus, nunquam tamen talis futura sit, cui Deus nil ampliùs adjicere posset; cùm Deus nullos statuere possit limites suæ Omnipotentiæ; alias destrueret illam, ipsámque redderet impotentem; consequenter clarum est, ipsam non solùm infinitam non esse, sed nec unquam esse posse.

Fateor, inquit mihi, idipsum; neque etiam ego dixi, ipsam absolutè esse infinitam in esse suo; sed solùm cùm magnam valdè habeat connexionem cum infinita Persona, quæ est in JEsu Christo, dici posse, quòd participet aliquid ex ipsius infinitudine. Novi probè, quòd Omnipotentia Dei, quæ nullos habet limites, facere potuisset omnia ea, quæ sunt in JEsu Christo, majora & perfectiora, quàm sint; ipsi dare corpus perfectius, ipsi creare animam nobiliorem, ipsum implere gratiâ abundantiori, ipsi etiam conferre gradum gloriæ sublimiorem; tandem enim, cùm hæc omnia, ipsius corpus, ipsius anima, ipsius gratia, & ipsius gloria sint creaturæ, Omnipotentiâ Dei à nulla creatura limitari potest, ità ut non semper illi quidquam possit adjicere.

Omnia sunt finita in JEsu Christo, excepta Divinitate.

Non est ergò nisi sola Divinitas JEsu Christi, cui omnipotentia Dei nihil possit adjicere, eòquòd illa non sit sub hujus potestate: non est Omnipotentia Dei, quæ fecit Divinitatem; hæc enim est à seipsa, est independens, nulli subjecta: Ipsa sola est ens infinitum, quod nec augeri nec imminui possit.

Et quando dicitur, quòd Mysterium Incarnationis sit exquisitissimum opus Omnipotentiæ Dei, & quòd illam exhauriat, ità ut nihil excellentius facere posset; hoc innuere vult, quòd unire non posset naturam humanam excellentiori cuidam rei, quàm Personæ Verbi incarnati; & hoc nihil indicat impotentiæ in Deo; sed denotat infinitudinem absolutam in Persona Dei-Hominis & Hominis-Dei: ità ut, si res sumatur in rigore, JEsus Christus propriè infinitus non sit, nisi in natura sua divina,

vina, & Persona sua divina. Cætera omnia quæ sunt in ipso, quæque propria sunt creaturis, non sunt absolutè infinita, eòquòd dependeant ab Omnipotentia Dei.

Nôsse non possumus gradum perfectionis JEsu Christi.

Quem autem perfectionis gradum contulerit sanctissimæ Humanitati JEsu Christi, ipsius corpori, ipsius animæ, ipsius gratiæ, ipsius gloriæ, clauditur sub arcano consilio Dei, quod nulla posset creatura comprehendere: Cur autem concluserit hæc omnia in ipso his limitibus, & non dederit ipsis plùs vel minùs perfectionis naturalis aut supernaturalis, cùm absolutè dependeat ab ipsius omnipotentia, dare illi plus vel minus: quis est, qui abscondita ipsius rimatus sit consilia? aut quis interrogare ipsum audeat: quare fecisti sic? totum, quod hac in re cogitare possumus, adorantes profunda cum veneratione infinitam sapientiam universi hujus operis directricem, est, quòd dederit ipsi ea omnia, quæ Deo-Homini erant convenientia.

Deus posuit limites perfectioni Filii sui unigeniti.

O quàm stupendam & incomprehensibilem à DEO dependentiam secum affert conditio creaturæ! adorandus hic Homo, qui est proprius Filius Dei, poterat habere perfectiones naturæ, gratiæ & gloriæ incomparabiliter majores, quàm habeat, eòquòd Omnipotentia Dei limitata non sit ad ea, quæ ipsi dedit: Et hæc ipsum constringit, ipsum determinat, ipsum limitat ad hanc portionem, absque eo, quòd velit ipsum plus habere: sed hoc ipsum est, quod oportet, cùm sit id, quod placet Deo; nec plus ipse vellet, nec minus. Si ità Filium suum habet Unigenitum, quis est, qui contentissimus esse non velit eo, quod dare sibi placuerit Deo, sive in ordine naturæ, sive gratiæ, sive gloriæ, sive parum id sit, sive multum? sed, quod huic perdilecto cordis sui, quem solum plus diligit, quàm universam simul naturam, aliud pro hæreditate sua non det toto vitæ mortalis tempore, nisi paupertatem, contemptum, persecutiones, dolores, cruces, omnium miseriarum humanarum cumulum, ità ut ipsum defungi vellet fato non minus infami, quàm immani, quis est, qui capiat?

Gratiæ à Deo JEsu Christo datæ sunt merè afflictiones.

Itáne Pater cœlestis, omnium Patrum locupletissime ac optime? itáne tractas & accipis Filium tuum unigenitum, quem infinitâ diligis ratione? an ergò hæc omnis sit gratia, quam confers ipsi? ità, gratiarum hic thesaurus est, quo ipsum accumulo; videre ipsum aveo oneratum

opprobriis, ignominiis, humiliationibus, doloribus, derelictionibus, paupertate; sic aspiciens ipsum maximâ perfundor voluptate, in hoc ipse statu summas
Isaiæ 55. mihi parit delicias. *Cogitationes meæ non sunt cogitationes vestræ*, ô mortales terræ, *nec viæ meæ sunt viæ vestræ.* Nos ambulamus passu prorsùs contrario. Quando vos quempiam videtis ornatum gloriâ, honoribus, divitiis, circumfusum voluptatibus, prosperitatibus visibilibus & corporalibus, vos optimâ illum frui sorte putatis, hoc non leviter vestris lenocinatur oculis: & ego ex opposito, quando quemquam intueor totum circumseptum confusionibus, opprobriis, afflictionibus & paupertate, ipsum existimo plurimis accumulatum beneficiis, nec levi voluptate demulceor, dum ipsum sic intueor. Ecce hæ meæ sunt gratiæ, hi mei favores, quibus unicum meum locupletavi Filium, quibus liberaliùs ipsum ditavi, quàm reliquos homines, còquòd cunctis cæteris hominibus simul magìs diligam ipsum. Ecce hæc mea dona sunt, quibus prosequor servos meos, filios meos, amicos meos, majora vel minora, juxta proportionem, quâ magìs vel minùs diligo illos.

Eheu! quàm paucos reperire est, qui amplectantur, ductúmque sequantur cogitationum Dei? quàm pauci ambulant vias ipsius! persuadere nobis non possumus, hoc incedendum nobis itinere; nunquam non aspicimus ea velut supplicia, quæ velut beneficia immittit nobis; sunt nobis tormenta, quæ nobis confert velut fomenta, quasi clam semper crederemus in corde, credendum non esse Deo, nec scire ipsum, in quo consistat bonum & vera beatitudo. Nihilominùs hæc dona sunt proprii Filii Dei, quæ illecebris scatent ad conciliandum illius amorem in cunctis animabus verâ luce cœlesti illuminatis. Sed invisum redeamus divinum nostrum thesaurum vice ultimâ; videbimus ibi gratias residuas, quibus locupletatus est: hæ gratiæ sunt gratuitæ, quas in excellentissimo possedit gradu, & maximâ perfectione, in qua haberi possint, uti mox videbis.

Quod Deus aspicit velut beneficium, nos accepta. mus velut supplicium.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Quòd JEsus Christus incluserit in thesauro suo dona Spiritûs sancti, & gratias gratuitas in gradu excellenti.

Articulus V.

Differentia inter gratiam Capitis, dona Spiritûs Sancti & gratias gratuitas.

SUnt, qui non distinguant inter dona Spiritûs Sancti & gratias gratuitas in Persona JEsu Christi; eòquòd dicant, hæc omnia aliud non esse, quàm exercitium magnæ illius gratiæ, quæ dicitur Capitis, quam mandet executioni & deducat in opus, quando salutares influxus suos effundit super omnia membra Corporis sui mystici, inspirando illis sapientiam, fortitudinem, consilium intellectum, virtutem patrandi miracula, timorem Dei, & cætera omnia, quæ necessaria sunt ad perficiendum illa in sanctitate. Sed profectò differunt inter se. Nam gratia Capitis est quid aliud, quàm dona Spiritûs Sancti, & dona Spiritûs Sancti non sunt gratiæ gratis datæ. Gratia Capitis est prærogativa JEsu Christi solius incommunicabilis ulli alteri: dona Spiritûs Sancti communicantur omnibus animabus, quæ Spiritûs Sancti per gratiam sanctificantem sunt templum, magis vel minùs, prout placuerit Deo. Et gratiæ gratis datæ distribuuntur iis, quos Deus admovet ad promovendum salutem proximi, huic unâ, alteri aliâ ratione, juxta exigentiam ipsorum ministerii.

Omnia dona Spiritûs Sancti sunt in JEsu Christo.

Quæ dubitandi ratio, an Spiritus Sanctus omnia sua dona consignaverit JEsu Christo, cujus ipsemet dispoſuerat sanctissimam Humanitatem, in utero virginali Mariæ Matris suæ, velut templum, quod consecrabat, quódque suæ dedicabat gloriæ ædificando illud. Hinc est, quod Vates Isaias exhibeat ipsum velut Monarcham in illo, velut in throno suo requiescentem, ut in morem Regis Pacifici dominetur & imperet ibi: *Spiritus Domini requiescet super eum, Spiritus sapientiæ & intellectûs, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis; & replebit eum Spiritus timoris Domini.* His verbis exprimit omnia Spiritûs Sancti dona. Et quando asseverat Spiritum Domini requieturum super animam ipsius in medio pretiosorum horum donorum, vult ostendere, ipsum certam & securam habiturum illorum possessionem, ipsa sanctos fore habitus, animæ ipsius inhærentes, & nunquam ab ipsa dimittendos: nam cùm habuerit illos in terris, habebit & ipsos in cœlis. Isa. 11. v. 3.

Verùm

Cur vocentur dona Spiritûs sancti, & in quo consistant.

Verùm fortasis ignoras, cujus mysterii gratiâ vocentur dona Spiritûs Sancti? ideò, quia anima recipit per illa certam docilitatem, ut sit flexibilis ad recipiendum motus sacros Spiritûs Dei, quibus impellatur ad exantlanda magnarum virtutum opera. Est differentia inter hæc; ferri à seipso ad aliquod opus bonum, vel excitari aliorum exemplo, vel persuaderi à ratione; & interius ad ea exstimulari ab unico impulsu Spiritûs Dei. Homines possunt quidem ferri in bonum primo modo, absque eo, quòd habeant dona Spiritûs Sancti; sed nonnisi Filii Dei, Spiritu Sancto & donis ipsius repleti, feruntur illuc modo ultimo, per dulcem sed efficacem impulsum Spiritûs divini, cui se reddunt ductiles & dociles; & hoc per specialem hanc unctionem, quam recipiunt à donis Spiritûs Sancti. Sic sacra Scriptura hac de re loquitur: *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei.* Rom. 8. Invenire est animas tam intentas sibi ipsis, tamque ductiles omni impulsu Spiritûs divini, ut nihil quasi faciant, nisi ad quod ab ipso fuerint determinati.

Si hoc verum est de servis, uti ostendit experientia, quid cogitandum est de divino Magistro, qui possidebat totam plenitudinem Spiritûs Dei, & omnem perfectionem donorum ipsius? Evangelium nobis tantummodò indicat unicum particulare exemplum *quòd fuerit ductus à Spiritu in desertum, ut tentaretur à diabolo.* Matth. 4. Sed quis dubitare potest, quin eâdem ratione à Spiritu Sancto ductus & directus fuerit in cæteris vitæ suæ actionibus: videmus enim, ipsum continuò fuisse impulsum, non ad ea, quæ naturæ blandiebantur, sed potiùs ad illa, quæ ipsam crucifigebant, ipsam destruebant, ad afflictiones, ad dolores, ad abjectiones, ad abnegationes. Ecce igitur ductum & dictamen Spiritûs Dei, de quo dubitare non possumus, & tamen tantæ sumus vecordiæ, ut illum sequi destituat nos animus.

Spiritus Sanctus duxit & direxit JEsum Christum totâ vitâ suâ ad cruces.

Quod concernit gratias gratis datas, sufficit nôsse, cur ita vocentur, ut persuasi simus, ipsum omnes habuisse, illásque possedisse in omni sua perfectione. Siquidem Theologi docent, ipsas esse dona supernaturalia, quæ non concedantur recipientibus illas ad particularem suam utilitatem, sed ut idonei reddantur ad serviendum saluti aliorum. Et juxta proportionem, quâ Deus vult aliquem admovere ad promovendum bonum spirituale animarum, confert ipsi quoque majores vel minores, plures vel pauciores gratias gratis datas, ut benè suo fungantur munere, cui à pro-

Quid appelletur gratia gratuita.

à providentia divina sunt destinati. Et quia hæc diversimodè distribuit munera inter eos, quos suæ Ecclesiæ deputat servitio, Sanctus Paulus affirmat nobis, ipsam quoque diversam facere gratiarum harum gratuitarum divisionem.

1. Cor. 12.

Spiritus sapientiæ,

Aliis datur Spiritus sapientiæ ad penetrandum sensum profundissimorum mysteriorum fidei, & concedendum illis specialem facilitatem explanandi illa populis.

Spiritus scientiæ,

Aliis datur scientia, quæ ex seipsa non est gratia gratis data, in quantum edocetur in scholis, sed habere facilitatem promptè & expeditè utendi illâ ad elevandum animas ad Deum per discursus è scientia rerum naturalium depromptos, est scientia gratuita vel gratis data.

Fides in quantum est gratia gratuita.

Aliis datur fides, quæ non est propriè hæc virtus Theologica, quæ communis est omnibus fidelibus; sed est certa quædam persuasio viva, quæ tribuit facilitatem persuadendi ipsam quoque aliis: siquidem satis fidei habere pro seipso, est virtus Theologica; sed habere illius etiam satis pro aliis, est gratia gratuita.

Gratia sanitatum,

Aliis datur gratia sanitatum corporalium, quæ potens & efficax est medium lucrandi animas ejusmodi beneficiis; illásque obstringendi, ut se devoveant Deo, cujus experiuntur bonitatem.

Donum miraculorum.

Aliis confertur donum miraculorum, quod est, illorum quasi manibus consignare Omnipotentiam Dei, quâ utantur ad exhibendas probationes manifestas & luculentas veritatis, quam docent: siquidem unicum solum miraculum magis movet & convincit animas, quàm omnes rationes humanæ.

Donum Prophetiæ.

Aliis conceditur donum prophetiæ, quæ propriè est gratia cognoscendi & facilè annuntiandi aliis res, quæ non videntur, sive res sint futuræ, sive præteritæ, sive absentes, sive præsentes, & hæc gratia prophetiæ tam specialis est illis, quos Deus admovet muneri Prædicationis, ut in toto veteri Testamento idem omninò fuerit esse Prædicatorem & esse Prophetam: unde videmus, ipsos nunquam Prædicatores, sed Prophetas esse nuncupatos.

Discretio spirituum.

Aliis tribuitur donum discretionis spirituum, quod speciale quoddam est lumen, quo cognoscitur sinceritas eorum, qui candido incedunt animo, illorúmque simulatio, qui ambulant fide non bonâ, sed fictâ: & hæc gratia est illis necessaria, ne decipiantur fraudibus hæreticorum & hypocritarum.

Donum linguarum.

Aliis communicatur donum linguarum, quod est facilitas

quædam, quâ quis faciat se intelligi à proximo, loquendo ipsi vel idiomate, vel ratione tali, quæ accommodata sit ipsius dispositioni, ut comprehendat facile, in quo alius vult ipsum instituere. Hæc gratia tam absolutè est necessaria omni cooperari volenti proximorum saluti, ut absque illa impossibile sit aliquem facere profectum: quâ enim ratione quis doceat vel convincat aliquem, à quo non intelligatur?

Gratia interpretandi benè Scripturas.

Aliis denique donatur gratia interpretationis Scripturarum; siquidem non sufficeret dono sapientiæ perfectè penetrare profundissimas, quæ in sacris Scripturis inveniuntur, difficultates, nisi quis etiam possideat donum, quo concedatur facultas, illas clarè interpretandi aliis.

1. Cor. 14. v. 27.

Tempore sancti Apostoli Pauli omnes hæ gratiæ videbantur manifestè distribui inter fideles, pro utilitate nascentis Ecclesiæ, ità ut alii haberent has, alii alias. Videre erat ex illis quosdam, qui prophetabant, id est, qui prædicabant & asserebant de Deo res valdè sublimes, sed in idiomate à nemine nisi à se intellecto; & hi non habebant donum ità sensa sua communicandi aliis, ut intelligerentur ab iis. Et Apostolus dicit illis, alium, qui habet donum interpretationis, declaraturum omnibus ea, quæ ille dicere volebat; vel si interpretem non habiturus sit, taceat, contentus loqui Deo, vel sibi soli in occulto: quid enim hoc prodesset pro salute proximi?

Omnes gratiæ gratis datæ sunt unitæ in JEsu Christo.

Sunt igitur divisiones gratiarum gratis datarum, juxtà Theologiam magni Apostoli Pauli: hæ diversimodè distributæ sunt diversis subjectis ac personis, juxtà quod placuerit Deo dissimili ratione occupare illas in aucupanda salute proximorum, ipsum hac, illum alia ratione. Verùm harum omnium gratiarum perfecta datur collectio in supremo totius Ecclesiæ Capite in JEsu Christo. Siquidem cùm ipsæ non dentur, nisi ut impendantur saluti proximorum; an ille, qui est Salvator universalis omnium peccatorum; ille, qui non vixit in terris, nisi ut totum integrum se devoveret magno operi Redemptionis humanæ; ille, qui nunquam aliquid fecit pro seipso, sed omnia pro aliis; ille denique, qui non factus est Homo, nisi ut unicè invigilaret saluti hominum; an inquam ille non habeat omnes gratias gratis datas ad magnum hoc Mysterium destinatas?

Quando ex suppositione non habuisset gratias sanctificantes, quæ ipsi absolutè non fuerant necessariæ, cùm absque illis semper

per

per fuisset infinitâ ratione Sanctus sanctitate personali; certum est, quòd omnes gratiæ gratuitæ ipsi absolutè fuerint necessariæ, ad operandum congruè salutem mundi. Imò possedit ipsas cum quatuor prærogativis ipsi omninò particularibus, quæque summè & incomparabiliter extollant ipsum. Prima est, quòd illas omnes congregaverit in Persona sua, quin vel unica ipsi desit. Secunda est, quòd possideat illas in maxima perfectione. Tertia est, quòd ipsæ sint habitus animæ ipsius inhærentes, ut nunquam separentur ab ea. Et quarta est, quòd existant in potestate ipsius, ut ipsis uti valeat, quando voluerit, & quomodò voluerit.

Quatuor prærogativæ gratiarum gratuitarum JEsu Christi.

Ex adverso omnes alii, qui venerunt aliquâ ratione in partem gratiarum gratuitarum, cùm non sint, sicut ipse, Salvatores universales omnium hominum, illas nunquam omnes collectas habuerunt in Persona sua, sed quilibet portionem suam, juxtà quod illis fuerat opus ad exequendum sui partes muneris: omnes alii non acceperunt illas in tota perfectione sua, sed in certo quodam gradu magis vel minùs perfecto, juxta capacitatem suam, vel juxta consilium Dei; omnes alii non possederunt illas velut habitus inseparabiliter semper inhærentes animabus suis, sed velut actus transitorios, ut uterentur illis pro nata occasione, juxta quod necessarium erat pro gloria Dei & salute proximi; undè & nascebatur, quòd non uterentur illis, quando volebant, sed quando placuit Deo, qui modò transitorias has gratias illis largiebatur, modò illas subtrahebat.

Quatuor defectus gratiarum gratuitarum in hominibus.

Qui videre voluerit, quâ ratione JEsus Christus continuò usus fuerit omnibus gratiis gratuitis, quando voluit & quomodò voluit, nonnisi indiget sancti lectione Evangelii. Quàm admiranda sapientia, & quàm sublimis intelligentia profundissimorum Mysteriorum, quæ exposuit hominibus facilitate & familiaritate tam inusitatâ, ut sanctus Lucas asserat, stupuisse omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis ejus? nonnè excellentissimus Propheta aut Prædicator sit magnus ille totius generis humani Doctor, quem jam ante tot sæcula promiserat nobis Deus: *Filii Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis Doctorem justitiæ.* Quis enarrare poterit redditas sanitates, quibus indies tantos relevavit ægrotos? quis enumerare, quæ patravit, miracula, ad confirmandam, quam mundo prædicabat, doctrinam? quoties conspectus est revelare arcana

Felicitas animæ cognoscentis & possidentis Jesum Christum.

Luc. 2.

Joël. 2.

cordium, & produxisse in lucem occultissimas hominum cogitationes? unico verbo, nec est unica gratia gratuita, quâ non fuerit usus, quando voluit & quomodò voluit. Oportebat ipsum omnes habuisse in manu sua, ut statuto temporis momento & pro arbitrio suo uteretur illis, in magno hoc, quod moliebatur, opere Redemptionis humanæ.

Hìc Theonas, qui nostram inceperat Consultationem, illi quóque imposuit finem millenas reddendo grates Deo ex toto corde suo, pro eo, quòd immensas sibi divitias, inexhaustos sibi ostendere voluerit thesauros gratiarum Redemptoris sui. O JEsu! Tu ergò ingens ille thesaurus es, in quo possidemus omnia. In te collecta intueor omnia, naturam, gratiam, gloriam, Divinitatem: in te reposuit Deus Pater omnem infinitum divinarum gratiarum thesaurum; in te adunata videtur tota Sanctorum in cœlis regnantium gloria; in te conclusas videre est omnes sanctæ Ecclesiæ gratias; in te denique solo consistit tota felicitas naturæ: sic dum te solum possidemus, possidemus omnia.

Eheu! undè est, quòd tam parùm cognoscaris, tam parùm æstimeris, tam parùm adameris ab hominibus? O! si cognoscerent te, amabilissime JEsu; si exploratum haberent thesaurum immensarum divitiarum, quas habent in te, quando te possident; impossibile foret, quin desererent omnia, ut adhærerent tibi: Immò procul dubio, hoc foret impossibile; conspiciendi forent tanto tui succendi desiderio, ut reliqua omnia magno prosequerentur despicatu. O JEsu! agnoscam te, ut unicè adhæream tibi; hoc mihi sufficit.

Verùm quid igitur dices, interpellat ipsum Ecclesiasticus, si ostendam tibi, quantâ liberalitate divinas suas ex sua abundantia effundat in nos divitias. Veni, & exponam tibi illas in proxima sequenti Consultatione.

CON-

CONSULTATIO XIX.

JESUS CHRISTUS sanctificans animas abundantiâ Gratiarum suarum, suam glorificat Divinitatem.

INcipiebamus haud levi affici tædio, & fermè jam expediti ad discedendum, quando advenit Theonas, qui mox plures afferebat excusationes, amoliri à se volens culpam, quòd duas vel tres horas ultrà, quàm debuerat, nobis injecerat moram. Ut quid cunctabaris ità? erat mihi quidquam haud modicum urgens peragendum in horto meo, tempus præ foribus jam est, idque videbatur mihi valdè commodum. Quamvis magnâ vos prosequar reverentiâ & ardenti teneat desiderio aliquid addiscendi à vobis, non poteram tamen imperare mihi, ut desererem tam citò, quod inceperam; nôstis quam vim habeat in illos, qui amant ipsam, parva hæc recreatio.

An igitur magna tibi est hujus artis peritia, inquit ipsi quamprimùm Ecclesiasticus, cùm videam tanto te ferri in illam affectu. Sed metuo, ne propensio naturalis, quæ te huic exercitio, quæ ex seipso nil habet noxæ, affixum teneat, tuam quóque teneat & inclinet animam paulisper versùs terram: oportet assuefieri Christianum, ut operam navet labori modo Christiano, id est, ut semper supernaturales foveat affectus, formet intentiones in actionibus maximè naturalibus. Sanctus Paulus hanc ipsam instructionem primis dabat fidelibus; & ut exemplum tibi suppeditem desumptum ex horto tuo. Rom. 11.

An nôsti insitionis arcanum & artem, eo modo, quo suos docet & instruit Romanos? Tu oleaster eras, sylvester ac sterilis, insertus es in bonam olivam, ut bonum & abundantem afferres fructum. An hujus expertus es arcani? an ità rem instituis, dum bonos desideras afferre fructus? an malum surculum inseris bono caudici, an malo caudici bonum inseris surculum? Deus ex oppositio hominum more, inserit malum surculum bono caudici.

Fateor, inquit, adversari bonæ rationi, à malo surculo exspectare bonum fructum, quamvis caudici insertus sit bono: siquidem surculus est, qui bonum confert saporem fructibus, & non caudex; fructus semper sunt ejusdem cum surculo naturæ.

Deus est hortulanus vel agricola inserens surculos.

Et nihilominùs sic est, reponit Ecclesiasticus, ità nobiscum procedere Deum, ut germinare nos faciat jucundos vitæ æternæ fructus. Sanctum Evangelium nobis dicit, Deum Patrem esse agricolam aut hortulanum; totus hic mundus hortus est & ager, cujus colonum agere is sibi complacet; sed præcipuam providentiam providentiæ suæ curam impendit arboribus, id est, hominibus. Sed magis stupendum horti sui prodigium, magisque exquisitum manuum suarum est opus, quòd inseruerit surculum sylvestrem ac sterilem fœcundo & peramœno caudici, ut è malo surculo & bono caudice, nonnisi unam efficeret arborem: & hæc arbor fructus affert in tanta abundantia, ut illa sola sufficiat ad implendum divitiis & deliciis cœlum & terram.

JEsus Christus est arbor vitæ insitus à divino Patre suo.

Benè capis, prodigiosam hanc arborem, de qua loquor, esse JEsum Christum; malum surculum esse humanam nostram naturam, & bonum caudicem, qui sustineat ipsam, ac illi suam conferat fœcunditatem, esse Suppositum Divinum, Personam Verbi æterni. Quantum prodigium, quod admirationem parit Angelis, & omnem felicitatem affert hominibus! videre naturam divinam & naturam humanam, unitas in sola Persona Verbi adorandi, velut duos surculos eidem insitos caudici, ad constituendam ex illis nonnisi solam & unicam arborem, quia non est nisi unus & solus JEsus Christus.

Verum est, non omnia in ipso ejusdem esse naturæ; nihilominùs omnia sunt ejusmodi saporis, ejusdem bonitatis, ejusdem valoris. Quamvis enim hæc tam arcta & intima unio duarum naturarum illas non confundat, nec inter se commisceat; quamvis ipsæ non mutentur, nec divina in humanam, nec humana in divinam, cùm ambæ non sint, nisi una eadémque Persona: nihilominùs habent tantum inter se communicationis, ut omnia ipsarum bona fiant ipsis communia; quod spectat ad unam, spectat etiam ad alteram.

Communicatio idiomatum fundata suprà unitatem Personæ.

Excellentiæ naturæ divinæ attrahuntur à natura humana, hæcque adornat se illis, illarúmque glorioſa circumfert elogia, splendidos titulos. Benè enim dicitur: Homo est Deus, homo est omnipotens, homo est æternus, homo est Creator mundi, homo est Salvator mundi, homo conficit

ficit divina infinitæ molis opera. Et similiter infirmitates naturæ nostræ humanæ irrepunt, seque insinuant in ipsam usque naturam divinam, quasi in triumpho portatæ supra illam; ità ut cum veritate dici possit: Deus est homo, Deus est infirmus, Deus subditur superiori, Deus patitur, Deus tolerat famem, Deus moritur: sic de reliquis nostris infirmitatibus humanis; ô Deus! quantum prodigium, videre vel Deum ità depressum, vel hominem ità sublimatum! utrumque mihi videtur incomprehensibile.

Actiones naturæ humanæ sunt imbutæ Divinitate JEsu Christi.

Verùm plus adhuc est, quòd debilis hæc natura humana, sterilis hic & insipidus surculus propriæ Personæ Dei insitus, habeat & possideat jus trahendi exinde vigorem, vitam, robur, fœcunditatem, saporem & dignitatem; quódque ipsa communicet hanc fructibus ipsius, quos exinde reperire est totos imbutos, & si ità loqui licet, totos conditos Divinitate. Et quod summam nostram constituit felicitatem in terris, arbor hæc divina, nec unicum fructuum suorum producit pro seipsa, omnes spectant ad nos, offert hos nobis, donat hos nobis, urget nos ad carpendum ipsos, in tanta abundantia producit ipsos, ut quantò plures carpimus, tantò plures remaneant carpendi; munificus hic cœlestium bonorum fons exhauriri non potest.

Venite, omnes mortales, venite omnes filii Adæ, haurite omnes, quantum volueritis, ex hoc fonte, & quantum poteritis, vos locupletate. Venite, creaturæ possibiles, mundi innumerabiles, qui dormitis adhuc tumulati in sinu nihili, prodite in lucem, si vocabit vos Deus, & haustum venite, quantum volueritis ex magno hoc thesauro, nunquam exhaurietis illum.

Compara Omnipotentiam Creatoris cum bonitate Redemptoris. Non spectat nisi ad supremum Creatorem entium, educere illa ex nihilo, & fabricari ex illis mundum naturalem, compositum è maximo creaturarum numero, quarum nec unica vel minimum entitatis suæ atomum recepit ab alio, quàm ab illo. Omnia hæc, quæ produxit è nihilo, producunt in lucem & divulgant ipsius potentiam; sed hoc, quod exin producere potest, nullis concluſum limitibus, manifestiùs adhuc ipsius extollit Omnipotentiam.

Thesaurus divitiarum Redemptoris est inexhaustus.

Non spectat etiam nisi ad supremum Redemptorem extrahere animas è miserabili nihilo peccati, per benignam & misericordem gratiarum suarum effusionem, & componere alium mundum supernaturalem, nobilitate longè superiorem hoc

mundo

mundo visibili, mundum compositum è maximo numero Sanctorum & Beatorum, quorum nec unus est, qui receperit vel minimam sanctificantis gratiæ portionem ab alio, quàm à JEsu Christo. Id, quod per suas jam sanctificavit gratias, luculenter manifestat divitias bonitatis ipsius; sed magis adhuc illud, quod ex eodem thesauro suo locupletare potest, citrà id, quòd unquam exhauriatur, mundos nempè possibiles sinè fine, id mirum in modum ipsius glorificat Divinitatem. Siquidem si oportet Deum esse, ut ex nihilo creet & producat mundum in ordine naturæ; quis diffitebitur, quin Deum esse oporteat, ut adhuc quid amplius conficiat, quod est è nihilo peccati extrahere alium adhuc mundum supernaturalem, totum è Sanctis compositum animabus, quarum minima majoris est pretii, quàm tota simul natura corporalis.

Non spectat nisi ad JEsum Christum solum facere Sanctos.

Nihil propemodùm evidentiùs declarat Divinitatem JEsu Christi, quàm videre ipsum solum esse, qui efficiat omnes Sanctos. Quando enim ex suppositione hujus, quod negatur à Theologis, inveniretur alia potentia, quàm divina, quæ posset producere è nihilo aliquas creaturas in ordine rerum naturalium; certissimum foret, id non spectare nisi ad Sanctum Sanctorum, & nonnisi infinitam sanctitatem Dei esse, quæ extrahere possit animas è profunda abysso peccati (ubi deteriores sunt ipso nihilo) ad elevandum ipsas ad statum tam excellentem, qui totam superet & transcendat naturam. Et quia concedendum est, magnum hoc opus esse opus JEsu Christi, manifestum omninò est, ipsum esse Deum. Inexhaustus igitur gratiarum & bonitatum thesaurus est, qui ipsius glorificat Divinitatem.

Vide Consultationem vigesimam de Excellentiis Dei, quæ est de Dei misericordia.

Sed sigillatim expone nobis, replicat Theonas, quænam sint pretiosæ divitiæ, quas exinde haurimus. Ecce tibi illas, non expositas ad longum, sic enim tantæ forent amplitudinis, ut nullam earum inveniremus metam; sed è paucis, quæ tibi dicam, conjicere poteris reliqua, quæ dictu mihi sunt impossibilia.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Quod JEsus Christus sit magnus gratiarum Oceanus, ex quo omnes haurire possint homines, nemine excepto, eòquòd mortuus sit pro omnibus.

Articulus I.

Thesaurus gratiarum, quem JEsus Christus nobis offert, est infinitus.

NOn minoris foret impietatis statuere velle limites infinitæ bonitati DEI, quàm statuere illas velle ipsius vel omnipotentiæ vel excellentiæ. Cur enim diceretur, thesaurum gratiarum, quem apertum tenet omnibus peccatoribus, non esse infinitum, id est, inexhaustum & absque limitibus, & abs eo, quod ullum excludat, quin abundanter participet ex eo, ut evadat sanctus? Vel est ex hoc, quod non potuerit; vel est ex hoc, quod non voluerit ipsum efficere infinitum: impossibile est quidquam aliud allegare. Si non potuit, ubi est ergò ipsius omnipotentia! quis est, qui limitavit ipsam ad certum terminum, cui nil amplius possit adjicere? Qui limitare potest omnipotentiam DEI, potest ipsi omnipotentiam suam eripere, & qui eripere ipsi potest suam omnipotentiam, potest ipsi eripere suam divinitatem. An tantæ impietatis sit animus, qui cogitet hoc esse potuisse? Non, dicit Theonus, dubitare nemo potest de omnipotentia DEI: Constat optimè, ipsum præparare nobis potuisse infinitum gratiarum thesaurum; sed fortasis idipsum noluit.

Si noluit, ubi est ergò infinita ipsius bonitas? an minor sit ipsius misericordia, quàm ipsius potentia? an ita collocas inæqualitatem inter perfectionis DEI, ut facias nobis Deum imperfectum, & consequenter Deum, qui non sit Deus? Si per impossibile aliqua inveniretur inæqualitas inter perfectiones DEI, ipsius misericordia, ipsiusque bonitas principatum obtineret super omnes alias; sicut scriptura sancta expressis nobis verbis id enuntiat: *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Psal. 144. Eheu! qua ratione imaginari sibi quis possit, quod amor infinitus, quem JEsus Christus cunctis exhibuit peccatoribus, aliquos statuere voluerit limites thesauro gratiarum, quas dare illis voluit, ut dicere posset: Non continet is, nisi certam earum mensuram, & ideò facilè exhaurire illum poteris; Nam omne, quod infinitum non est, exhauriri potest. Non igitur est, nisi certus hominum numerus,

rus, quibus obtinget fors participandi ex illo; cæteri omnes manebunt ab eo excluſi. Siquidem unde deſumerem tantum bonitatis, tantum miſericordiæ, tantumque gratiarum, ad elargiendam exinde partem univerſo mundo?

JEſus Chriſtus clarè oſtendit quod dare nobis velit infinitum theſaurum gratiarum.

Eſt ne ergò, quod ipſius bonitas exhauriri potius valeat, quàm ipſius omnipotentia? Eſtne, quod ſatis non fecerit, ut oſtenderet nobis, noluiſſe ſe ponere limites miſericordiis & gratiis, quas effuſurus erat in omnes peccatores? An nimis ſit parum, quod infinita hæc Majeſtas annihilaverit ſemetipſum in perſona usque ad profundiſſimam miſeriarum humanarum abyſſum? Eſtne, ut diceret nobis, quod major quædam futura ſit profunditas, quò ſuas portaturus non eſſet miſericordias? Eſtne id parum nimis, quod totum ſuum corpus humanum ita voluerit operiri plagis, ut nec unicum illius fuerit membrum quod ſui caruerit vulneribus, ſuis fuerit expers doloris in paſſione ſuâ? Eſtne, ut affirmaret nobis, non voluiſſe ſe, ut omnes partes corporis ſui myſtici, quod componitur ex omnibus filiis Adæ, participarent è fructibus mortis ſuæ?

Eſtne id parum nimis, quod omnem ſuum effuderit ſanguinem, quod propriam ſuam dederit vitam ad ſalvandum peccatores? Hoccine inſinuat, quod non amaverit ipſos, niſi mediocriter, quodque ſervare voluerit aliquam menſuram in faciendo illis benè, cum ſervaverit nullam in ſacrificio, quòd obtulit ex toto ſemetipſo pro ipſorum ſalute? Si deſumenda eſt menſura donorum, miſericordiarum & gratiarum ipſius ex amore ſuo, quis diffitebitur ipſas infinitas eſſe, ipſas multis conſtringi limitibus, cum limites omni eo, quod fecit, ſtatuerit nullos? O JEſu! quid amplius facere potuiſſes?

Quodnam motivum habere poſſint ii, qui dicunt JEſum Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus peccatoribus.

Haud parum igitur admiror interpellat hìc Theonas, tot repertos eſſe homines: qui perſuadere conati ſint mundo, JEſum Chriſtum mortuum non eſſe pro cunctis peccatoribus, ipſum non velle omnibus exhibere miſericordiam, ipſum non omnibus ſuas concedere gratias, ipſum denique non velle ſalvare omnes. Quodnam efficax hoc dicendi habent motivum? Quid in hoc inveniebant commodi, vel ad extollendum gloriam DEI, vel ad promovendum ſalutem peccatorum, ſi firmiter impreſſiſſent hanc perſuaſionem mentibus.

Ne mireris, reſpondit pius noſter Eccleſiaſticus: Eſt unum è fortiſſimis, quibus infernus unquam

quam est usus machinamentis, ut impediret, ne homines æstimarent tanti bonitatem JEsu Christi & ardens, quod habuit desiderium, exhibendi suam illis omnibus misericordiam. Siquidem si omnes hanc magni ponderis veritatem crederent firmiter, si illam penitius considerarent, si corde & animo attentè revolverent: quâ ratione non urgerentur omnes & quodammodò non cogerentur ad amandum ipsum ex totâ animâ suâ? Verùm si duntaxat aliquod injici & moveri posset dubium an forsan aliquam ipsorum excluserit partem, quos non amet, quos salvare non velit, quamvis non foret, nisi eorum pars minima (non constat autem, quænam sit) hoc totum frigore constringit mundum. Non enim est, qui non dicat: Nescio, an mortuus sit pro me; & dum totus hoc dubio involvitur mundus, quis non videt, neminem futurum, cujus cor fortiter urgeatur ad amandum JEsum Christum? Ecce tibi, quid per hoc intendat & prætendat infernus.

Calviniſtæ semper solicitè docuerunt, quod JEsus Christus non sit mortuus pro omnibus.

Et hoc tam verum est, ut observatum fuerit, quod hæresis Calvini, qui ipsius in mundo agebat procuratorem, postquam evomuit ipsum in terram, tam sibi habuerit cordi, ut stabiliret & extenderet, quantum posset, abominandam & damnandam hanc persuasionem, ut quasi nullus elapsus fuerit annus, quo novum non evomuerit librum ad confirmandum illam. Et est, quod melius excogitari non potuerit medium ad abstrahendum animas à servitio JEsu Christi, quàm suspectum reddere illis amorem ipsius: non poterant efficacius absterreri ab exercitiis virtutum, quàm injiciendò illis dubium, an JEsus Christus ipsorum velit salutem? non poterat denique fortius ipsis proponi argumentum, quo agerentur omnes vel in desperationem, vel saltem in morum dissolutionem, quàm docendò execrandam & damnandam hanc Theologiam: *JEsus Christus non est mortuus nisi pro parvâ parte hominum (nescitur quinam sint illi) nonnisi pro illis mortuus est, qui accipiunt efficaces has gratias, quæ operantur salutem: Sed recipient illas vel citò, vel tardò: Et victoriosæ hæ gratiæ omni suâ resistentiâ evincent necessariò consensum voluntatis ipsorum, & salvabuntur. Omnes alii, pro quibus non est mortuus, qui erunt maxima pars hominum, poterunt quidem habere aliquas gratias transitorias: sed non habebunt has gratias efficaces, quæ necessariæ sunt ad salutem. Sic oportet illos necessariò damnari.*

Crudelis & damnanda doctrina Calvini, & sequacium ejus.

An sit aliquid, quod magis inducat in desperationem? Siquidem hi dicent: Si sum ex

Dicere, quod JEsus Christus non sit mortuus pro omnibus, induxit magnam mortum dissolutionem.

numero eorum, pro quibus JEsus Christus est mortuus, ipse mihi præparat gratias tam efficaces, ut necessariò reportaturæ sint victoriam de corde meo; & ipsas habebo tandem, ut faciam id omne, quod faciendum est pro salute mea; mihi aliud agendum non restat, nisi ut firmiter confidam in illis. Si non sum ex numero eorum, pro quibus est mortuus, in vanum me affligerem; siquidem non habebo unquam efficaces has gratias, quæ meam operantur salutem. Ut quid ergò mihi vim inferam, vel quidquam laboris impendam, cùm nulla mihi futura sit salus? Quò tendit speciosus hic discursus, nisi ut omnes omni ex parte præcipites agat in effrœnatam quidvis agendi libidinem.

Agit animas in desperationem.

Alii dicent: Qualis Deus est hic, qui servitium exigit ab universo mundo, cum tamen operari non voluerit salutem, nisi minimæ partis mundi? Quanti stetisset pluris ipsi mori pro toto mundo, quàm mori solùm pro parvâ mundi parte? Modicam, imò nullam arguit in ipso bonitatem, dum ita sua restringit dona, quæ tam facili negotio ad cunctos extendere potuisset homines. Si nihil habet bonitatis, non est amabilis; si amabilis non est; nolo talem habere DEum. Et hoc est, quod trahit in contemptum, & exin in desertionem Christianismi, sicut plurimis jam accidit Calvini asseclis.

Paulus de Vindeck, libro de efficacia mortis Christi, pag. 269.

Celebre exemplum est famosi illius Ministri in Teutonia, cui nomen Adam Nuzerus, qui cum firmissimè persuasum haberet, JEsum Christum mortuum non esse pro omnibus peccatoribus, nec animum ipsi fuisse salvandi omnes, hanc secum ipse instituit considerationem: Sed quid scio, an mortuus sit pro me, & velit salutem meam? (dicitur enim, paucos esse electos) fortassis, postquam omnem in custodienda ipsius lege navavero operam, me damnabit in æternum; nolo tali famulari Domino. Exin abiit, reliquit gregem suum Heidelbergæ, ivit prædicatum ex desperatione Constantinopoli Mahometismum. Ex fructibus cognoscitur arbor, & ex malis effectibus cognoscitur virus abominandæ hujus doctrinæ, quæ docet, JEsum Christum non esse mortuum pro omnibus.

Sanctus Paulus Prædicavit, JEsum Christum mortuum esse pro omnibus, ut omnes excitaret ad amandum JEsum Christum.

O quàm longè aliter sanctus Apostolus Paulus prædicavit fidelibus, quantoque ardore, hoc Spiritûs Sancti instrumentum, hic gentium Apostolus, qui incredibili conflagrabat zelo procurandi salutem animarum, ad amandum ardenter JEsum Christum!

stum! Et ideò urget illos argumento, quod unquam proponi possit, efficacissimo & luculentissimo, ad flectendum & commovendum quodvis cor. Dicebat illis: *Fratres mei, charitas JEsu Christi urget nos potenter*, ut amemus ipsum; si consideremus, mortuos nos fuisse peccato, id est, omnes condemnatos ad mortem æternam, in pœnam peccati nostri; sed quod JEsus Christus nos amaverit tantùm, ut mortuus sit pro omnibus, quatenus omnes haberent vitam per mortem ipsius, & ii, qui hanc vitam receperunt, non impenderent illam pro seipsis, sed pro illô, qui hanc ipsis acquisivit propriâ morte suâ.

2. Cor. 5.

Quis est, qui huic non cedat rationi? An sit vel unicus Adæ filius, qui sibi ipsi applicare illam non debeat in particulari? Mortuus eram, reus enim eram culpæ, quæ totam infecit naturam humanam, diffiteri id nequeo; condemnatus ergò fueram ad tolerandum mortem æternam; & JEsus Christus dilexit eòusque me, ut liberare me voluerit à terribili hâc morte, ipsemet moriens pro me & loco mei, ut daret mihi vitam æternam & beatam, quam comparavit mihi morte suâ. Quis est, qui credens hanc veritatem fateri non cogatur: Vita igitur mea non est mea, sed illius, qui comparavit mihi eam, dando suam pro me? Sed quis est, qui videre se possit tam incomprehensibili prærentum amore, quin sentiat commotum cor suum, stimulatum & quasi coactum, ad amandum ex debitâ gratitudine tam incomparabilem amorem?

Efficax consideratio, quæ impellit ad amorem JEsu Christi.

Jam sanctus Paulus, qui desiderat nec unicum esse hominem, qui non ardenter amet JEsum Christum, quique se unicè ipsius non devoveat servitio, vult quoque nec unicum esse, qui animo suo non habeat firmissimè persuasum, quod mortuus fuerit per peccatum Adæ (nullus enim ab eo exceptus est nisi Beatissima Virgo) quodque liberatus fuerit à morte hâc per gratiam JEsu Christi, qui pro se mortuus est; siquidem nemo ab hoc exclusus est beneficio, eòquòd mortuus sit pro omnibus: *Et pro omnibus mortuus est Christus.* Et hoc est, in quo consistit robur & efficacia discursus magni hujus Apostoli, qui æqualiter per ipsum urget homines, quin ullus excusare se possit.

2. Cor. 5.

Siquidem si dixisset: Fratres mei, vos omnes eratis mortui per peccatum Adæ; sed JEsus Christus mortuus est pro paucis ex vobis, quos exploratos non habeo, ad liberandum ipsos ab hâc morte: Et ideò amate illum ex toto corde vestro: quem animi motum conciliâsset

Sanctus Paulus nemmem fuisset lucratus, nisi dixisset, JEsum Christum mortuum esse pro omnibus.

in ipsis? Quid ejusmodi discursu fuisset lucratus? Nec unicus ex ipsis quidquam sensisset commotionis, nec illi quidem, pro quibus dixisset ipsum dedisse vitam suam, cum nullus de hoc ullam habuisset certitudinem. Et quando Apostolus nonnisi unicum ex totâ hâc multitudine excluisset, non cognoscendo illum in particulari, enervâsset per hoc omnem argumenti sui vim ac valorem: quivis enim, qui timere potuisset, ne ipse solus foret ille infelix, potuisset etiam formare dubium, an JEsus Christus ita se amaverit, ut mortuus sit pro se; & hoc dubium, quod nasci potuisset in omnibus animabus, illas omnes reddidisset frigidas, & nec unica fuisset ipsarum, quæ magnis impulsa fuisset stimulis, agitata desideriis amandi JEsum Christum.

Invincibile robur argumenti S. Pauli.

Sed quando omnes homines, omnes, nullo prorsus excepto, ita certi sunt, quod mortuus sit pro se, ut sit articulus fidei, & quivis ipsorum considerat, non magis verum esse, quod mortuus sit in monte Calvariæ, quàm verum sit, quod mortuus sit pro me, imò, pro me in particulari; verum ergò hoc est, ut de eo dubitare non possim. Mortuus est pro meipso in particulari, imò pro me misero & indigno, qui talem me agnosco, & eousque me amavit: An cor sit in mundo ita durum, ita ingratum, ita insensibile & omnis expers humanitatis, ut non moveatur, urgeatur, stimuletur, accendatur, & ratione quâdam necessitetur ad amandum tam incomprehensibilem bonitatem? O Deus! si magna hæc veritas profundè insculperetur mentibus? O Deus! si crederemus reipsâ, quod credimus nonnisi apparenter? O si comprehenderemus sicut oportet, quòd hoc sibi velit: JEsus Christus, Deus omnipotens, Deus, quem adoro, est mortuus pro me misero terræ pulvisculo! Ita, mortuus est pro me, & loco mei & amore mei in ligno crucis. Qui benè hoc caperet; ah! quâ ratione cohibere se posset? Omnes homines nonne prorsus conflagrarent amore erga JEsum Christum? O JEsu, quantùm amareris! Ita, procul dubio, ô amabilissime JEsu, omnium post te & ad te raperes corda, mentes ac animos.

Qui dicunt JEsum Christum non esse mortuum pro omnibus, sunt deceptores.

Consideratio, quam desuper formavit Theonas, videbatur nobis magno pollere judicio. Dixit enim voce admodum elatâ, habitu vultûs, qui videbatur quâdam accensus indignatione: Jam video optimè, quod sæpius mihi dictum fuerat; nonnisi deceptores esse, falsos Christianos, occultos inimicos JEsu Christi, qui procul ab eo, ut habeant

beant ipsius spiritum, ut potius infecti sint hæresi & spiritu inferni, non quærentes nisi perdere animas & avertere omnes à vero pietatis sensu. Et quinam illi, interrogat Ecclesiasticus?

Impediunt, ne JEsus Christus ametur.

Illi nempe, qui persuadere conantur mundo, quod JEsus Christus non mortuus sit pro omnibus, sed non parvo duntaxat numero hominum, qui discerni non possint ab aliis, ut, cum nemo sit certus, quod JEsus se amaverit ita, ut moreretur pro se, nemo quoque sit, qui urgeretur, qui stimuletur ad ipsius amorem.

Imputant Deo culpam peccatorum suorum.

Illi, qui dicunt, ipsum ita avarum esse cum donis suis, ut gratia destituat plurimos, sine quâ nec servare valeant mandata DEI, nec custodire se à lapsu in peccata plurima; quique docent eos loqui, non amplius idioma verorum Christianorum accusantium se, dum confitentur, se reos esse culpæ, & peccâsse vecorditer non correspondendo & cooperando gratiæ DEI; sed qui instituunt eos, ut dicant, quod defecerit sibi gratia; quod est dicere, sibi imputandam non esse culpam, dum, peccaverunt, eòquòd aliter facere non potuerint, utpote necessariâ destituti gratia: omnis culpa ipsorum judicio oritur à Deo, ut qui permiserit suam tibi deesse gratiam.

Illi, qui claudunt januam regni cœlorum hominibus, uti exprobrabat JEsus Christus Scribis & Pharisæis Hypocritis, non volentibus intrare nec permittentibus, ut intrarent alii: Ne accedatis tam confidenter ad sacram communionem, honoretis potius *in communicabilitatem DEI* (ô magnum verbum, quo insignis edocetur devotio!) considerate, ipsum dignius commorari in seipso, quam commoretur in vobis: Ne putetis honorare vos infinitam hanc Majestatem, invitando ipsam, ut utatur ceu diversorio, exili vestro tugurio. Non, abstinete vos à communione, & aspicite Deum velut inaccessibilem, & incommunicabilem, & infinitâ ratione homines tranicendentem.

Retrahunt animas à communione sub specioso prætextu. Matth. 25.

Illi, qui imponere vellent cunctis aliis asperrimas, quas exercuerunt antiqui Patres in deserto, pœnitentias, quarum dum proponunt exemplum suadent & ipsum exercitium (cum conditione tamen hâc, ne ipsi tangant eas vel extremo digiti sui) qui requirunt â peccatoribus contritionem tam perfectam, dum frequentant sacramentum pœnitentiæ, ut certi sint, ipsos obtinuisse peccatorum suorum veniam, per doloris sui vehementiam, & lachrymarum suarum abundantiam, antequam præbeant illis absolutionem;

Fallax apparentia & species pœnitentiæ.

tionem; quique post hæc omnia dicunt hominibus, maximam pœnitentiam, quam agere possint ad reparandum factas Deo injurias, maximéque suis salutarem animabus esse, privare semetipsos sacrâ communione (audite rationem invincibilem) eòquòd hæc privatio Dei, quam imponunt sibi ipsis, imago & species sit pœnæ damni, quam justitia DEI infligit damnatis. Cum ergò pœna damni, quæ trahit post se privationem DEI, maxima sit inferorum pœna; retrahere se à communione, quod similiter privationem Dei post se trahit, maxima erit, quæ in terris agi possit, pœnitentia. Splendida & subtilis certè ratio ad offundendum animos simplicium: quasi non constaret, privationem DEI non constituere maximùm tormentum animarum in terris, sicut constituit illud in inferis.

Dum Theonas nobis hæc dicebat, totus accensus zelo suo, & dispositus, uti videbatur, ad prosequendum ulterius discursum suum, interrogabam submissâ prorsus voce nostrum Ecclesiasticum: An loqui vult de Calvinistis, vel Jansenistis? Ad minimum illi, qui ex iis magis sunt suspecti, ipsimet dicunt, tales amplius non esse; nescio an in hoc non similes sint iis, qui se abscondunt & suis includunt domibus, & postea volentibus tibi loqui dicunt: Nemo est domi, recedite, non ego sum hic. Quidquid de hoc sit, si Jansenistas invenire est in mundo, deberent hi esse Eminentissimi in perfectione; siquidem videri volunt toti mundo mortui, quamvis nunquam cessent seipsos manifestare certâ quâdam arrogantiâ & inusitatâ animi vanitate, quæ communis est omnibus hæreticis, sicut jam dudum observavit Tertullianus; sed quæ videatur specialis character esse ipsorum sectæ. Tertull.

Hac super re discursum abrupit adventus juvenis cujusdam Doctoris, qui valde suspectus erat de sectâ ipsorum; cujus præsentia occasionem nobis præbuit eorum, quæ percipies.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Quòd JEsus Christus non solùm præparaverit thesaurum inexhaustum gratiarum pro omnibus hominibus, sed etiam velit, ut omnes ex eo proficiant, eòquòd veram habeat voluntatem, ut omnes salvi fiant.

Articulus II.

NOn venio, Domini mei, inquit nobis mox primâ fronte, vestrum intercepturus sermonem, sed ejusdem potius accepturus partem, si res sit, cujus me non lateat notitia. Theonas, cujus animo nondum satisfactum fuerat circa id, quod dicere nobis cæperat, suum ingeminari sentiebat zelum in præsentia hujus hominis, quem melius noverat nobis, inceptum ad nos prosequens sermonem, dissimulatâ quasi accensâ cupiditate suâ, inquit:

Quod magis mihi videtur offensivum, est, quod ejusmodi homines videantur eripere nobis velle Salvatorem mundi, quando contendunt persuadere nobis, ipsum salvare non voluisse totum mundum. Quid scio igitur, an habeam Salvatorem? Et quis scire potest, an Salvatorem habeat? Qui sunt beati, quos vult salvare? Et qui sunt miseri, quos salvare non vult? certè, si aliqui forent, quos salvare non vellet, quod cogitare non possem, illos hos esse crederem, qui sibi tam indignas de infinitâ ipsius bonitate fabricantur & effingunt cogitationes, ut credant plures esse, quos velit excludere à magno, quod operaturus venerat in mundum, salutis beneficio. Nunquam non nuncupari audivi ipsum Salvatorem mundi absque ullâ limitatione; sine intermissione annuntiantur nobis consolatoria hæc verba, quæ sunt sancti Petri: *DEus non vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti;* 2. Petr. 3. v. 9. Et alia sancti Pauli: JEsus Christus pro omnibus est mortuus. Nescio, quâ ratione reperire sit homines in mundo, qui mendacii arguere velint sanctum Paulum.

De quibus haberi possit suspicio, quod non habeant partem ex Passione Domini.

Doctor, qui tam acriter se tangi mox senserat ab homine illiterato, quemque credebat consultò insultare sibi velle, eòquòd tam accurate tetigerit plagam, quâ dolebat, effervescere irâ & prodere parabat ultionem: nihilominus se continuit, contemptim solummodò ipsi dicere contentus: Excuso ignoran-

Arrogantia doctoris hæretici.

tiam tuam, cum tui non sit instituti profunda hæc penetrare dogmata, quibus acerrima quæque ingenia hodiedum insudant; sed loquendum tibi non erat de eo, quod ignoras: si haberes vel levem notitiam sanctorum Patrum, si evolvisses vel obiter Enchiridion sancti Augustini, mox tuam immutares sententiam: videres enim ipsum intelligere verba sancti Pauli de genere singulorum & non de singulis generis, quodque &c.

S. August. in Enchirid.

Theonas, qui gnarus non erat hujus idiomatis, interpellat ipsum subasperè, aitque ipsi: Nulla me decorant Doctoratus, sicut te, insignia; nescio, quid sit tuum Enchiridium; haud novi nec tua genera, nec tua singula; non mihi multum est commercii cum Philosophis; sed Christianus sum, sanæ haud expers mentis; calleo præcepta DEI, memoriâ teneo meum *Credo* ac meum *Pater noster*. Ecce hoc abundè mihi satis est, quo convincar tam validè, Deum velle salvare omnes, ut de hoc dubitare non possim. Sed absque eo, quòd aliis utar scientiis, vel alias afferam rationes, quam hasce quatuor, quas Deus mihi suppeditavit; naturam humanam, quam habeo ex nativitate meâ; legem, quam vult me servare; symbolum fidei, quod vult me credere; & orationem, quam edocuit me ipse; confido, me id demonstraturum tibi tam solidè, ut certissimus sim, te nihil habiturum, quod meis opponas rationibus, quamvis non levi excultus sis doctrinâ.

Quatuor efficaces rationes, quæ probant, DEum salvare velle omnes homines.

Siquidem imprimis interrogo te, Domine: Quare creavit Deus animam rationalem? Nonne ipsa est substantia spiritualis, intellectiva, æterna? Nonne ipsa habet capacitatem tam vastam, tamque amplam in intellectu suo, in voluntate suâ, in desideriis suis, ut nulla omninò re, nisi DEO solo repleri possit? Quare formavit Deus speciosam hanc creaturam adeò elevatam supra omnes alias creaturas inferiores magnum hoc universum componentes? Quare concessit illi dotes tam nobiles, potentias tam excellentes, quas cæteris non contulit creaturis? Nonne manifestum omninò est, hoc esse, ut ipsum perpetuò possideret? Nonne jam immensus animarum rationalium est numerus, quæ reipsâ & actualiter possident ipsum, quæque ipsum possidebunt in æternum? Nemo est, qui diffiteri hoc possit.

DEus creavit homines, ut salvi fierent omnes

Jam si Deus unam tantum animam rationalem creavit in hunc finem, certum est, quod cæteras omnes eundem in finem creaverit; siquidem omnes ejusdem sunt naturæ, omnes in eandem

dem sunt fusæ formam, omnes eandem habent capacitatem naturalem. Sicut omnes oculi facti sunt ad videndum colores & lucem, & ex hoc, quod omnes hanc habeant capacitatem, benè concludimus illos omnes factos esse in eundem finem: ita cum omnes animæ rationales æquali ratione sint substantiæ spirituales, intellectivæ & capaces possidere Deum, concludimus optimè in eundem finem creâsse Deum ipsas: Et ingens foret blasphemia, dicere, quod Deus unicam tantum animam extraxerit è nihilo, illamque ad suam formaverit imaginem, eo consilio, ut ex eâ non faceret aliud, quàm victimam justitiæ suæ in inferno. Audivi, nonnisi Calvinum esse, qui hanc ausus sit proferre blasphemiam, quod Deus eo nomine aliquas creaverit animas, ut consultò damnaret illas. Non, nunquam creavit Deus vel unicam rationalem animam, nisi cum voluntate, ut salvaret illam, ipsamque faceret beatam. Ecce jam igitur vocem naturæ loquentem, mihique clarissimè afferentem, quod Deus salvare velit omnes homines, nemine prorsus à salute consequendâ excluso.

Nemo salvatur solis viribus naturalibus.

Non dico, quod vel unicus salvari possit solis viribus naturæ: Sed dico, nullum omninò esse, qui non acceperit à Deo suo capacitatem naturalem, ut salvus fieri possit cum gratiarum suarum auxiliis, sine quibus inutilis foret hæc capacitas. Et sicut nulla alia est creatura hujus mundi visibilis, quæ capax sit magnæ hujus felicitatis, ita nec unicus in tota specie est homo, qui non habeat hanc capacitatem. Verum igitur est, nec unicum esse, quem Deus non in hunc creaverit finem. Manifestè ergò ex ipsis naturæ principiis ostenditur, Deum omnes velle salvare homines, abs eo, quod vel unicum excludat à salute. Hoc jam aliquid tibi innuit, sed ecce quid amplius.

Interrogo secundò te, mi Domine: Quare dedit Deus legem hominibus, & legem divinam ac supernaturalem? Nonne ideò, ut dirigeret illos per viam cœli, & deduceret tandem ad æternam salutem? Nôsti enim hâc de re ita locutum esse JEsum Christum: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et nonne verum est, ipsum velle ut omnes homines, omnes dico, quin dispenset cum ullo, suam observent legem? Necessariò concedendum hoc est: vult ergò, ut omnes ambulent per viam cœli. Sed quare absolutè & absque exceptione vult omnes per viam cœli ambulare, nisi quia vult, ut omnes illuc pertingant? Vult igitur, ut omnes salvi fiant.

Matth. 19.

Deus vult, ut omnes homines custodiant legem suam, & consequenter salvi fiant.

Hoc concludit tam evidenter, ut non liceat de eo dubitare.

Si unicus homo reperiri mihi possit inter filios Adæ, de quo verum sit dicere: Deus non vult hunc hominem custodire legem suam; mox concedam, Deum non velle, ut per viam cœli ambulet, & consequenter nec velle, ut salvus fiat. Sed ubi inveniatur hic homo, qui exemptus sit à lege omnipotentis hujus in toto mundo Monarchæ, à quo omnes creaturæ tam essentialem dependentiam habent & subjectionem, ut Deo ipsi potestas desit ab hâc ipsos eximendi? Et deinde, quando per impossibile inveniſſes hominem, cum quo Deus dispensâsset, vel cui prohibuisset, ne servaret legem suam: in quem contradictionum labyrinthum conjiceres te ipsum? Siquidem hic homo faceret optimè non custodiendo legem DEI, quia perficeret DEI voluntatem in hoc, qui non vult, ut illam observet: si exequitur voluntatem Dei, dignus est mercede & proemio, & assequetur salutem suam non observando legem, sicut alii eandem observando, eòquòd ambo æqualiter obtemperaverint DEO.

Si Deus prohibuisset homini custodire legem suam, quid accideret?

Sed hæc suppositio est rei impossibilis. Veritas est, Deum absolutâ voluntate velle, ut omnes homines custodiant legem suam: si namque id non faciant mulctat & punit illos severissimè, quandoquidem vult, ut omnes suam custodiant legem; vult igitur, ut omnes ambulent per viam cœli; vult igitur, ut omnes illuc perveniant; vult igitur, ut omnes salvi fiant. Quid opponi possit argumento tam claro, tamque luculento? Et nihilominus ecce tibi aliud, quod non minoris mihi videtur efficaciæ.

Interrogo tertiò te, mi Domine: Articuli nostræ fidei, quos complectitur Symbolum, nonne semper veri sunt? Equocunque pronuntientur ore, quocunque tempore & quocunque proferantur mundi loco, nonne semper consonant veritati? Siquidem propositiones sunt, quæ æternæ nuncupantur veritatis, quibus falsum subesse nunquam potest: hoc concedere te mihi oportet. Jam expressa hæc verba nostro continentur symbolo: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis* (loquitur de JEsu Christo) *& Incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine;* passus & reliqua.

Symbolum fidei ostendit evidenter, quod Deus salvare velit omnes.

Infero hæc verba ori omnium filiorum Adæ, quin ullum excipiam, & in omnium ore erunt vera. Quilibet eorum potest dicere: Tam certus sum JEsum Christum meam velle salutem, ut firmiter credam, & etiam ad

creden-

credendum me obstringam velut meæ articulum fidei, quod descenderit de cœlis, quod incarnatus sit, quod passus sit, quod eo nomine sit mortuus, ut meam operaretur salutem. An quidquam vehementius desiderari posset, quàm quando non parcitur nec laboribus suis, nec personæ suæ, nec bonis suis, nec propriæ vitæ suæ? Jam idem fidei symbolum, quod me obligat, ut credam esse Deum omnipotentem Creatorem cœli & terræ, rerum omnium visibilium & invisibilium, obligat me quoque, ut credam ipsum esse incarnatum, esse mortuum pro salute mea. Ecce quàm ardenti voluntate velit salutem meam; Ecce certitudinem, quàm de hoc habeo, cum non magis certus sim, esse Deum, quàm certus sum, ipsum me salvare velle. Meum *Credo* docet me utrumque; & quia nec est unicus homo ab Adamo usque ad novissimum, qui nascetur usque in finem sæculorum, qui dicere hoc non possit tantâ cum veritate, quâ ego; clarè video, verum esse, quod Deus salvare velit omnes homines; & nescio, an majorem de hoc certitudinem mihi dare posset Deus, quàm si id articulis meæ fidei annumeraret.

Verùm si hæc omnia sufficerent, nonne sat foret unicum meum *Pater noster* ad confirmandam hanc mihi veritatem? Itane? ipsemet JEsus Christus doceat omnes homines appellare Deum Patrem suum & exposcere ab ipso regnum suum; & dubitare quis posset, quin omnes velut suos respiciat filios, iisque omnibus suam dare velit hæreditatem? Profectò si quisquam alius hanc invenisset orationem, dubitari poterat de ejusdem veritate & timeri, ne temeritatem redoleat, ita homines loqui ad Deum. Si quis fuisset ausus appellare Deum Patrem suum & ab ipso suum postulare regnum, affirmari potuisset: Hoc temerariæ votum est fiduciæ. Sed Deus ipsemet ita nos loqui edocuit, volens nec unicum esse hominem, qui ipsum non Patrem agnoscat & appellet suum, suumque ab ipso efflagitet regnum æternum: An dubitari possit, quin voluntatem habeat conferendi id omnibus, & quòd ipsi sit animus exspoliandi illo vel unicum ex parte suâ?

Pater noster clarè probat, Deum velle omnes facere salvos.

Si bonus quispiam Pater plures habeat filios, sitque facultas ipsi omnes reddendi beatos: An eliget ex ipsis aliquos, ut constituat ipsos Principes & attollat ad solia; & alios, ut faciat ex ipsis mancipia & deprimat in ergastula, reddatque ipsos miserabiles? Quid veri cor Patris re-

Bonus Pater nullum excludit filium ab hæreditate suâ.

spondet ad hoc? Adstipulatur huic tenerrimus vere matris affectus: Non est vel unica, quæ non dicat, quod illa in Evangelio: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam & unus ad sinistram in regno tuo*; adeoque præter hanc nec unica est, nec sola, quæ filiis suis non exoptet sceptra & solia, & voveat unicè ipsos omnes esse beatos. Et hinc est, quod JEsus Christus tam luculenter argumentetur in Evangelio, ut obstinatissimum quemque cogat fateri, verum esse, quod salvare velit Deus omnes homines. Siquidem dicit ipsis: Si vos Patres terrestres tantæ in filios vestros estis bonitatis, ut nec unicum velitis vestris excludi beneficiis; quid existimandum est de infinitâ Patris vestri cœlestis bonitate, respectu cujus omnis vestra bonitas, quantumvis maxima, nonnisi malitiæ insigniri meretur nomine: *Si ergò vos, cum sitiis mali, nôstis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se.*

Matth. 20.

Luc. 11.

Præceptum amandi proximum probat, Deum salvare velle omnes homines.

Omnes homines nonne sunt Filii Patris cœlestis? Nonne creavit illos omnes ad suam imaginem? Nonne ab illis omnibus vult nuncupari pater, & exquiri regnum suum? Sed quare tam disertè præcipit nobis, ut diligamus eos sicut nosipsos? Quia omnes sunt fratres nostri. Et eoúsque magnum hoc fraternæ charitatis præceptum extendit, ut omnes indiscriminatim includat homines, infideles & barbaros, & etiam ipsos, qui nos oderunt, quin permissum sit nobis vel unicum excludere hominem ab amplexu charitatis nostræ: siquidem obligamur amare illos omnes, id est, velle & desiderare omnibus beneficia à Deo, & vitam æternam. Talis est voluntas Dei, & hoc est præceptum indispensabile, quod proposuit nobis in lege suâ. Et ex hoc mihi quoque argumentari & efficaciter probare licet, quod Deus omnes salvare velit homines.

Siquidem si præcipit nobis, ut erga ipsos geramus amorem tam amplum, tamque universalem, ut desideremus illis omnibus vitam æternam; an dubitare possumus, quin amor ipsius incomparabiliter sit major nostro? si prohibet nobis vel unicum excludere hominem ab amplexu charitatis nostræ, an cogitare audeamus, quod aliquem excludere velit à suæ amplexu dilectionis? An vellet nobis plus bonitatis esse, quàm sibi? Si omnes homines sunt fratres nostri, nonne quoque sunt ipsius filii? Opus nobis fuerat lege, quæ obstringeret nos ad amandum omnes fratres nostros; sed nunquam expressa lex posita est patribus,

tribus, suos amandi filios, cum tali opus non fuerit. Natura efficiendo ex ipsis patres, evelleret illis è corde erga suos amorem filios cujusdam specie necessitatis, nisi promptæ voluntatis hunc darent affectum. Sufficit ergò videre me, quod Deus induat affectum patris erga homines, ut inde deducam ipsum omnibus dare velle vitam æternam.

Fundamenta solida ad credendum, Deum velle salvare omnes homines.

Quid inquis ad hæc, Domine Doctor, replicat Theonas? Tota mea scientia non consistit nisi in quatuor verbis, naturâ, lege, fide, oratione; sed his tam firmiter, tamqne indubitanter inhæreo ut neque, tu neq; ullus quisquam in mundo convellere poteritis firmam, quam teneo, fidem, quâ credo, Deum omnes salvare velle homines: nec quidquam me movent omnes tuæ argutiæ, sed nec ipsas timeo: Mihi abunde satis est, nôsse mandata DEI, quæ securè deducent me in cœlos, si observem & custodiam ipsa; meumque *Credo*, quod me certificat, JEsum Christum esse mortuum pro salute mea; certus ergò sum, quod velit illam; meumque Pater noster, ubi appello Deum Patrem meum & efflagito ab ipso regnum suum: Vivo firmissimâ plenus fiduciâ, quod Pater tam bonus, qui me velut suum respicit filium, ardeat desiderio mihi conferendi id ipsum. Et hoc, quod verum est pro me, verum quoque est pro cunctis hominibus. Certum est igitur, Deum velle salutem omnium: Credo id firmiter, & fidei meæ fundamenta teneo convelli non posse.

Doctor, qui videbat, habere se nihil, quod reponat argumentis quidem simplicibus, sed solidissimis Theonæ, voluit ab his ipsum abstrahere, & incipere sermonem de decretis æternis DEI, & voluntate ipsius absolutâ & conditionatâ. Sed quia materia hæc transcendebat ipsius captum, bonus noster Ecclesiasticus, verba assumit ad respondendum Doctori. Et ecce tibi, quid invicem habuerint colloquii.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Ardens zelus, quem JEsus Christus ostendit erga salutem nostram, demonstrat evidenter, salvare ipsum velle omnes homines.

Articulus. III.

DOctor noster mentis suæ armamentarium instruxerat plurimis textibus selectis ex sancto Augustino, sancto Prospero, & aliis, circa quos suos formaverat locos communes in omnem eventum expeditos, speciosissimis conceptos verbis, certis interstinctos argutiis, lenocinantibus curiositati, locupletatos etiam nonnullis antiquarum Ecclesiasticarum consuetudinum notis, quæ haud parum ostendebant eruditionis, verùm interruptos singultibus & suspiriis, velut in Musica, inter quos sublatis in cœlum oculis oportebat pronuntiare per intervalla, magnâ quâdam cum suavitate: *O Altitudo! & insinuare ab initio, quod pauci intelligant mysteria gratiæ, quod declarari non possit imperium illius in animas, quando hæ factæ sunt mancipia peccati, quodque status naturæ corruptæ:* & plura ejusmodi.

Disputandum non est de rebus, quæ decisæ sunt per fidem.

Disponebat iste ad proferendum mira, sed pius noster & doctus Ecclesiasticus è vestigio ipsum coercuit, ipsique dixit: Domine, non est tempus disceptandi, ubi pronuntiata est sententia in supremo, unde appellare non licet, judicio. Omnes nostræ controversiæ diremptæ sunt per oracula Ecclesiæ: Non est amplius vel quæstio, vel opinio, sed est articulus fidei, quod JEsus Christus sit mortuus pro omnibus; est articulus fidei, quod velit salvare omnes; quod nulli desit gratia ad custodiendum mandata divina: Non admitte gratiam sufficientem, si velis, modò concedas mihi id, quod est certissimum, omnes habere gratiam plusquàm sufficientem: Siquidem misericordiæ DEI majores sunt, & JEsus Christus liberalior est in suis elargiendis gratiis, ad salvandum animas pauperum peccatorum, quàm tibi imaginari possis.

Est articulus fidei, quod Deus neminem velit damnare, quodque omnes ii, qui pereunt, ipsimet sint causa damnationis suæ, eòquòd resistant gratiæ, quæ nostram solicitat, sed non necessitat libertatem. Vide, circa quod disputandum non sit, cum non sit apex doctrinæ, de quâ disceptare liceat, sed apex fidei,

quæ

quæ non requirit nisi submissionem & captivationem intellectûs ad recipiendum illam. Nonnisi hæretici sunt; qui audeant illam oppugnare, eòquòd declarati sint inimici veritatis Catholicæ. Oportet captivare, mi Domine, oportet captivare intellectum in obsequium fidei.

Quàm facile sit creditu, JEsum Christum esse mortuum pro omnibus.

Sed immeritò tibi dixi, quòd oporteat captivare intellectum suum ad credendum firmiter, quòd copiosa sit Redemptio Salvatoris, quòd misericordiam exhibere velit omnibus peccatoribus, & salvare illos omnes, quódque hoc maximum ipsius sit desiderium. Non putem opus esse captivatione intellectûs, ut credam hoc; sed invenio potius opus esse illâ, ut credam oppositum; & si quis urgere me vellet ad amplectendam fidem, quæ mihi videtur tam crudelis, tam sæva in omnes, tamque injuriosa infinitæ bonitati DEI, nescio, quâ ratione submittere me possem.

Ex oppositio nil video, quòd requirat, ut me captivem, vel minimam mihi vim inferam, vel urgeam intellectum meum ad credendum, quòd JEsus Christus summæ sit bonitatis ad exhibendum misericordiam cunctis miseris, & desiderandum verâ voluntate, ut nec unicus sit peccatorum, qui excluſus maneat à magno Redemptionis humanæ beneficio. Hæc fides, quæ consolatur, quæque exstimulat omnes ad amandum JEsum Christum tam est conformis infinitæ bonitati amabilissimi nostri Redemptoris, & ardentissimo zelo, quo conflagare ostendit cor suum erga salutem nostram, ut omninò manifesta sit mihi & evidens: Intueor illam, judicio meo, clarè, de illâ dubitare non possum, fata subire paratus pro hâc veritate.

Siquidem ô Deus! quando intelligo, quâ ratione loquatur nobis de passione suâ: *Baptismo*, dicit, *habeo baptizari, & quomodò coarctor, donec perficiatur?* Certum est secundùm omnes patres, ipsum non loqui de Baptismo aquæ, quem receperat in Jordane, hic enim jam erat adimpletus; sed loquebatur de Baptismo proprii sui sanguinis, quo tingendus erat in Golgothæo vertice, ubi sacratissimum suum corpus non tantùm aspergi, sed sanguine suo quasi summergi debebat: Et vehemens desiderium, quo ardere se ostendit recipiendi illum, est ratione quâdam majus, magisque affligit ipsum, ipsâ passione, quam suæ toleravit tempore mortis conqueritur de cruciatu, quo torquetur cor suum: singulis enim videtur mori vitæ suæ momentis, eòquòd reipsâ non moriatur pro salute nostrâ; anxiè anhelat

Luc. 12. v. 50.

Ardens desiderium, quod JEsus Christus habebat moriendi, ostendit ipsum mortuum esse pro omnibus.

helat diem & mortis suæ horam, quam velut pœnarum suarum aspiciebat refrigerium : *Quomodò coarctor, donec perficiatur?* Hic loquendi modus benè demonstrat, ipsius angustias nullo potuisse sermone explicari.

Albertus Magnus.

Hinc est, quod sanctus Albertus Magnus ex aspectu tanti ipsius amoris totus attonitus exclamet : *Viden animi cruciatum ipsius, qui redundat in ipsum ex charitate suâ ; & hæc desideriorum ipsius vehementia tam ingens ostendit nostra desiderium salutis, ut suam cum gaudio ipsum faciat aspicere crucem. velut momentum benè auspicatum, quo parere debeat salutem hominum.* Nonne dicendum sit, charitatem hanc esse, quæ nullis arctetur limitibus? Sed nonne digna est illo, qui ipsam in suo gestavit corde?

Quæro jam, an cogitari possit, quòd, cum tanta fuierit in corde ipsius charitas, tantóque accensa affectu, illam tam parvam reddere voluerit in suo effectu, ut limitaverit ipsam ad parvum duntaxat Electorum cœtum, qui nonnisi pugillus est mundi respectu cæterorum. Tam ingens amor an amaverit nonnisi illos, & erga reliquos induruerit, sævitiemque induerit homines? Tam ampla charitas, quæ se arctatam, compressam, & quasi nimiùm angusto exceptam conquerebatur cordis sui diversorio, quoad obtentâ libertate erumpens latissimè se diffunderet super omnes hominum miserias, constrinxerit & arctaverit semetipsam ad exiguum & parvum valde animarum numerum, cæteris omnibus suum denegando auxilium? *Quomodò coarctor?* ut quid tantâ adhuc me vi arctatum tenetis? ut quid tam angusto me constringitis ergustulo? Ut quid amorem meum tam parvo concluditis limite, vos qui dicitis, me mortuum non esse pro omnibus, nec omnes me velle salvare homines.

Hoc erat constringere Doctorem, qui contrariæ erat opinionis: hinc cohibere se non potuit, quin uno vel altero interpellaret verbo: Verùm si Deus omnes salvare voluit homines, ut quid ergò non omnes reipsâ salvi fiunt? Quis enim resistere ipsius potest voluntati? Nonne scriptum est: *Omnia quæcunque voluit, fecit?* Sed responsio Ecclesiastici æquè brevis, sed fortior erat objectione. Verum est, inquit ipsi, quod voluntas DEI sit omnipotens, quódque omnia, quæ velit, faciat, quando res non dependet, nisi à solâ ipsius voluntate; sed quando requiritur concursus alterius voluntatis, cui reliquit libertatem sibi resistendi, non semper facit omnia, quæ vult, eòquòd hæc alterius voluntas non semper con-

Psal. 113.

Quare, cum Deus velit omnes salvari, non omnes salvantur.

cor-

cordet cum suâ. Vult omnes homines salvos esse, & tamen omnes salvi non fiunt, quia plurimi eorum esse nolunt. Exin declarare perrexit admirabilem zelum quem JEsus Christus ostendit erga salutem nostram, qui evidenter demonstratur, quod mortuus fuerit pro omnibus peccatoribus, velitque salvari omnes.

Leontius Episcopus Cypri.

Sanctus Joannes Eleemosynarius convertit certum quendam Petrum Nummularium, sicut scribit Leontius, Episcopus Cypri in vitâ ipsius: sed conversio hæc fuit, quæ commutavit ipsum totum in charitatem erga pauperes: induit is ipsum eodem suo spiritu, ipsique tantam inspirat æstimationem faciendæ eleemosynæ, ut, postquam omnes suas facultates distribuit pauperibus, nec minimâ quidem sibi parte relictâ, experitur auxisse se suæ thesaurum charitatis: hæc urgebat ipsum, ut ipsum se daret & donaret pauperibus: patiebatur tantùm, dum pati videbat miseros, quòd non posset consolari eos, ut ad liberandum se ipsum ab hâc pœnâ, quam amplius non poterat sufferre, dixerit servorum suorum uni: Eamus in Jerusalem, & cum ibi fuerimus, volo, ut primo me Christiano, qui emere me volet, vendas, & pretium, quod recipies, distribuas pauperibus.

Exemplum admirandum charitatis erga pauperes.

Servus inusitato & nunquam audito ejusmodi mandato, ex ore Domini profecto, & bono famulo haudquaquam observando exterritus, excusat se, morémque gerere se posse negat. Sed Petrus serias ipsi intentat minas: Ni vendere me volueris Christiano méque dono dare pauperibus, sicut tibi præcipio, ego vendam te barbaris, idque certo certius faciam, nisi obtemperaveris mihi: famulus tum tremens, tum gemens obtemperat, triginta ipsum vendit aureis, illósque dispertitur pauperibus. Hoc dicitur exploratum habere Evangelium, & accensum esse vero spiritu charitatis Christianæ. Relinquo tibi expendendum, an, si hic vir immensas habuisset divitias & thesaurum inexhaustum, dimittere voluisset vel unicum pauperem in hoc mundo, cui suum impendere auxilium noluisset?

Quantum charitas JEsu Christi superet illam omnium hominum.

Hoc super facto ita discurro respectu Christi JEsu: Certum est, charitatem hujus hominis, quæ stupenda nobis videtur, non fuisse nisi glaciem & duritiem, in comparatione cum illâ, quæ ardebat in corde benignissimi Salvatoris hominum: certum est etiam, quòd, cum miseriæ, quibus premebantur pauperes, comparari non possint cum miseriis infinitis omnium peccatorum, compassio, quâ tangeba-

tur charitativus hic vir, procul abfuerit â compaſſione infinitâ, quæ emolliebat, quæ movebat, quæ urgebat, quæ transfigebat, quæ torquebat cor JEſu Chriſti, ut ſuis relevaret gratiis ſummas ac horrendas omnium peccatorum miſerias. Verùm hic homo non habebat theſaurum infinitum, unde & quamprimùm exhauſtus erat, ísque coactus, ut ſuæ ſatisfaceret impulſui, ac ſtimulo charitatis, ad vendendum ſemetipſum & tribuendum ſe pauperibus. JEſus Chriſtus autem infinitum habet gratiarum theſaurum, qui exhauriri non poteſt.

Quare JEſus Chriſtus vendi voluerit.

Et nihilominus, ut oſtenderet, quod deſiderium, quo tenebatur relevandi omnes miſerias peccatorum, & ipſos ſalvandi omnes, in infinitum, ſi ita dici poteſt, ulterius progrediatur: cum infinito ſuo theſauro adhuc acquieſcit & conſentit, ut vendatur, & velut eleemoſyna egenis, donetur peccatoribus. O charitas immenſa! O bonitas plusquàm infinita! quàm infelix eſt, qui ſolùm cogitare audet, te ad omnes non extendit peccatores, te paſſam non eſſe pro omnibus, te voluntatem non habere ſalvandi omnes. Audi, quid pudorem incutere debeat omni, qui formare vel minimam auſus fuerit cogitationem, quod JEſus Chriſtus vel unicum peccatorem excludere voluerit à beneficio mortis ſuæ.

Non latebat ipſum execrandum conſilium, quod proditor Judas formaverat in corde ſuo, quódque obluctantibus fruſtra copioſis jam in ipſum effuſis gratiis, & ut ſe converteret, adhuc effundendis, in obſtinata ſe vendendi perſtiturus eſſet voluntate. Et quia infinitæ bonitatis DEI triumphus eſt, magna bona extrahere poſſe è maximis hominum malis (quando permittere ipſorum commiſſionem debet, ne illorum cogatur vel lædatur libertas) utitur maledictâ hâc Judæ voluntate ad oſtendendum nobis ardentiſſimum, quo flagrabat deſiderium, moriendi pro nobis, noſtramque operandi ſalutem.

urget Judam, ut ſe vendat.

Ad veſperam cœnæ luculentiſſima amoris ſui præbens argumenta, dum corpus ſuum, & ſanguinem ſuum ſuis dabat Apoſtolis, & in ipſis toti ſuæ Eccleſiæ, illud negare non voluit ipſi etiam Judæ, propriâ ſuâ manu omnem infinitum gratiarum ſuarum theſaurum inferens usque in ipſa cordis ſui penetralia. Sed videns his omnibus magis adhuc ipſius obdurari cor, dicit ipſi: *Quod facis, fac citius.* Quandoquidem me vendere tibi eſt animus, quantocyùs me vendere para & accelera.

Joan. 13.

Sanctus Bernardus conſide-

rans

Sanctus Bernardus de Cœnâ Domini. Serm. 3.

rans hæc verba totus solvitur in dulcorem, totúmque colliquescit cor ipsius amoris sui teneritudine; dum inquit: *O amor interminabilis, ô charitas inæstimabilis, ô dilectio inscrutabilis! Quòd facis, fac citius: illud cupio, illud desidero, illud quæro, ad hoc veni in hunc mundum. Quod facis, fac citius. Vis me vendere Judæis? volo vendi: Vis tradere? volo tradi: Vis, ut crucifigar? Volo crucifigi: Ut occidar? Volo occidi; hoc amo, hoc affecto. Quod facis, fac citius. Sed JEsu vita mea, totum desiderium meum, dulcedo non fallax dulcedo felix, dulcedo delectabilis, dulcedo glorioſa, decus Angelorum, splendor & gloria Sanctorum, quantùm eos diligebas, pro quibus mori cupiebas? Nobis vitam, tibi mortem affectabas. O miserum me, quem hactenus tam nequiter offendi. O dilectissimi fratres, animadvertite, sedulâ cogitatione pensate, quantùm est amandus, quantùm diligendus, qui pro nobis est talia & tanta opprobria passus, qui se tradentem ad mortem sic hortabatur, dicens: Quod facis, fac citius.*

Affectus S. Bernardi circa id, quod JEsus Christus urserit Judam ad vendendum se pro nostro commodo.

Judam, vendat.

Sed ô amantissime Deus! an statuamus nos limites tantæ, támque ingenti charitati, animo persuasi, non voluisse ipsam facere benè nisi exiguo hominum numero? An eòusque non amet hos ipsa, ut voluntatem habeat illos omnes salvandi. Quando audio magnum Apostolum dicentem mihi: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est;* ubi S. Thomas dicit, in nullo nisi in JEsu Christo visum esse, quod unquam aliquis sit mortuus pro impiis inimicis suis. Sed ego ita argumentor.

13.

Rom. 5. v. 8.

Certum est, quòd si non mortuus esset, nisi pro uno solo, maxima semper charitas fuisset; sed si suos hic habuisset limites, ille qui mortuus esset pro duobus, habuisset charitatem sesqui alteram, & dimidiâ parte majorem; & qui mortuus esset pro centenis, habuisset illam majorem centies; Et quò major eorum fuisset numerus, pro quibus esset mortuus; tantò major etiam ipsius fuisset charitas. Ah sciam! ô mi JEsu, quanta sit charitas tua ex eorum, pro quibus mortuus es, quósque salvare desideras, numero: Ipsa infinita est, diceret mihi, nullis clauditur limitibus; non solùm sese extendit ad omnes, quos orbis numerat, peccatores, sed transgreditur illos; Non tantummodò mortuus sum pro omnibus; sed si innumerabilis fuisset aliorum peccatorum numerus, mortuus fuissem pro eis, & salvare voluissem illos omnes. Et hinc S. Paulus nuncupat ipsam nimiam; *Propter nimiam charitatem vere nimiam*, inquit S. Bernardus, *quia & mensura excedit, modum superat, planè supereminens universis.* Verum est, ipsam nimiam non esse pro

Gradatio, quâ ostenditur, JEsum Christum mortuum esse pro omnibus peccatoribus.

Deo, cum nonnisi conformis sit ipsius magnitudini; sed nimia est pro nobis, cum infinitâ ratione transcendat apud nos, & numerum peccantium & magnitudinem ac enormitatem criminum, & modis omnibus. Ubi est ergò cogitationum nostrarum fatuitas si credamus, ipsam nonniti se extendere ad parvum & tenuem peccatorum numerum.

ARGUMENTUM.

Continuatio præcedentis materiæ, in qua probatur, quod amor ardens JEsu Christi obstinatissimos quósque convincere debeat, ut agnoscant & fateantur ipsum salvare velle omnes, & mortuum esse pro omnibus.

Articulus IV.

Magna charitas JEsu Christi, dum moritur pro nobis.

SI Pater æternus petiisset à JEsu Christo: Fili mi, volo ut præbeas mihi notam, quàm poteris, manifestissimam infiniti tui erga me amoris; quid ulterius facere potuisset, quàm quod fecit pro nobis, saccificando se pro ipsius gloriâ, & subeundo mortem tum pœnosissimam, tum probrosissimam, quæ excogitari possit in mundo? Siquidem *majorem hâc dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Sed S. Bernardus debita ipsi dicit cum reverentia: *Tu majorem habuisti Domine, ponens eam etiam pro inimicis: tu pro impiis passus es, moriens propter delicta nostra, qui venisti justificare gratis peccatores, servos facere fratres, captivos cohæredes, exules reges.*

Joan. 15.

S. Bernardus Serm. 4. fer. 4. hebdom. sanctæ.

Si vitam tuam dedisses pro divino Patre tuo, dedisses illam pro amico tuo, & amico infinitâ ratione digno; sed dedisse illam pro nobis, qui eramus inimici tui & parvi abortus nihili: quis diffitebitur hoc longè admirabilius esse illo? Hoc namque erat, feciisse ipsum plus pro miseris nobis peccatoribus, quàm feciisset pro Deo Patre suo. Jam certum est, ipsum impensurum fuisse pro divino Patre suo omnem infinitam charitatis suæ amplitudinem. Et posthæc ponderemus, an credibile sit, ipsum hanc restringere voluisse respectu nostri, vel habuisse animum frustrandi eam maximam partem hominum.

Hìc Doctor, qui non movebatur vel minimùm, quia statuerat secum à conceptâ opinione non retrahere animum (uti in more est geniis obstinatis, qui pro eo, quod ponderent rationes sibi allatas, ne dignantur, qui-

quidem eas aspicere) nil cogitans, nisi quomodò arceret à se omnia, à quibus aliquantisper moveri poterat, & inveniret, quid rationibus tam æquis & solidis pii hujus Ecclesiastici reponeret, interpellat ipsum, ipsique dicit: Hem Domine mi, falleris, comparationes tuæ admitti non possunt, plus æquo enim aberrant, & nimio plus claudicant. Itáne? ut persuadeas nobis, JEsum Christum salvare velle omnes homines, & mortuum esse pro omnibus peccatoribus (etiam pro ipsis damnatis) dicas nobis, quod videatur plus feciſſe pro illis, quàm feciſſet pro Deo Patre suo. Quæ comparatio est hæc? An credas, te sic loquendo multum honoris præstare JEsu Christo? An excessu ejusmodi ipsum putes oblectari?

Nonnisi excessus observantur in JEsu Christo quando agitur de patiendo pro salute nostrâ.

Ita credo, respondet Ecclesiasticus, magno cum Spiritûs fervore: nihil enim video, nisi meros excessus in ipso, quando agitur de bonitate, quâ fertur in omnes peccatores; non video, nisi excessus, quando loquitur de ardenti desiderio, quo flagrat, patiendi pro illis. Nunquam splendidiori conspectus est in statu, quàm in Thaboræo vertice. Nôsti, quid asserat de hoc sacer codex Evangelii, quódque S. Petrus tunc ibi præsens, ita affusus & offusus sit magnis, quos intuebatur, splendidoribus, & ita dulcoribus, quos gustabat, inebriatus, ut crederet se esse in paradiso. Et sanè erat species quædam convivii & epuli cujusdam apopemptici extraordinarii, quod JEsus Christus instruxerat sibi ipsi. Sed quænam ipsius magis exquisita erant fercula? in quibus majores suas capiebat delicias? Nonne in his, quæ faciebat, verbis de pœnâ ac morte, quam subiturus erat in Jerusalem pro peccatoribus? Eo nomine vocavit & invitavit geminos suos amicos intimos Moysen & Eliam, ut de illâ colloqueretur cum eis, ipsósque in gaudii sui admitteret societatem; Et ibi loquebatur nihil nisi de excessu: *Et dicebant excessum ejus*: Luc. 9. Sed qualem excessum? Omnes Doctores consentiunt, non alium hunc excessum esse, nisi in quem abripiendus esset ab incomparabili suo amore, in magno Redemptionis humanæ opere, quod completurus erat in Jerusalem.

Excessus erat bonitatis profundens vitam Dei ad redimendum peccatores, qui considerati ut tales, minoris erant, quàm minimus terræ vermiculus. Excessus erat misericordiæ, quæ reperiens homines suis indignos gratiis, dignata est nec unicum quidem spoliare infinito sanguinis sui & meritorum suorum pretio. Excessus erat zeli pro salute illorum, qui cum satisfacere

posset

posset superabundanter actionum suarum minimâ, exantlare voluit tot bona, tolerare voluit tot mala, ut inexhausto redemptionis thesauro centies millenos mundorum milliones potuisset redimere. Tandem JEsus Christus, Moyses & Elias, lex, Prophetæ, Evangelium non loquuntur, nisi de excessu, in quem abreptus & Salvator pro Redemptione infelicium peccatorum; Et tu me arguis, quòd loquar de eo cum excessu nimio, & quæris, an credam me glorificare JEsum Christum; dum in hunc abripior excessum. Ita, Domine, non credo me unquam nimis exaltaturum vocem meam ad cantandum excessum misericordiarum divinarum; Ita credo, illas nullis constringi & arctari limitibus; útque credam, illum excludere voluisse vel unicum miserum peccatorem ab infinita charitatis suæ amplitutudine, impossibile est mihi: ipse miseretur omnium, ipse amat omnes, ipse moritur pro omnibus, ipse omnes vult salvare. Ecce tibi fidem meam.

An erant in mundo homines magis digni, qui privarentur fructibus passionis JEsu Christi, quàm qui maximè ipsius erant rei, satellites configentes ipsum cruci? Effusio ipsius sanguinis, quæ constituebat maximam cæterorum hominum felicitatem, erat ipsis nefandissimum; quod committere poterant, crimen. Nonne consentaneum erat æquitati, ut suam è crimine suo proprio non traherent salutem; ut non amarentur ab eo, quem usque ad necem lethali prosequebantur odio; útque sanguis unigeniti Filii DEI, quem effundebant impietatum omnium maximâ, clamaret adversum eos, & non pro illis? Quis diffitebitur, quod, si peccatorum nonnulli privandi forent fructu passionis Domini, hos esse oporteret, vel nullum omninò? Et nihilominus is mortuus est pro ipsis, admisit ipsos in partem gratiarum suarum, voluit & desideravit salutem illorum; & ut de hoc nullus ambigendi nobis relinqueretur locus, elatâ voce rogavit pro illis in cruce, & plures ipsorum commoti sunt atque conversi; *Et revertebantur tundentes pectora sua,* sacro id attestante Evangelio. Si illi excluſi non sunt ab universali beneficio Redemptionis humanæ; quinam sunt ergò, quos excludere ab eo JEsus Christus concluserat animo?

Quia JEsus Christus mortuus est pro suis crucifixoribus, mortuus est pro omnibus peccatoribus.

Luc. 22. v. 48.

Nihilominus, inquis, plures & plerique homines privantur illo & damnantur in æternum. Verum est, sed ne dicas JEsum Christum esse, qui privet ipsos: longè is abest ab eo, cum mortuus sit pro illis ac illorum velit salu-

salutem: dicas autem ipsósmet esse, qui voluntariè ex malitiâ suâ se privent illo, nunquam non protervè ipsius resistendo gratiæ. Siquidem an dubitare possumus, quòd, cum omnes animas hominum tam perfecto amet amore, ut mortuus sit pro illis, coram habens illas, & unamquámque aspiciens in particulari, tantâ contentione invigilans ipsi, quasi nonnisi sola ipsa esset in mundo? An inquam dubitare possumus, quin conferat illis omnibus gratias interiores, quibus præveniat & excitet illas, quamvis nihil earum nostrum subeat conspectum?

Quis novit, quid agatur in corde tuo, nisi tu ipse? & quis nôsse potest, quid agatur in corde alterius, nisi ille ipse? Et quis cognoscere potest arcana DEI, & stupenda providentæ ipsius circa directionem animarum consilia? Non judicandum est de his secundùm exteriora, cùm omnia agantur intus in animâ. Videmus quidem non omnes esse Christianos, non omnes recipere sacramenta, plures esse infideles, plures hæreticos, plures barbaros & homines sylvestros. Si judicemus secundùm exteriora, videtur mundus vix habere partem cum JEsu Christo, eòquòd plerique in illo non agnoscant ipsum; sed quid scimus, quid operetur clam in animabus illorum? Cùm certi simus, quòd omnes illas creaverit ad imaginem suam, quod omnes redemerit pretioso sanguine suo, quòd amet illas, quòd ipsarum velit salutem. Nonne æquiùs, & certiùs ex his veritatibus, quas fides docet, concludendum sit, quòd illis suas largiatur gratias, quamvis earum videamus nihil: quàm quòd judicemus, quòd illis largiatur nullas, cùm nihil earum videamus.

Deus largitur gratias interiores animabus omnium hominum.

Nonne novimus, quod JEsus Christus suos miserit Apostolos in omnem terram, illisque manifestum dederit mandatum prædicandi Evangelium omni creaturæ? Et ut illis modum & medium suggereret in opus deducendi magnum hoc mandatum, misit illis Spiritum Sanctum, qui illos animans divino suo igne, ut intrepidos redderet ipsos ac infatigabiles, largitus est quóque ipsis donum linguarum, ita ut facilè loqui possent omnium populorum totum terrarum orbem inhabitantium propriâ linguâ, nativo idiomate. Quid hoc sibi vult, nisi quòd voluerit, nec unicum duntaxat hominem esse in mundo, qui non illustretur suæ lumine cognitionis, qui particeps non fiat gratiarum Redemptoris.

Deus mittit Apostolos in omnem terram, ut lucretur animas peccatorum.

Nonne semper & cunctis temporibus perrexit novos ubivis

gentium mittere Apostolos & Missionarios magis barbaris, magis remotis, magis perditis ultra mare nationibus? Nonne hoc ostendit, quòd ubivis inquirat peccatores, ubicúnque & quicúnque sint? quòd mortuus sit pro omnibus, ipsorúmque desideret salutem. Ipsemet dicit, se esse lucem mundi, esse solem, qui ubique diffundat splendores suos, & neminem esse, qui abscondere se possit à calore suo. Et ecce tibi adimpletum vaticinium Isaiæ, loquentis de JEsu Christo: *Noli timere,* Isa. 43. v. 5. *quia ego tecum sum: Ab oriente adducam semen tuum, & ab occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da: & Austro, noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* Hæc veritas, quæ tam manifesta tamque evidens mihi est, ac plena meridies, palam evulgat, JEsum Christum universalem esse Salvatorem omnium peccatorum, ipsum mortuum esse pro omnibus, omnium velle salutem, & consequenter omnes obligari, ut ipsi se totos devoveant, ipsi serviant, ipsum ament ex totâ animâ suâ. Nonnisi infernus est, qui perdere contendit animas, quas salvare Redemptori est animus; ipse est, qui excitat hæreticos, qui oppositum persuadeant mundo.

Divine Paule, asserere, quid sentias; vel saltem permitte mihi tua, quæ scripsisti ad Ephesios, hìc annotare verba: Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini nostri JEsu Christi, ut det vobis virtutem per gratiam Spiritûs Sancti, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, *quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum.* Ephes. 3. Sanctus Paulus dictis his verbis hæret, nec absolvit suæ sensum periodi; sed quâ ratione inveniat verba ad absolvendum ipsum: aperit is nobis ingentes quatuor abyssus, quæ absorbeant omnem animum ipsas considerantem. Vult enim dicere: An videre poterit absque virtute divinâ & absque speciali Spiritûs Sancti gratiâ, quænam sit magnitudo misericordiarum JEsu Christi, & quantus gratiarum, quas cunctis offert peccatoribus, sit thesaurus? Aspice ipsius latitudinem, attende ipsius longitudinem, considera ipsius sublimitatem, pondera ipsius profunditatem.

Quatuor mensuræ absque mensurâ misericordiarum & gratiarum JEsu Christi.

Quænam ipsius est latitudo? Quis recensere possit, quoúsque extendant se divini hujus thesauri gratiæ? An solùm ad omnes homines, qui fuerunt in mundo, qui modò sunt, quique futuri erunt post nos per omnem sæculorum seriem? Nimis hoc parum est pro eo, ut ipsius exhauriantur divitiæ; longè Latitudo.

gè major ipsius est latitudo. Nam si DEus intenderet omnes omnipotentis brachii sui vires, ad educendum è nihilo decies centena millia aliorum mundorum, immò totidem millones, & tantos, quantos voluerit, hicque omnes maximis scaterent peccatoribus: ipse tamen plures possideret gratias, quàm opus esset sanctificandis illis omnibus, & thesaurus ipsius nondum exhauriretur. Quis igitur ipsius comprehendere possit latitudinem? Nemo nisi Deus comprehendere ipsam potest; cùm extendatur in infinitum.

Logitudo. Quænam est ergò ipsius longitudo? Non me latet, quòd JEsus Christus nuncupetur in sacris literis agnus, qui occisus est ab origine mundi, quódque jam tunc ipsius passio fuerit operata, ac gratiæ ipsius distributæ hominibus cunctis à creatione mundi, nec cessaturus sit dividere ac impertiri illas úsque ad consummationem sæculi. Verùm estne hæc tota ipsius longitudo? Non: siquidem non tantùm amare nos incepit à creatione mundi, & non desinet etiam amare nos, post mundi consummationem; sed ab instanti æternitatis suæ, à formato moriendi pro nobis decreto, magis amavit nos propriâ vitâ suâ, nobisque copiosas disposuit & præparavit gratias. Ipsemet declarat id nobis: *In charitate perpetuâ dilexi te;* & ineffabilis hæc charitas dominabitur in corde ipsius in omnem æternitatem. Ecce ergò tibi ipsius longitudinem, sed quis comprehendere hoc possit? Nemo nisi solus Deus; cum abyssus sit omni carens fundo.

Apoc. 13. v. 8.

Jerem. 31.

Sublimitas. An igitur benè capies, quænam sit ipsius sublimitas; quanta bonorum, quæ JEsus Christus humilitate passionis suæ acquisivit nostræ animæ, magnitudo? An probè intelliges excellentiam gloriæ, ad quam ipsius gratia attollere potest ipsam? An assignare poteris tam sublimem, ut verum sit dicere: Omnes divitiæ gratiarum Redemptoris non possunt ipsam attollere altius? Non: siquidem S. Thomas tradit hanc doctrinam non minùs consolatione quàm admiratione plenam: Juxta proportionem, quâ amor DEI crescit in anima, auget is etiam novam capacitatem recipiendi majorem amorem; & hoc obtento inveniet se de novo capacem ad recipiendum adhuc majorem; & nunquam hæc capacitas implebitur tota, sed semper augebitur; & quantùm amor DEI excrescet in terra, tantùm & excrescet gloria in cœlo: hoc igitur procedit in infinitum, & est opus gratiæ JEsu Christi in animabus nostris. Quæ est igitur ipsius sublimitas? Et quis comprehendere

ipsam potest? Nemo, nisi solus Deus: abyssus est, quæ fundum non habet.

Profunditas. Sed denique, quænam est ergò ipsius profunditas? Quænam est abyssus miseriarum, criminum, abominationum tam profunda, è quâ non poterit ipsa extrahere animas, ut attollat ipsas úsque ad thronum Angelorum? Si in unicam animam collocares omnia crimina, quæ unquam sunt commissa, tum ab omnibus hominibus peccatoribus, tum à rebellibus Angelis; an gratia JEsu Christi penetrare & pertingere posset úsque in ultimam & extremam hujus abyssi profunditatem, ad extrahendum inde illam? Posset hoc ipsa absque illo labore; & in hoc nondum consistit tota ipsius profunditas. Sed si congeminares profunditatem terribilis hujus abyssi tot vicibus, quot fuerint in hâc animâ peccata; an gratia JEsu Christi posset adhuc pertingere illuc? posset id æquè facilè. Ne contendas progredi ulteriùs, ut invenias ultimam profunditatis ipsius metam; nunquam enim attinges illam, cum habeat nullam. O quantas abyssus! ô abyssus incomprehensibiles!

Si igitur impossibile nobis est comprehendere magnitudinem misericordiarum & gratiarum JEsu Christi; ne timeamus, unquam nos locuturos de ipsâ cum excessu; sed metuamus, ne statuamus ipsi limites, & minimam animo nostro admittamus cogitationem, quòd mortuus non sit pro omnibus peccatoribus, & omnes non velit salvare homines. Doctor quæ reponeret, non habuit, his omnibus, quæ abundè fuêre satis, ad demonstrandum immensas divitias gratiarum JEsu Christi; sed ut magis adhuc attolleret ipsam, sapiens noster Ecclesiasticus, qui spiritualis valdè erat, adjunxit, quod sequitur, quo impositus est etiam finis consultationi.

ARGUMENTUM.

Opus splendidum ac magnificum gratiæ JEsu Christi.

Articulus V.

Omnes creaturæ constituunt Chorum Musicum, decantantem laudes DEI.

OMnes creaturæ ab Omnipotente manu DEI productæ sunt voces, quæ producunt in publicum & evulgant ipsius magnificentiam; sed ut componerent nobis Chorum Musicum, qui suavissimâ harmoniâ in æternum ipsius dacantaret laudes,

des, disposuit & dispertitus est omnes has voces in tres ordines sibi invicem subordinatos, ita ut altissimus gradus ordinis infimi sit infra totum ordinem secundum, & altissimus gradus secundi sit infra totum tertium. Tres hi ordines sunt, ille naturæ, qui tenet locum infimum; ille gratiæ, qui tenet medium; & ille gloriæ, qui tenet supremum.

Totus mundus naturæ decantat & annuntiat gloriam DEI.

In ordine naturæ, qui tenet locum infimum, quique constituit velut *Bassum* in admirabili hâc musicâ, infinitas reperire est voces, quæ resonent laudes Dei, quantas nempe complectitur orbis creaturas, sive visibiles, sive invisibiles. O DEus! quanta venustas! quanta dulcedo! quàm jucunda in innumera hâc multitudine vocum harmonia! siquidem non solùm auscultabis ibi totam naturam corporalem, omnia elementa cum prodigioso hoc numero creaturarum, quas in se secundùm diversas suas complectuntur naturas; non solùm omnes cœlos cum totâ astrorum suorum splendidissimâ pompâ; sed etiam omnes creaturas invisibiles, totam naturam spiritualem, Angelos & animas rationales, quorum numerus tam magnus est juxta opinionem sancti Thomæ, ut longè transcendat illum omnium creaturarum corporalium. Si omnium harum vocum consideres varietatem, prodigiosa est; si ipsarum multitudinem, innumerabilis est; si ipsarum excellentiam, nihil nobilius est animâbus rationalibus & Angelis. Et hæc omnia nihilominùs considerata secundùm suam naturam, ultimo deputata manent & subsistunt in Ordine: Verùm est, hunc chorum suavissimum concinere melos, quòd evulget magnificentias omnipotentis Creatoris mundi, quódque resonabit in omnem æternitatem: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Ipse est, qui fecit nos ex nihilo: siquidem creaturæ sumus, quæ non fecimus nosmetipsas; nihil habemus, quod non accepimus ab ipso. Veruntamen hæc omnia nonnisi in infimo & abjectissimo collocata manent ordine, & constituunt nonnisi *Bassum* in hâc Musicâ. Psal. 99.

Ascende in ordinem gratiæ, videbis ibi velut mundum alterum omninò elevatum supra mundum & ordinem naturæ, ita ut id omne, quod videtur minimum & planè novissimum in superiori hoc ordine, sit excellentius eo, quod videtur primum & excellentissimum in alio se inferiori: hoc est, quòd minima gratia nobilior sit & majoris pretii supremo Angelorum omnium considerato duntaxat secundùm naturam suam. Et ideò hic mundus gratiæ vocatur

supernaturalis, ut ostendatur nobis, ipsum omnem transcendere naturam.

Mundus gratiæ sublimiore voce decantat gloriam DEI.

In hoc mundo veluti in primo, innumeras quoque invenire est voces sono sublimiori decantantes gloriam & laudes DEI, tot nimirum dives vocibus, quot locuples gratiis. Sed harum quis numerum nôsse possit, cum nonnisi ex his compositus sit & fabrefactus? Non reperitur hic nec terra, nec mare, nec elementa, nec plantæ, nec animalia, nec cœli, nec astra, nihilque omninò corporale; omnia hæc nimis abjecta sunt pro ipso; tota etiam natura spiritualis, cum Angelis animæ rationales consideratæ secundùm naturam suam, eousque non pertingunt; hæc omnia sub suis tenet & premit pedibus. Non est ergò ipse compositus, nisi ex sanctitate, sublimibus perfectionibus, virtutibus, meritis, donis cœlestibus, gratiis sanctificantibus, gratiis actualibus, profundis DEI cognitionibus, purissimis amoris ipsius flammis, exercitiis pœnitentiæ, venustatibus innocentiæ, orationibus, sacrificiis miraculis, & omnibus iis, quæ intelligi possunt sub gratiarum supernaturalium appellatione. Et hæc constituunt ipsius cœlum, ipsius terram, ipsius elementa, ipsius plantas, ipsius astra, omnes partes ipsum componentes.

Si instituas comparationem inter duos hos mundos, illum naturæ & hunc gratiæ, mirificas in his annotabis differentias. Siquidem inprimis mundus naturæ est opus creatoris, ubi omnes tres Personæ adorandæ Trinitatis, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, eâdem simul sibi communi concurrerunt omnipotentiâ. Mundus gratiæ est opus solius secundæ Personæ, eòquòd hæc sola Incarnata sit, & non aliæ: ipsa sola est in statu, ut pati, ut mori posset pro salute hominum, & infinitâ ratione mereri pro illis: Mysterium Incarnationis non est completum nisi in illâ; & quia mysterium hoc ineffabile origo est omnium gratiarum, omniúmque entium supernaturalium, hinc verum est, quòd totus mundus gratiæ sit opus solius secundæ Personæ, quæ est JEsus Christus.

1. Quatuor pulchræ differentiæ inter mundum naturæ & mundum gratiæ primus est opus totius SS. Trinitatis; alter solius secundæ Personæ.

Secundò mundus naturæ est opus omnipotentiæ DEI, qui omnia traxit è nihilo, abs eo, quòd steterit ipsi, nisi unico verbo. Sed mundus gratiæ est opus infirmitatis DEI, qui omnia traxit è proprio suo corde, sed non absque maximis impensis suis. Dico, quòd sit opus infirmitatis DEI: quando enim Verbum æternum gratias nobis produxit & merita, nisi quando Incarnatum, infirmatum, annihilatum est

2. Mundus naturæ est opus omnipotentiæ; mundus gratiæ est opus infirmitatis Dei.

est pro salute nostrâ. Dico, quòd traxerit hunc mundum gratiæ è proprio corde suo : quodnam enim est aliud principium exquisitissimi hujus operis, nisi infinita, quæ in corde hujus Dei-Hominis, dominatur charitas? Neque enim Deus totus solus poterat mereri, neque Homo totus solus poterat satis mereri: oportebat esse Deum-Hominem, ut mereretur ratione infinitâ, nobisque produceret per hoc totum & integrum mundum gratiæ. Dico tandem, hoc opus stetisse ipsi plurimo : siquidem opus illi non fuerat unico duntaxat verbo, sicut Deo Creatori ad producendum universum mundum naturæ: sed ô DEus! quot verbis, quot orationibus, quot laboribus, quot sudoribus, quot lachrymis, quot persecutionibus, quot ignominiis, quot doloribus, quot totius naturæ afflictionibus, in quibus totum vitæ suæ exegit cursum, úsque ad triginta omninò annos, perdius & pernox infatigabiliter laboranbo ad producendum nobis mundum gratiæ! & tandem proprâ suâ stetit ipsi vitâ?

Mundus naturæ nonnisi apparentes habet excellentias, & veras vilitates mundus gratiæ econtra.

Tertiò mundus naturæ complectitur res, quæ magnæ videntur oculis carnis, & ut tales æstimantur à parvâ cognitione rationis humanæ: dum interim mundus gratiæ, qui totus invisibilis est oculis corporis, & rationi humanæ incomprehensibilis, despicabilis videtur ipsis, eòquòd non cognoscant ipsum. At prorsus ex opposito anima illustrata lumine gratiæ clarè prospicit: quàm vilis & abjectus sit mundus naturæ, cùm nihil habeat, quod despicabile non sit, licet speciosis adornare se contandat apparentiis, eòquòd non possit, quidquid etiam faciat, vel unico momento promereri visionem Dei: omnes ipsius magnificentiæ, etiam quæ plurimum splendoris habent, infinitâ semper ratione distant ab eo; dum interim intuetur ipsa tot pulchritudines, totque sublimitates in mundo gratiæ, ut minima valore suo adæquet totam æternitatem possessionis DEI. Si enim anima comparens in judicio DEI, nil comparâsset sibi aliud, nisi quòd ultimum paraverit sibi locum in mundo gratiæ, ipsáque dives non esset, nisi unico, si ita loqui licet, gratiæ sanctificantis atomo, certa & secura foret æternitatis beatæ. Quantùm prodigium, quòd id, cui tantum vilitatis & abjectionis est coram oculis humanis, tantum habeat splendoris & æstimationis coram judicio DEI, longè transcendens omnes magnificentias mundi, quæ fuerunt, quæ sunt, & quæ per cuncta erunt sæcula, ut ni-

nihil hæ omnes possint illius promereri!

Nihil est, esse in mundo naturæ. Omnia est, esse in mundo gratiæ.

Et ex hoc quartam deduco differentiam, quòd nihil proindè sit, existere in mundo naturæ, quemcunque etiam tenere quis possit locum, nisi extollatur altiùs, & insuper vivat in mundo gratiæ. Eheu! si esses solus totius imperator mundi, quàm abjectum & depressum adhuc teneres locum; & si omnes possideres thesauros visceribus terræ inclusos, si expers fores gratiæ JEsu Christi, quàm nihil adhuc haberes magni; nunquam non maneres inferior novissimo ex omnibus servis JEsu Christi, illius quasi calcatus plantis. An ignoras philosophicam illam paroemiam, quæ se quotidiè nostris exhibet oculis: *Supremum infimi non est infimum supremi.* In rebus, quæ sibi invicem subordinantur, summum fastigium inferioris non ita attollitur sicut gradus infimus superioris, stylobata nunquam non suum tenet caput sub pedibus statuæ, quam sustentat. Natura ita subordinata est gratiæ, ut quamvis contenderit se extollere summè, nunquam assecutura sit gradum infimum gratiæ Christi JEsu.

O JEsu! quàm divites gratiarum tuarum sunt thesauri! ô quantas complectuntur magnificentias! ô vere Deus! quantum conferunt dignitatis & excellentiæ animabus, quæ sorte beantur illarum obtinendi partem! Quare conspiciuntur Magnates mundi, Monarchæ, coronati vertices humiliare se, suosque flectere usque ad terram poplites coram Lipsanothecâ, sancti alicujus continente ossa, qui totam vitam suam nonnisi in maximâ exegit paupertate, adversitate, contemptu? nisi quia servorum tuorum aggregatus fuerat numero, aliquid tuæ participans magnificentiæ quia aliquam sibi comparaverat partem tuæ gratiæ: Et ecce sublatum ipsum super omnem mundi gloriam.

Gratia JEsu Christi attollit res minimas.

Ut quid humilitas, afflictiones, paupertas, cruces, à quibus adeò abhorret natura, tantis sunt in deliciis, tantis in honoribus tot viris præclaris, qui præferunt illas gloriæ & omnibus mundi voluptatibus? nisi quia nôrunt, quòd honoratæ sint & divinæ quasi redditæ in adorandâ personâ tuâ. Et insuper abscondisti sub illis tuarum maximam abundantiam gratiarum, quibus virtus est attollendi super omnem mundi magnificentiam illa omnia, quæ illarum vel minimo honorantur contactu. O cœcos nos ac imperitos, si in alio veram quæramus gloriam, quàm in gratiæ JEsu Christi?

Cor

Desiderium possidendi gloriam non potest implere nisi per gratiam JEsu Christi.

Cor humanum continere se non potest, quin omnem intendat nervum, ut teneat & assequatur gloriam; nec est, qui non aspiret ad illam. Verùm qui inquirunt hanc in mundo naturæ, ubi disceptant & altercantur inter se homines, quis obtineat eam, nunquam illius nisi vanam adipiscuntur speciem, & nunquam solidam & fuco expertem ipsius veritatem: siquidem omnis eorum fumi in morem evanescit gloria. Nusquam accurritur ad tumulos Magnatum terræ, ut accumulentur honoribus; non æstimantur vanæ ipsorum ambitiones; ex adverso nonnisi contemptim de ipsis loquuntur omnes. Verùm, qui gloriam aucupantur in mundo gratiæ, ubi totam JEsus Christus abscondit ipsam, ubi nemo disceptat de illâ, ubi non est, qui obstaculo sit illis, quin tantùm participent, quantùm voluerint ex eâ; non habent quidem aliquam ipsius speciem & apparentiam, cum nihil appareat gloriæ in eo, quòd quis patiatur, humilietur, despiciatur, toleret persecutiones, ut conformis fiat imagini JEsu Christi; obtinent tamen & assequuntur ipsius veritatem, cum memoria justorum in æterna sit & maneat benedictione. Nonnè super aras attolli videmus ipsorum cineres, adoleri ipsis thura, ejusmodi exhiberi ipsis honores, cujusmodi Magnates mundi pro se exigere non auderent, & ubivis per cuncta sæcula ipsorum declamari Panegyres.

Ecce tibi opus gratiarum tuarum, ô divine JEsu! plura tibi sunt, unde magnifices, unde locupletes, unde compleas honore & gloriâ servorum tuorum minimum, quàm universus simul mundus suppeditare possit, unde maximos honoret & magnificet Monarchas. Sanctus Rex David, Diadema gestans in vertice, & omni totius mundi non tam circumfulgens, quàm circumfusus gloriâ, in medio apparentium harum dignitatum, agnoscebat optimè, se in omnibus his non posse videre nisi vanam magnitudinis imaginem, quæ nihil habeat veritatis, dicebat ex corde: Mallem potiùs esse novissimus in domo DEI, quàm esse supremus & omnium summus in superbis mundi palatiis. Sed plura adhuc dicit; ecce propria ipsius verba: *Elegi abjectus esse in domo DEI mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Psal. 83.

Felicitas eorum, qui sunt JEsu Christi.

O quàm verum est, majoris esse honoris & amplioris felicitatis, esse novissimum ac ultimum in ordine gratiæ, quàm esse summum ac supremum in ordine naturæ! siquidem dum hujus assecla novissimum, pau-

perrimum & abjectissimum tenent locum in terris; ille, qui unicum tantùm habebit gratiæ JEsu Christi gradum, major, nobilior, ditior est maximo mundi Rege, qui caret illâ. Ah! unde venit, mi Deus! unde venit, quòd non omnes urgeant se ipsos ad famulandum JEsu Christo? Unde venit, quòd omnes in mundo homines non ardentissimo flagrent desiderio participandi ipsius gratias? éstne ideò, quia non amatur gloria? Sed vix est, qui amet, qui desideret aliud: éstne ideò, quia non constat, contineri illam in JEsu Christi gratiarum thesauro totam? Sed fides, ratio, experientia id luculenter & ad oculum demonstrant nobis. Ideò ergò est, quia totus mundus est cœcus, est stupidus, deceptus & circumventus? Ita, procul dubio, cœcitas ignorantia, stupiditas, inconsiderantia hominum omnis hujus infelicitatis vera radix est & origo.

Ah! quæso aperiamus sumel oculos, & clarè aspiciamus manifestam hanc veritatem, nihil esse magnitudinis, nihil divitiarum, nihil nobilitatis extra Deum, nisi id, quod hauritur ex infinito thesauro gratiarum JEsu Christi: hujus dabo hic vobis demonstrationem evidentissimam. Non ignoramus, comparendum nobis omnibus esse coram tribunali DEI, in extremo judicii die, nec ullum fore ex cunctis hominibus, ab Adam usque ad novissimum, cui liceat esse absentem, túncque rerum omnium veritatem esse manifestandam.

Quòd æstimatura à mundo, nullius est ponderis in bilance DEI.

Venite, Magnates mundi, qui mundum replêstis vestrorum strepitu facinorum, proferte in medium, quidquid habuerit præclarum magis & eximium. Ego oppugnavi, ego superavi, ego triumphavi, ego comparavi, mihi regna & provincias dicent Cæsares, Alexandri, potentissimi quique Monarchæ, qui terrore concutiebant universum: Collocate hæc omnia in bilancem Dei, quæ sola deceptionis est nescia, in æqua rerum æstimatione: nullius hæc omnia sunt ponderis. Ego magnas possedi divitias, dicent alii, ego ingentia accumulavi mihi fortunæ munera, ut omnes rapuerim in admirationem; ego magna curavi negotia, illustres obivi provincias, splendida officia, ubi meis populorum felicitatem constringebam manibus. Conjice hæc omnia in bilancem Dei: nullius & ipsa sunt ponderis. Ego meam in honoribus consumpsi vitam; ego omnes degustavi voluptatum illecebras; ego nunquam non auspicatum obtinui in cunctis meis negotiis eventum. Statue

hæc

hæc omnia in bilancem DEI; nullius quoque hæc erunt ponderis. Adjice insuper cætera omnia, quæ magni pendit, mundus, quæque boni alicujus insignit nomine; & ut nihil desit, adjunge universum mundum naturæ; appone illum totum & integrum, absque ullius rei exceptione, in bilancem Dei; hæc omnia nullius sunt ponderis; & ne quidem valore adæquant unicum momentum visionis Dei. Ah! credebam hæc maximi esse ponderis, momenti summi. Ita, credebas ex cœcitate tuâ, illisque velut veris ac solidis inhiabas bonis, & jam cernis esse & fuisse nihil.

Quod mundus contemnit, magni est ponderis in bilance DEI.

Veni modò pauper Christiane, qui æstimare noveras pretium ac valorem gratiæ JEsu Christi; monstra nobis id, quod possedisti in vita tua minus dignum consideratione: Ego actum exercui humilitatis, dum affectus aliquando fueram injuriâ; contulit mihi Deus gratiam tolerandi id patienter ex amore sui; obmutui & silui, & explosus sum sibilis, pudorem subii & contemptum. Mitte hæc omnia in bilancem Dei: o quanti hæc sunt ponderis! & quanti! Adæquant æternitatem integram possessionis DEI. Ego, dicet alter, eram pauper, partim ex ordinatione providentiæ divinæ, partim ex hominum malitiâ mea mihi diripientium bona; & æquo toleravi id animo ex amore JEsu Christi, repletus consolatione superabundans gaudio, quòd ipsius in me redundaret similitudo. Mitte hæc in bilancem DEI, & integram possessionis DEI adæquabunt æternitatem. Et ego, affirmabit alius, exantlavi opera pœnitentiæ, jejunavi, maceravi carnem, corpus flagellis excepi, elicui actus contritionis, pauperibus amore Dei, mea præstiti servitia, vigilias ago in oratione, memetipsum abnegavi, ut voluntatem facerem Dei. Bilanci Dei concrede hæc omnia; nec unum ex omnibus his erit, quòd in sui recompensationem non exæquet pretium regni æterni.

Et itáne, mi Deus! credebam hæc omnia esse nihil, eòquòd nullius essent splendoris, nec ullius apud mundum pretii; nihili æstimabam illa velut res flocci & levis momenti. Ita, hæc te perculerat cœcitas; sed modò cernis recensenda illa fuisse inter veras quæ obtineri in vita possunt, facultates & divitias, mundique magnificentias. Verùm quidem est, hæc omnia pretiosa non esse ex seipsis; sed video in omnibus gratiam JEsu Christi, quæ suam illis conferat nobilitatem: hæc lapis est philosophicus, virtutem habens adeò divinam, ut, quidquid tan-

git, mutet in aurum, sed aurum tanti pretii, ut nonnisi solus Deus sit dives satis illi solvendo.

Attolle tuos in altum oculos, & aspice eximias cœlestis urbis pulchritudines. Postquam absolutum fuerit Dei judicium, & irrevocabiles duarum æternitatum, felicis & infelicis pronuntiatæ sententiæ, omne id, quòd quidquam nobilitatis aut magnificentiæ habebit extra Deum, elevabitur in cœlum. Quàm innumera multitudo Beatorum, qui omnes in suis circumferunt verticibus coronas gloriæ! Quis omnibus hisce exornavit vos magnificentiis, decoravit splendoribus, vos qui non eratis, nisi miserabiles terræ vermiculi, quique omnes refertis nunc speciem Regum æternitatis. Monstrabant tibi JEsum Christum, tibique dicent illa sancti Joannis Apostoli verba: *De plenitudine ejus omnes accepimus*; Nos divites non sumus, nisi ex ipsius abundantiâ, aliunde nil hausimus, nisi è thesauro gratiarum ipsius; apertos habebamus fontes Salvatoris, omnes ex eo hausimus cum gaudio, quantùm voluimus, per totum vitæ nostræ decursum: nihil magni nobis erat, nisi quòd accepimus ab ipso.

Totus Paradisus non est dives, nisi pulchritudinibus JEsu Christi.

Joan I. v. 16.

Sed video plures ex vobis cessisse jam satis, antequam JEsus Christus veniret in mundum. Verùm est, sed gratia ipsius magnus est oceanus, non dependens á præsentiâ illius corporali in mundo: ipsa erat ante ipsum, ipsa duravit adhuc post ipsum; ipsa suas extendit aquas à sæculo úsque in sæculum, & nunquam defuit ulli hominum; sed nec etiam ullus est quidquam nisi ipsius virtute gratiæ promeritus. Verùm dicebant nonnulli, ipsum non habuisse gratias pro omnibus, ipsum pro omnibus non esse mortuum, ipsum non habuisse voluntatem salvandi omnes. Impietas hæc est, quàm omnes execrabuntur sancti in cœlo in æternum, & ipsi etiam damnati committere non audebunt; non enim conquerentur sibi defuisse gratiam; sed perciti rabie fatebuntur, se potiùs gratiæ defuisse.

O JEsu! quàm dives es thesaurus! ô quàm dives est te possidens anima! sed quàm immensus est tuarum fons gratiarum? Non solùm tu possides, unde cunctes repleas inæstimabilibus bonis mortalium animas; sed video habere te, unde etiam divinum tuum locupletes & bonis accumules Patrem. Tu ipsi magnificam instruis aulam ex innumerâ compositam multitudine sanctorum, qui ipsius in æternum modulabuntur laudes in cœlo, quàm non haberet absque te. Tu recipis ab ipso solo

JEsus Christus locupletat ipsum Deum Patrem suum.

solo omnem tuam gloriam essentialem & internam; & ipse recipit à te solo omnem suam gloriam accidentalem & externam: Tu glorificaris ab illo, & ille glorificatur à te; gloria hæc est reciproca, una pro aliâ. Quàm sublime commercium! quàm admiranda reciprocatio gloriæ inter duas hasce divinas Personas, repletura gaudio in totam æternitatem omnes sanctos in cœlo, quæque solido esse debeat solatio cunctis bonis animabus in terris? Quanto demulceor gaudio in corde meo, ô mi amabilissime JEsu, ex eo, quòd ita glorifices Patrem tuum cœlestem & meum! Non est infirmitatis meæ ipsi reddere eam, quam deberem & vellem gloriam; sed tu glorifica ipsum pro me, & ego glorificabo illum per te in æviterna sæcula.

CONSULTATIO XX.

JEsus Christus Prædicans, Divina sua lumina Diffundit in mundo, quæ ipsius demonstrant Divinitatem.

TAntæ insolentiæ ac temeritatis reperire est animos, ut omnem mundi sapientiam suis inclusam verticibus circumferre se putent; persuasi se omniscios de cunctis instituunt sermonem, omnia suâ perstringunt censurâ, dumque aliud non agunt, nisi quòd ambitiosiùs suam ostentant sapientiam, reipsà suæ ostendunt testimonium ignorantiæ & fatuitatis.

Bonum exercitium tempore itineris.

Horum unus, nomine Onesimus, occurrit nobis, dum brevem parabamus instituere recollectionem, ad exigendum horam in silentio & interiori cum Deo colloquio, juxta legem, quàm ipsimet injunxeramus nobis, quamque inviolabiliter observare nobis erat animus, toto nostro tàm in longum protracto itinere, duo saltem indies observando interstitia ad relaxandum nostrum animum, concedendo ipsi quietem in Deo, vero centro suo. Quamvis enim sæpiùs colloqueremur de Deo: nihilominùs tota alia res est, loqui cum hominibus de Deo, quàm loqui ipsimet Deo, & ipsum animabus audire loquentem.

Ipse, uti videbatur, nec unius nec alterius notitiam habebat: siquidem cùm nos interrogâsset, quid ageremus, respondimus ipsi, nostrum nos abrupisse colloquium, ut ambo loqueremur Deo in secreto. Sed neutiquam id capiebat, eòquòd nullum illius haberet usum. Et ideò, quantùm colloquium concernit, loquebatur de eo absurdissimè, quasi de omni re aliâ, quin faceret ullum inter hæc discrimen: Unde accensus zelo bonus noster Ecclesiasticus, obserare ipsi volans os, eximium illud S. Gregorii Nazianzeni protulit effatum: Difficillimum nobis est, loqui de Deo, quemcúnque adhibeamus conatum, ut loquamur de eo, omni cùm reverentiâ nobis possibili. Quâ enim ratione? Ipse est ens infinitum, & nos parvi sumus atomi; Ipse infinitâ ratione est supra nos, & consequenter supra cognitionem nostram: certissimi igitur sumus, nihil esse id omne, quòd de eo vel dicere, vel cogitare possumus.

Naz. orat. in hæc verba: Cùm consummâsset JEsus.

Et dein ipse purus est spiritus, & nobis opus est corporalibus uti verbis, ad exprimendum abjectos & rudes nostros conceptus; & nos credimus, hoc esse loqui de Deo. Non, hoc non est loqui de ipso, nostris ipsum delineare & depingere verbis; est potiùs ipsum deformare, ipsum inhonorare, & ipsum ratione quâdam onerare injuriis: obtrectantis fortâsse fuerit & lapidantis. Nisi nostræ condoleret infirmitati, nostræque excusaret innocentiæ intentionem, quæ honorare desiderat ipsum, dum de ipso loquimur, putare se posset offensum. Videtur nos nunquam magis congruè loqui de eo, quàm dum asserimus, ipsum esse ineffabilem.

Quomodò impossibile nobis sit, loqui dignè de Deo.

Nihilominus replicat Onesimus, quando ita de ipso loquimur pejùs quàm unquam loquimur de ipso; manifestam enim involvimus hisce verbis contradictionem. Dicimus, quòd fieri non possint de ipso verba, & verba de ipso facimus: dicimus nihil dici de ipso posse, & tamen aliquid de ipso dicimus, dum fatemur, ipsum esse ineffabilem. Quæ verborum inter se pugna, quæ oppositio, quæ luculentam ostendit falsitatem in hoc, quòd credamus verissimum quid dicere de Deo, dum nostra explicat lingua, quòd intellectus noster æstimat inexplicabile!

Dicere, quòd Deus sit ineffabilis, est sibi contradicere.

Verùm est, dixi ipsi, nonnisi pugnam verborum & contradictionem esse, quàm argutè admodum observâsti, dum lingua mendacii arguit intellectum, & intellectus falsitatis convincit linguam. Sed quid agendum, ut tollatur contradictio & cesset verborum pugna? Hoc non

erit

Silentium loquitur dignè de Deo & Deo.

erit prosequendo de ipso sermonem, sed erit, si tacuerimus de ipso: omnia reconciliata erunt, si profundum custodiamus silentium. Sine nos id agere, quòd incepimus: loquemur Deo sinè verbis, & absque cogitatione cogitabimus de eo, id est, citra id, quòd formemus nobis aliquam de ipso idæam vel imaginem, de quâ dicere possimus: Deus verè est id, quòd cogitamus Deus pari ratione est ineffabilis nostræ linguæ & incomprehensibilis nostro intellectui. Æqualis igitur temeritatis est, si credamus, nos dignè loqui de ipso, nobisque persuadeamus, nos dignè de ipso cogitare. Silentium verborum nostrorum magis honorat ipsum omni nostro discursu, & cogitationum nostrarum silentium majori quoque ipsum afficit honore, quàm omnis intellectûs nostri contentio, quam possumus impendere ad comprehendendum ipsum. Docta est ignorantia de Deo, quæ transgreditur pulcherrimas quásque cognitiones, quas comparare nobis de eo possumus labore nostro, labente hâc vitâ. Volebam per hoc obstringere ipsum, ut recederet, nosque fineret nostræ vacare orationi.

Sed hæc omnia, quæ non capiebat, cohibere non poterant accensum ipsius loquendi desiderium. Subasperè igitur respondet: Cùm credatis, Deum ita honorari silentio, & inhonorari ac despici verbis, haud parum admiror, vos silentium non indicere cunctis prædicatoribus vestris, qui absque intermissione palàm loquuntur de Deo: Credo sanè, vos maximum præstituros obsequium tàm Deo, quàm mundo. Inprimis Deo; cùm verum sit, ipsos ferè omnes loqui de ipso tàm abjectè, ut ex eo displiceant ipsi, magisque despiciant illum, quàm laudent: sed præcipuè maximâ eximetis mundum difficultate ac molestiâ; siquidem judicio meo nil magis molestum accedit hominibus, quàm obligatos esse per horam integram aures præbere homini, & sæpius loquenti de rebus, quæ tædium ingerunt, cùm tamen non regerere liceat ipsis vel verbulum unicum.

Fateor, me nonnisi rarissimè concionem frequentare: nihilominus ignoro, quæ me ubivis prosequatur fors mala: vix saluto templi limina conspiciens concionatorem in pulpito, jam mœrore conficior, & præ angore palpito. O Deus! quantis obruor tædiis! ejusmodi enim homines vivere non videntur, nisi ut mundum totum impleant querimoniis, & miris discrucient conscientiam tormentis; inveniunt ubivis, cui contraveniant, & ubi nulla sunt, peccata suo effin-

Libertini abhorrent Verbum Dei, quòd signum est reprobationis.

effingunt arbitrio; & quando pavorem incussêre gravi quâdam comminatione populis, triumphâsse se putant; sed prudentiores terreri se non sinunt strepitu. Qui crederet illis, nec unius horæ gaudio, toto frueretur vitæ suæ curriculo.

Eja quæso, ne ita strepites inquit ipsi pius noster Ecclesiasticus, ut ipsius abrumperet discursum, qui magnam redolebat liberioris vitæ licentiam & quidvis agendi libidinem, nec leviorem impietatem. An probè nôsti, quid dicas? Nonnè cernis, te manifestam propalare tuæ reprobationis notam? an ignoras scriptum esse in Evangelio: *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Et alibi: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Totum Evangelium ejusmodi scatet verbis, quæ percellere te metu deberent, ne ingens illud fastidium & contemptus, quo prosequeris Verbum DEI, sit indicium, te non adscribi cœtui prædestinatorum.

Joan. 8. v. 47.

Joan. 10. v. 16.

Aliis hæc dicas, inquit hic vir, feroci plenus indignatione: dicenda forent similia simplicibus, ut allicerentur ad frequentandam turmatim concionem, quam falsò affirmatis esse Verbum Dei. Fateor equidem, Verbum Dei omni dignum esse veneratione; sed auscultare hominem, qui è pulpitò per horam declamet, mihique proprios suos enuntiet conceptus & fœtus animi; an ignorem, id Verbum Dei non esse? Nuncupo id Verbum Dei, quòd è proprio Dei depromitur ore, & non ex ore alicujus deblateratur, ebuccinaturque hominis. Reponit ad hoc Ecclesiasticus, commiseratione ipsius tactus ignorantiæ. Est tibi quidem aliqua scintilla luminis, dum Verbum Dei non habes in postremis; sed magnâ adhuc offunderis caligine, dum non agnoscis illud enuntiatum prædicatorum ex ore. Auscultà id quæso, quòd tuos tibi dissipabit errores, multúmque, uti spero, tibi afferet consolationis, dum admirandos perspicies splendores, quos diffundit verum Verbum Dei, quod JEsus Christus afferre nobis venit in terram.

Non audiunt concionem velut Verbum DEI.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Origo & progressus Verbi DEI.

ARTICULUS I.

SI videre voles Verbum DEI in suo principio, sanctus Joannes Evangelistarum aquila, ostendit tibi illud in sui exordio Evangelii: *In principio erat Verbum.* Verbum æternum solum est verum Verbum Dei: Hoc Verbum est in sinu Patris sui æterni velut in suo principio; ipse solus enuntiavit illud. Ipse solus ergò est magnus per Antonomasiam Prædicator, Magister, Doctor, exemplar omnium aliorum Prædicatorum, qui loquuntur post ipsum, & aliud effari nesciunt, nisi adorandum illud, quod ipse primus enuntiavit, Verbum.

Joan. 1.

Principium æternum Verbi DEI.

Deus Pater est solus Prædicator æternus.

Quantum prodigium, contemplari æternum hunc Prædicatorem, qui non profert nisi unicum simplicissimum verbum, idque alterâ non repetit vice! Ipse solus est, qui non mutuavit conceptus ab alio: sed ipsemet concipit cogitationem unam infinitâ ratione magnam & infinitâ ratione perfectam, quam exprimit unico simplici verbo, quod perfectissimè id totum, quod concipit, enuntiat. Nunquam incipit, & nunquam desinet magnum hoc enuntiare Verbum; ita ut æternus sit ipse Prædicator, qui nunquam vel unico cesset momento annuntiare Verbum DEI. Non habet auditores prædicationis suæ, niti tres divinas Personas, ipsæ solæ perfectissimè ipsum auscultant, & per ipsas ipsæ omnia cognoscunt de Deo, & sine ipsis ipsæ nihil nôrunt de Deo.

Quàm ingens ipsis consolatio, nunquam non stupendam hanc auscultare prædicationem, quæ nonnisi in unico consistit verbo! ita ad hanc suum appellant animum, ut nec unico divelli ab ea possint instanti; infinitam autem in ipsâ inveniunt voluptatem, quâ suspensione æternâ tenentur abreptæ, intuendo infinitas, quas ipsis ostendit, pulchritudines; & ingens splendor, quem æternus hic Prædicator effundit in totum conclave Divinitatis, nunquam est absque igne prorsùs divino, quem suâ producit luce, amorem nimirum æternum & infinitâ ratione perfectum, qui velut prædicationis ipsius est fructus; & omnes auditores infinitâ potiuntur oblectatione, prorsùs repleti gaudio, & in perfectâ quiescunt possessione Dei, om-

Prædicatur perpetuò in conclavi Trinitatis.

nem suam constituente beatitudinem. Ecce tibi totum sanctissimæ Trinitatis in omnem æternitatem negotium: prædicatur hìc Verbum Dei, auditur, cognoscitur hìc perfectè per illud, & amatur infinitâ ratione Deus, per amorem, qui ab illo in totam diffunditur audientium coronam. Si comprehendere hoc posses, quod infinitâ ratione omnem nostrum transcendit captum, cognosceres perfectè, quid in suo principio sit Verbum Dei, & profundâ id addisceres prosequi veneratione.

Speramus, nos futuros aliquandò auditores Verbi æterni in cœlo.

Onesimus percitus admiratione ex propositâ sibi ob oculos magnâ hâc Verbi Dei idæâ, velut ardenti abreptus desiderio exclamavit: O quàm lubens hâc ratione auscultarem Verbum Dei! Certus sum, me nullo fore exin afficiendum tædio. Audi, reponit Ecclesiasticus, non nostra hæc sors est infelicium mortalium: speramus quidem auspicatâ hâc sorte frui, dum ingredi licebit nobis templum gloriæ, in quo stupenda hæc prædicatio cessabit nunquam; sed exspectans benè ominatum hoc momentum, aspice & admirare infinitam Dei erga nos bonitatem, dum ex integro noluit nos privari divini sui auscultatione Verbi. Ecce quare id miserit nobis è cœlo in terram, ut ipsummet hoc Verbum, per quòd cognoscit omnia, in Persona veniret ad docendum nos pulcherrima Divinitatis arcana, nosque infiniti redderet consortes gaudii, in quo ipsemet omnem suam invenit beatitudinem.

Quomodò Deus nobis mittat Divinum suum Verbum in terras.

Sed quia, si Verbum hoc æternum locutum fuisset nobis eâdem ratione, quâ loquitur in Divinitate, non potuissemus intelligere ipsum, voluit, ut sese nostræ accommodaret infirmitati, aliud indueret vestimentum, in aliam se transformaret imaginem, & humanam assumeret carnem. An vides admirabilem hanc obsequendi promptitudinem? Noluit, ut indueret naturam lapidis, vel naturam Angeli: utrumque facere potuisset, cùm Verbum æquali ratione unire se posset unicuique individuo naturæ, sive corporalis, sive spiritualis. Sed unum fuisset nimìs insensibile, nimisque durum pro nobis, & alterum pro nobis nimìs sublime, & plus æquo spirituale. Ut ergò suo nos doceret exemplo, quâ ratione velit Dei Verbum annuntiari hominibus, quandam elegit mediocritatem, quæ nostræ esset proportionata infirmitati, incarnatus & homo factus est, & apparere vult in medio, velut unus inter nos. O infinita bonitas, quàm es amabilis! quòd ita te accommodes infirmitati miserabilium mortalium!

Verbum Incarnatur, ut instruat Prædicatores.

Ubi-

Visum est Verbum Dei, antequàm audiretur.

Ubiprimùm Verbum hoc æternum, adorandum hoc Patris Verbum apparuit in mundo, carne indutum mortali, Pastores ab Angelis cœlestibus admoniti, dixerant ad invicem: *Eamus & videamus hoc Verbum quòd factum est, & Dominus ostendit nobis.* Usum est igitur Verbum Dei longo tempore prius, quàm audiretur; Et ii, qui videbant Infantem JEsum recens natum, dicere poterant: Ecce Verbum Dei, intueor illud corporalibus meis oculis, meis id tangere possum manibus: Ecce tibi unicum Verbum Dei, quòd primus omnium Prædicator pronuntiavit in æternitate. Sed quantum prodigium, quòd unicum hoc Verbum Patris, cui facultas non erat loquendi in æternitate, eòquòd Verbum producere non poterat secundum Verbum, eo nomine venerit è cœlo in terram, ut loqueretur nósque doceret in tempore sublimes æternitatis veritates.

Quantum prodigium fuerat, quando JEsus Christus prædicabat; tunc Verbum progignebat Verbum.

Quando JEsus Christus ipsemet prædicabat, erat is Verbum qui suis è labiis producebat Verbum, illúdque sensibili induebat voce; ad exponendum id auribus, sicut Beatissima Virgo induerat illud carne humanâ, ad exponendum id oculis; erat is Verbum Dei in Persona, quòd prædicabat Verbum Dei; non dubitâsses, quin audientes illum verè audirent Verbum Dei. Jam is replet animam Apostolorum suorum eodem hoc verbo, & mirâ familiaritate cum ipsis agens, dixit ad illos: *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus: Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcúnque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Joan. 15. Exindè communicat illis facultatem idipsum communicandi aliis: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, id est, ad annuntiandum Verbum Dei in mundo. *Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ: Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit; & qui me spernit, spernit eum, qui misit me.* Luc. 10. Non dubitâsses similiter, quin ii, qui audiebant Apostolos, audirent verè Verbum Dei, quo pleni erant, quódque ex ore suo depromebant.

Quomodò verum Verbum Dei deportatum fuerit à sæculo in sæculum.

Hi replêrunt alios eodem verbo, quos etiam miserunt eâdem ratione, ad annuntiandum Verbum Dei, & hi eodem alios repleverunt & miserunt alios. Sic succesivè idem Verbum Dei deportatum fuit ex ore in ora per cuncta sæcula úsque ad nos; & omnes quibus sors obtigit, ut mitterentur & essent prædicatores dicere eadem debuerunt verba, quæ JEsus Christus dixit primus: *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me*; Joan. 9. id est, ego aliud non facio, nisi quod dicam denuò, quòd dictum

ctum fuerat mihi (vide, quàm magnus sit abusus, amare novitates, & dicere non velle alia, nisi proprii ingenii sui figmenta) & de omnibus etiam dicit JEsus Christus eadem verba, quæ dixit de Apostolis: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit; & qui spernit me, spernit eum, qui misit me.* Ecce tibi originem, progressum, perpetuitatem veri Verbi Dei: Suum id habet principium in æternitate, in nostra ex æternitate suâ profectum & digressum est tempora, & ipsummet venit ad docendum & instruendum nos in Persona; & exin nunquam non eâdem nos illustravit luce, per plura annuntiari se faciens ora, per cuncta sæculorum intervalla, absque eo, quòd aliquid suæ perderet tum puritatis, tum Majestatis; est & manet idem lumen, quod plures successivè accendit faculas, quæ omnes vobis non tribuunt aliud, nisi quod acceperant à primâ.

Judicio tuo, dicit Onesimus, ergò semper esset JEsus Christus, qui prædicaret per omnium ora Prædicatorum; ipse igitur semper esset, qui effunderet per universum orbem, & per cuncta sæcula, eandem hanc æternam lucem, quam attulit nobis è cœlo; hæcque semper nobis aspicienda foret in omnibus, qui nobis prædicant, hique audiendi, ac si ipsemet prædicaret nobis, procul dubio, respondit Ecclesiasticus: Nonnè enim dicit sanctus Joannes, quòd ipse sit *vera lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum?* Et ipsemet nonnè dicit prædicatoribus suis: *Qui vos audit me audit, qui vos spernit, me spernit?* Quare hoc dicit, nisi quia idem est audire ipsum & audire illos, eò-quòd idem sit Verbum Dei, & eadem æterna veritas, quæ proficiscitur ex ore suo & ore illorum, quæque ubivis omnem meretur venerationem. Joan. 1.

Deberent igitur ex ipso solo haurire ea omnia, quæ dicunt nobis, & aliud non agere, nisi repetere ea, quæ dixit nobis ipse, velut Echo, quæ nunquam dicit aliquid ex seipsâ, & aliud non agit, nisi quod eandem ad se missa remittat verba. Fateor, inquit Ecclesiasticus, omnes veros Prædicatores Evangelicæ veritatis esse deceret fidelem Echo JEsu Christi, & nobis solùm proferre ea, quæ receperunt ab ipso, sicut ipse illa solùm protulit ipsis, quæ acceperat à Deo Patre suo. O si omnes Prædicatores unicam suam, vel saltem præcipuam navarent operam, ut studerent & omnem suum intenderent animum JEsu Christo; si haurirent ex eo id, quòd communicare vellent aliis; si omninò pleni essent ipso, ipsiusque divi- Semper JEsus Christus est, qui prædicat per ora omnium Prædicatorum. Omnes Prædicatos deberent esse nonnisi echo JEsu Christi.

divino spiritu, replerent ipsi quóque eodem omnes alios, & brevi videretur, totum mundum verè fore Christianum: audirentur ipsi, velut ipsemet JEsus Chtistus, & maximâ afficerentur reverentiâ, velut adoranda ipsius persona, eòquòd haberentur cum ipso velut veri Salvatores animarum. Sed eheu! exin obmutuit, fecítque finem magno cum suspirio.

Quid innuere vis per tuum Eheu! reponit Onesimus? an voles omnes Prædicatores aliud non dicere, nisi quod inveniunt in Evangelio, vel alio Bibliorum codice? ô quàm hoc esset abjectum! Oportet enimverò quid aliud adjicere ad illustrandum & locupletandum suum discursum. Nonnè ostendere ipsis liceat suæ quidquam eruditioris, aut politioris, quâ pollent, literaturæ? an congruo loco immiscere non liceat aliquid historiæ, vel antiquitatis profanæ? an non quandóque scitam aliquam & concinnam afferre descriptionem? an si inveniant in apologis quidpiam vel dictum acutè, vel fictum argutè, id intactum relinquant, nec in suum suo tempore convertant usum? vix credas, quantum concinnitatis ejusmodi sales conferant discursui. Et dein an prætereant, quidquid acuminis tenet Philosophus, quidquid arcani possidet Astrologus, quidquid problematis tradit Mathematicus, ut divinandum quid suis relinquant auditoribus, illósque majori attentione teneant defixos; vidi non paucos, quibus non displicuêre Æsopi fabulæ, in quibus invenêre scitissima quæque. Et similia haud parùm oblectant acuta ingenia, ac virtute pollent magneticâ trahendi post se illustrium virorum coronam: certè enim, si nonnisi, quæ complectitur Evangelium, producerent in medium, alios haud numerarent, nisi commune vulgus, auditores; quibus quidquid obiter dicas, facilè eorum invenias approbationem; sed viri doctrinâ exculti requirunt alia, quæ suo prosequantur applausu.

Abusus eorum, qui prædicant alia, quàm Verbum Dei.

Nimis quàm verum est, reponit Ecclesiasticus; & hoc ipsum meum mihi expressit Eheu, meíque doloris est ansa. Quibus incumberet prædicare verbum Dei, nonnisi declamant verba Poëtarum, Historiographorum, Philosophorum, aliorúmque profanorum, quasi mens illis non esset agere Christianos, sed idololatras: non alium sibi præfigunt scopum, nisi ut curiositati & vanitati satisfaciant animorum, pro eo, quòd oppugnare deberent illam & delere funditùs velut lethalem Spiritûs JEsu Christi, qui nonnisi

Plures Prædicatores deturpant Verbum Dei; & quomodò.

humilitas est & veritas, hostem & adversariam. Inveniunt humile & complanatum esse Evangelium, & elevare splendorémque illi adjicere volunt rebus profanis & fabulis, velut qui pretiosum adamantem circumducere vellet luto, ad majorem conciliandum illi nitorem, valorem, decorem. O Verbum æternum, quod splendor es gloriæ Dei Patris tui! O Verbum omnipotens, quod universæ curiæ cœlestis tua ex pulchritudine es oblectamentum! an ità aspernentur, téque contemnant homines? O quàm luculenter perstringit oculos veritas verborum magni Apostoli! *Seipsum exinanivit.* Exinanivisti te, ô Verbum adorandum! sed & perpetuo adhuc exinaniris pro nostra salute: quando nascentem te video in stabulo, & collocatum super paleas, fimúmque animalium, valdè te invenio exinanitum: sed quando te video super pulpita involutum fabulis & curiositatibus vanis, cogitationibus profanis, magis adhuc exinanitum te invenio: & quod magis detestandum est, applauditur illis, qui tam indignè te excipiunt, & illi ipsi de eo abblandiuntur sibi. O crudelem persecutionem Verbi Dei! O sacrilegam profanationem ejus, quod in mundo possidemus sanctissimum! quando tandem horrori erit tibi injuria, quam infers Deo, & crudelitas, quâ debaccharis in animas?

Philip. 2.

Nimìs, quàm abriperis, mi Domine, longiúsque digrederis; non profanatur Verbum Dei, si eidem inseratur quidquam profani. Nonnè ipsemet id fecit sanctus Apostolus Paulus, annuntians illud Athenis in præsentia cunctorum Sapientûm Areopagi? non dedecoratur Verbum Dei, si decor eidem addatur quibúsvis eloquentiæ phaleris. Omnes sancti Ecclesiæ Patres, nonnè fructuosè adhibuerunt easdem? Quid splendidius, quid magnificentius eloquentiâ Leonis Papæ? quid suavius illâ sancti Ambrosii, sanctíque Bernardi? quid magìs masculum, magisque heroicum illâ Sanctorum Cypriani, Basilii, Hieronymi, & Gregorii de Nazianzo? quid magìs floridum illâ S. Petri Chrysologi? quid magìs sublime illâ sancti Augustini? quid delectabilius illâ S. Joannis Chrysostomi, qui os fuit aureum totius Ecclesiæ Orientalis? & dein, ut verum fatear, Evangelium juxtà stylum suum, est velut adamas impolitus & scaber, nullum diffundens splendorem, nisi expoliatur. Credunt quidem universi, thesaurum esse magni valoris, quem possidemus in Verbo Dei; sed absconditus est sub specie satis vili; oportet habere

Sancti Patres fuerunt eloquentissimi,

clavem

clavem ad recipiendum illum, illisque demonstrandum pulchritudines, quæ non apparent, nisi demonstrentur. Nonnè & ipse fateberis, quòd ad concilandum valorem verbo Dei, opus sit prædicatoribus, quendam suâ arte adjicere splendorem?

Quomodò adhiberi possit eloquentia, & omnis generis ornamenta in concione, abs eo, quòd profanetur Verbum Dei.

Novi optimè, inquit ad hæc Ecclesiasticus, nihil negligendum esse ex omni eo, quod conferre potest ad excolendum Verbum Dei, illiúsque illustrandum honorem; nam cùm ipsium sit, quod infinitâ suâ potentiâ omnes è sinu nihili extraxit creaturas hinc consentaneum omninò est æquitati, ut omnia se impendant ad evulgendam ipsius gloriam. Non diffitebor tibi, quin scientia, eloquentia, historia sacra & profana & quidquid boni qualescúnq; suppeditant Auctores, adhiberi possit, si serviat majestati & sublimi consilio ac scopo, quem sibi præfixum habet Verbum Dei, sanctificandi nimirùm animas. Verùm dico, quando servit, vel servire potest: quòd enim illi servit, procul abest, ut idipsum detur pet. Quando autem Prædicatores non assumunt nisi ea, quæ servire possunt ad finem Verbi Dei, qui est, convertere peccatores, ipsorúmque animis insculpere magnam æstimationem Dei, & ingentem mundi & vanitatum ejus contemptum, parùm & rarissimè utentur profanis; purum Verbum Dei absque comparatione majoris est roboris omnibûs illîs, quæ non sunt ipsum: si aucupantur eloquentiâ, aucupentur illam more sanctorum Patrum, & plurimum habebunt roboris ad persuadendum populis magnas veritates salutis: verum non sint gerrones & loquaculi more profanorum & nugivendulorum, qui nonnisi speciosa ostentant & jactitant verba, circa insulsas, ridiculas & contemptibiles vanitates. Non mihi hîc mens est perstringere Prædicatores malos, sed ut exhibeam vobis idæam Prædicatoris perfectissimi, exhibendus alius non est, quàm JEsus Christus. Considera ergò.

ARGUMENTUM.

Quâ ratione JEsus Christus prædicaverit Verbum DEI.

Articulus II.

JEsus Christus solebat prædicare pauperibus ac rudibus.

CRedideris fortasse, quòd cùm incluserit in se omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei Patris sui, prædicare non debuerit nisi veritates infinitâ ratione transcendentes omnem intelligen-

gentiam humanam: Quid enim producere posset extra se, nisi quod includebat intus in semet-ipso? Et nihilominùs nulla unquam vel tulit vel vidit ætas Prædicatorem, qui se demiserit ad instruendum simplicissimos, seque exhibuerit familiarem ad informandum plebem, non dico pari, quâ ipse ratione, sed qui vel minimùm æquiparandus sit ipsi: præcipuum ipsius erat studium prædicare pauperibus, magis rudibus, imperitis ruricolis, dicens, se ad hoc à Deo Patre suo missum esse è cœlo in terram. Marci 1. *Eamus*, inquiebat, *in proximos vicos, ut & ibi prædicemus; ad hoc enim veni.*

Sed videre, quanta simplicitate, quantâve familiaritate edocuerit illos sublimissimas de regno Dei veritates; an quidquam mirabilius esse possit? Affert illis comparationes desumptas ex agriculturâ, haustas ex modo, quo mulieres administrant rem familiarem, ut id, quod dicebat ipsis, redderet magis evidens, magisque ipsorum captui accommodatum; imò descendit ad res tàm abjectas, ut arrogantia nostra sibi duceret probro, illas proponere in pulpito, nisi quamprimùm adjungeret, JEsum Christum priorem nobis proposuisse & in medium tulisse illas, quasi ad excusandum errorem, quem crederemus nos commisisse: tàm parùm capimus consilia æternæ hujus sapientiæ, quæ Majestate suâ rem non judicat indignam, demittere se úsque ad nos induere infantem, infantûm more balbutire, simplicitati nostræ se accommodare, se exinanire, ad salvandas animas pauperum peccatorum; & nos credamus, committere nos rem nobis indignam, si nos demittamus ad instituendum pauperes in Christianis moribus, præceptis, ac primis fidei dogmatibus. O nostræ dedecus arrogantiæ! Verbum æternum, sapientia infinita Patris se dejicit úsque ad nihilum ad salvandum omnes, & omnes prædicando nituntur se attollere úsque ad firmamentum, ut salvetur nemo.

Utebatur familiarissimis comparationibus.

Nonnè ipse est, qui edocuit nos *Pater noster?* Quantùm prodigium, ô magne Deus! quòd in stuporem haud immeritò agat omnes Angelos in cœlo? videre hunc unicum Patris æterni Filium, familiariter nos instruentem, velut parvulos fratres suos. Quando oratis, dicite: Pater noster, qui es in cœlis. Hic est Pater meus, & etiam est Pater vester: Nam ego sum frater vester natu major, & vos estis parvuli fratres mei, nosque omnes nonnisi eundem habemus Patrem, qui regnat ibi superiùs in cœlis: Petite ab illo

Confusio Prædicatorum.

regnum

regnum ipsius; nam ipse hoc præparat vobis: sed dum illud exspectatis; rogate illum, ut det vobis panem vestrum quotidiè velut egenis parvulis in exilio. Vide, quàm familiariter nobiscum egerit Verbum DEI Patris æternum, ut nostras lucraretur animas? O Missionarii, quorum institutum est instituere & instruere homines ruricolas, quàm sublime est munus vestrum! vos quos zelus sacro impetu cogit & agit ultra maria, superante omnes procellas ac tempestates, ut inquiratis miseros sylvicolas in extremis saltibus ac desertis, ad conferendum illis charitativè, quòd ab infinitâ JEsu Christi accepistis charitate, ad efficiendum ex illis fratres vestros & domesticos fidei; nonnè credatis altissimos in cœlo Seraphinos sanctâ rapi in vos invidiâ?

Quanta voluptas videre JEsum Christum docentem nos *Pater noster.*

Magnus Apostolus sanctus Paulus in raptu suo usque ad tertium cœlum, ubi admiranda didicit secreta, quæ manifestandi nobis carebat facultate, nihilominùs unum ex illis detexit nobis, quòd attollere nos omnes deberet è terrâ in cœlum, dum asseruit nobis: quod Deus Pater non contentus misisse nobis proprium Verbum suum, ad docendum nos, ut appellaremus ipsum Patrem nostrum, voluerit nobis etiam mittere Spiritum Filii sui in intima cordis nostri, ad novam addendam nobis confidentiam, ut bis appellaremus ipsum Patrem nostrum, & quidem voce altâ & quasi clamando: *In quo clamamus, Abba Pater.* Hoc verbum Abba, est verbum Syriacum, quod significat Pater. Sed sanctus Chrysostomus dicit, id esse verbum intimi amoris, quòd parvuli infantes dicere soleant, dum incipiunt balbutire. Et Theodoretus etiam tenet, quòd Apostolus per hæc exprimere nobis voluerit modum agendi parvulorum, qui loqui adhuc nesciunt: Cor ipsorum plenum amore, majoris eloquentiæ quam lingua ipsorum, parvula sua ipsis aperit brachia ac impellit, ut suavi faciem serenante risu currant, seque conjiciant in suorum colla Patrum, quos haud alio, quàm nomine appellant papa. O Majestas infinita Dei! an agis ita nobiscum miseris terræ vermiculis?

Rom. 8.

S. Chrysost. hom. 14. in Epist. Rom.

Theodoretus in c. 8. ad Rom.

Deus vult à nobis vocari *papa*, uti infantes suos vocant patres.

Quodnam cor non solvatur in dulcorem, si penitiùs pauliſper consideret, quousque extendat se bonitatis hujus infinitæ abundantia, quâ misit nobis Filium suum Unigenitum, Verbum suum æternum, eo nomine, ad familiariter instruendum nos, ac edocendum, ut appellaremus ipsum Patrem nostrum? Sed hoc nondum sufficit ad sa-

Amor stupendus Dei erga nos.

tiandum plenè bonitatem paterni cordis sui; vult insuper, ut utamur erga ipsum amicabili ac innocenti illâ confidentiâ, quâ uti solent parvuli infantes erga Patres suos, & consultò mittit nobis Spiritum Filii sui, id est, Spiritum Sanctum, qui non est, nisi amor, in penetralia cordis nostri, ut hanc nobis inspiret confidentiam, in quâ suam is capiat voluptatem. O Deus! quid fieret nobiscum, si correspondere & vicem reddere nossemus tenerrimo tanti Patris erga filios suos amore? O! si impetus amoris infantilis & filialis nos sæpiùs impelleret ad currendum in sinum ejus brachiis & corde apertis, suavissima hæc verba tenentes in ore: *Abba Pater, Abba Pater*; quàm amanter quasi reciperemur ab ipso?

Hoc bonum foret ac congruum illi, replicat Onesimus, cui agendum non esset nisi cum animabus simplicibus ac innocentibus; posset enim cum illis agere familiariter, & benevolentiâ lucrari illas; sed JEsu Christo prædicandum fuerat viris sapientibus, quales erant Doctores legis; animabus perversis & subdolis, quales erant Pharisæi; frontibus duris ac protervis, quales plerique erant Judæi, quibus statutum erat in omnibus opponere se ipsi invincibiliter. Hinc est, quod non converterit nisi ipsorum pauciss imos, qui, uti videbatur, concioneunicâ convertere debuisset omnes in mundo homines, cùm ipse sit verbum omnipotens, qui cuncta entia creata traxit è profundâ abysso nihili, unico duntaxat verbo.

Eloquentia JEsu Christi est admirabilis in virtute & sublimitate suâ, quando invehebatur in obstinatos peccatores.

Verùm etiam, respondit Ecclesiasticus, JEsus Christus, qui demisit úsque ad nihilum, dum instruendi erant pauperes & simplicis vulgi homines, mirificè sese elevavit, quando oppugnanda fuerat duritia, vel confundenda malitia & Hyppocrisis Scribarum & Pharisæorum. Nonnè vocem induebat quasi tonitrui, nonnè omnem intendebat vim ac nervum eloquentiæ prosternentis omnia, quando ipsos objurgabat, in ipsos invehebatur. Revolve vigesimum tertium caput in Evangelio S. Matthæi, & undecimum caput in illo S. Lucæ: Videbis quantâ auctoritate & quantâ virtute loquatur illis: Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines; vos enim non intratis; nec introeuntes finitis intrare. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis judicium. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam,

Matth. 23.

Luc. 11.

dam, ut faciatis unum Proselytum, & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ, duplò quàm vos. Væ vobis Duces cœci, qui vos ipsos ducere & gubernare non potestis. Væ vobis Pharisæi, quia decimatis mentam & rutam & omne olus; & præteritis judicium & charitatem Dei, excolantes culicem & camelum glutientes. Væ vobis Scribæ & Pharisæi, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitiâ. Pharisæe cœce, munda priùs, quòd intus est, ut fiat id, quòd deforis est, mundum. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum, quos Patres vestri occiderunt. Implete mansuram Patrum vestrorum; quia pejores estis illis, & pejora illis adhuc facietis: Serpentes, genimina viperarum, quomodò fugietis à judicio gehennæ?

Nunquam Orator tantâ locutus est cum vehementiâ, quâ JEsus Christus.

Dicere omnia hæc in ipsorum præsentiâ, voce tonitrui non absimili, quæ terrore percellebat omnes; & zelo ignito, qui succendebat cunctos: an unquam tantâ cum vehementia declamatus fuerit sermo. An unquam omnes & maximi quique oratores vel Romæ, vel Græciæ tanto in suis invectivis fuêre terrori? Benè noverat, quòd convertendi non essent, probè agnoscens induratam malitiam cordis eorum; suas tamen offerebat ipsis gratias, quibus inexcusabiles fierent coram Deo. Non ignorabat, se nonnisi excitare contra se rabiem ferocium harum bestiarum, nec minoris, quàm vitæ suæ staturum sibi impendio; verùm suam in hoc collocabat felicitatem, si causam defenderet Dei, virtutis & veritatis, suæ periculo vitæ. Prædicatores, ecce vobis exemplar vestrum; hic enim Magnus per Antonomasiam Prædicator est, propositus vobis ad imitandum. Ubi vestra est facundia? ubi est virtus vestra? ubi est fervor & zelus vester? dum non audetis reprehendere vitia, nec vos opponere maximis Dei inimicis? Dicitur, opus hic esse prudentiâ: An JEsus Christus, dum dixit hæc omnia, caruit illâ? sed habuit prudentiam, & hanc prorsùs divinam, quæ nihil metuebat; & nos habemus prudentiam prorsùs humanam, quæ timore, ne displiceamus mundo, vos percellit.

O Domine mi, replicat Onesimus, quàm cautè abstinendum est hodie à stylo prædicandi tàm accenso támque libero! accipiendus quis foret pessimè: exigitur enim nunquam non maxi-

Ignava vecordia Prædicatorum.

ma erga personas illustres reverentia, ad ipsa etiam illorum sese extendens crimina, de quibus facere oportet, eáque semper tenere occulta, quantumvis sint publica; alioquin aliquis non effugiet imprudentiæ & temeritatis notam. Ita credo equidem, reponit alter, notabitur sic coram mundo; sed quantam coram Deo inveniret notam, si mutum egerit canem, qui tenetur latrare contra vitia ex officio, idque ex meticulosâ omiserit vecordiâ?

JEsus Christus prædicans accommodavit se singulorum indigentiæ.

Redeo ad considerandum modum admirabilem, quo usus est JEsus Christus in annuntiando Verbo Dei. Accomodavit se uniuscujusque capacitati, ut prodesset omnibus, parvis, magnis, ignaris, doctis, magis rudibus, magis spiritualibus; docens omnia à primis principiis ac rudimentis, usque ad altissimum vitæ contemplativæ fastigium. Si instruendi erant pauperes & simplices, inquirebat ipsos in vicis ac villis suis; si objurganda erant vitia Magnatum ac potentium hujus mundi, conscendebat Cathedram in magnis civitatibus, & horrenda fulminabat & detorquebat in ipsos anathemata. Si confutandi erant errores, oppugnanda Doctorum Synagogæ protervia, nolentium credere, ipsum Deum esse, & verum Dei Filium, eòquòd viderent, ipsum verum esse hominem, nonnisi duobus usus est verbis, quibus quòd opponerent, non habebant. Quid vobis videtur de Messia? cujus est filius! responderunt ipsi: Est Filius David; sed David vocat ipsum Dominum suum in Psalmo centesimo nono: *Dixit Dominus Domino meo; sede à dextris meis*: Si est ipsius Dominus, quomodò est ipsius filius? nisi fateamini, quòd sit uterque; quòd sit ipsius Dominus, in quantum est Deus, quòd sit ipsius filius, in quantum est homo: quid dicitis ad hoc? nihil habebant, quod reponerent. Psal. 109.

JEsus Christus docet vitam spiritualem.

Si tradenda erant dogmata vitæ spiritualis, nihil tam sublime est, quod accedat ad illud, quod ad vesperam cœnæ dixit Apostolis suis in pulcherrimo illo habito ad ipsos sermone, qui refertur à S. Joanne Evangelii sui capite decimo sexto & decimo septimo, ubi nil loquitur, nisi de excellentiis charitatis, de unione intimâ animarum suarum cum Deo, de claritate, quàm acceperat à Deo Patre suo, quamque communicaverat illis, ut unum essent inter se, sicut ipse & Pater ejus nonnisi sunt unum: vult ipsos sanctificari in veritate, & esse in se, sicut ipse est in Patre suo. Non est Verbum in toto illo magno sermone, quòd non admirationem pariat maximè

mè contemplativis, qui fuerunt unquam, quódque incomprehensibilia non continent mysteria.

Si loquendum est, de altissimâ perfectione orationis mentalis, consideratur & comprehendatur, si potest, quòd duobus dixit verbis ad Samaritanam : *Veri adoratores, adorant Patrem in Spiritu & veritate : Deus spiritus est, & eos, qui edorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Consulantur desuper illuminatissimi quique in Mystica Theologia, videbimus ipsos omni adhibitâ contentione, ut aliquam illius nobis tribuant informationem, fateri tandem debere, se eô pertingere non posse, idque transcendere omnia tum verba, tum cogitata hominum, omnésque magnas has veritates adorandas esse in silentio, quas nostra non capiunt ingenia, sed potiùs capiuntur & absorbentur ab illis. Siquidem quid est adorare Deum in spiritu & veritate? Pater est Deus, Filius est veritas, & Spiritus Sanctus est spiritus. Si adorem Patrem per Filium ipsius unigenitum, quem donavit mihi, ut faciam per ipsum, quòd per meipsum facere non possem; si adorem ipsum per Spiritum Sanctum, quem misit in cor meum, ut daret mihi confidentiam, quâ appellarem illum Patrem meum: an adoravero in spiritu & veritate? Estné res ita intelligenda?

Joan. 4.

JEsus Christus docet arcana contemplationis, quæ nobis sunt incomprehensibilia.

Sed enim esse non debent lumina & cognitiones proprii mei intellectûs naturalis, nec affectus naturalis voluntatis meæ, quibus affixus tenear Deo ad contemplandum illum in oratione meâ, ad cognoscendum & amandum ipsum. Alius requiritur intellectus, qui elevet animam meam supra proprium meum intellectum: hic intellectus est veritas infinita, & propria cognitio Dei, quæ excœcat meum intellectum. Alius requiritur amor supra illum, quem voluntas mea potest producere, qui attollat illam supra omnes affectus suos, ipsamque absorbeat in sphæra ignis prorsus divini, ubi perditur, abs eo, quòd se agnoscat, aut sciat, quid secum factum sit, aut quid faciat. An ita adoratur Deus in spiritu & veritate? Sed Pater cœlestis, quis facere potest, nisi feceris tu ipse? Nonnè dixisti, quòd nemo cogitando ad staturam suam adjicere possit cubitum unum? Non, procul dubio, hoc non fit de eo cogitando, sed potiùs de eo non cogitando: Siquidem quamdiu sumus in nostris cogitationibus, semper sumus in nobis ipsis. Eheu! quàm impossibile est exire animam ex seipsa, ut intret in te, nisi tu ipse attraxeris ipsam! Faciat, quidquid

Quid appellatur oratio passiva, quâm non facit anima, sed quam recipit à Deo.

possit, ut attollat se vel minimùm supra statum suum naturalem, magis retardabitur ab eo, quàm promoventur. Si benè humiliare se noverit in abysso sui nihili; scriptum est: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Sed fortassis unum non minùs impossibile est altero, nisi ipsemet Deus id faciat ex infinitâ miseratione suâ.

Luc. 14.

Discursus hic pii nostri Ecclesiastici erat aliquantisper nimiùm spiritualis pro captu Onesimi, qui nulla præbebat singularis ex eo haustæ voluptatis indicia (siquidem sensibus plus æquo immersi tàm parùm capiunt ex rebus spiritûs ut has velut Chimæras aspiciant) maximum autem ostendebat desiderium audiendi unam è concionibus JEsu Christi. Mox tuis annuam votis, respondit Ecclesiasticus. Audi & attende solerter.

ARGUMENTUM.

Purissima doctrina JEsu Christi compendiosè tradita in sermone supra montem facto.

Articulus. III.

Differentia inter concionem JEsu Christi, & illas Scribarum & Pharisæorum.

HAud levis erat differentia inter prædicationes JEsu Christi & illas Scribarum, Pharisæorum & Legis Doctorum. Nam 1. JEsus Christus prædicabat cum potestate supremâ veluti verus Deus & omnipotens Legislator: alii non loquebantur nisi velut simplices legis expositores, qui sæpe sæpiùs non explanabant nisi solas, quas in sacrificiis observari oportebat, cæremonias. 2. Loquebatur is cùm magno spiritûs fervore; & multo meliùs adhuc suis instruebat exemplis, quàm verbis: illi loquebantur aridè, jejunè & oscitanter & adhæc tantummodò verbis, absque exemplis. 3. Circumferebat ille miram eloquentiæ suavitatem in labiis suis, tantáque demulcebat aures voluptate, ut omnes catervatim inquirerent ipsum in desertis, & sæpiùs tres integros dies consisterent ibi, obliti curas corporis & cuncta terræ negotia, rapti extra semetipsos audiendo discurrentem illum de rebus cœli, omnésque confiterentur, nunquam audivisse se sic hominem loqui; sed quod præcipuum erat, confirmabat omnia hæc, quæ dicebat, miraculis omninò manifestis, iisdemque plurimis: Scribæ & Pharisæi his omnibus destituebantur, nec quidquam illorum possidebant. 4. Denique JEsus Chri-

Christus docendo exteriùs, pollebat virtute illuminandi interiùs animas & omnia penetrandi corda, eòquòd loqueretur & abundantiâ cordis sui & ardentissimo erga salutem animarum zelo: alii, qui nonnisi externà declamabant voce, poterant ferire aures, sed carebant facultate tangendi & commovendi corda.

Doctrina Jesu Christi acriter oppugnat spiritum sæculi.

Verum quidem est, quod omnia, quæ habemus de JEsu Christo in Evangelio, appareant admiranda; videtur tamen conficere nobis voluisse, Epitomen omnium eorum, quæ pulcherrima, utilissima & maximè necessaria sunt doctrinæ suæ, in admirando illo supra montem habito sermone, ubi paucis verbis prosternit & evertit omnem spiritum sæculi, quem ex integro oppositum demonstrat spiritui Dei.

Quisnam sit hic mons, in quo prædicavit Christus pulchrum hunc sermonem.

Mons hic, quo utebatur velut pulpito, quemque conscendit ad faciendum ibi insignem hunc sermonem, quique jam designabat doctrinæ, quam hominibus explanare volebat, sublimitatem, non est mons Olivarum, sicut aliqui existimabant, nec mons Thabor, juxta opinionem sancti Hieronymi. Sed ii, qui accuratè descripserunt terram sanctam à seipsis prius perlustratam, uti Breidenbachius, Adrichomius & alii, asserunt, hunc esse montem specialem, qui hodiedum adhuc retineat nomen montis JEsu Christi, eòquòd sæpiùs secesserit in ipsum ad faciendum ibi orationem suam, & capiendum post labores suos modicum quietis. Dicunt montem hunc esse altitudinis mediocris, sed pulchritudinis omninò singularis, totum amœnissimo coopertum virore, herbarum, florum, arbustorum; insuper ipsius aërem, qui maximæ est temperiei, constituere ex ipso mansionem omninò idoneam recollectioni & contemplationi: distat is nonnisi stadio à civitate Capharnaum, versùs partem Occidentalem & admodum vicinus mari Galilææ. JEsus Christus sæpiùs ex hoc monte suum sibi struebat oratorium, ibique plures exigebat noctes integras in oratione, sicut etiam faciebat dispositurus se ad enuntiandum ibi magnum hunc, insignem hunc & efficacem sermonem cujus me tibi contexere desideras narrationem.

Sermo de octo beatitudinibus complectitur omnem doctrinam moralem Christianam.

Erat ipsi animus faciendi quasi synopsin omnium suorum aliorum sermonum, & oppugnandi ex instituto omnes & maximos quósque abusus & errores sæculi, declarando infelicitatem eorum, qui sectantur tyrannicas mundi, humanarúmque passionum leges, & econtra summam eorum beatitudinem, qui suam amplecti volent doctrinam illis omni-

omninò oppositam, quæ complectitur præcipuas octo veritates, nuncupatas à nobis Beatitudines octo Evangelicas. Et ecce hæ ostendunt nobis, omnia, in quibus mundus suam constituit felicitatem, veras esse miserias; & econtra illa omnia, in quibus nonnisi miserias sibi imaginatur, veram consistere beatitudinem animarum Deo fidelium.

Inprimis mundus credit, palámque ac disertè evulgat, divites esse Beatos in terris, eòquòd videbatur ipsis omnia evenire & fluere ad vota. Deciperis, deceptor & fallax munde, ausculta veritatem æternam dicentem tibi: Væ vobis divites, qui habetis hic consolationem vestram, eòquòd impossibile quasi sit, introire vos unquam in regnum cœlorum. Et ex adverso dicit: *Beati pauperes spiritu*, id est, qui habent spiritum & cor abstractum ab omnibus mundi rebus, ipsorum est enim regnum cœlorum. Non inquit, beatos illos esse in spe, eòquòd aliquando possessuri sint Paradisum, sed dicit, quod jam ipsius teneant possessionem, quâ jam reddantur beati: siquidem an non verus sit Paradisus, quando degustat anima jucundam & pretiosam possessionem Dei, quem nemo tollere potest ipsi, & à quo impletur consolationibus, quæ infinitâ ratione transcendunt illas omnes, quas universus mundus parare & parere illi potest.

Luc. 6. v. 24.

Beati pauperes, infelices divites,

Matth. 5.

Secundò mundus credit, hominem esse infelicem, si ulciscì non possit injuriam sibi illatam, nec duplò aut quadruplo reddere malum sibi factum. Et non videt, exitium se esse sibi ipsi, eòquòd levi, quàm accepit, injuriâ, quâ patienter perpessâ poterat sibi parare coronam immortalem, malum sibi adsciscit æternum inseparabiliter connexum cum eâ, quam meditatur, vindictâ. Et JEsus Christus volens detegere fraudem, dicit ipsi: Beati mites, id est, qui patienter & cum mansuetudine tolerant injurias, quoniam ipsi possidebunt terram, id est, mititate suâ comparabunt sibi dominium mundi & regnabunt in omnium cordibus. Sic exponit S. Chrysostomus, qui audacter dicit, nihil esse, quod majorem habeat vim, majus robur, majúsq; imperium mansuetudine, tamque citò non extingui magnum ignem copiosâ abundantiâ aquarum, quàm extinguatur summè accensa hominum iracundiâ verbis blandis ac amicè prolatis.

Beati, qui tolerant patienter injurias, infelices, qui aucupantur vindictam.

S. Chrysost. hom. 58. in Genes.

Tertiò mundus nonnisi risum aucupatur & gaudium, illósque beatorum accenset numero, qui suam jucundè exigunt vitam in relaxationibus non intermissis & voluptatibus continuis: O munde obcœcate, quantùm deciperis!

ciperis! JEsus Christus, qui ipsa est veritas, tibi dicit: *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis*; non ridendo agitur pœnitentia. Jam ignes æternos nonnisi per pœnitentiam evitare potestis: Lugendi igitur per totam æternitatem habebitis otium in rogis inferni. Et inquit ex opposito: *Beati, qui lugent*, id est, qui effundunt clam è corde suo lacrymas doloris continui de peccatis suis, renuntiantes per hoc omnibus vanis mundi gaudiis ac voluptatibus. O beatos, & millies beatos illos, quoniam consolabuntur in æternum.

Luc. 6.

Optimè noverat quartum mundi errorem quærentis felicitatem suam in voluptatibus sensuum, quorum plures reperire est tantæ brutalitatis, ut beatos se æstimarent, si semper esse possent ingurgitati ac ventre distenti. Et dicit illis: *Væ vobis, qui saturati estis*, qui alium non adoratis Deum, nisi ventrem vestrum, cui sacrificatis omnia, propterea fame peribitis æternâ, & econtra declarat illis, beatos esse illos, qui esuriunt & sitiunt, qui famam tolerant & sitim, sed famem sacram justitiæ & sanctitatis, quoniam saturabuntur: non, quòd unquam habituri sint saturitatem tàm plenam in hac vitâ, ut non semper experiantur famem & sitim majoris justitiæ; sed quòd in hoc præcipuè suam inveniant beatitudinem, uti dicit S. Bernardus. Anima justa nunquam dicit: Satis est; semper stimulatam se sentit fame & siti justitiæ majoris, ita ut, si semper viveret in terris, semper contenderet fieri melior, & suspiraret cum Vate regio: Non dicam unquam Domine satiatam esse me; sed *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* O beatam animam famelicam, quæ tam amabili cruciatur torturâ.

Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam infelicos gulosi.

Luc. 6.

S. Bernard. Epist. 253.

Quintò oppugnat immisericordem duritiam eorum, qui suis invigilantes commodis, non compatiuntur miseriis aliorum; qui tàm procul absunt ab eo, ut has in se suscipiant, consolando gementes sub illis, ut potiùs sibi gloriæ ducant his neutiquam moveri, & in hoc aliquod constituant suæ genus felicitatis. Vos igitur existimatis vos esse beatos, quando cor æneum in vestro circumfertis pectore. Et ego, dicit JEsus Christus, beatos deprædico illos, qui misericordes sunt, quoniam misericordiam consequentur; beatos declaro illos, qui affectu tanguntur compassionis & misericordiæ, quoniam experientur benignam misericordiam Patris sui cœlestis. Cor iminite, quòd omni caret humanitate, nec ullâ aliorum malis movetur commiseratione, æternæ circum-

Beati misericordes, miseri immisericordes.

cumfert signum reprobationis: cor autem misericors, quòd suum diligit fratrem, quòd illi compatitur, quòd affert illi, quantum potest, solati, cor est cujusdam prædestinati.

Beati mundo corde; miseri, qui curam gerunt corporis.

Sextò, videns, quòd mundus, qui totus animalis est, suam collocetem felicitat in curando ac fovendo solicitè suo corpore, modò id sanum sit ac incolume, modò suis fruatur desideriis, modò suis vivat Commodis, sibique satisfactum jam credat, flocci æstimans suæ puritatem animæ, hanc illi præ omnibus commendat. Munde insensate, an ignoras te spiritum immortalem inclusum circumferre in ergastulo hoc luteo? Tu beatum te credis, si ergastulum hoc commodo fruatur statu; sed est potiùs infelicitas tua: hâc enim ratione, nunquam æternæ frui poteris lucis usurâ. Et ego dico tibi, veram consistere felicitatem in cura animæ tuæ: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt præsentem in omnem æternitatem.*

Beati pacifici, miseri discordiarum amatores.

Septimò miserans stupendam mundi cœcitatem, qui nonnisi vivere vult & potest in tumultu, semper in armis, in disceptationibus, in controversiis, in querimoniis, velut corpus phræneticum, cujus unum membrum armatur contra alterum, ad illud dilacerandum ex summâ fatuitate in hoc se suam invenire putans felicitatem; aliàs enim non faceret, cum infelicitatem suam quærat nemo. Ipsæ referat illis oculos, ipsosque docet, ubi facilè inveniant, si velint, veram & solidam felicitatem; nempe in mansuetudine & in amore pacis: quòd, si ament discordias, pugnas, inimicitias, infernalium evadent filii furiarum: Verùm si amaverint unionem, pacem & tranquillitatem, appellandi sint Filii Dei, & potituri in omnem æternitatem hæreditate Patris sui. Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.

Tandem concludit totum suum sermonem, Beatos pronuntiando illos, qui patiuntur persecutiones; quòd paradoxum est subvertens & confundens omnem falsam mundi sapientiam: siquidem hæc ceu indubitatum tenet effatum, infelices esse illos, quos premit persecutio, aggravat adversitas, caleat afflictio. Verùm ô sapientia infinita! quantò veritates à te edoctæ, quamvis omnes nostros offendant sensus, magis sunt certæ, magis solidæ, magis consolatoriæ, quàm omnes vanæ mundi fallaciæ, quibus nonnisi fucus est & dolosa species; O munde omnis expers scientiæ! Nisi credas JEsu Christo tibi dicenti: Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, in hac vita, magisque beati qui patiuntur ma-

Beati, qui patiuntur, infelices, qui non habent, quod patiantur.

magis; in testimonium advoco, quidquid volueris (exceptâ Babylone tuâ, quæ composita non est, nisi ex insipientibus) consule desuper omnia: Interroga cœlum, interroga bonos omnes; qui sunt in terris, interroga infernum, si velis, ipsum; an verum sit, beatos illos esse, qui persecutionem patiuntur, qui obruuntur adversitatibus, qui onerantur crucibus, quas cum submissione in voluntatem Dei portant & tolerant in hac vita.

Totum cœlum respondebit tibi: Scriptum est, & veritas est fidei: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Qui partem non habuerit ex cruce Redemptoris, partem non habebit ex Redemptoris gratiâ; & tandem omnes mundi consolationes simul non tantâ nos locupletarent felicitate, quantam invenimus in tribulationum & adversitatum minima. Omnes boni, quos universus complectitur orbis, tibi dicent, se expertos esse, neminem sequi posse JEsum Christum, nec ambulare post ipsum in via cœli, nisi oneratus sit cruce ipsius; insuper gratiam, virtutem, innocentiam, in quibus consistit tota felicitas & tota tranquillitas animarum, ita inseparabiles esse ab afflictionibus, ut videantur ab instanti, quo non patiuntur amplius, illa omnia in ipsis diminui; perdi successivè Spiritum JEsu Christi & resumi illum mundi, ita ut videatur illos quasi amplius non esse Christianos: sicque beatos esse illos, qui patiuntur aliquid pro Deo, magisque beatos, qui patiuntur plura. Et totus ipse infernus horribili ad te clamabit voce: Maledictæ mundi voluptates, quæ induxistis nos, ut fugeremus crucem, quám magni modò constatis nobis! O quàm eramus miseri, dum felices nos credebamus, ab omni miseriâ, ab omni cruce liberi! Ubi modò estis fortunatæ afflictiones mundi perpessæ & toleratæ pro Deo? Summè fueratis deprædicatæ nobis, sed ludibrio habebamus vos, quia vos non noveramus. Non lugemus vos, voluptates præteritæ: Eheu! utinam fuissetis nunquam: sed deploramus te crux amabilis: Ah deploramus te! ita, deplorabimus te in æternum.

Act. 14. v. 21.

Cœlum, terra & infernus testatur, beatos esse, qui patiuntur.

Ecce tibi, quâ ratione doctrina JEsu Cristi è diametro sit opposita cunctis mundi affectibus ac desideriis. Mundus beatos dicit divites; JEsus Christus beatos dicit pauperes: Mundus beatos nuncupat eos, qui aucupantur vindictam; JEsus Christus beatos nuncupat illos, qui cum mansuetudine supportant injurias: Mundus beatis accenset eos, qui rident, gaudent & jucundantur;

Oppositio inter doctrinam JEsu Christi, & illam mundi.

dantur; JEsus Christus beatis accenset illos, qui lugent, plorant & contristantur. Mundus beatos æstimat eos, qui lautè vivunt ac opiparè; JEsus Christus beatos æstimat illos, qui fame & siti tenentur justitiæ: Mundus beatos affirmat eos, qui nullam commiserando admittunt societatem miseriarum alienarum. Et JEsus Christus beatos affirmat illos, qui misericordiam aliorum exhibent miseriis, quoniam & ipsi misericordiam consequentur: Mundus beatos deprædicat eos, qui sanitatem & incolumitatem obtinent corporum; & JEsus Christus beatos deprædicat illos, qui innocentem conservant animam, suumque cor mundum à peccato: Mundus beatos appellat eos, qui præfervido & generoso sunt animo, qui omnia susque deque vertant, oppugnent alios, seque defendant; & JEsus Christus beatos appellat illos, qui amantes sunt pacis, hanc inquirunt, in se & aliis conservant: Mundus denique beatos asseverat eos, qui non intermissâ fruuntur prosperitate, nec quidquam habent, quòd patiantur; JEsus Christus beatos asseverat illos, quos persecutiones obruunt, quos cruces onerant & affligunt.

Onesimus exspectare vix potuit, quoad suum absolverat Ecclesiasticus sermonem, quin subasperè alloqueretur illum: An ratione hâc declamas & debuccinas Verbum Dei? An concionem hanc esse dicas factam à JEsu Christo? Attulisti in medium verba plurima, quæ nunquam ex ipsius sunt ore profecta; citâsti sanctos Ecclesiæ Patres; an JEsus Christus in sermone suo citavit illos? Et deinde dicebas, ipsius inesse labiis eloquentiam omninò divinam, verbaque ipsius mirificâ pollere virtute commovendi corda; nihil ejusmodi in me expertus sum, meâ spe, quàm alueram animo, deceptus.

Credo id equidem, respondet Ecclesiasticus; siquidem non repetii tibi de verbo ad verbum sermonem JEsu Christi; non ad longum Evangelistæ exarârunt illum; sed annotârunt solummodò præcipua, quæ tractabat, capita: Et quandò dicitur, veros Concionatores adniti debere, ut purè annuntiant verbum Dei, non est intelligendum, ipsos eadem in medium proferre debere verba ab ipso dicta; sed quòd loqui nil debeant, quòd adversetur intento ab ipso sensui, & benè cognoscere studeant veram sancti Evangelii intelligentiam, ut emendatè illud exponant, & quantum poterunt, animis imprimant mortalium. *Quid sit prædicare purum Verbum Dei.*

Hinc est, quòd citiârim Patres Ecclesiæ, eòquòd exiis meliùs intel-

intel-

intelligere & cognoscere possimus sensum Evangelii; & ut verum fatear, nobis aliud hâc in parte non supereſt remedium, nisi ut recurramus ad ipsum JEsum Christum, ipsum consulendo in oratione, ipsum obsecrando profundâ cum humilitate & ingenti Spiritûs fervore, ut ostendat se nobis, quatenus & nos ostendere possimus ipsum aliis, útque effundat divinæ suæ gratiæ unctionem in corda nostra, & super labia nostra, quatenus verba ipsius è corde nostro profecta, virtutem acquirant commovendi animas, illásque Deo lucrandi. Procul dubio Prædicatores, qui ratione hâc cognoscere studerent JEsum Christum & nonnisi loquerentur ex abundantiâ ipsius Spiritûs magnum facerent profectum, mirabilémque colligerent fructum. Sed quàm pauci sunt horum! quàm pauci sunt horum! quia paucos reperire est Prædicatores, qui viri existant magnæ orationis.

Novi saltem, replicat Onesimus, numerari inter eos, qui non ita purè quærant commodum JEsu Christi, quin admisceant illi quoque suum; novi id, & ipsemet vidi. Narrare me tibi oportet ad hoc propositum, quid contigerit auditu forsan non inutile, nec injucundum.

ARGUMENTUM.

Quid acciderit cùm tribus Prædicatoribus.

ARTICULUS IV.

NOveris tres Prædicatores, qui non ita differebant indole ac genio, sicut differre videbantur amictu & habitu, viros haud mediocri insignes humanitate (familiariter enim utebantur mundo, ex cujus consuetudine, ut ratio postulat, studebant se excolere) post absolutos quadragesimales suos sermones convenisse, vel casu fortuito, vel ex instituto in hospitio satis bono, quòd erat secus viam, quâ iter faciebam. Intravi paulò post ipsos, & quia non erant Misantropi, fugientes conversationem hominum, amicè admodum me exceperunt, ad innuendum mihi, meam sibi haud displicere societatem, nec ullo se afficiendos à me fastidio. Intelligebam benè, ipsos jam diuturnâ conjunctos fuisse familiaritate, dum perspexi, quantâ enarrarent sibi invicem confidentiâ eas, quæ ipsis obtigerant, sortes.

Sensa & affectus trium Prædicatorum pessimorum.

Gaudebam videre me viros bonâ suâ, quàm nacti fuerant, fortunâ, contentos optimè. Unus dicebat: Verùm est, me haud caruisse molestiâ; triste enim tempus erat, inamœna facies aëris & viæ pessimæ; verùm nulla mihi ansa est conquerendi nimiùm de meâ, quàm toleravi, molestiâ: siquidem mea mihi quadragesima quadringentas propemodùm attulit libras. Nonnè hoc operæ sit pretium, discurrere per quaternos aut quinos tenues vicos, quos mea complectebatur statio? Verúm est, oportuisse paulisper moderari sumptus, & sedulò invigilare omnibus; nihil enim neglexi; veruntamen reportavi hæc, quibus apprimè contentus sum. Verùm an frequens tibi erat auditorium, interrogabat alter? Non frequentabat quasi sermonem nemo: sed quid refert. Quando dixi, semper jus habeo ex eo, quòd dixi, meum faciendi quæstum; an autem illi ex eo, quod dixi, profecerint nescio; hoc scio, me non malè profeciisse ex eo, quod dederunt mihi: Et hoc præcipuum est; anno sequenti spero quid ampliùs.

Avarus.

Interpellat ipsum alter & dicit. Quantum ad me, ingens quidem non feci lucrum, meliùs tamen mihi fuit, quàm tibi: siquidem res mihi fuit cum hominibus omni humanitate & benevolentiâ plenis, quibus cura est lautè semper & opiparè suum tractandi prædicatorem, præcipuè quando vir est amans societatis, & gnarus familiariter adhibere illos, nec nimiùm discrucians illos in pulpito, sed palpans & blandiens (non enim torqueri, nimiumque urgeri amant) quorum genium dum cognovi, me eidem accommodavi. Econtra & ipsi cunctis prosecuti me sunt officiis, habitis in coronam conviviis, omni ferculorum genere adornatis; isque me sæpiùs habuit commensalem, qui exhibuit se mihi magis beneficum & liberalem; agebantur autem semper omnia modestâ cum libertate, & liberâ cùm modestiâ. Vt verùm tibi fatear, nunquam me habui meliùs, nec credo amœniùs, quàm exegerimus, exigi quadragesimam posse; dicebam quandóque ridendò hâc ratione mallem quasi præ bacchanalibus quadragesimam.

Gulosus.

Sed mi Pater, dicebam ipsi, quâ ratione accommodes hæc cum pœnitentiâ, quam ab omnibus Christianis exerceri tempore quadragesimæ vult Ecclesia? Et quomodò prædicare illam poteras publicè, ejusmodi ducens vitam in specie? O Domine mi, reposuit mihi quantocyùs; in Cathedra accommodavi

davi me cathedræ, ad mensam accommodavi me mensæ. An ignoras, sanctum Thomam mentionem facere certæ cujusdam virtutis, quàm nuncupat Eutrapeliam, quæ commodissima est omnium quámque exigente necessitate est licitum exercere. Mihi sufficit, me meâ quadragesimâ haud leviter vixisse contentum; compertúmque mihi est, comparâsse me illic mihi amicos, qui nunquam non excipient me lautè, dum invisum accedam ipsos; & exploratum habeo, me non modicum reportâsse lucrum, reportando cum satisfactione hâc exindè gradum.

Ambitiosus. Tertius auscultabat duos alios, cum parvæ cujusdam specie indignationis, quam nihilominùs dissimulabat. Advertebam indignari ipsum ex metu, ne parum ipsorum ædificarent me sensa, vota, desideria; sed celabat id silentio, metuens ne offensæ ansam præberet ipsis: Et dubio procul altioris hic erat animi, ac paulò magis sapere videbatur aliis, unde & magis auspicatà suâ sorte videbatur contentus. Prædicaverat is in loco quodam magis spectabili, unde magnam traxisse se credebat nominis splendorem: Ingentem texebat nobis narrationem de sui excellentiâ auditorii, cui de plebe quasi aderat nemo, quòd sermones sui accommodati essent pro viris tum sapientiâ tum prosapiâ claris; summâ perfundebatur voluptate, quòd circumfusum se viderit à personis primariis, & splendidâ virorum illustrium coronâ, non solùm in civitate, sed in tota vicinia, suo se prosequentium applausu & disertè dicentium, quòd à longo tempore virum non audiêrint, cui tanta cum aviditate suas præbuerint aures; quódque plures è præcipuis sibi rependendo grates seque millenis exornando encomiis, summo se accensos demonstrârint desiderio, suâ potiundi præsentiâ, pro alterâ adhuc quadragesimâ.

Nonnè hæc omnia generoso ac nobili exoptanda sint animo? Quantum ad me, dicebat, non ita proprii studiosus sum commodi, ut magni pendam proemium & retributionem; nec ita opiparis demulceor epulis, ut dicendo aucupari velim illas; præcipuè, cùm hæ deesse non possint, ubi optimates quis habet sui æstimatores, Mecœnates, fautores. Non alia in votis mihi est satisfactio, nisi quòd fecerim satis exspectationi personarum illustrium, virorum omni literatura excultorum, qui præstant notitiâ judicandi de alicujus operis præstantiâ. Nam quid oblectamenti quis habeat, si omnem

si omnem navet operam in concinnando exactè sermone juxta artis regulas, & exornando eundem omni eo, quòd afferri potest vel magis curiosum, vel magis acuminosum, vel magis portentosum circa id, quòd tractatur, argumentum, nisi inveniat auditores, qui operis agnoscant excellentiam, illudque promeritis extollant encomiis?

Ecce tibi, quæ fuerint trium nostrorum insignium prædicatorum colloquia. Admirabar auspicatam ipsorum sortem: Nam quivis eorum ad amussim inverat, quò suâ rapiebatur inclinatione. Unus reportavit crumenam suam apprimè fartam; alter ventrem suum optimè saginatum; & tertius caput suum totum quantum oppletum magnâ sui ipsius existimatione. Et omnes contenti optimè suâ recesserunt sorte. Nonnè hos omnes albo notatos calculo, beatorum inseras albo?

Infelicitas Prædicatorum, quibus perversa est intentio.

Quomodò beatis accenseam eos, respondit Ecclesiastius, ingens in cœlos emittens suspirium, maximo, ut videbatur, exulceratus cordis dolore! An beatos tu nuncupes eos, qui fecerunt se coram Dei judicio haud vulgaris reos criminis, mediante tàm nefandâ S. Evangelii profanatione, & animarum perditione, quarum ex officio tenebantur procurare salutem zelo Apostolico? Et hoc est, quod nullatenus habuerunt cordi. Unus navavit operam suæ avaritiæ, alter suæ gulæ, tertius suæ vanitati & arrogantiæ. Et quòd magis horrendum est, prostituerunt JEsum Christum, & ipsius Evangelium, & prædicationis ministerium, quòd sacratissimum & divinissimum est in Ecclesiâ Dei, ut infamibus hisce famularentur Dominis. Et me interrogas, an ipsos non credam esse beatos, cùm suorum assecuti sint metam votorum? Non impares sunt falsis illis Prophetis, quos Deus suâ percutit maledictione in Sacrâ Scripturâ: *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum.* Ezech. 13. v. 3. Væ Prædicatoribus, qui non quærunt gloriam JEsu Christi, nec salutem animarum; sed nonnisi sua aucupantur commoda, suas voluptates, suas vanitates, citra quòd curæ habeant gloriam Dei, & salutem animarum, modò teneant, quòd desiderant, suumque jucundè tempus horasque terant.

Quando sua tibi deprædicârunt lucra, unus suum argentum, alter suas epulas, tertius vanas suas laudes, debueras ipsos interrogare: Sed ubi sunt, quas Deo lucrati estis animas? ubi conversi à nobis peccatores? ubi lacrymæ, quas elicuistis? ubi confessiones generales? ubi exem-

Arguuntur prædicatores, non quærentes salutem animarum.

exempla pœnitentiæ? ubi bona quæ exantlanda persuasistis, opera? ubi scandala, quæ avertistis? ubi errores, quos rescidistis? ubi reconciliationes, quas evicistis? ubi disceptationes, quas diremistis? ubi pietatis exercitia, quæ induxistis? ubi est, unico verbo, bonum, quòd promovistis in locis vestris? An igitur concesseratis illuc velut mercenarius diurnam suam facturus operam, ad comparandum argentum, aut velut voluptuosus ad exquirendum lautas dapes ac epulas, aut velut ambitiosus ad aucupandum vanum honoris fumum? Ah! Evangelium! sacrum Evangelium! Verbum æternum Dei, tecum luditur, ac si non esses nisi commentum, nisi fabula. Verùm vindicare te noveris in æternum de iis, qui ita te habuerint despicatui.

Prædicatores mali exempli non movent homines.

Si mundus non habuisset unquam alios Evangelistas, quàm vos, quantò arctiùs obstrictus fuisset servitute diaboli: siquidem vos nunquam instituissetis ipsum in doctrina JEsu Christi, sed potiùs dissuasissetis hanc ipsi. Ipse docet contemptum divitiarum, & vos vestro monstratis ipsi exemplo, avarus ut sit, suisque studeat commodis: Ipse docet pœnitentiam & austeritatem, & vos vestris monstratis ipsi operibus, voluptatibus ut indulgeat, etiam sacro quadragesimæ tempore, quòd totum consecratum est tum lacrymis, tum jejuniis: vos ducitis quadragesimam non minùs quàm Bacchanalia jucundam & acceptam sensibus: Et Deus novit, an hic non fuerit scopus, quò collimâstis, dum functioni vos quadragesimali intrusistis. Nonnè hoc sit indignè obire munus & ministerium Apostoli? JEsus Christus non docet nisi humilitatem, contemptum mundi, & sui ipsius: Et vos exercere non abhorretis annuntiationem Evangelii, vestræ ut satisfaciatis vanitati. Nonnè verum est, non quærere vos, ut lacrymas eliciatis ex oculis, sed vanam extorqueatis laudem ex audientium labiis? Nonnè verum est, non ita vos insudare promovendæ, & amplificandæ gloriæ Christi JEsu, sicuti extollere studetis gloriam vestram; vosque credere, tunc omnia successisse optimè, quando applausum obtinuistis & fumum vanæ gloriæ, quando etiam conspicere non licuisset conversionem vel unicam, aut fructum animarum vel minimùm, totâ labente quadragesimâ! ô indignos tàm sublimi vos munere!

Optimè profectò scripsit sanctus Hieronymus ad Nepotianum turpissimum esse Doctori, si opera ipsius confundant & arguant mendacii Doctrinam. Hieron. Epist. 2. ad Nepotianum.

Verba ipsius sunt: *Non confundant opera tua sermonem tuum; ne, cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat, cur ergò hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus Magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat: accusare avaritiam & latro potest: sacerdotis Christi os, mens manúsque concordent*, plus creditur oculis, quàm auribus, & dum mundus videt, te aliâ ratione dicere, & aliâ agere, contemnit facilè, quod dicis, & amplectitur id, quod agis. Sanctus Gregorius Nazianzenus dicebat de intimo amico suo, sancto Basilio, sermonem ipsius fuisse fulmen, eòquòd fuerit fulgur ipsius vita. Quando JEsus Christus prædicabat, nunquam non, quod dicebat, confirmabat miraculis, & magis movebatur mundus magísque credebat miraculis, quàm cunctis, quæ dicebat, verbis. Omnes Apostoli in hoc presserunt vestigia divini Magistri sui, similiter magna patrantes miracula, ad confirmandum eam, quam exponebant, doctrinam: Sed quia modò miraculorum tempus non est ampliùs, nonnè saltem Prædicatorum Evangelicorum vita ratione quandam esse debeat miraculosa, id est, ita transcendens vulgi vitam, ut omnia ipsius opera velut parva haberi possint miracula, videáturque in factis ipsorum evulgere sanctitas, quam edocere contendunt alios: aliàs quomodò verum erit, ipsos esse lucem mundi.

Vita concionatoris debet esse fulgur, ut ipsius sermo possit esse fulmen.

An ignoras, JEsum Christum dixisse Prædicatoribus suis: Inprimis quòd sint *Sal terræ*; & deinde, quòd sint *Lux mundi*. Sal tribuit saporem rebus magis insipidis, quæ significantur per terram; & lenocinatur gustui, & lux oblectat oculos; ad innuendum illis, quòd priùs præbere se debeant gustandos, & posteà modò auscultandos; faciunt autem gustari se per vitæ, quàm exercent sanctitatem; & auscultari, per doctrinæ, quàm tradunt veritatem. Qui docet virtutem, quàm ipsemet exercet, offert ferculum tàm benè conditum, ut facilè recipiatur & voluptate afficiat cunctos, eòquód duas simul possideant prærogativas, quæ Oratorem quasi reddunt omnipotentem, actionem nimirum & vocem, exemplum & doctrinam. Certum est, efficaciora ad persuadendum esse exempla, quàm verba. Qui docet bonum, & facit malum, non docet alios, sed condemnat seipsum: Meliùs est exercere bonum, quin doceatur verbo, quàm verbo docere, absque eo quòd exerceatur opere. Bonum enim exemplum sine verbo, semper concio est efficacissima, quæ instruit, quæ convincit, quæ ædificat omnes; pro eo,

Matth. 5. v. 13 & v. 14.

Veri Prædicatores debent esse sal terræ & lux mundi quomodò.

eo, quod verba absque bono exemplo, nonnisi scandala pariant proximo.

S. Antonin. 3. p. hist. tit. 24. c. 7. §. 11.

Non tantæ fueram prudentiæ, dicit Onesimus, ut hæc ponerem ipsis ob oculos; nolebam insuper parere ipsis molestiam discursu tàm serio, probè gnarus, ipsos ad relaxandum animum convenisse illic, néque conveniens erat ipsorum me turbare gaudium. Non intermisi tamen recensere illis historiam satis festivam, quàm legeram in sancto Antonino, quæque haud leviter tangebat illos. Narrat is, quòd celeberrimus ille F. Ægidius, quem inter suos socios adoptaverat S. Franciscus, audierit aliquando Dominum cujusdam vineæ, quæ proxima erat parvo cœnobio, ubi morabatur, operarios, quos ad colendum vineam miserat, & tempus confabulando inutiliter perdere invenerat, objurgantem, iisque dicentem, *Fate, fate, & non parlate;* id est, operamini, operamini, & verba facessant; non labia, sed brachia movenda sunt, ut ritè colatur vinea; parum sermonis, multum impendatur operis. Ex quo hic vir Dei, qui ex omnibus desumebat ansam elevandi se ad Deum, cum ingenti fervore è cellâ suâ prorumpens clamavit altâ voce: Audite vos concionatores, audite pulchram lectionem, quam suggerit vobis hic Dominus vineæ: Operamini, operamini, non colitur vinea Domini dicendo, sed agendo; magis brachia movenda sunt quàm labia; non tàm verba scita, quàm bona requiritur vita. An speretis, vos magnum facturos profectum in colendo vineam Domini, quò ille vos mittit veluti suos operarios, quando multa feceritis verba? Operamini, operamini, movete & admovete manus, exercete, quod docetis, primùm opere: Bona exempla valore excellunt longè pulchra verba. Memores estote, ficum, quæ nonnisi folia habebat, ast nullum fructum, maledictam fuisse à nostro Domino.

Historia jucunda de F. Ægidio circa Vinitores.

O quàm commodè dicebas hoc illis, reponit Ecclesiasticus: sic enim conqueritur Dominus noster in Evangelio, quod *messis quidem multa, operarii autem pauci.* Ita, valdè pauci operarii, multi Sacerdotes, multi Doctores, multi Scriptores; omnes se illis volunt ingerere; multi Oratores, multi Declamatores, omnia his sunt plena, ita ut invicem certent, quis præ alio habiturus sit pulpitum. Sed quàm pauci operarii fideles, qui garriendo non perdant tempus, & inutiliter non detineant vanis suis sermonibus auditores; sed qui cunctis nitantur viribus ædificare, dilatare gloriam Dei, eradicare vitia, plan-

Luc. 10.

Pauci sunt operarii in vinea divini nostri Domini.

plantare virtutes, bonos inserere affectus de Deo cordibus, sanctificare animas, impendendo hunc in finem cuncta possibilia media, bonam doctrinam, solidam, Christianam, claram & ferventem, bona exempla, preces, lacrymas, jejunia, austeritates, feliciores se æstimando, lucrari si possint pauperem Salvatori nostro animam, quam si ingens sibi ipsis comparâssent imperium! *Operarii pauci.* Non absque dolore asserendum est, pauciſſimos numerari operarios dignos, qui laborent pro Domino, & non pro seipsis.

Quàm ingens sit thesaurus convertere animam.

Sed bonorum quàm magnifica erit retributio? O si quis nôsset, quanto sit dives thesauro Prædicator, qui duntaxat unicam lucratus fuerit animam JEsu Christo! siquidem cum verum sit juxta effatum sancti Evangelii, maximum fore cunctis Angelis in cœlo gaudium super uno peccatore pœnitentiam agente; quantò sine comparatione majus credamus fore ex eo gaudium in amabiliſſimo corde JEsu Christi? Angeli gaudent de salute pauperis hujus animæ, quia amant ipsam: sed quid sit amor, quo ipsam omnes prosequuntur Angeli, respectu amoris, quo solus ipsam prosequitur Christus JEsus? Bone Deus! Si comprehendere possemus quoúsque extendat se incomprehensibilis hic amor deducere exin possemus maximi abundantiam gaudii, quâ ipsum accumulamus, dum nostram impendimus operam, ut id, quòd tàm impense amat, acquiramus & comparemus ipsi; cœterorúmque oblivisceremur omnium, omnem intendentes nervum invigilando indefessè saluti animarum.

Sancta Birgitta, famosa suis cum Christo colloquiis, interrogavit aliquando ipsum: Domine, quare à nobis nuncupari vis charitas? non enim dicitur, quòd Deus sit fides, vel spes; sed dicitur; Deus est Charitas. Respondit illi: Non sufficit, quòd dicatur, me maximam habere erga peccatores charitatem; sed omnibus exploratum esse volo, me totum transformatum esse in charitatem pro ipsis. Ostendi ac demonstravi id in passione meâ, quando mortuus sum pro illis omnibus in cruce; sed adhuc æquè magnâ feror in ipsos charitate, sicut in articulo mortis meæ, quamvis non semper actualiter moriar pro illis: Et si fieri posset, ut toties morerer, quot sunt animæ in inferno, ego promptiſſimâ voluntate eandem passionem, pro qualibet animâ sustinerem, quàm sustinui pro omnibus. Ecce tibi, quanto ardore diligam animas omnium infelicium peccatorum.

Blosius c. 1. JEsus Christus revelat sanctæ Birgittæ, quòd paratus esset mori pro quâlibet animâ damnatâ, si posset ipsam convertere.

Si

Si aliquis Prædicator intellexisset hoc ex ore proprio JEsu Christi, sicut intellexit ex ore sanctæ Birgittæ, & is insuper dixisset ipsi: Operare, operare, nulli parce labori, & satage, ut quantas mihi potueris, lucreris animas; an insudare adhuc vellet corradendo argento, aut comparando sibi amicos mensæ, aut vanas aucupando laudes? Verùm tàm procul absumus, ut mereamur ejusmodi honorari revelationibus, ut etiam digni non simus, fidem adhibere illis, quas bonæ receperunt animæ, quæque sæpiùs non dantur nisi pro nobis, cùm sint gratiæ gratis datæ, & constet ejusmodi gratias magis dari pro salute aliorum, quàm utilitate recipientium illas.

S. Antonin. 3. p. 7. tit. 19. c. 12. §. 6.

Quàm sublime sit prædicationis munus.

Quando lego in sancto Antonino profundæ affectus reverentiæ, quos Deus insculpsit cordi sanctæ Mariæ Oegniacensis erga Concionatores, quos sancto succensos aspiciebat Zelo lucrandi Deo animas: reverebatur enim illos velut Seraphinos è cœlo; & quia moderari non poterat suæ impetum, & vehementiam devotionis, projiciebat se ad pedes illorum hosque, reluctantibus etiam illis, & terebat basiis, & rigabat lacrymis: Et quando video, quòd sancta Catharina Senensis, cum indignam se crederet ipsorum exosculari pedes, se térque quatérque exístimaverit beatam, si figere posset oscula terræ, quam suis ipsi tetigerant pedibus: admirari satis non possum excellentiam ministerii, cui deputat Deus hominem, quem mittit mediante Prædicationis officio ad cooperandum saluti animarum. Itanè? sanctissimæ animæ sternantur ad ipsius pedes, quasi adoraturæ illum? Verùm totus extra me abripior, quando ipsummet JEsum Christum intueor prostratum ad pedes Apostolorum suorum, illosque adorandis suis lavantem manibus, abstergentem illos, collocantem ipsos super pectus suum, & versùs regionem cordis sui, cùm ipse interim flexo poplite, velut supplicem illis porrigens libellum, hæreret ante eos, ipsi autem manerent coram eo sedentes velut super solia.

Quas dispositiones JEsus Christus requirat in veris prædicatoribus.

Insuper hosce pedes tàm vult esse mundos, ut nec minimo contaminentur pulvisculo, id est, ut nec minima illis adhæreat macula, nec levissimum propriæ utilitatis studium; vult ipsos sui unitos esse cordi, id est, eodem suo animatos spiritu, eodem suo accensos zelo; vult ipsos in suis tenere manibus, id est, à solâ suâ dependere directione, ut faciat ex ipsis & cum ipsis, quidquid voluerit, probè gnarus, quòd, si manus DEI

non fuerit cum ipsis, nihil prorsus poterint efficere. Et sanctus Paulus úsque adeò admiratur pulchritudinem horum pedum, verorum nempe Prædicatorum & Evangelistarum, ut nonnisi cum exclamatione loquatur de illis: *Quàm speciosi pedes Evangelizantium!*

Rom. 10. v. 15.

Sed sperabam, Domine, interrumpit Onesimus, te mihi dicturum adhuc alia de Prædicatione JEsu Christi; hæc enim judicio meo, præcipua Missionis ipsius fuit provincia. Verùm est, inquit Ecclesiasticus; sed ut magis solidè de illâ tibi loquar, alia tota integra requiritur adhuc Consultatio.

CONSULTATIO XXI.

Continuatio ejusdem Materiæ: JEsus Christus est sola vera lux mundi: qui non videt per ipsum, cæcus est.

ANgrates vobis agam, Domini mei, an verò conquerar de vobis? haud levis mihi causa est, faciendi utrúmque. His verbis avere nos jussit Onesimus, altero die, summo diluculo reversus ad nos. Quid boni præstitimus tibi, vel quo malo te affecimus, quòd ansam tibi præbeat, vel grates nobis agendi, vel conquerendi de nobis? interrogat ipsum noster Ecclesiasticus. Totâ nocte non cessâstis mihi verba facere; propterea continua me tenuit inquietudo defixum, quæ obstabat, ne ad vestrum dormirem sermonem: siquidem nil perdere volebam ex omni eo, quòd dicebatis mihi; & tamen summò tenebar desiderio dormiendi quietè, & non poteram.

Adducebatis mihi loquentem JEsum Christum per omnes Prophetas, immò etiam per omnes creaturas à principio mundi, quando Verbum hoc pronuntiatum fuit super antiquum illud Chaos: *Fiat lux.* Videbatur is mihi esse ista lux, quæ se diffundebat ubique, & luci exponebat omnia: Et nihilominùs nil videbam ego, nisi tenebras; & lux in tenebris lucebat, & tenebræ non comprehendebant ipsam. Et hæc omnia nonnisi confusionem pariebant in animo meo,

JEsus Christus est lux mundi, lucens in tenebris mundi.

meo, & hæc confusio rorquebat me, & nihilominùs videndi illam tenebar desideriô.

Ecclesia Christiana portata fuit more infantis in sinu Synagogæ.

Ostendebatis mihi Ecclesiam in sinu Synagogæ, velut fœtum, qui formatur successivè in sinu matris suæ, quin mater sciat, quid portet, aut quomodo formetur fœtus suus; vel quod impedire queat, ne crescat semper, & distendat ventrem suum; aut quòd inhibere possit causata sibi ab eo tormina, vel timorem, ne moriendum sibi sit, dum pariendum sibi erit. Videbam pauperem hanc Synagogam, quæ modò gloriabatur ex eo, quòd esset gravida, promittens sibi, parituram se felicitatem mundi; & modò lamentabatur, ingemiscebat, & deplorabat infelicitatem suam, ob incertitudinem, quid eventurum sibi esset: Et dum putabam videre me finem inquietudinum ipsius, ecce alia phantasmata conceptam animo immutabant sententiam.

Videbam plures absque ordine accensas lampades, quæ volitabant per aërem ab invisibilibus portatæ manibus, quæ offerebant unicuique ignem & oleum. Aliquæ accipiebant utrumque; aliæ accipiebant oleum, & relinquebant ignem; aliæ accipiebant ignem, & relinquebant oleum; & nonnullæ etiam nitebantur illas extinguere: afficiebar exin mœrore, qui exstimulabat me ad sumendam de iis vindictam. Sed ut ab eo me impediretis, videbamini eodem tempore elatâ tum manu, tum voce mihi dicere: Attende, & benè cognosce, quinam sint illi, qui volant tanquam nubes impulsæ à vento, à termino mundi uno úsque ad alterum. Et attollens meos versùs cœlum oculos aspiciebam nubes plurimas, dividentes se in omnem terram, & effundentes in orbem pluviam igneam, unde nascebantur homines alterius formæ, quàm alii, habentes alium spiritum & alium agendi modum.

Omnia hæc phantasmata ex unâ parte haud modicùm oblectabant me, quia erant mihi nova, & ex transcursu ac strictim quidquam magni intuebar in illis; sed ex alterâ parte pariebant mihi molestiam, quia ex illis capiebam nihil, & insuper mihi meam interturbabant ipsæ quietem. Ut abigerem illa, videbar mihi recurrere ad Deum, & elatâ interrogare voce: Ubi est ergò JEsus Christus, qui dicitur esse *vera lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum?* Hebr. 13. Et vos respondistis mihi: *JEsus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula.* In omnibus his quæ vidisti, non vidisti nisi JEsum Christum. Volebam rogare vos, ut magis id mihi explicaretis, sed terga obvertistis mihi.

Unde

Unde quidam me obruens impatientia eripuit mihi residuum somni mei: tantum enim habebam, unde inquietarer, & parum nimis, unde caperem somnum, quo indigebam. Relicto igitur strato perrexi ad vos, nescio, an conquesturus de molestiâ, quâ me affeciſtis, dum meam mihi interturbâstis quietem; an grates acturus de voluptate, quam attuliſtis mihi, excitando in me tàm jucundas & festivas imaginationes, quas profectò absque vobis non habuissem. Accipite id, prout placuerit vobis. Sufficit, me veniſſe ad vos, tanquam ad meum oraculum: Deest mihi aliquid ad quietandum meum animum circa hæc omnia, & nescio adhuc, quidnam sit illud.

Quando Deus nobis loquatur in secreto ipsi respondendum sit.

Suaviter admodùm respondit illi Ecclesiasticus. Æquo id animo accipio lubens, gratésque refero tibi: Non contentus es, auscultâsse me totâ nocte dicentem ad te; summo adhuc accedis & ades diluculo, quasi; me quóque audire velis dicentem totâ die. Sed non sum ego, qui locutus sum tibi hâc nocte. Non absimilis es puero Samueli. Deus vocabat illum & loquebatur ipsi, dum dormiebat in templo, & ipse acceſſit summum Sacerdotem Heli, quasi vocatus fuisset ab ipso. Non, mi fili, respondit bonus senex: Non ego locutus sum tibi, nec vocavi te; non mea, sed alterius hæc vox est, revertere & dormi; Quod si iterum loquatur, responde: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Deus est, Onesime, qui locutus est tibi in somno tuo; & tu venis, ut consulas hominem; Deus est, & non ego, à quo expostulare te oportet declarationem dubiorum tuorum.

Non intelligo mysterium hoc, respondit Onesimus: Non assuetus sum loqui Deo; loquere mihi tu ipse, & circa plurima, quæ meum turbant & infestant animum, mihi præbe explanationem. Inprimis die mihi, an verum sit.

ARGUMENTUM.

Quòd JEsus Christus semper fuerit sola vera lux mundi, à creatione úsque ad finem sæculi?

Articulus I.

NOn considerandum tibi est, respondet Ecclesiasticus, nisi id, quod sanctus Joannes tibi dicit in principio sui Evangelii de JEsu Christo: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem* Joan. I.

JEsus Christus est vera lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.

nientem in hunc mundum. Dicit omnem hominem, nullum prorsùs excipiendo, ad insinuandum nobis, quòd omnes homines ab Adam, non habuerint unquam veram aliquam lucem, nisi illam, quàm acceperunt à magno hoc sole æternitatis. Probè novi, non omnes recepisse ipsius lumen, eòquòd omnes non cognoverint ipsum. Verùm an hoc per ipsum stat? an in mora est ipse? Sicut non stat per solem, quòd omnes creaturæ non

Non stat per solem, quod ab omnibus non videatur.

aspiciant ipsius lumen; quódque licèt cœcos reperire sit in mundo; licèt illi, qui oculos habent, sæpè claudant ipsos, ac voluntarias sibi concilient tenebras; licèt pleræque creaturæ corporales careant oculis ad videndum; licèt tandem non aspiciatur sol à centesimâ creaturarum parte: non desinat tamen verum esse, quòd ipse solus sit fons inexhaustus omnis lucis sensibilis, quod illam torrentis in morem diffundat ubique, quodque, quidquid est umquam & usquam, illuminet.

Sic, licèt verum sit, plerósque homines non recepisse verum lumen à JEsu Christo, quod incessanter ubivis effudit terrarum, ubivis gentium; licèt plures reperiantur cœci ex propriâ suâ malitiâ, & alii *excœcari se patiantur à Deo hujus sæculi*, sicut dicit S. Paulus, & innumeri clausos habeant oculos lumini veritatis, ut illos errorum gentilium aperiant tenebris, se trahi permittentes à Patre mendacii in idololatriæ superstitionem; licèt verum sit, unico verbo, quòd lumen JEsu Christi non videatur à millesimâ hominum parte; cùm ipse non sit, qui lumen suum ipsorum subtrahat oculis, sed ipsi suos oculos ipsius subtrahant lumini; non desinit verum esse, quòd ipse vera sit lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Væ illi, qui oculos non habuerit apertos ad illam aspiciendam.

2. Cor. 4. v. 4.

Non stat per JEsum Christum, quod omnes homines ipsum non agnoscant.

Verùm ipse in mundo non erat à principio mundi, replicat Onesimus, eòquòd natus sit in medio temporum. Oportet ergò saltem illos, qui præcesserunt ipsum, privatos fuisse ipsius lumine; siquidem cùm ipse fons sit & origo omnis veri luminis, hoc esse non potuit ante ipsum in mundo, aliàs necessariò effectus fuisset ante suam causam; & hoc tàm absolutè est impossibile, ut Deus ipse id efficere non posset. Quis dixit tibi, reponit Ecclesiasticus, ipsum non fuisse in mundo à principio mundi? Dico tibi quid ampliùs, extitisse ipsum ante mundi creationem. Nonnè ipse est Verbum æternum? Nonnè ipse est, qui extraxit mundum è nihilo?

Nunquam mundus esse potuit absque ipso; támque verum est, ipsum esse virtutem omnipotentem Patris, creantem omnem hominem venientem in hunc mundum, quàm verum est, ipsum esse lucem veram, illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum.

Verum est, ipsum non apparuisse oculis mundi, absconditum sub velamine carnis humanæ, nisi in medio temporum; semper tamen insonuit auribus, indutus voce humanâ in ore Patrum, Patriarcharum & Prophetarum, sicut sanctus Apostolus Paulus verbis expressis scribit: *Multifariam multisque modis, olim Deus loquens Patribus in Prophetis.* Ipse locutus est à principio per os Adami, utens ipsius voce, ad instruendum ipsius filios circa veritates æternas, quas credere debebant, ut salvarentur; & si filii semper recipere & conservare voluissent verum lumen Verbi æterni, quod receperant ex ore Patrum suorum, idque suis consignare successoribus; JEsus Christus semper fuisset verum lumen, quòd reipsâ illuminâsset omnen hominem venientem in hunc mundum, & nunquam deflexisset aliquis in tenebras erroris & paganæ infidelitatis. Sed eandem facilitatem, quam demonstrârunt Protoparentes nostri, præbendo aures Principi, tenebrarum se seducenti, successu temporum exhibuerunt ipsorum filii, & adhuc majorem, permittendo se decipi, ac seduci à dæmonibus; & claudentes maximâ ex parte oculos vero lumini, ferè omnes infeliciter circumfusi & involuti sunt tenebris, Sed an arguendus sit sol, si quasi omnes homines obfirmantes ipsi oculos, privati vivant cœcorum in morem ipsius lumine?

Hebr. 1.

JEsus Christus loquebatur per os Prophetarum ante Incarnationem.

Merebantur omnes eodem privari: nihilominùs Deus, qui non obliviscitur miserationum suarum in medio iræ suæ, conservavit semper splendorem & verum lumen veritatis in parvo & tenui populo, quem elegit velut charam portionem suam, constituens ipsum depositarium veræ religionis in mundo superstitis, ipsíque semper suppeditans Prophetas & pastores, conservantes ipsum in perseverantiâ suæ fidei, quamvis non cognoverit ingentem, quem possidebat, thesaurum ex integro: eòquòd non haberet omnia nisi in figuris & promissionibus. Figuræ abscondebant ipsi veritatem, & promissiones clarè ostendebant illis, quòd non possiderent adhuc felicitatem summam, quæ suam constituere & perficere debebat beatitudinem. Verùm an non erat nisi parvus hic numerus hominum, qui cogno-

Quare Deus conservaverit lumen veritatis in natione Judæorum,

cognoscebant Deum? Interrogat Onesimus: Non erant ipsi nisi pugillus hominum, in comparatione cum mundi residuo: Deus nonnè est Deus nationum infidelium tam benè quàm Judæorum? Nonnè est Creator & Pater omnium? Ut quid ergò hos in suis relinquit miseriis! JEsus Christus nonnè Salvator esse voluit omnium? Eccur ergò ille, cùm vera sit lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, cùm non cessaverit divinum suum effundere lumen à creatione mundi; cur conferre illis non voluit gratiam, ut illuminaret eos, sicut alios? Ah! nonnè hoc fecit, respondit Ecclesiasticus.

Quomodò JEsus Christus non cessaverit illuminare omnes nationes infideles per magna miracula, quæ patrabat inter Judæos.

Ipsemet erat, Verbum æternum erat, JEsus Christus erat in persona Moysis, loquens fidelibus per os ipsius, & infidelibus per ipsius manus. Instruebat populum suum loquendo ipsi: instruebat infideles exhibendo ipsis prodigia tam stupenda, ut replerent totum universum admiratione, cùm impossibile esset ignorari illa ab aliqua mundi parte. Siquidem sanctus Paulus affirmat nobis, Prophetiam, id est, prædicationem veritatis, datam esse fidelibus, qui credunt verbo Dei, & non infidelibus, qui non credunt illi; quodque signa vel miracula ex adverso data sint infidelibus, qui necessariò convinci debeant per tam manifestos Omnipotentiæ Dei effectus, & non fidelibus, qui iis non indigent, eòquòd totam suam fidem debeant veritati Verbi divini.

1. Cor. 14.

Nonnè ergò hæc efficax admodum prædicatio fuit, facta à JEsu Christo cunctis nationibus infidelibus, replentibus universum terrarum orbem? Nonnè magna erat abundantia gratiarum evidentissimarum, quas exhibebat ipsis, quando eximia hæc per manus Moysis patrabat miracula, qui alio non utebatur instrumento, nisi virgâ, quam manu gerebat, ut faceret obtemperare sibi mare & terram, cœlos & astra, elementa & universam naturam. Moyses erat ratione quâdam JEsu Christo ante Incarnationem suam, id, quod ipsi fuerat Humanitas sua sancta post Incarnationem, nempè instrumentum omnium miraculorum suorum; & virga in manu Moysis repræsentabat Crucem ipsius. Non igitur Moyses erat, qui operabatur omnia hæc miracula; sed erat JEsus Christus absconditus sub formâ Moysis, qui flagellabat Pharaonem omnibus his plagis Ægypti, quæ terrore percellebant ipsum, & totum populum ipsius. Non erat Moyses nec virtus virgæ ipsius, quæ dividebat mare ru-

brum bifariàm, ut ſecurum ac liberum faceret tranſitum univerſo Iſraëlis populo, & deglutiendum paulò poſt conſignaret ipſi univerſum Pharaonis ſeſe perſequentem exercitum: ſed erat JEſus Chriſtus abſconditus in Moyſe, & potentia Crucis ipſius, quæ patrabat cuncta hæc ingentia prodigia.

JEſus Chriſtus dedit gratias & lumina infidelibus ante incarnationem.

Quis dicat, fuiſſe unicum duntaxat hominem in toto orbe, qui ignorare potuerit veritatem horum miraculorum, quæ concernebant regnum integrum, & totum aliquem ingentem populum, inſuper formidandum quemdam Regem cum toto exercitu ſuo mari ſepultum ac ſummerſum? Et quis diffitebitur hoc validam ac potentem fuiſſe prædicationem cunctis nationibus infidelibus, ad annuntiandum ipſis potentiam Dei Iſraëlis, & ſuppeditandum ipſis convertendi ſe modum & medium? Sic JEſus Chriſtus, qui per cuncta ſæcula eſt ſola vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, illuminabat fideles per verba legis ſuæ, & infideles per potentiam brachii ſui; ſic ubique ſuas effundebat & diſpertiebatur gratias. Interrogas, cur ergò omnes non ſunt converſi? Non defuerunt illis nec gratiarum lumina, nec motiva efficacia, ſed malitia ipſorum excœcavit illos. Oportebat habuiſſe ipſos viſcera duriora ære, & corda magis inſenſata marmore.

JEſus Chriſtus erat, qui præſens fuit in Perſona Prophetæ Eliæ, quando omnem adhibuit contentionem, ut converteret Regem Ahab & perfidam Jezabel, quando cuncta tentavit media eximendi eos cunctis illuſionibus diabolicis, quibus inducebantur à falſis ſuis Prophetis ad adorandum idolum Baal, & deſerendum cultum ſolius veri Dei, quem colebat Iſraël; pervertebant ipſi univerſum populum malo ſuo exemplo, & tyrannicâ ſuâ poteſtate, quam gerebant in eos, cogebántque ipſos ad ſui imitationem, & execrandam idololatriæ ſuperſtitionem. Quid facere potuiſſet vir ſimplex, uti erat Elias, ut cohiberet ipſe ſolus hunc torrentem iniquitatis, quem deducebat Rex potens & propellebat integer & numeroſus quidam populus? Sed ipſemet JEſus Chriſtus erat, Verbum omnipotens Dei Patris ſui, qui velatus ſub ſimplici ſpecie Vatis ſui, edomuit Reges & populos idololatras, omnesque falſos Prophetas, & Infernum ipſum, faciens prodigia clariùs reſonantia ipſis tonitruis, adeóque per univerſum auſcultata orbem.

JEſus Chriſtus erat in Elia, ad prædicandum Regi Achab.

Dicite, nationes infideles, ingentium horum prodigiorum ſplen-

splendores, nonnè omnium vestros percussêre & perculsêre oculos? Quem ex vobis latere
3. Reg. 18. potuit memorandæ hujus successus pugnæ inter solum Prophetam Eliam, omnis auxilii humani destitutum genere, & quadringentos quinquaginta falsos Prophetas idoli Baal, munitos potentiâ Regis Achab, falso stimulatos zelo indomitæ ac effrœnis Reginæ Jezabel, animatos præsentiâ numerosissimi applaudentis sibi populi. Amphitheatrum erat mons Carmelus, spectatores erant cœlum & infernus, à quibus causa fuerat decidenda: agebatur de verâ, vel de falsâ religione, de adorando vero Deo, vel annihilando prorsùs ipsius cultu, in populo ipsum unicè adhuc agnoscente: Tentandum est experimentum tam evidens, tamque manifestum, ut nulli mortalium dubitare amplùs de eo liceret. Vos, qui constituitis exercitum falsorum Prophetarum, existimato vestro Deo Baal offerte victimam, non apponentes ipsi ignem, à quo consumatur. Et ego, dicit Elias, offeram quoque victimam soli Deo vero Israëlis, quem adoro: non solùm nullum mihi apponi desidero ignem; sed perfundite altare meum, victimam meam & ligna tantâ, quanta vobis placuerit, aquarum abundantiâ:

Prodigiosum miraculum Prophetæ Eliæ, ad confundendum falsos Prophetas Baal.

Qui descendere faciet ignem de cœlo ad consumendum suum sacrificium, ipsius agnoscatur Deus pro solo Deo vero.

Incipite falsi Prophetæ; plurimi enim sunt vestrûm: Exposcite ignem à Deo vestro Baal; certus sum, ipsi ignem non deesse, sed è cœlo non est hic ignis: ardet is in medio ignis infernalis; sic incassum omninò clamabitis; neque enim evocabit is ignem è cœlo, sed potiùs vos secum aget præcipites in ignem inferni. Vociferantur universi à manè úsque ad meridiem *Baal exaudi nos*, Baal exaudi Prophetas tuos; incidebant se cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine, ut vel hujus aspectu commoveretur ad compassionem, at obsurdescit ad preces eorum. Elias quinque vel sex verba accenso fervore plena emittit in cœlos: Deus Israël, ostende hìc nobis, te solùm esse Deum verum; & ecce tibi ignis de cœlo descendit, & devorat victimam, lignum altare, lapides, aquam & pulverem terræ, quod cùm vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam & ait: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus: Tu solus es, quem adorare oportet. Offerte ergò illi mox sacrificium; dixit illis Elias; apprehendite & occidite ipsi Prophetas Baal, quos cum apprehendissent,

dissent, interfecit eos Elias, & ne unus quidem effugit eorum: Ite, ite omnes cum vestro Baal, æterna estote victima ignis infernalis.

Omnes nationes infideles ignorare non potuerun veritatem.

An forsan hoc erat opus, quod effugere potuit notitiam alicujus hominis in terra? Omnes nationes infideles, quibus cordi erat Deorum suorum religio, an ignorârunt infamem hanc & probrosam stragem famosi hujus Baal cui famulabantur Reges, qui innumeros sui numerabat adoratores & sacrificolas? Ah! quid dicere poterant ad hoc? Quomodò obserare sibimet oculos, ne clarè viderent, solum Deum verum esse, quem oporteat adorare? Nonnè dicatis, JEsum Christum, qui operabatur omnia hæc prodigia in Propheta suo Eliâ, á quo repræsentabatur, elatâ prædicâsse voce per hoc cunctis infidelibus nationibus veritatem, ipsisque copiosissimas exhibuisse hoc prædicandi genere gratias? Et dubitabitis adhuc de veritate effati hujus Evangelici: JEsus Christus est vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?

Procul dubio, fatetur Onesimus, hoc satis superque demonstrat: si suum illuminavit populum per verba legis suæ, illuminavit quoque sufficienter reliquos homines per opera manuum suarum: abundè satis fuerant illuminati, si aperire voluissent oculos ad cognoscendam falsorum Deorum suorum vanitatem, & veritatem solius Dei omnipotentis omnia hæc operantis prodigia. Sed verum tamen semper est, ipsos non habuisse Prophetas, sicut habebant Judæi. Admiror JEsum Christum, qui vult salutem omnium, quique sanctificat homines per suam gratiam in veteri Testamento non minùs, quàm in novo, non misisse Prophetas Missionarios idololatris, sicut nunc mittit infidelibus populis, ad convertendum illos. Sed nonnè misit Prophetam Jonam in Niniven, quæ infidelis erat civitas? Exemplum hoc misericordiæ JEsu Christi erga animas maximâ ignorantiâ veri Dei sepultos, videtur mihi admirabile: nescio an id unquam consideraveritis.

ARGU-

ARGUMENTUM.

JEsus Christus illuminat & convertit Ninivitas per Prophetam Jonam.

Articulus II.

Diodorus Siculus lib. 3. rerum antiq. c. 1.

NInive erat civitatum maxima, qualis unquam ædificata fuerat in terrâ, & forsan post illam non est, quæ adæquet ipsam vel amplitudine, vel magnificentiâ. Fuit exstructa à Nino Rege Assyriorum, è cujus nomine sortita est quoque denominationem Ninive. Muri ipsius continebant sexaginta millenos pedes, id est, viginti milliaria Gallica in rotunditate & circuitu; centum pedes in altitudine, tantæque erant latitudinis & crassitiei, ut ternæ unâ fronte Rhedæ incedere illic possent commodissimè: Erat munita turribus quindecies centenis, continente quâlibet in altitudine pedes ducentos; tantâ scatebat populi multitudine, ut videretur esse congregatio universalis totius generis humani.

Qualis civitas fuerit Ninive.

Sed juxta morem magnarum civitatum, multitudo criminum ejus longè transcendebat multitudinem habitatorum; eoúsque ascendebant ipsius iniquitates, ut superarent plurimùm murorum turriúmque quibus cingebatur, sublimitatem: nulla erat illic veri Dei notitia, incognita erat veritas, omnes inde exulabant virtutes, & cuncta ex adverso dominabantur vitia: jus ibi dicebatur nullum, nulla statuebantur proemia bonis, decernebantur nulla supplicia malis: cunctæ bonæ leges erant illic abolitæ, prorsùs extinctæ, nec alias agnoscebat quisquam quàm illas indomitorum suorum affectuum ac desideriorum.

Ecce tibi Niniven mundi abominationem, quæ sola erat idonea ad fatigandum omnem patientiam cœli, addendúmque illi stimulos, ut sua, intorqueret fulmina super universum orbem. Verùm sicut egregiè dicit sanctus Basilius Seleuciensis, iniquitates & flagitia Ninives, quæ transcenderant omnes naturæ limites, non adæquabant adhuc infinitam magnitudinem misericordiarum Dei, nec gratiarum Redemptoris JEsu Christi, qui in arcanis æternitatis suæ esse voluit Salvator omnium peccatorum: hinc suas illis per insignem quemdam Missionarium offert gratias, vel potiùs ipsemet affert illas úsque in civitatem ipsorum in persona Jonæ.

Basilius Seleuc. orat. 120.

JEsus Christus ingreditur Niniven in persona Jonæ.

Quamvis enim verum sit, ipsum semper locutum fuisse in omnibus

Jonas erat figura specialis JEsu Christi.

bus Prophetis; nihilominùs de nullo tantam habemus certitudinem sicut de hoc; cùm ipsemet JEsus insinuare nobis in Evangelio voluerit, Jonam esse figuram sui, seque esse veritatem in ipso loquentem. Nonnè promittebat Judæis volentibus ab ipso videre miracula, quòd vellet illis ostendere majora, quàm illud Jonæ Prophetæ: Fuit is tribus diebus absorptus à mari, & quasi sepultus in ventre ceti, & nihilominùs non devoravit ipsum mors: sed post tres dies totidémque noctes ipsum vivum supra littus evomuit balæna. Adumbrabat hoc insigne illud miraculum JEsu Christi tres omninò dies commorantis in sepulchro, quem cum mors deglutiisset in cruce, non devoravit ipsum in sepulchro; siquidem post tres dies propriâ suâ resuscitatus est virtute. Ecce tibi Jonam in JEsu Christo, velut figuram, quæ obvelabat veritatem; Et ecce tibi JEsum Christum in Jona, velut veritatem in suâ figurâ. Hinc etiam interpretes sacræ scripturæ tradunt, Jonam fuisse unum ex iis, qui resurrexerunt cum JEsu Christo, & ascendisse corpore & animâ cum ipso in cœlum: unde & nomen ejus insertum est catalogo sanctorum.

Cornel. à Lapide.

Existimandum igitur est, quòd, quando videtur Jonas ingrediens Niniven, sit ipsemet JEsus Christus, afferens illis lumen veritatis ad dissipandum tenebras ignorantiæ ipsorum, & inspirandum illis affectum pœnitentiæ, quâ mediante eximerentur à servitute peccatorum suorum: Consultò voluit Deus apparere ibi Jonam, velut incognitum. Quisnam est hic? Nescitur, nisi quòd sit extraneus, nullo stipatus comitatu & nihil fermè habens splendoris, parum existimationis. Unde veniat, non constat, nisi quod dicatur, evomuisse ipsum piscem magnum nostra super littora. Quid acturus negotii? Locuturus nobis de Deo, quem non novimus, & ipsius nomine minitaturus nobis, quod intra quadraginta dies civitas nostra sit subvertenda, demolienda, solo æquanda.

Quare Jonas apparuerit in Ninive velut pauper & incognitus.

Quâ ratione debebant recipere hunc hominem, juxta usitatum rerum humanarum cursum? Aliqui dixissent: Est stolidus; irridendus est ergò velut expers rationis: dixissent alii; Temerarius est & insolens, dum intentare nobis minas audet, quas sustineremus neutiquam, profectas licèt à potentissimo, quem foveat tellus, Monarcha: Quænam enim sit tanta potestas, cui sint vires nostram demoliendi urbem, quæ sibi in terris non habet æqualem? Alii dixissent: seditiosus est, perturbare nos,

Quantum prodigium, quod Jonas non statim ab initio sit occisus à Ninivitis.

nos volens & seminare inter nos discordias; obruatur lapidibus vel discerpatur in frusta velut manifestus totius civitatis adversarius; & fortassis ceu terræ vermiculum obtrivissent ipsum, nisi Deus obstitisset. Et profectò genus est quoddam miraculi, quòd mox ab initio non ita exceperint ipsum; erant enim homines omninò absorpti voluptatibus, qui occini sibi ea non sinebant, quæ quidquam pariebant fastidii: Erant homines arrogantes, quibus inolitum non erat ejusmodi tolerare & absorbere minas. Rex, qui tunc sedebat ad clavum in Ninive, erat Sardanapalus, juxta observationem sancti Augustini & sancti Hieronymi, qui scribunt, Jonam contemporaneum fuisse Prophetis Abdiæ, Oseæ, Joëli & Amos, sub regno Jeroboam & Azariæ Regum in Israël, paulò ante fundationem Urbis Romæ. Et Sardanapalus eodem tempore regnabat in Ninive, ubi fuit ultimus Regum Assyriorum, juxta mentem Eusebii & sancti Augustini, omniúmque Historicorum profanorum, qui illa descripserunt tempora.

S. Aug. de civit. lib. 18. c. 27.
S. Hieron. super Amos.

Sufficit solùm pronuntiâsse nomen Sardanapali, ad intelligendum, quàm bruta tunc inundârint facinora, infames spurcitiæ, sordes abominandæ tum in Rege, tum in plebe, cùm hæc plerúmque illius premat vestigia, ad ipsius se componat exempla. An deterior in toto mundo poterat esse dispositio ad excipiendum benignè pauperem quemdam & simplicem Missionarium, & hunc quidem incognitum, qui in mandatis habebat prædicare illis pœnitentiam, cum comminatione infligendæ calamitatis, quæ excogitari poterat, crudelissimæ? Ipsemet Jonas, qui velut homo cuncta hæc obstacula probè considerabat, haud leviter ab inusitatâ hâc abhorrebat provinciâ, à Deo sibi impositâ: intuebatur hoc consilium velut impossibile, & periculum ex eo sibi imminens velut inevitabile; ita ut perculsus terrore attentaverit consulere sibi fugâ, seque abscondere à facie Domini, ut se fastidiosâ hâc exoneraret provinciâ; extra culpam se credens ponendum, quòd videret omnes suas vires humanas fore impares huic negotio exantlando.

Difficultates missionis Jonæ,

Bonum equidem hoc foret, Jona, si ipsimet tibi exequendum incumberet id muneris. Sed, ut verum fatear, Jonas non erat Jonas, id est; Jonas, qui oculis conspiciebatur humanis, quique loquebatur voce sensibili ad aures corporis, non erat verus Jonas magnus ille cœli Missionarius, qui operari debebat

JEsus Christus erat verus Jonas, qui convertebat Ninivem.

conversionem Ninivitarum. Erat JEsus Christus ipsemet, qui id moliebatur negotii, absconditus sub tenui ac debili Jonæ specie, velut veritas sub suæ involucro figuræ. Erat Verbum Omnipotens Dei Patris sui, quod splendore verbi sui concusserat tremore totam civitatem Niniven, à Rege usque ad incolarum novissimum. Erat misericordissimus omnium peccatorum Salvator, qui suas ipsis afferebat gratias usque ad cordis intima, feriente exteriùs ipsorum aures voce suâ. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, conspiciendam se exhibens in Propheta suo, velut sub tenui nube; illorum mentibus non solùm afferens splendidum lumen veritatis, sed etiam accendens ignem omninò divinum, calorem vivificantem in anima & corde eorum, sicut egregiè dicit S. Augustinus: *Ipsum enim penetravit verbi calor.* In Psal. 13.

Et nonnè constat nobis, neminem convertere posse peccatores, nisi illum, qui conferre suam ipsis potest sanctificantem gratiam? Nonnè verum est, neminem salvare posse, nisi solum Salvatorem? Quando igitur conversam video Niniven per prædicationem veritatis, dico: Ecce JEsus Christus, ipse lux est, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; ipse est, qui suos ipsis aperuit oculos. Quando salvam intueor ipsam per sanctissimæ opera pœnitentiæ, dico: Ecce opus gratiæ Salvatoris hominum. Jam unicus hic Salvator peccatorum est JEsus Christus; certum igitur est, ipsum illic fuisse in persona Jonæ: ostendit ergò ab initio, se æquè Deum esse gentilium ac Judæorum: procuravit igitur salutem amborum, suas utrisque conferens gratias, cùm veram pro omnibus habuerit moriendi voluntatem. Ecce tibi jam aliquid; sed plus est, si consideres ipsorum opera, quâ ratione se gesserint in exercenda admirabili hâc pœnitentiâ; luculenter perspicies JEsum Christum ipsis prædicantem, ipsosque convertentem, & Jonam tuis subducturum se oculis. Quare esse non potuerit, nisi JEsus Christus, qui convertit Niniven.

Jonas non prædicavit per quadragesimam integram in Ninive, non contextuit longos ipsis sermones; sed quinque aut sex enuntians verba voce elatâ, validâ ac robustâ, per omnes magnæ hujus civitatis plateas, clamavit continuò, nihil capiens quietis per diem integrum: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur. Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur. Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Ecce totam ipsius, quæ in Scriptura Jonæ 3.

Prædicatio Jonæ fuit brevis & incapax ad convertendos Ninivitas.

ptura refertur, concionis seriem. Et res mira! omnes se ita sensêre commotos, ut omnes à Rege, úsque ad novíssimum populi tam memorandæ ceperint consília pœnitentiæ, cujus memoriam cuncta per sæcula nulla deletura sit oblivio. Rex è suo descendit solio, prosternit se genibus & facie in terram, & exutus purpuram induit se cilicio, diademate depósito aspergit caput cinere, suúmque incipit percutere pectus, effusus in lacrymas inclamat misericordiam: Regis exemplo omnes quóque Magnates, saccos induti & cilicia humiliârunt se coram Deo; quorum vestigiis insistens omnis populus, cooperti sacco apparuerunt omnes & conspersi cinere: *à majori úsque ad minorem.* Omnes, omnes, nullo excepto, à maximo úsque ad minimum, lacrymarum inundârunt diluvio totam civitatem, ut accensum extinguerent ignem iracundiæ magni Dei.

Magna pœnitentia Ninivitarum.

Ex mandato Regis indicitur jejunium universale, à quo eximitur nemo, idque tàm severum, ut inhibitum fuerit & cunctis viris & cunctis fœminis, ipsis etiam infantibus, quin immò ipsis jumentis, capere quidquam aut cibi aut potûs, nec aquæ quidem guttulam. Matres sua non porrigebant infantibus ubera, & omnes bestiæ suo destitutæ manebant alimento: miserabiles infantium clamores, horribiles jumentorum omnium mugitus, juncti gemitibus & lacrymis omnium peccatorum, constituerunt velut exercitum sanctum ad opponendum se iracundiæ Dei; tantíque roboris ipsorum fuerunt machinationes, ut Omnipotentis Dei exarmârint justitiam, excusserint ipsi è manibus fulmina, quibus conterere illos jam fuerat accinctus. Tandem piâ quâdam violentiâ coëgerunt ipsum, ut largiretur omnibus benignam, quam efflagitabant, misericordiam.

Quæro jam, quæ est hæc virtus, cui robur erat tam ingentia operandi prodigia in tantâ multitudine hominum sceleratorum, idololatrarum, conversorum in jumenta suorum turpitudine vitiorum? Erántne quinque hæc aut sex verba ex ore visibilis hujus Jonæ, quem aspiciebant coram, profecta? Non utitur ipse aliquâ sermonis concinnitate, ut suis consentire faciat illos votis; & omnes consentiunt, omnes flectuntur, convincuntur omnes: non allegat ipsis ullam rationem, vel ullum motivum, quo exstimulentur ad amplectendum pœnitentiam, & omnes unanimi sensu amplectuntur illam. Non lactat illos vel spe minima obtinendi indulgentiam à Deo, si exquirerent

illam; & omnes ſummam concipiunt animo fiduciam, obtenturos ſe miſericordiam. Quis tàm repentè operatur hæc omnia in cordibus obcœcatis, depravatis, prorsùs obduratis in omni malitiæ genere? Quis non videt, hunc eſſe non poſſe pauperem hunc ac ſimplicem hominem, quem nuncupant Jonam? Haud parum fuiſſet, ſi duos vel tres ſolummodò movere potuiſſet ex iis per pauca hæc, quæ prolocutus eſt, verba. Sed intuetur úsque ad cordis intima commotos, transfixos & confoſſos, confeſsósque ſe reos ipſos omnes, omninò mutatos in homines alios, veluti de novo creatos, omnes ſanctâ contra ſe ipſos accenſos indignatione, & deſiderio ulciſcendi de ſe tanto cum rigore injuriam Dei; & unico verbo, omnes converſos, omnes, omnes, nec unico quidem excepto: ubi eſt tantæ poteſtas virtutis ad producendum effectum tam prodigioſum, támque cunctis inauditum ſæculis?

Mirabilis converſio Ninivitarum.

Tu non es Jona viſibilis ac mortalis, Tu ſolus es, ô Verbum adorandum, Veritas æterna!; Tu es, Omnipotens Redemptor hominum; Tu ipſe es, ô JEſu, qui præſens ibi eras, abſconditus ſub tenui Prophetæ hujus ſpecie ac formâ: divina tua erant lumina quæ in momento penetrârunt ipſorum animos, ipſorum corda, ipſisque ob oculos poſuerunt ſuorum enormitatem criminum, & æternorum ſuppliciorum, quæ promeriti fuiſſent, magnitudinem, ad incutiendum illis judiciorum tuorum timorem; erat quóque bonitatis tuæ æternæ indulgentia, quæ animabat ipſos ad concipiendam ſpem miſerationum tuarum. Quando ergò apparet nobis effectus omninò manifeſtus, támque ſtupendus, ut omnes facultates humanæ ſimul unitæ ipſi producendo forent impares; ubi eſt cœcus, qui non videat, digitum Dei eſſe hìc? Ecce tibi ſalutem univerſalem totius civitatis; eſt ergò Salvator univerſalis omnium peccatorum, qui operatus eſt illam: Id certum eſt mihi, id video, dubitare de eo non poſſum.

Tota converſio Ninivitarum attribuitur JEſu Chriſto.

Verum eſt, concludit Oneſimus, luculentum hoc eſſe experimentum, quòd JEſus Chriſtus ſe æquè monſtraverit Salvatorem gentilium ac Judæorum. Et licèt hiſtorias non habeamus circa ea, quæ fecit in favorem omnium aliarum nationum infidelium, néque legamus, quòd miſerit illis quóque Prophetas ac Prædicatores, ad convertendum ipſos: nihilominùs meritò dubitare haud licet nobis, quin ſuppeditaverit ipſis vel per ſeipſum, vel

Credere poſſumus, JEſum Chriſtum laborâſſe in converſione omnium gentilium ante Incarnationem.

vel per alium viam nobis incognitam, omnia ad consequendam salutem suam media necessaria, cum articulus sit fidei, ipsum universalem esse omnium peccatorum Salvatorem; nulla mihi dubitandi suppetit ratio, quin exercuerit semper secundùm omnem charitatis suæ latitudinem, impositum sibi Redemptoris munus ac officium. Si dicatur mihi: unde id nôsti, cùm nullum nobis extet hâc super re in antiquis historiis testimonium; Respondebo: me magis credere cordi ipsius ardenter salutem omnium peccatorum desideranti, quàm crederem cunctis hominum narrationibus: Nonnè enim constat, non omnia, quæ facta sunt, esse quóque calamo consignata?

Unum est, quod admiror, adjungit Onesimus. Et est, quòd cùm ipsemet laboraverit in persona & omninò manifestè in procuranda salute nationis Judaicæ, quibus velut Messias fuerat promissus, tam paucos tamen converterit ex ipsis. Ah! ut hoc efficeret, quid non fecit? Audi, quid mihi hâc in re stupendum, & consideratione dignum videatur.

ARGUMENTUM.

Magnus zelus, quem JEsus Christus ostendit pro conversione Judæorum.

Articulus. III.

QUid non fecit ad lucrandum rebellem ac protervum hunc populum? Nutriêrat ipsos per omnem elapsorum sæculorum seriem promissionibus, quòd venturus ad ipsos, & daturus se totum ipsis esset; sed eodem tempore admonuerat illos calamitatis in quam dilapsuri essent in maxima felicitate suâ constituti per hoc, quòd, postquam ipsum tamdiu exspectârunt, tamque ardenter desiderârunt absentem, repudiaturi, nec admissuri essent præsentem.

Judæi habebant promissionem Messiæ, & vaticinium, quòd ipsum repudiaturi essent.

Ut contra hanc calamitatem præcaveret ac prospiceret ipsis, depingi se fecit sub pluribus figuris, quarum nonnullæ exhibebant divinas ipsius excellentias, aliæ abjectiones & infirmitates ipsius humanas; ut ipsum agnoscerent, nec admirarentur videntes in ipso tantas excellentias, tantasque abjectiones, tantum potentiæ, tantúmque infirmitatis; videntes conficere ipsum opera, quæ possibilia non sunt, nisi Deo, veluti miracula; & iterum videntes tolerare ipsum

mala, quæ Deo non sunt possibilia, velut dolores, contemptus, mors. Omnia hæc prædicta & repræsentata fuerant in figuris suis, ut agnoscerent, Messiam suum esse verum Deum, tanquam facientem ea, quæ non conveniunt nisi Deo; & verè etiam esse hominem, utpote tolerantem ea, quæ nonnisi sunt congrua homini. Sed populus hic eoúsque has adamavit figuras, ut unicè adhæserit iis, contemnendo etiam repræsentatam sub illis figuris veritatem, illámque repudiandô, præstituto tempore adventuram. Magni amatores promissionis, magni osores executionis, adoratores Messiæ absentis, persecutores Messiæ præsentis.

Repudium Judæorum non impedivit bonitatem Dei erga illos.

Cuncta hæc repudia non impediêrunt, quin fidelissimè servaret ipsis promissiones suas. Voluit nasci homo inter ipsos, & proximâ illis necessitudine conjungi; devovit se totum ipsis à nativitate suâ; sicque unicè invigilavit saluti Israelis velut dilecti populi sui, ut illam aliis noluerit concredere. Sed ipsemet officium sibi assumpsit instruendi illos proprio ore suo, prædicans absque intermissione in templo, in synagogis, in vicis, in villis, in compitis, in publicis plateis, in desertis, in omni tempore, in omni loco, & cujuscúnque conditionis personis, illis evidentissimè demonstrans, se verum esse Messiam Patribus ipsorum promissum, cessare jam figuras in præsentia veritatis, quam viderent; & probationes ab eo ipsis allatæ tam erant manifestæ, ut contradicere illis non possent. Et nihilominùs nunquam non adhærebant promissionibus & figuris suis, non æstimantes earundem adimpletionem, nec ipsam veritatem, quam habebant præsentem.

JEsus Christus locupletavit Judæos omni bonorum genere.

Quid agat, ut obstringeret ipsos ad recipiendum illam? Exspectabant, quod venturus Messias liberaturus ipsos esset à suis miseriis ipsique accumulandi forent omni ab eo felicitate. Et ipse, ut demonstraret illis, quòd haberent in se omnia, quæ exoptare possent, incessanter replevit ipsos bonis; cunctis ipsorum medebatur malis, sanavit ipsorum infirmos, resuscitavit ipsorum mortuos, liberavit ipsorum obsessos, illuminavit ipsorum cœcos, restituit sanitatem ipsorum leprosis & Paralyticis, suppeditavit ipsis panem in ipsorum necessitatibus. Et cuncta hæc sine numero miracula ab eo in ipsorum utilitatem facta, erant simul luculenta Omnipotentiæ Dei argumenta, quæ convincere debebant ipsorum animos, illisque persuadere, ipsum verè esse Filium Dei; erant beneficia offi-

officiosissima, quæ lucrari debebant omnia ipsorum corda, illisque demonstrare, quod verè verus esset Messias. Et nihilominùs inhærebant ipsi semper figuris ac promissionibus suis, citra quòd aperire vellent oculos, ad videndum, habere jam se illarum adimpletionem.

Judæi viderunt admiranda exempla vitæ JEsu Christi.

Ampliora adhuc fecit his omnibus, adjungens sermonibus & miraculis suis exempla vitæ prorsùs divinæ, cujus vel minima actio virtutem habebat omnium hominum abripiendi corda. O Deus! si quis propriis usurpâsset oculis exempla vitæ Filii Dei! O nimiùm felix populus, si suam cognoscere potuisset felicitatem! Et JEsus Christus ipsemet dicebat illis: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis; & beatæ aures, quæ audiunt, quæ vos auditis; quot Reges & mundi Optimates crederent se beatos, si viderent, quæ vos videtis, & non viderunt? Quot desiderabunt audire, quæ vos auditis, & nunquam audient ea ex ore meo? Nimiùm felix populus, qui favoribus repletus est cœli super omnes alias nationes mundi? Possidebant ipsi soli summam felicitatem mundi in Persona JEsu Christi; primariò & principaliter is datus est ipsis; in medio eorum operatus est mundi salutem; in manus ipsorum effudit divites bonorum cœlestium thesauros, quos secum attulerat in terram; in aures ipsorum ipsemet inseruit divinæ suæ oracula sapientiæ; coram oculis ipsorum omnia hæc ingentia patravit miracula; in ipsos, unico verbo, effundere voluit omnem gratiarum suarum abundantiam. Videntur habuisse ipsi & illarum præcipuas, & omnem ipsarum plenitudinem; & reliquos omnes homines non habuisse illas nisi post ipsos; & si ita loqui licèt, nos non habuimus nisi ipsorum fragmenta & reliquias: & nihilominùs nimiùm infelix populus; ipsi soli ex cunctis hominibus, hauserunt minimum ex illis emolumentum.

JEsus Christus traxit post se Judæos suis concionibus.

A quo & per quem stetit, quò minùs hauserint? An JEsum Christum destituit zelus, chariras, solicitudo, cura & labor in procuranda verè ipsorum salute? Turmatim sequebantur ipsum prædicantem, usque ad interiora deserti; omnes avidissimè desiderabant, omnes admirabantur ipsius doctrinam; verùm quàm pauci ex iis fuêre conversi? Unde hoc est? Et, quòd licèt prædicaverit cum admiratione omnium, non tamen prædicaverit ad omnium gustum & placitum. Philo Judæus observavit, magnum esse discrimen inter Medicum & coquum. Medicus in præparandis suis medica-

Philo lib. de Joseph.

dicamentis non aliud intendit, nisi ut conducant sanitati sui ægroti, non attendendo, an sint ad ipsius gustum: Ex adverso coquus aliò non collimat, nisi ut cibos condiat & accommodet juxta gustum sui Domini, haud solicitus, an profuturi vel obfuturi sint ipsius incolumitati. Plerique homines malunt Prædicatorem coquum, quàm prædicatorem Medicum, quia quærunt quod placet, non quòd prodest.

Quare JEsus Christus, qui trahebat post se omnes, converterit ex his tam paucos.

JEsus Christus prædicabat velut cœlestis Medicus, aliò non collimans, nisi ut incolumes & sanas redderet animas; proponebat res saluberrimas & infinitâ ratione proficuas, sed auditu minùs jucundas: verum quidem est, catervatim omnes confluxisse ad ipsum, facilésque & avidas præbuisse ipsi aures, cujus rationem facile est ominari. Ex unâ parte semper veritas tantæ ex seipsâ est pulchritudinis, ut omnis animus ipsam auscultandi teneatur desiderio; & ex aliâ tam divinæ eloquentiæ diffluebant ipsius labia dulcore, ut voluptas in auditores dimanans, affixas ipsius ori constringeret & teneret illorum aures. Ecce cur totus mundus abiêrit post ipsum. Sed quod tam dulce támque jucundum videbatur ipsis auditu, amarum & inamœnum erat factu: siquidem loquebatur ipsis de pœnitentiâ & inordinatorum affectuum mortificatione; loquebatur ipsis de humilitate, contemptu sui ipsius, de abnegatione propriæ voluntatis; prædicabat illis de exspoliatione facultatum terrenarum, de deserendis rebus omnibus ad amplectendam ipsius sequelam, nihilque anhelando, nisi suæ complexum Crucis. Homines tam carnales, uti Judæi erant, non afficiebantur doctrinâ adeò spirituali, támque propensionibus suis naturalibus amarâ. Ecce quare, dum omnes admirabantur ipsius doctrinam, deprædicabant ipsius eloquentiam, ita ut dicerent, nunquam sic locutus est homo, pauciſſimi tamen conversi sint, quia facere noluerunt, quod audiêrunt.

JEsus Christus poterat convertere omnes Judæos.

Verùm si JEsus Christus voluisset, replicat desuper Onesimus, nonne lucrari tam benè potuisset ipsorum corda, quàm ipsorum aures? Nonnè conferre potuisset ipsis omnibus se convertendi voluntatem, sicut conferebat omnibus suam circa hoc doctrinam & cognitionem? Nonnè tam efficaces possidet gratias, quibus nulla, obfirmatissima quamvis, resistere possit duritia, cùm ideò dentur, ut duritiam auferant cordis? Et nonnè ipsemet dixit nobis, quòd tam potens sit Deus, ut suscitare possit

possit de lapidibus filios Abrahæ? Quare non usus est hâc potestate? Videtur decuisse, ut universum hunc converteret populum, pro quo venerat præcipuè; si enim illorum nullus in suâ perseverâsset proterviâ, haud levis in ipsum dimanâsset gloria.

Quare id non fecerit.

Non diffiteor hæc, respondit Ecclesiasticus. Novi Omnipotentem esse Deum, qui efficere possit, ut sibi obtemperaretur à voluntate hominum, sicut obtemperare sibi facit cœlos, astra, elementa & omnes alias creaturas ratione privatas; sed hoc non fieret, nisi privando ipsam insigni illo libertatis suæ privilegio, quod contulerat ipsi, quod sanè foret ipsam pessumdare potiùs, quàm perficere. Novi mutare ipsum posse lapides in filios Abrahæ, eòquòd non reliquerit libertatem lapidibus resistendi sibi; verùm non mutabit filios Abrahæ in lapides, eòquòd ablaturus nunquam sit hominibus libertatem semel ipsis concessam. Novi possidere ipsum gratias tàm efficaces, ut tollere possint omnem humani cordis duritiem, illudque flectere ad faciendum omnia, quæ voluerit; sed provisum est, ne cor humanum protervâ quâdam resistat malitiâ si enim obtemperare noluerit præpotentibus gratiæ ipsius impulsibus, nunquam ad hoc cogetur ab eo, faciendo vim libertati ipsius.

JEsus Christus deploravit duritiam Judæorum, convertentium nollentium.

Ah! nonnè proterva hæc cordis Judaici resistentia vera origo & causa est, cur tam paucos converterit JEsus Christus ex infelici hoc populo? Nonnè horrenda hæc ipsorum obduratio sæpiùs ipsius palpebris expressit lacrymas? Quando evocavit è monumento Lazarum, ubi quatriduanus jam erat, prodigiosum hoc miraculum, quod patrârat coram numerosâ multitudine Optimatum Jerosolymitarum, erat concio tam pathetica, ciendisque animi motibus opportuna, ut ad centenos convertendum mundos abundè fuisset idonea. Et nihilominùs, quia videbat in corde Judæorum dispositiones tam malignas, tàm depravatas, duras ac protervas, ut non tantùm exinde nec minimùm sint emolliti, sed majori adhuc in ipsum succensi rabie, ita ut maledicto consilio sævam ipsi machinarentur mortem, hancque & ipsi inferre Lazaro jam fixum haberent animo; afflixit se, turbatus est spiritu, juxta phrasim sancti Evangelii, copiosas effundit lacrymas, & elatâ exclamat voce, ipsorum deplorante duritiam: *Tollite lapidem, tollite lapidem:* auferte hanc petram, removete mihi hanc duritiem, quæ obturat aures vestras voci meæ, quæque corda vestra meis obserat & occludit gratiis.

Non deplorabat is Lazarum; noverat enim ipsum mox à se restituendum vitæ, sed æternam protervorum illorum lugebat & deflebat mortem, quam quidem noluit, sed impedire non potuit, eòquòd inferre noluerit vim ipsorum libertati, quam ad invincibilem resistentiam jam viderat determinatam. Hæc est opinio, suntque ipsa verba sancti Chrysologi: Videbat Judæorum corda obstructiora inferis, viscera duriora mortuis; ejúsque vox, quæ patefecerat tartara, non patefaciebat eorum arcana, jussio, quæ exsuscitat mortuum, non suscitabat mentem ipsorum; lux, quæ illustrat sepulchrum, illorum non illuminabat animum. Ecce originem lacrymarum ipsius; ecce causam doloris & clamoris ipsius, dum exhortatur: Tollite lapidem, auferte mihi hanc cordium vestrorum duritiem, quæ omnes gratiarum mearum inflexibilitate suâ facit irritos conatus. Quid poterat ultra facere ad vincendum hos invincibiles? Loquitur ipsorum auribus per sermones suos, loquitur ipsorum cordibus per gratias suas, loquitur ipsorum oculis per miracula sua, loquitur ipsorum manibus per beneficia sua, accumulat ipsos favoribus tot ac tantis, quibus ipsos emolliendi scopulos abundè fuisset roboris; plorat & dolet coram illis de protervià & perditione ipsorum, quam quidem non vult, sed impedire non potest, quia non vult inferre vim libertati ipsorum? Si ergò non omnes flectantur, non omnes convertantur, quis non videt, non esse ipsum in mora, sed omnem proficisci culpam à duritiâ & invincibili ipsorum resistentiâ?

S. Pet. Chrysolog serm. 64.

Quare JEsus Christus resuscitans Lazarum clamaverit: Tollite lapidem.

Dicas mihi, quidquid volueris, replicat denuò Onesimus; novi tamen victrices habere Deum gratias, quas confert, cui voluerit, quæque infallibiliter semper suum consequentur effectum. Si JEsus Christus verâ voluisset voluntate conversionem totius nationis Judaicæ, obtinuisset illam tam absolutè, ut nec unicus remansisset ex illis in cœca suâ protervià, & protervâ suâ cœcitate. Quid prodest me dicere, ipsum tanta feciſſe pro illis, ipsosque habuisse gratias sufficientes, & plusquàm sufficientes, quarum adminiculo convertere se potuissent, si voluissent? Cui sunt bono hæ gratiæ sufficientes omnes, quæ solæ non sufficiunt ad unicam salvandum animam? Ut quid non dedit illis gratias has ex seipsis efficaces, nostræque victrices resistentiæ, quibus reipsâ fuissent conversi: Si voluisset ipsorum salutem, contulisset ipsis ejusmodi gratias, & verè conversus fuisset

Objectio illorum, qui volunt gratias, quæ necessitent ad faciendum bonum.

fuisset totus hic populus; verùm id noluit: Et quâ de causâ, haud licet interrogare. O altitudo!

Quid inquis, reponit illi Ecclesiasticus, cujus zelus totus videbatur accensus ex hoc discursu haud leviter aurium suarum offensivo: Quid inquis? Quòd si JEsus Christus verâ voluisset voluntate salvare totam nationem Judaicam, convertisset illos reipsâ, quia dedisset ipsis gratias has ex se ipsis efficaces, quæ operantur salutem animarum, & non tantùm gratias has sufficientes, quæ non sufficiunt. An dicere audeas, quòd JEsus Christus nullatenùs voluerit conversionem & salutem Judæorum, immò omnium etiam peccatorum? An contradicas magno Apostolo sancto Paulo, qui expressis id asserit verbis, cunctisque evulgat id sæculis: *Vult omnes homines salvos fieri?* Et quare venit in terram, nisi ut salvaret peccatores? Oporteret plusquàm hæreticum esse, qui oppugnare vellet hanc veritatem.

Deus vult salvare omnes peccatores.

An dicas, habuisse illum quidem aliquam ipsos salvandi voluntatem, sed hanc non fuisse efficacem? Hoc est, ac si diceres: dicit quidem, se id velle, fingit se id desiderare; sed reipsâ non vult, ipso facto non desiderat: Et ideò non confert illis has gratias, quæ reipsâ salutem operantur, sed alias, quæ facere id possent, & reipsâ non faciunt. Itáne? an concipere possit Christianus cogitationem tam injuriosam Deo, quem adorat, ut dicere non erubescat, quòd fingat quidem, velle se salutem omnium peccatorum, re autem ipsâ illam non velit voluntate verâ & seriâ? Hoc incompatibile, omninò foret cum bonitate & veritate ipsius infinitâ. Si consultò excludere quemquam velit à suâ misericordiâ, ubi est ipsius bonitas? Si velit id, quod non vult reipsâ, ubi est ipsius veritas?

Vult id ipsum verâ voluntate.

An igitur credas, magnum illum amorem, quem exhibuit toti nationi Judaicæ, non fuisse nisi figmentum & simulationem? an cogites, omnes illos labores, quos exantlavit pro ipsis, omnem illam solertiam, ac indefessam operam, quam impendit in docendo, movendo ac convertendo ipsos, non fuisse nisi fannas, quibûs illuserit ipsis? An dicas sicut Calvinus, impius hic & infamis hæresiarcha, quòd Deus vocet peccatores ad salutem, sed ut non veniant; quòd simulet conferre se illis gratias, sed nonnisi, ut subsannet eos; quòd impendat ipsis medicinam salutarem, sed ne fiant incolumes. *Adhibet medicinam, sed ne sanentur.* Verba tam abominanda an horrore non percellant aures? Sed dicere, quòd

Calvin. lib. 3. instit. c. 24. §. 13.

Blasphemia Calvini, quod Deus vocet peccatores, sed ut non respondeant.

non voluerit voluntate sinceriſſimâ salutem Judæorum & conversionem omnium peccatorum, quamvis dederit ipsis notas adeò manifestas, sed id velle, nonnè hoc loqui esset eodem quasi idiomate.

Dicere, quòd conferat quidem, reipsâ gratias sufficientes, quæ non sufficiant, ut perducant peccatorem ad ipsum, non autem conferat efficaces has gratias, quæ perducerent, si illas daret, nonnè idem est dicere, quod dicit Calvinus? quòd vocet ad salutem, sed eâ mente, ut non veniatur; quòd adhibeat medicinam, sed eo nomine, ut sanitas non obtineatur. Depone errorem, Onesime, JEsus Christus exhaustus est laboribus in Judæa cum verâ voluntate convertendi totam nationem Judaicam: sed illi bonæ ipsius intentioni respondere noluerunt: Deus vult verâ voluntate salutem omnium peccatorum; est enim bonitas infinita cunctis miseris facere volens benè; est veritas infinita, quæ fictè & simulanter agere nescit: sed pleriique peccatorum ex propriâ suâ malitia opponunt se omni, quod ipsis vult facere, bono.

Non vocat peccatores, ut non respondeant vocanti: nunquam enim aliquam dat gratiam eo nomine, ut sit inutilis, vult semper illam obtinere effectum suum; immò omnes gratiæ, quas confert, sunt efficaces ex parte ipsius; si peccator suum abnuat consensum, inefficaces manent ex resistentiâ suâ; semper autem erant sufficientes, id est, Deus dederat huic homini gratias, quæ sufficiebant ad ipsum convertendum, nisi ex malitiâ suâ recusâsset ipsas. Si peccator assensum præbeat gratiis à Deo sibi datis, habent hæ effectum, quem prætendit Deus in omnibus, quas donat, gratiis; efficaces igitur sunt ipsæ; sed peccator non facit illas efficaces, sed ipsæ potiùs peccatorem faciunt efficacem (si ita loqui licet) quia illæ suaviter trahunt consensum voluntatis ipsius, quem nunquam dedisset absque gratiâ. Ipse quidem solus abnuere potest consensum suum gratiæ, & efficere, ut ipsa maneat inefficax & sufficiens; sed solus dare non potest consensum suum in bonum absque gratiâ, nec reddere efficacem, si efficax non esset ex seipsâ. Sic salus ipsius non est in solo bono usu libertatis suæ, sed in auxilio gratiæ, quæ benè ipsum facit uti libertate suâ, pro eo, quòd ipsius perditio dependeat à solo libertatis suæ usu malo. Et qui aliter tibi loquetur de gratiâ Dei, & libertate humanâ fallitur.

Concordia admiranda gratiæ efficacis cum nostra libertate.

Omnes gratiæ sunt efficaces ex parte Dei.

Sed

Sed dicunt, esse nescio quid in gratia efficaci, quod non sit in sufficiente. Quid est hoc dicere, nescio quid? Estné ex parte Dei? Estné, quòd unam velit facere profectum, alteram manere inutilem? hoc absque impietatis notâ non potest affirmari: id esset enim dicere cum Calvino, quòd vocet aliquos, ut non respondeant, quòd adhibeat medicinam, ut non sanentur. Estné id ex parte peccatoris? Sed ipse nihil potest supperaddere gratiæ, nisi quòd abnuat, vel præbeat illi consensum suum; si hunc abnuat, non est defectus gratiæ, sed ipse solus committit defectum: si hunc præbeat, non facit ex solis suis viribus, nec ex aliquâ virtute, quam confert gratiæ, ut reddat ipsam efficacem; sed ipse potiùs virtutem recipit à gratiâ, quæ cùm adjuvet virtutem ipsius naturalem, facit ipsum operari salutem suam. Ex hoc intueri tibi licet, quòd omnes, qui pereunt, ex sola sua pereant culpa; quodque omnes, qui suam operantur salutem, id obtineant, per gratiam & misericordiam Salvatoris nostri. Et ex hoc denique concludo, quòd, si JEsus Christus nonnisi paucissimos converterit Judæos, non sit ex eo, quòd non omnem suum impenderit zelum pro salute ipsorum; quódque si omnes è gratiis ipsius non hauserint fructum, id non fuerit nisi ex solo defectu & duritiâ cordis eorum.

Libertas humana potest repellere gratiam ipsa sola, & non potest ipsi consentire ipsa sola.

ARGUMENTUM.

JEsus Christus dicit: Ego sum lux mundi. Qui videt per ipsum, admirandas invenit pulchritudines in doctrina ipsius, quas alii non percipiunt.

Articulus IV.

SIt verum, prosequitur Onesimus, nationem Judæorum damnasse & reprobâsse seipsam, eòquòd, cùm tota carnalis fuerit ratam & acceptam non habuerit doctrinam JEsu Christi, quæ tota spiritualis est. Sed Christiam ipsum agnoscentes & adorantes velut Deum suum; unde venit, quòd tam parùm cœlesti ipsius oblectentur Doctrinâ? Quare tam paucos videmus, qui ipsius amplectantur affectus & sensa, quique ambulent vias sublimes, quas ostendit nobis in suo Evangelio? Siquidem dicunt omnes, quòd credant, ipsum Deum esse, vi-

Quare tam pauci sequantur JEsum Christum in opere & veritate.

támque ipsius, vitam esse Divinam, nihilque majus esse, quam assimilari ipsi in vita sua, affectibus suis, desideriis suis, exercitiis ac operibus suis. Quare non omnes videre est Christianos cum gaudio frequentare & currere hanc viam? Nonnulli volant in ea, hicque suam inveniunt felicitatem; alii nonnisi reptant per eam, & nonnisi coacti accedunt illuc; & alii carpunt viam omninò contrariam: unde hoc venit?

Hoc venit, respondit illi Ecclesiasticus, ex eo, quòd, cùm JEsus Christus sit solus vera lux mundi, sicut scriptum est: *Ego sum lux mundi*; qui oculos non aperit ad videndam hanc lucem, nihil videat, nihilque faciat, nisi quòd dubiis manibus prætentans viam ingrediatur, in morem miseri cujusdam cœci. Auscultа me benè, facillimè tibi hoc ostendam. Benè judicas, quòd, cùm sol materialis sit lumen totius mundi visibile ac sensibile, ille, qui privatus fuerit hoc lumine, videre non possit ullam ex cunctis pulchritudinibus naturæ; incassùm fieret de ipsis illi sermo, omnisque in vanum impenderetur labor, si quis per discursum vel rationem, vellet illi desuper dare informationem, nihil enim caperet ex omnibus.

Joan. 8.

Imaginare tibi pauperem illum cœcum natum, cui JEsus Christus donavit lucem, uti refertur in Evangelio sancti Joannis: antequàm donaretur hoc favore, vivebat in medio cunctarum creaturarum visibilium, & illarum videbat nullam; nesciebat, quid rei esset totus hic mundus magnus. Valde credibile est, ipsum circa eum petisse informationem, hancque dare ipsi pro viribus studuisse ipsius amicos, quantùm spectat ad magnitudinem, pulchram dispositionem, splendorem ac ornatum prodigiosi hujus operis manuum Dei: sed ex omnibus, quæ ipsi dicebantur, capiebat nihil.

Joan. 9. Cœcus natus comprehendere non potest aliquam pulchritudinem visibilem.

Sentiebat quidem aliquid solidi sub pedibus suis. Quid est hoc? Est terra, dicebatur illi, quæ non est nisi minima & infima pars mundi; & nihilominùs admodùm amplæ est latitudinis & pulchritudinis admirandæ, quæ summâ voluptate demulceat intuentium oculos; siquidem cùm delectet varietas, videre est hìc varietatem maximam camporum, collium, pratorum, nemorum, rivorum, montium, vallium, climatúmque valde diversorum: videre est hìc per certos tractus & spatia civitates magnas, quæ non sunt nisi congeries magnificorum palatiorum pulchro ordi-

Non comprehendit, quomodò terra sit facta.

ne

ne dispositorum, pro commoditate & oblectatione plurimorum incolarum simul in hisce civitatibus habitantium, quorum unusquisque suam exornat & instruit domum pretiosâ suppellectile, eximiis picturis, & aliis curiositatibus haud parùm oblectantibus aspicientium tum oculos, tum animos. Infelix hic homo, qui oculis caret, nec novit, quid sit videre, audit hæc omnia cum aliquali satisfactione; sed ex omnibus sibi dictis comprehendit nihil.

Non capit quid sit aër.

Intelligebat benè, se respirare, & palpans manibus hinc & inde circùm se, advertebat esse quid aliud, quòd aliâ ratione dispositum & fabrefactum sit, quàm terra. Quid est hoc? dicebatur illi: Hoc aliud est corpus incomparabiliter majus universâ terrâ, quæ tota integra circumcingitur ab illo, quod solidum non est & grave sicut terra, sed fluidum & leve. Invenire hic est immensa spatia super terram, quæ tota illuminata sunt lumine cœli; & in omnibus hisce spatiis invenire est ingentem multitudinem avium diversæ naturæ, coloris, magnitudinis, & differentium valde proprietatum, quibus liberrima est potestas supra nostra obambulandi capita, quæ vadunt & veniunt, undequáque & quovis, ubi & quò libuerit ipsis, quæ pernavigant celerrimè velut Oceanum magnum hoc aëris elementum, quæ gradum non faciunt in eo, & adsunt citissimè, quæ semetipsas suis sese sustentant & firmant alis in regione elevatâ supra vertices coronatos, quibus facultas non est ad ipsas úsque suas porrigendi & protendendi manus. Miser hic cœcus, qui audit hæc omnia, nescit, quid sibi dicatur; impossibile est, ut sibi formet idæam taliter repræsentantem objectum, qualiter reipsâ habet.

Non potest sibi formare aliquam idæam cœli & astrorum.

Insuper dicitur illi, hæc omnia parva esse & exigua si adducantur in comparationem cum aspectu pulchritudinis cœli, quod miræ tum sublimitatis est tum magnitudinis, quod expansum videtur in morem conopæi regii supra totam machinam universi; quòd digiti Dei, qui confecerunt & collocârunt insigne & exquisitum hoc opus in excelsis, velut tectum domûs suæ, locupletaverint illud innumerâ multitudine pulcherrimorum astrorum, quæ dum miro refulgent splendore, videntur velut totidem pretiosi lapides fundo inserti cæruleo. Verùm quòd pulchritudines hæ non spectentur in cœlo, nisi tempore noctis, eòquòd omnis illarum splendor obfuscetur de die majori splendore unici solis, quem Deus collocavit in medio cœlorum

rum & astrorum, velut fontem inexhaustum luminum, quæ torrentis in morem è suis in inferiora hæc omnia effundit oculis; quòd, quando is præsens est, omnes mundi venustates conspiciendas exponat luci; quando absens est, abscondat illas, omnésque homines reddat cœcos, lucísque usurâ privatos, quòd ipse sit, qui nostros constituat dies, nostrásque noctes, qui dividat tempora, annique tempestates; quódque unico verbo, is solus quasi afferat omnem mundo visibili felicitatem.

Quis dubitat, quin cœcus hic natus, inaudiens hæc omnia concipiat idæam magnæ cujusdam rei, unde rapiatur in admirationem, nescit tamen quid sit, & non est, nisi confusum quoddam chaos in imaginatione ipsius: Et quando annos integros explanare contenderis ipsi speciatim pulchritudinem colorum & lucis, omniúmque rerum visibilium, impossibile est, ut concipiat & intelligat idipsum. Ratio clara est; quia cùm nonnisi lumen sensibile ostendere illi possit pulchritudinem objectorum visibilium, isque hoc privatus existat, consequenter omnes pulchritudines visibiles respectu illius sunt, quasi non essent; quam luctuosissimam privationem vehementissimè in suo deplorat corde, Ah! si aliquando intueri mihi liceret speciosum hunc solem, qui totius naturæ est facula, quique lumine suo ostenderet mihi cunctas, quibus privatus sum, mundi pulchritudines!

In hac cordis ipsius amaritudine, præteriens JEsus Christus, vidit ipsum, & misertus illius, posuit lutum super oculos ipsius, dixitque illi: Vade, lava in natatoria Siloë; abiit & lavit, & venit videns, illicò aspexit lumen, & per lumen omnes mundi pulchritudines hactenùs nunquam à se conspectas. O Deus, quis enarrare posset ingentem ipsius admirationem, quam hæserit attonitus animo, quanto abreptus fuerit gaudio! aspiciebat omnia, & omnia ipsi fuerunt nova, cuncta apparebant ipsi velut magna quædam prodigia. Quàm speciosa sunt hæc! quam hæc omnia videntur mihi stupenda! incassùm de his fiebant mihi verba, nil capiebam ex ipsis, nonnisi tenebrosum chaos circumferebam in mente meâ; sed modò video id, quod est, clarè intueor omnia, & aspicio pulchritudines, quas imaginari, quarum idæam mihi formare potuissem nunquam. Ecce tibi, quod in mundo materiali, & respectu lucis sensibilis omninò manifestum est; absque hâc impossibile est aliquid videre: quantum placuerit, loquere cœ-

Joan. 9.

Gaudium incredibile cæci nati, quando incipit videre.

co

co nato, sed absque luce sensibili comprehendet nunquam, quid sit dies, quid colores, quid cuncta objecta visibilia. Jam sequere me, attollamus modò altiùs cogitationes nostras.

Quando JEsus Christus asserit nobis, se esse lucem mundi, non loquitur de mundo hoc materiali, quem incolimus simul cum omnibus animantibus; sed de alio mundo supernaturali & spirituali, cujus jam supra mentionem fecimus, qui opus est gratiæ ipsius, & nostrarum habitaculum animarum. Hic mundus complectitur divitias & pulchritudines, quæ incomparabiliter antecellunt illas omnes mundi visibilis; sed impossibile est aliquam illarum videre, nisi illustratus quis sit divino lumine JEsu Christi. Ipse solus est sol specioši hujus mundi; ipse solus demonstrare potest animabus illius pulchritudines: illæ animæ, quæ nihil ex ipsius participant lumine, sunt respectu omnium rerum supernaturalium, quod cœcus natus est respectu mundi naturalis: potest quidem ipsis fieri sermo de illius venustatibus, possunt deprædicari ipsius prodigia, sed nunquam ex ipsis quidquam comprehendent.

Vide Consult. 19. art. 5.

JEsus Christus est sol in mundo gratiæ.

Quotidie fatigant se prædicatores in pulpitis clamando & annuntiando, quòd omnes res visibiles & corruptibiles nonnisi sint dignæ contemptu; quódque res invisibiles & æternæ nostrum solummodò mereantur amorem; quòd anima præferenda sit corpori, quòd bona gratiæ úsque adeò sublimiora & pretiosiora sint bonis naturæ, ut melius sit possidere unicum atomum gratiæ Dei, quàm omnia imperia mundi. Ingens populi multitudo hæc audit, & quasi nemo intelligit: judicabit forsan aliquis per parvum & tenue quoddam lumen rationis, magni quidpiam ac veri latere illic; sed non capit, non comprehendit; est cœcus natus, cui loquaris de coloribus.

Quare mundus nil comprehendat ex rebus supernaturalibus.

Incassùm dicetur illis, peccatum esse malum infinitum, reddens infelicem, quicúnque circumferat illud in corde suo; quódque homo, quantumvis sublimatus in solio, refulgens honore & gloriâ, natans totus in deliciis, & in omni bonorum terrenorum abundantiâ, longè infelicior sit alligatis ad triremes mancipiis, si conscientiam habeat unico duntaxat peccato lethali obnoxiam; quòd sit divini objectum odii, quòd inferni flammæ, si in hoc statu perseveret, ipsi sint inevitabiles; quódque ex hoc ansam non habeat ridendi, tripudiandi, seque felicem æstimandi, sed potiùs plorandi, sed lugendi, sed infeliciſſimum sese æstimandi cun-

ctorum mortalium. Cogitabit quidem, aliquid forsan veritatis subesse in hoc; & fortassis etiam levem quemdam tunc sentiet timorem; sed non comprehendit, nec idæam sibi format rei, qualis est in seipsâ. Est cœcus natus, cui verba facias de coloribus.

Non capitur quod vivere sicut JEsus Christus, excellentius sit omni alio vivendi genere.

Dic illi, quòd omnes vanæ mundi opiniones ipsum decipiant, quódque judicare possit, vitam, quam infinita sapientia Dei, postquam Incarnata est pro salute nostrâ pro propriâ suâ personâ sibi elegit, longè nobiliorem esse debere, omni aliâ vitâ & vivendi ratione, hancque omnibus aliis esse anteponendam; quódque cùm is vixerit in humilitate, in paupertate, in afflictione, in contemptu, in exspoliatione universali omnium rerum mundanarum vir prudens, cui libertas sit eligendi vitam, qualem voluerit, præ ferre debeat hanc cunctis aliis, feliciorem se æstimare, videndo se pauperem, quàm divitem, beatiorem in afflictione, quàm in voluptate, in contemptu, quàm in honore: judicabit is quidem hoc verum esse, ex ratione, quòd veritas infinita decipi non possit; sed non comprehendet, in quo consistat pulchritudo hujus vitæ; non capiet ipsius idæam in sua mente, nec affectum erga ipsam in suo corde; cùm necessariò careat lumine ad hoc videndum: Est enim cœcus, quem informes de coloribus.

Non percipitur, felicitatem esse in vita austera.

Verùm si dicas illi, majorem esse suavitatem in amaritudinibus pœnitentiæ, & in omnibus asperitatibus vitæ austeræ, quàm in cunctis mundi voluptatibus ac deliciis: plus esse sublimitatis in profunda humilitate, quæ quiescere nos faciat in nostro nihilo, quàm in cunctis victoriis ac triumphis Cæsarum: quòd insuper abscondi in solitudine, se separare à mundi familiaritate, ad conversandum nonnisi cum Deo, incognitum esse mundo, contemptum à mundo, absque consolatione sensibili, quin & gravissimis oneratum esse crucibus, sit vera sanctissimarum animarum felicitas, ubi plures invenerint paradisum in terra, unde deducti sint in paradisum cœli. Ipse nihil videbit ex his, nihil capiet, est homo constitutus in media noctis caligine, cui ostendere voles mundi pulchritudines. Quomodò voles, ut has videat? nihil ad hoc, quo summè indiget, habet luminis. Dicet quidem: Ecce tibi sensa & dogmata valdè spiritualia, plurimúmque omnem transcendentia naturam, sed horum pulchritudinem cernere non possum, nec eorum mihi formare idæam, multò

multò minùs ea opere exequi. Et annum integrum ipsi loquere de mundi hujus supernaturalis pulchritudine, absque lumine divino omnem perdes operam, nec quidquam efficies.

Non stat per JEsum Christum, quòd non videamus per ipsius lumen,

O Divine JEsu, tu solus vera lux es mundi, sinè te nulli animæ videre licet mundi hujus supernaturalis, qui gratiarum tuarum est opus, pulchritudines: miserere cœci hujus nati, fac ipsum videre lumen tuum, & per lumen tuum omnes pulchritudines mundi cœlestis. O quantâ perfundetur voluptate infelix hæc & cœca anima, si ingentem ipsi hanc exhibueris misericordiam! Ah! an ego sim in mora, an imputetur mihi? Respondebit tibi: lux non abscondit se, non vult aliud, nisi illuminare, cunctis se offert & exhibet oculis; sed quasi omnes hos ipsi claudunt, & plures se sponte excœcant, ut miserè se privent aspectu admirandarum harum pulchritudinum, quæ omnium ipsorum abrip[illegible]. Ah! quare id faciunt? [illegible]c adversantur sibi ipsis, & [illegible]icitati suæ?

Ratio humana impedit, ne videatur lumen JEsu Christi.

Duæ sunt rationes, quibus implexi semper tenentur miserabili hâc voluntariæ suæ cœcitatis conditione. Prima est, quòd claudere oporteret oculos rationi humanæ, & renuntiare omni lumini naturali, si videre quis vellet per lumen hoc supernaturale; sed nemo est, qui facere hoc velit: Tam firmiter inhæremus, quando nitimur bonæ rationi humanæ, ut recedere ab illa nolimus, ad amplectendum lumen rationis superhumanæ, quod sæpiùs æstimatur ceu stultitia, à carnis prudentiâ. Nemo intelligit, quid dicat sanctus Apostolus Paulus: *Prudentia carnis mors est:* Et alibi: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Quando dicitur: An magis quid consonum sit rationi, quàm vivere suo commodo, si quis facere id potest? Nonnè æquum sit conservare honorem suum & fugere omnem, quantùm quis poterit, contemptum? An prudentis sit hominis, infelicem esse velle in hoc mundo, cùm possit esse felix? quando allegantur innumeræ ejusmodi rationes, quæ videntur plausibiles, jam canitur triumphus, & vix est, qui ab illis recedere velit; hinc lumen JEsu Christi quasi ab omnibus repellitur, eòquòd omnem transgrediatur rationem humanam, ipsam subvertat, prosternat, ratione quadam confundat, quam comprehendere & sufferre non potest, vixque est, qui ipsi oculos non claudat. Ite lumina divina, abscedite divinæ rationes, nihil nobis vobiscum commercii:

Rom. 8.
1. Cor. 3.

Job. 21. 4. *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Nihil rationis videmus in eo, quòd proponitis nobis; adhærebimus semper & innitemur bonæ rationi humanæ.

Alia ratio, quæ quasi obstringit & inducit omnes ad claudendum oculos luminibus JEsu Christi, adhuc speciosior est & fortior. Natura statim horrore percellitur, ubi primùm vel obiter & ex transcursu intuetur lumina Christi, benè præsagiens omnia fore secum perdita, si magnæ hæ veritates dominari & tenere clavum incipiant in anima, seque illic constringant obedientiâ: Siquidem suis ibi privabitur voluptatibus, moriendum hic erit mundo ac sibimetipsi, portanda quotidie crux mortificationis, ad sequendum JEsum Christum, seque conformandum ipsius vitæ; & hoc est, quod ipsa abhorret. Quomodò hæc omnia inducam animo, quæ nonnisi magnos mihi conciliarent angores, meámque cogerent ac violarent libertatem? viâ regiâ incedendum est mihi; modò agam vitam rationi admodùm congruam, uti mos est viris bonis, abundè est pro me: Et exin neglectui habetur purissima JEsu Christi doctrina, veriorque sancti Evangelii spiritus, velut res, quæ non concernant nos, sed spectent ad alios.

Natura abhorret videre lumina JEsu Christi.

Interim non intermittimus vocare nos Christianos, legere tamen volumus & auscultare Verbum Dei, approbamus egregias, quas nos edocet, veritates; sed hæc omnia metimur juxta regulam bonæ rationis humanæ: sumimus exin, quantum nobis conducit, ut vitam ducamus honestam, nec angamus multùm naturæ inclinationes; ita ut divina JEsu Christi lumina, ejusque dogmata non sint rationis & vitæ nostræ regula; sed specioſa nostra ratio humana regula sit æterni hujus luminis, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: illud accomodare se debet prudentiæ nostræ humanæ, nostrisque inclinationibus naturalibus, quas honestas judicamus, aliàs illius nihil arridet nobis. Adhuc multum id est, si credamus rescindere nos id, quod vitiosum videtur nobis & minùs consentaneum rationi; sed ultra progredi & renuntiare luminibus rationis humanæ, & inclinationibus naturæ, quæ innocentes & noxæ expertes nobis videntur, ut attollamus nos altiùs & vitam ducamus supernaturalem ac prorsùs divinam, juxta exemplum & animum JEsu Christi, nemo quasi hoc capit, hoc intelligit idioma. Pondera hoc bene, Onesime, & invenies hanc

Quanta corruptela, moderari velle veritates divinas juxta rationem nostram humanam.

hanc veram esse rationem, quare JEsus Christus sic repudietur à mundo, & quare non solùm paucissimos converterit Judæos, sed etiam inter ipsos Christianos tam pauci sint, qui approbent & sequantur puram ipsius doctrinam: plurimi vivunt nonnisi sensibus, uti animantia; alii non pauci ratione se dirigunt, uti Philosophi; paucissimi vivunt ut veri Christiani, supra sensus, & supra rationem.

Nihilominùs fuit & adhuc videre est, qui clarè intueantur mundi hujus supernaturalis, quem mundum gratiæ nuncupamus, pulchritudines, respectu quarum cæteri omnes cœci sunt, & cœci nati, quique ita oblectentur illis, ut cætera omnia contemnant ad ipsas amplectendas. O! quantùm complacet sibi Deus exhibere animæ favorem hunc omninò prodigiosum, ut auferat ipsis cœcitatem hanc spiritualem, ipsáque clarè intueri incipiat pulchritudines divinas vitæ JEsu Christi, ipsius doctrinæ, ipsius Spiritûs, ipsius affectuum, ipsius operum? O Deus! quid erit cum illâ? quid accidet illi? longè major erit ipsius admiratio, quàm cœci nati, dum aspicere incepit pulchritudines mundi sensibilis: Quanta gaudii abundantia obruet illam? quidquid videt, nonnisi videt prodigia, quibus ipsius abalienatur animus, quibus ipsius attollitur cor supra omne id, quod unquam sibi poterat imaginari. O quàm longè hìc aliam intueor regionem, quàm illam naturæ, alias pulchritudines, alias divitias, alias pretiositates, quas non noveram! quantum excellentiæ, quantum gloriæ in profunda humilitate? Videbatur illa mihi prorsùs contempta; & ecce attollitur ad thronos Angelorum. Quantas divitias! quantam voluptatis abundantiam in altissima paupertate! videtur ipsa esse nihil, & possidere nihil; & ecce possidet omnia; ipsius enim thesaurus est Deus: prô deesse quid possit ipsi, qui possidet Deum! quantam suavitatem, quantum dulcorem, in asperrimæ pœnitentiæ amaritudine! quàm profundam pacem, quàm solidum solatium in portanda divini Magistri nostri Cruce! Mundus cœcus nonnisi meras hìc intuetur miserias, & nescit superabundare gaudiô in omni tribulatione nostra.

Admiratio & gaudium animæ illustratæ luminibus JEsu Christi, dum clarè videt pulchritudines mundi gratiæ.

Toties id mihi dictum fuerat, & capiebam nunquam, quia nonnisi sequi volebam lumina rationis humanæ, quæ in omnibus hisce cœcutit; sed modò dum oculos observavi propriis intellectûs mei naturalis & ratio-

Affectus & vota animæ illuminatæ.

nis humanæ falsis luminibus, ut referarem eos vero lumini JEsu Christi, clarè id video, certitudinem de eo possideo, nec ullum vel minimum hâc super re mihi supereſt dubium. Deserere cuncta pro Deo, & possidere nonnisi ipsum solum, summè est esse divitem; humiliare se, annihilare se propter Deum, maxima est dignitas, summus honor, quem assequi quis possit super terram; portare Crucem & pati pro Deo, absque ullo solatio humano, verus paradisus est animæ; id luculenter video, id sentio, id gusto, de eo dubitare non possum.

Proposita animæ à JEsu Christo illustratæ.

Immò postquàm divini hujus luminis radii magis aliquam illustrárunt animam, quàm prodigiosos videre est dimanare exin effectus? omnia in hac anima videas quasi susque deque versa. Vale munde, valete voluptates, valete divitæ, valete curæ corporis, vitæ, sanitatis, valete amici, consanguinei, societates, commercia cum creaturis. Adesdum solitudo, adesdum pœnitentia, adesdum æternitatis memoria, adesdum imitatio vitæ JEsu Christi, amabilissimi Salvatoris mei, adeste religiosa, quæ me docuit, mortificationis & abnegationis opera; vos agnosco, vestrum decorem video, vos diligo, nec ulli, nisi vobis deinceps invigilabo.

Et mundus, qui tam inusitatam cernit mutationem, in qua nihil comprehendit, totus attonitus hæret & stupefactus. Quantum ad me, nescio, quâ ratione homo iste aggredi potuerit ejusmodi genus vitæ: Verum est, nescis, nihil hic vides, quia cœcus es respectu pulchritudinum, quæ rapuerant hominem istum; sed si vidisses, quod ipse vidit; faceres quod ipse fecit.

Discursus hic commovit Onesimum. Optarem, inquit, parvum divini hujus luminis radium, qui ostenderet mihi omnes has sensibus & rationi humanæ absconditas pulchritudines. Sed quâ ratione? Non benè novi JEsum Christum; non arridentQuid faciendum ut alii quis illuminari mereatur a JEsu Christo. mihi ipsius dogmata, effata ipsius & placita. Quid facere possem, ut illorum obtineam cognitionem? frequenta scholam ipsius, consule pium nostrum Ecclesiasticum; schola ipsius est oratio, schola ipsius est Sacræ Scripturæ lectio cum spiritu humili, docili, & cognoscendi ipsum aviditate succenso, schola ipsius est prædicatio. Ascultа Verbum Dei cum bonis, quas afferre oportet, dispositionibus. Sed has nescio: dicam tibi hic illas, hisque nostræ finem imponemus Consultationi.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Modus excellens fructuosè audiendi Verbum DEI.

Articulus V.

NOn totum in eo situm est, adesse in Ecclesia & assidere coram Cathedrâ, ut audiatur Verbum Dei. Audientium corona videtur quandóque admodum numerosa, nihilominùs reipsâ valde tenuis est & exigua, cùm pauciſſimi sint, qui Verbum Dei, uti oportet, auscultent.

Quatuor hominum genera accedunt Concionem. Aliqui volunt videre sermonem.

Quatuor plerúmque hominum genera frequentant Concionem. Aliqui accedunt, ut videant Concionem; hi non adsunt, nisi ut congregatum inspiciant & perlustrent cœtum, oculis nunquam non vagabundis, observantes modò in his, modò in aliis oris totiúsque corporis habitum; ut videant, an magna audientium adsit corona, an præsens sit ille vel illa, semper animo abrepti ad mille chimæras sibi caput obruentes, nec ullam ad id, quod dicitur, permittentes attentionem. Hi fuerunt in sermone, & viderunt illum, sed non audierunt Verbum Dei.

Alii accedunt, non audituri Concionem, sed audituri Concionatorem, suúmque de eo formaturi judicium: aspiciunt ipsum in pulpito, velut Actorem in theatro; exactiſſimè observant ipsum à capite úsque ad pedes; an polleat agendi dicendive lepôre, an valeat voce, hancque moderari ad leges artis possit, an verborum utatur phaleris, an benè enuntiet illa, an gestus efformet aptos & compositos, an suam posſideat dictionem, an peroret, ut dicasculus, an loquatur ut discipulus, an præstet facundiâ, an depromat curiosa, docta, exquisita, an voluptate afficiat vel fastidio. Et postquàm omni invigilârunt curâ, ut promerita hunc hominem notent censurâ, congrediuntur post sermonem, & suum de ipso ferunt judicium. Hi fuerunt in sermone, sed non audiérunt Verbum Dei: siquidem non fuerunt ibi velut discipuli, ut addiscerent cognitionem Dei, sed ut Magistri & judices suam pronuntiaturi sententiam.

Alii, ut censura perstringant Concionatorem.

Tertii frequentant sermonem animi causâ, ut se oblectent & temporis horulam jucundè conterant: nil minus hi quærunt, quàm Verbum Dei; hoc namque nimìs pervulgatum, nimìs trivia-

Alii, ut suæ fatisfaciant curiositati.

triviale est pro ipsis; sed argutia quædam Philosophica ingeniosè disceptata, factum quoddam historicum eleganti deductum stylo, amœna quædam & florida rei descriptio, artificiosum aliquod & acutum Poëseos figmentum, curiosa quædam & benè ventilata quæstio, fœta nugis jocisque dramata, hæc sunt Embammata, quæ ejusmodi hominibus excitant orexin: Quòd si quem inveniant, cui sit curæ curiositatem ipsorum oblectare, hic audit apud ipsos oraculum, attollitur ab ipsis ad æthera. Hi fuerunt in sermone sicut alii, sed non perceperunt Verbum Dei; hoc enim non quærebant, minimúmque id erat, cui intendebant, sepelientes id illicò oblivionis tumulo; tenaciter autem conservantes id omne, quod profanum est & curiosum, vanum ac inutile, dimissis ac neglectis cæteris, cùm bonum non quærant utile, sed delectabile.

Pauci, ut verè audiant Verbum Dei.

Quarti igitur, quorum minimus est numerus, & sæpissimè valdè exiguus, conveniunt ad sermonem cum animo verè audiendi Verbum Dei. Hi visum non veniunt sermonem, judicatum non accedunt prædicatorem, oblectatum non advolant rebus vanis suam curiositatem; scopus ipsorum est, ut Verbum Dei suis usurpent auribus: horum sunt pauciſſimi, & ex his non pauci audiunt illud tam male, ut inde parvum vel ferè nullum hauriant fructum; vel quia modum ignorant id audiendi benè, vel quia fideles non sunt id exequendo, quod faciendum erat.

Ut benè audiatur Verbum Dei: aliqua præstanda sunt ante, aliqua sub, aliqua post concionem.

Et quid ergò facere oportet? indagat Onesimus; modò id scirem; id namque facturum mecredo, nec meis me defuturum partibus.

Oportet inprimis, prosequitur Ecclesiasticus, aliquas ante sermonem habere dispositiones; oportet secundò observare aliqua inter sermonem ipsum. Et tertiò (quod præcipuum est) benè oportet uti auditis post sermonem. Adverte benè, quid tibi dicam, & studebo ita dicere, ut intelligas.

Juxta mensuram dispositionis refertur fructus è concione.

Primò oportet ex parte suâ bonas afferre ad sermonem dispositiones, si referre ex sermone quis velit fructum bonum: Siquidem universalis est regula, quòd causæ universales non agant, nisi juxta dispositiones, quas inveniunt in subjectis. Plerúmque parvus effectus, qui reportari conspicitur, è tot ubique frequentatis & declamatis Concionibus, aliunde non proficiscitur, nisi ex mala audientium dispositione. Hanc maximi ponderis veritatem JEsus Christus ipsemet explanavit nobis

bis in pulchra illa de semine parabolâ. Semen, inquit, est Verbum Dei, quod agricola ubivis indiscriminatim projicit: aliud cadit supra petram, & radicem non potest agere; aliud cadit secùs viam & volucres cœli veniunt, rapientes illud, & sic sinè fructu efficitur; aliud, sed illius pars exigua cadit in terram bonam & solerti industriâ cultam; & hoc facit fructum majorem vel minorem, juxta quod illa benè vel meliùs fuerit disposita ad illud recipiendum. Ecce quomodò idem semen inutile maneat, vel fructuosum sit, vel magis fructuosum, juxta dispositiones, quas invenit in terrâ, in quam jacitur.

Malæ dispositiones ad audiendum Verbum Dei,

Idem omninò accidit cum Verbo Dei, inquit Salvator noster: si afferas cor lapideum, durum, insensibile, nunquàm non rebelle voci Dei, quomodò exspectas aliquid fructûs productûrum ibi Verbum ipsius? Oportet igitur hanc emollire duritiem, oportet conterere cor hoc lapideum actibus contritionis; quem in finem haud absonum foret, aliquantulo tempore ante Concionis initium adire Ecclesiam, téque exercere solerter & seriò in actibus doloris, aversationis & odii erga peccatum, amorisque erga Deum, quibus cor conteritur & quasi redigitur in pulverem, ut fiat

Cor durum.

terra bona ac idonea ad recipiendum utiliter bonum semen; Imaginare tibi, à campanâ te ad Concionem vocante, tuis accini & occentari auribus illud Vatis regii: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Non audies id in vanum, necessariò oportet id aliquem in te producere effectum, quo te vel emolliat, vel obduret. Elige. Psalm. 94. v. 8.

Si afferas ad sermonem animum in morem vepreti curarum aculeis horridum, solicitudinibus rerum humanarum transfixum; si caput habeas fœtum & oppletum negotiis, angustiis, inquietudinibus, timoribus, consiliis, millenis cogitationibus afflictivis, quibus occuperis, quibus torquearis: quâ ratione attentionem necessariam adhibere poteris Verbo Dei, ut desideratum ex eo capias & referas fructum? Evelle spinas, expelle saltem parvulâ illâ morâ, unicâ horulâ omnem aliam ex animo curam, omnem aliam ejice è mente cogitationem, tranquilla redde interiora cordis tui per quietum & vacuum ab omnibus curis silentium, sub quo divinum Verbum pacificè nasci possit in anima tua. An ignoras, hâc ratione Verbum Incarnatum intrare voluisse in mundum: Dum medium silentium tenerent omnia; in medio silentio

Animus turbatus negotiis & inquietudinibus.

omnium Creaturarum? Ex defectu hujus dispositionis plerique eorum, qui negotiis sæculi sunt intricati, quasi nunquam fructum hauriunt è Verbo Dei.

Anima vagabunda & dissipata.

Alia adhuc mala dispositio est ad audiendum benè Verbum Dei, si fueris velut lata quædam & trita via, cunctis aperta, & indiscriminatim ab omnibus frequentata. Forsitan carebis pungentibus te spinis, eòquòd nulla tibi sint negotia, quibus tua interturbetur quies; verùm est tibi levitas animi, & continua cogitationum defatigans mentem evagatio; omnibus ac singulis indifferenter permittis transitum per oculos tuos, per aures tuas; per imaginationem tuam; nec unquam aliquid arces, nunquam alicui præcludis aditum: nunquam dispositus, ut ingrediaris teipsum, tuum figens & recolligens animum, quem impendas & intendas magnis & infinitâ ratione ponderosis salutis tuæ veritatibus. Si accesseris ita, venies incassùm audire Verbum Dei; néque enim vel minimum ex illo percipies emolumentum: Dispone te meliùs; & quomodò? Ecce tibi bonas quatuor dispositiones.

Quatuor bonæ dispositiones necessariæ, ad audiendum benè Verbum Dei.

1. Bona dispositio est ad audiendum benè Verbum Dei, magno ejusdem teneri desiderio, magni illud pendere, & agnoscere, maximam esse felicitatem, summúmque honorem, quo frui possis, quod Altissimæ Majestatis Deus, quem reverentur Angeli in cœlo, dignetur tibi loqui, téque admittere ad Divini Verbi sui auscultationem. Accede magnâ cum fame id audiendi & benè degustandi, & omnem illic invenies dulcedinem, ac fructum omninò singularem.

2. Est bona dispositio, quando acceditur cum intentione purâ cognoscendi Deum, ut diligatur; addiscendi divinas ipsius voluntates, ut impleantur, séque accendendi majori erga negotium salutis suæ zelo; & quando quis ita omnem adhibuit conatum ad emolliendum cor suum, ac reddendum illud docile ad vocem Dei, est quasi impossibile, quin Deus benedicat menti & intentioni tam puræ, támque piæ.

3. Non minùs bona dispositio est, quando quis suo expellit animo omnem aliam cogitationem, ut unicè suam defixam habeat mentem Divini Verbi præconio, velut maximo, gravissimíque momenti negotio, quod tractari possit in terra, probè ponderando, quòd dependeat æternitas ab eo. Eheu! fortâssis salus mea vel æterna mea damnatio dependet ab hâc horâ, juxta quod benè vel malè impenderim eam, proficiendo vel non proficiendo è Verbo Dei. Quando

do res aliqua summo habetur loco, & non mediocris sed maximi creditur esse ponderis, haud negligenter illi manus adjicitur, nec levi duntaxat conficitur Minervâ; sed omnes impenduntur nervi, ut auspicatus ex eâ referatur fructus, hícque non levis, sed maximus.

4. Denique optima dispositio est, quando accedítur profundâ cum humilitate: Siquidem Deus arcana sua revelat humilibus, & abscondit illa superbis; consultum igitur est, ut per ignita suspiria è cordis meditullio ad Deum evibrata petatur ab illo, quod pauper ille cœcus expetiit in Evangelio: *Domine, ut videam lumen;* vel quòd sanctus efflagitavit Augustinus: *Domine noverim te, noverim me;* utque immediatè ante Concionis initium brevis sed fervens fiat oratio ad Spiritum Sanctum pro Concionatore, ut inspiret ipsi, quod melius fuerit magísque proficuum gloriæ Dei & audientium saluti; pro se ipso, ut tribuat sibi cor docile & morigerum; & pro totâ assistentium coronâ, ut abundanter suas super illos diffundat gratias.

S. August.

Maximè assentior his omnibus, inquit Onesimus, probè advertens, quòd qui attulerit bonas hasce dispositiones ad auscultationem Verbi Dei, plurimum relaturus sit ex illa emolumenti; quæ tantò magis arrident, quantò minori cum difficultate afferri possunt, si vel leviter adjiciatur illis animus. Sed dicebas, certa quóque observanda occurrere, dum dicitur sermo. Quænam sunt ista? Ecce tibi illa.

Primum est, auscultare omnia, quæ dicuntur in veritatis Cathedrâ, maxima cum reverentiâ, non velut verba hominum, sed velut verum Verbum Dei. Sic sanctus Paulus exaratum reliquit: *Non ut verbum hominum, sed ut est verè Verbum Dei.* Non credas esse hominem, qui enuntiet tibi hæc cœli oracula; sed putes ipsum Deum esse, qui loquatur tibi ex ore ipsius. An enim ignoras, quid suis & de suis asseruerit Prædicatoribus: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Qui muniretur vivâ hâc fide, & profundâ hâc reverentiâ erga Verbum Dei, sæpe Deus reipsâ ipsius loqueretur animæ, & auribus cordis cuncta suggereret alia, quàm quæ auribus corporis suggerit Prædicator.

2. Thess. 2. v. 13.

Sub sermone tenendum est, Deum nobis loqui.

Secundum, quod observari oportet, est; ut magna cum cura conserventur & custodiantur omnia, & non perdatur ex iis, si possibile est, nec verbum unicum, non solùm, quòd nescias, quo ex illis uti velit Deus ad illuminandum & movendum animam tuam; quódque, si negligas unum, forsan id esse possit, quod maximè tibi erat necessarium; sed etiam, quòd credere

debeas, idem Verbum æternum, quod indutum est carne mortali in mysterio Incarnationis, ad reddendum se visibile oculis nostris, quódque abscondit se sub speciebus panis in sanctissima Eucharistia ad intrandum in ora nostra, se induisse quóque voce sensibili per linguam Prædicatorum, ad ingrediendum per aures nostras.

Recipiendus est JEsus Christus in Concione, sicut in Communione.

Quamobrem sanctus Augustinus vigesimâ ex quinquaginta suis homiliis (quæ veluti quinquaginta ingenii & zeli sui sunt prodigia) volens instruere populum suum, quâ ratione recipere debeant adorandum hoc Verbum in Prædicatione, proponit ipsis pro exemplari modum, quo accedere solent, ad recipiendum adorandum Corpus Christi in sacra synaxi. Et ecce tibi, quâ ratione loquatur illis:

S. August. hom. 20, inter 50.

Interrogo vos fratres, dicite mihi, quid vobis plus esse videtur, Verbum Dei an Corpus Christi? si vultis vere respondere, hoc utique dicere debetis, quod non est minùs Verbum Dei, quàm Corpus Christi. Et ideò, quantâ solicitudine observamus, quando nobis Corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat, tantâ solicitudine observemus, ne Verbum Dei, quod nobis prædicatur, dum aliud cogitamus aut loquimur, de corde nostro pereat: quia non minùs reus erit, qui Verbum Dei negligenter audiêrit, quàm qui Corpus Christi in terram cadere negligentiâ suâ permiserit.

Ecce ergò hìc paucis, sed patheticis verbis instrueris à sancto Augustino, quâ ratione auscultandum sit Verbum Dei: Fac ad recipiendum illud dignè, quod facis, ut dignè recipias sanctissimum Corpus Christi: Et hoc sufficit; sed minus tibi faciendum non est, cùm sit idem JEsus Christus, quem recipis in utroque. Intrat ipse per Sacram Synaxim in os tuum, intrat per prædicationem & Verbi Divini annuntiationem in aures tuas; utrobique & ubivis omni dignus est reverentiâ. Desideras puram esse animam tuam, ab omni labe peccati, ad recipiendum Sacram Synaxin & Corpus Domini; id ipsum quóque age, ut dignè excipias & auribus recipias Verbum Dei; veritates æternæ, quas nobis annuntiat, non intrant libenter in animam peccatis obnoxiam. Magnam adhibes reverentiam, nec minorem solicitudinem, ne minima perdatur particula, Sacram recipiens Eucharistiam; non minus reverentiæ non minus solertiæ adhibeas, quando idem Verbum æternum recipis in verbi sui prædicatione. Et ecce tibi, quid secundò sit observandum.

Et pro tertio, cogita semper, Deum esse, qui loquatur tibi; ita tibi ipsi in particulari, & intende de omnibus quæ dicuntur, quantum poteris, quasi dicerentur nonni-

Cogitandum est omnia, quæ dicuntur in concione, esse pro nobis.

nonnisi pro te solo: ne imiteris illos, qui cuncta remittunt ad alios; Hoc est bonum pro illo, hoc non malè quadrat pro istâ, hocq; optimè congruit pro isto altero. Non, hæc omnia sunt pro te ipso: Dicas sæpiùs in arcano cordis tui, quasi videres JEsum Christum præsentem, tibique coram loquentem: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Ecce ergò, quid observandum sit durante concione.

Verùm hæc omnia proderunt nihil, nisi fidelissimè conserves Verbum Dei, & conservatum in tuum convertas commodum. In hoc præcipuè totius rei cardo vertitur; cujus defectu frequentissimé auscultatur Verbum Dei, & nihil inde proficitur. Mos habet tumultuariò & catervatim concione absolutâ mox egredi Ecclesiâ, & illicò permittitur sensibus, imaginationi, totique animo alias prorsùs admittere cogitationes, quæ diripiunt in momento, quod auditum fuerat in sermone. Actum est, non ampliùs subit memoriam, fugiunt omnia ac si nunquam fuissent audita.

Totus Concionis fructus consistit in hoc, ut conservetur in corde, ubi ponderetur & benè digeratur.

Non in momento, quo percipitur sermo, trahitur ex eo profectus: siquidem oportet affixum esse animo iis quæ dicuntur & docentur à Concionatore, qui loquitur celeriter, ubi sibi ipsi intendere, sibique dicta applicare non permittit temporis angustia; sed faciendum hoc est in instituta desuper reflexione. Quando post sermonem mediâ horâ vel saltem quartâ horæ parte recollecti animo, uti post receptam Sacram Synaxin fieri amat, præcipua ruminamur auscultatæ Concionis capita, gustare conamur illa, & altè menti insculpere, sicque digerendo per otium in nostrum convertere alimentum; tunc ipsemet Deus Prædicatorem agit animæ nostræ, illam instruit, illam movet, illam urget ad bona concipiendo proposita, ad renovandum fervorem. Et ecce tibi fructum, quem colligit & haurit exinde. Unica Concio hâc ratione auscultata plus afferet utilitatis quinquaginta aliis, ejusmodi reflexione desuper facta destitutis.

Quomodò scrutandæ veritates saluti.

Conquereris non valere te memoriâ, quâ retineas dicta in Concione. Et quomodò diu retinere poteris ea, quæ nonnisi audisti vice unicâ, & quidem strictim & in transcursu, quin desuper instituas recollectionem: Cogitandum & recogitandum & longiori morâ ruminandum est id, cujus retinendi tenetur quis desiderio. Vide, quid faciant volentes addiscere Philosophiam, vel aliam quamvis scientiam: Non sunt contenti auscultâsse semel Magistrum docentem, sed habent sua scripta, quæ legunt & sæpiùs relegunt; de illis discurrunt, illa penitiùs rimantur, ex illis & circa illa

ca illa disceptant, seque exercent, quoad profundè insculpserint menti, quod scire desiderant.

Modus benè retinen sermonem.

Quanto id nobis probro, quod centies majori non ardeamus zelo addiscendi res fidei & veritates salutis. Non sufficit, has semel dictas esse nobis; oportet ponderare illas, volvere & revolvere animo, nec acquiescere, quoad perfectam illarum assequamur cognitionem. Ecce tibi, cui studio invigilandum sit omni Christiano; nôsse nimirum Christum & veritates salutis. Ecce orationis suæ quodnam eligere debeat argumentum, quæ verè oratio est fidei excellentior omnibus. Et ut omnia unico absolvam verbo, vis modum & medium certum benè retinendi Concionem? Exerce, exerce ipso opere, quod audîsti in sermone, & obliviscêris nunquam.

CONSULTATIO XXII.

De Thesauro infinito meritorum JEsu Christi.

S. Augustinus in Psalm. 93.

LEgenti mihi Scitum illud S. Augustini effatum in Psalmum nonagesimum tertium, ubi introducit loquentem cum animâ Deum: *Venale quid habeo. Quid, Domine? Regnum cœlorum. Quo emitur?* Ut videam, an sim solvendo; respondetur, id pretii esse infiniti, eòquòd boni infiniti conferat possessionem, eamque infinito tempore, in omnem nempe æternitatem. Magnificentia regni me capit & allicit, id habendi cor flagrat ardore; sed pretii exterret me magnitudo. Quâ ratione id obtineam?

Deus nobis vult vendere regnum cœlorum.

Omnia nostra natura bona nonsufficiunt ad emendum illud.

Ex hoc omnium mearum divitiarum inco rationem, ut experiar, an habeam, unde solvam; & invenio me nonnisi miserabile habere nihilum, unde exivi per Creationem: Ecce tota mea hæreditas. Invenio aliud adhuc deterius mihi esse nihilum, in quod dilapsus sum per peccatum: Ecce totum meum, quod feci lucrum. Video me habere Corpus humanum, quod nascendo attuli in mundum, sed huic facultas non est alia, quàm corporalia conficiendi opera, quæ ex seipsis abjecta sunt & brutis propria: hæc omnia non admodùm magni sunt valoris. Verum est, me etiam habere animam spiritualem, quæ idonea est ad exantlanda opera longè nobiliora, quàm illa sint corporis; sed hæc omnia, cùm nonnisi intra conditionem stringantur naturalem, procul absunt, ut ad infinitum acce-

accedant pretium. Sic post initam rationem omnium, quæ habere possum à meipso, probè video, id penè esse nihil, nimiam esse paupertatem meam, nec habere me, unde, quod anhelo, mihi comparem.

Omnia bona naturæ humanæ similiter non sufficiunt.

Nihilominùs desiderium emendi regnum cœlorum urget me, omnia inquiro media, ut eam acquiram, quâ mihi opus est summâ; suppetias efflagito à consanguineis, propinquis & cognatis meis, quorum maximus & amplissimus est numerus: siquidem Adam est Pater meus, & omnes filii Adæ sunt fratres mei; infinita ipsorum est multitudo, inter quos reperire est non paucos fortunæ muneribus conspicuos; volent utique suppeditare mihi pretium, quo regnum mihi emere liceat æternum; non est familia nec stirps, nec stema, quod non exhauriat se lubens, ut gaudeat prærogativâ aspiciendi unum è fratribus suis evectum ad possessionem alicujus regni; promptissimè ergò annuunt, mihique dicunt: accipe quæ habemus omnia absque exceptione ullâ. Sed comperio ipsos simul omnes non esse ditiores me; omnes æquè ac ego non possident plura, quàm miserrima duo nihila; unum entitatis, alterum peccati; non sunt illis nisi opera quædam corporalia valdè abjecta, & alia nonnulla spiritualia, quæ tamen nullius sunt valoris, eòquòd contineantur solummodò intra limites naturæ; sic non invenio inter ipsos omnes, unde emam regnum cœlorum, quod mihi vendere vult Deus. Quid faciam ergò, ut obtineam illud; tandem enim id comparabo, quanticunque steterit mihi.

Omnia bona Angelorum sunt quóque nimiùm parva.

Recurro ad amicos meos (ceu tales revereor Angelos in cœlo) novi melioris me ipsos esse conditionis; scio me perfectè amari ab ipsis, cùm omnes in omni perfectione possideant charitatem; haud dubiè auxiliari mihi volent in mea necessitate. Rogo vos, adjuvate me, emerem libens regnum cœlorum, quod Deus venale mihi offert; sed nimia est paupertas mea, nimisque mihi curta suppellex; sed & omnes fratres mei, omnes suas exhauriendo divitias, necessarium mihi pretium non potuerunt suppeditare. Sed vos, quibus omnium bonorum est abundantia, meam sublevate indigentiam. Annuimus votis, inquiunt mihi, accipe, quæ possidere nos cernis, omnia. Credebam ultra modum ipsos esse divites, nihilominùs invenio, ipsos habere nihil, quod finitum non sit, cùm tamen infinito mihi opus sit pretio: omnia hæc ergò mihi non sufficerent; & dein video, omnia ipsorum bona ita ab illis esse inseparabilia, ut spoliare se ipsis non possint, nec

nec aliis cõmunicare illa. Ecce igitur adhuc meâ me deluſum ſpe.

Verùm aſpectus hujus regni ſuccendit me ardenti deſiderio poſſidendi illud; comparandum id mihi eſt, quibuscúnque ſtet impenſis; exutus námque illo, in æternum miſer & infelix ero. Quis eſt ergò, qui ſubminiſtrare mihi poterit omne, cujus indigeo pretium, ut, quanti valet, tanti emam illud? Recurro ad Dominum meum, ſummum meum Principem, ad illum, qui dedit mihi eſſe; novi ipſum bonitatem eſſe infinitam, majori amore proſequentem me, quàm omnes proſequi poſſint creaturæ; jamjam id proprio didici experimento; ipſe enim omnia, quæ habeo, donavit mihi gratuitò, absque ullâ obligatione, ſed ex purâ ſuâ liberalitate: Certus ergò ſum, ipſum benevolo eſſe in me animo. Novi ipſum eſſe divitem, inexhauſtos eſſe ipſius theſauros, quin & in hoc ſuam collocare gloriam, ſi diffundendo in nos ſuarum divitiarum abundantiam, ſuam declarare nobis poſſit magnificentiam.

Deus ſolus ſuppeditare nobis poteſt pretium neceſſarium ad emendum regnum cœlorum.

Domine tu ſolus es, qui quidditatem dediſti mihi & eſſentiam; Tu igitur ſolus quóque es, à quo quidditatis & eſſentiæ meæ exſpecto perfectionem; perfice opus tuum, ipſíque confer, quod deeſt ipſi, ut tota te maneat gloria, exquiſitum perfeciſſe opus manuum tuarum. Tu feciſti me ad imaginem tuam, & capacitatem tribuiſti mihi poſſidendi regnum cœlorum; vehementiſſimo aduror deſiderio habendi illud, probè gnarus, infeliciſſimum me fore, ſi id olim non poſſideam, melíùs enim non eſſe foret abs eo mihi. Verùm dicitur mihi, me id non habiturum, niſi emero, infiniti autem id eſſe pretii; unde hoc deſumam, niſi tu ipſe ſuppedites id mihi? nihil enim infinitum eſt, niſi quod in tuis numeratur theſauris; aperi illos ex miſericordia, mihíque ſuccurre.

Verbum æternum, quod eſt Verbum Omnipotens Dei Patris ſui reſpondet ad hoc; id negotii majoris eſſe ponderis, quàm ut tractari valeat extra Deum. Jam vides, ô homo, omnes creaturas, omnes homines, omnesque ſimul Angelos, ſuppeditare tibi non poſſe infinitum hoc, quo indiges, pretium, & omnia, quæ minora ſunt Deo, hujus nullam habere facultatem. Quid cogitandum eſt de re, quæ ſoli reſervatur Omnipotentiæ Dei? Et dein memineris, quòd, quando agebatur de conferendo tibi eſſe naturali, res nobis fuerit viſa tanti momenti, ut conſilia deſuper inierimus, Pater meus, Ego & Spiritus Sanctus, ad conferendum tibi animam immortalem, téque formandum ad noſtram imaginem. Jam dum agitur de confignandâ tibi poſſeſſione

Tres Divinæ Perſonæ conſultant & deliberant.

sione propriæ gloriæ Dei in omnem æternitatem, ipse judica, an opus hoc incomparabiliter majoris non sit ponderis illo altero. Verum est, thesauros bonitatis Dei esse inexhaustos, ipsumque complacere sibi, suis benè faciendo creaturis: verum est etiam, non solùm omnia possibilia esse Deo, sed etiam nihil Deo esse difficile. Tu desideras, ut ipsemet suppeditem tibi pretium infinitum, quòd requiritur ad emendum tanti, quanti valet, regnum cœlorum. Nimiùm te amo, quàm ut in hoc dem tibi repulsam, nimiúmque sum potens, quàm ut in hoc inveniam difficultatem: nihilominùs ob tantam hujus operis Majestatem, in consilium vocabo Patrem meum. Audi benè, quid tractetur, & perspicies in hoc difficultates, quæ primâ fronte tibi videbuntur insuperabiles, essentque tales reipsâ, si minus sapientiæ, minus potentiæ, minúsque haberem bonitatis.

ARGUMENTUM.

Verbum æternum eo Incarnatur nomine, ut acquirat statum merendi pro nobis.

Articulus I.

Verbum æternum non potest mereri in sua divinitate.

AUxiliabor, inquit Verbum æternum, & succurram indigentiæ hujus hominis; formatus is est ad nostram imaginem, est ipsi capacitas possidendi bonum infinitum, id habendi experitur desideria in sua anima, sed desideria immensa in sua latitudine, æterna in sua duratione, & nunquam finienda. Si magno hoc deluса & frustrata fuerit desiderio, æternùm erit misera & infelix, sed cùm creata non fuerit, ut misera sit, suppeditabo illi infiniti merita pretii, quibus tanti, quanti valet, emere possit regnum cœlorum.

Sed unde desumes hæc merita? respondet Deus Pater; cùm horum habeas nulla? Meritum est opus dignum retributione. Prô quàm posses recipere retributionem, qui es Deus! meritum est res, quæ non convenit nisi alicui inferiori & subdito: obedire enim hic debet voluntati alicujus se majoris, illique servire juxta ipsius arbitrium, ut reddat se dignum aliquâ retributione? sed tu non es net meus subditus, nec meus servus in statu, quem tenes, sed in omnibus es mihi æqualis; mereri igitur non potes, & consequenter nec dare merita hominibus.

Verum est, respondet Verbum adorandum, quòd, cùm æqualis tibi sim in omnibus, obtemperare

Oportuit Filium Dei fieri ipsius servum, ut mereri posset.

tibi non valeam, nec aliquid apud te mereri. Sed ideò inferiorem tibi me faciam, fiam homo; & in hoc statu ero subditus tuus, & servus tuus; faciam omnes voluntates tuas, tam exactâ tamq; perfectâ cum obedientiâ, ut tibi placiturus, pariturus tibi sim voluptatem; tuque judicaturus opera mea mereri retributionem; sic habebo merita, & hæc merita erunt infinita, quia cùm actiones meæ procedant à Persona Divina, habebunt dignitatem proportionatam Personæ se facienti; & hæc Persona cùm infinita sit, nihil facere potest, quod non sit dignitatis infinitæ, meriti infiniti.

Deus Pater recompensare non posset merita Filii sui, in persona ipsius.

O quàm dignum habebo servum in Persona tua! dicit Deus Pater. Ergò & meus servus eris & mihi æqualis: velut servus meus poteris mereri; & velut æqualis meus mereberis ratione infinitâ. Sed quomodò dignam mercedem dare potero tali servo? Nihil video, quod dare ipsi possim, ut retribuam, in quantum meretur: siquidem, si extra me circumspiciam, quando dedero tibi omnia, quæ creata sunt, hæc omnia tanti non existunt valoris, quanti servitiorum tuorum unicum, eòquòd hæc infinitam non constituant retributionem; & quando exhaurirem nihilum, ad trahendum ex eo omnes creaturas, quas extrahere possem virtute Omnipotentis brachii mei, nihil invenirem ibi, quod adæquare posset infinitorum tuorum meritorum magnitudinem. Quærendum ergò mihi foret intra me metipsum, ex quo dignam tibi facere possem retributionem; & quid tibi nisi meam donare potero divinitatem? Sed hanc jam habes; est tua sicut mea, quia nobis communis est.

Viden, quousque me redigas, quo in statu me colloces. Ecce te modò æqualem mihi in omnibus, & in hoc statu mereri nihil potes, eòquòd nimiæ sis magnitudinis & excellentiæ; & quando meus futurus es inferior, mereberis infinitâ ratione, per tuam obedientiam, eòquòd, cùm eris meus subditus, non desinas esse mihi æqualis; retributionem autem æqualem meritis ejus, qui æqualis mihi est, dare non possum. Quid faciam igitur, si hoc arripias medium? an omnia tua sinè retributione relinquam merita? Hoc foret injustum, an juxta eorum retribuam illa magnitudinem? Hoc meæ transcendit robur potentiæ.

JEsus Christus non est meritus pro se, sed pro hominibus.

Novi hoc, respondet Verbum æternum. Verùm non cupio mereri pro me; & quamvis, cùm mea merita sint infinita, nulli nisi mihi soli conveniant, non tamen servabo ea pro me: quod enim retributionis genus dari mihi poterit, quidve amplius habere potero, quàm quod possideo? Mereri ergò desidero pro homine, qui

qui pauper est, substituam ipsum pro me, ut meorum recipiat stipendium servitiorum; est cognatus meus, est frater meus, amo illum, benè faciam illi; quidquid fuero promeritus, illi tribue; satisfactum mihi credam, si meritorum, quæ acquisivero, acceperit retributionem; hinc nihil faciam pro me, nec pro commodo meo, sed omnia pro ipso & ipsius emolumento.

Itáne: Eoúsque amas ipsum, ut donare ipsi velis omnes labores tuos, omnia merita tua, quin reservare quidquam velis pro te, sicut faceret infelix aliquod mancipium, miser aliquis verna, qui non laborat pro te, sed pro Domino suo, quique pro se lucratur nihil, nisi quod frangatur labore, consumatur fatigatione. Sed mancipium id facit ex necessitate pro aliquo se majore; & tu id facis ex pura bonitate pro aliquo inferiore, infinitâ ratione minore te. O quanto flagras ipsius amore! ô quantis titulis obstringitur is tibi! ô quàm grati tibi debet significationem animi! Ah! quid facere poterit, ut ostendat tibi, se non esse ingratum? Quid pro tantis retribuere poterit beneficiis? Nihil, nec minimum unquàm exspecto me recepturum ab ipso. Novi ex adverso, ipsum tam fore ingratum, ut minoris æstimaturus sit infinitum meritorum meorum thesaurum, quem largior ipsi, quàm tenue lucellum temporale. Novi, ipsum non solùm non cogitaturum de me, méque velut ignotum daturum oblivioni; sed facturum deteriùs, me contemnendo, méque levissimâ ex causa offendendo gravissimè.

Quantum amorem ostenderit nobis JEsus Christus, domando nobis omnia sua merita,

Et his omnibus non obstantibus fieri vis servus amore ipsius, ut merearis pro illo, & non labores nisi pro illo, & ipsi des dono omnia tua bona, ac si is esset æqualis tibi, vel etiam Dominus tuus, túque ipsi pluribus nominibus esses obstrictus: ô bonitas! bonitas infinita! ô abundantia amoris & misericordiæ! ut quid non æstimaris? ut quid non rapis in admirationem homines? an nôsse te quis potest & non amare ex tota anima sua?

JEsus Christus velut beatus & comprehensor non potest mereri,

Verùm hæc non sunt omnia, resumit Deus Pater, alloquendo Filium suum Unigenitum; obtinebis quidem statum & capacitatem merendi, quando eris meinferior, factus homo; sed hæc non sola est conditio necessaria. Oportet esse viatorem, ut mereri quis possit & tu semper es comprehensor; id est, oportet esse in eodem statu hominum mortalium, qui transigunt suam vitam, velut continuam peregrinationē in terra, nunquam non tendentes & contendentes, ut patriam suam assequantur cœlestem, sed nondum adhuc beati. Ecce quid dicatur esse viatorem; oportet esse

in hoc ſtatu, ut merendi quis habeat facultatem; nam ab inſtanti, quo beati ſunt, nil amplius merentur de novo. Sed tu ſemper beatus eris à primo inſtanti vitæ tuæ, quia in inſtanti, quo creabitur anima tua, videbit Deum; & hoc ipſi debebitur ex juſtitiâ, quia ipſa erit anima proprii Filii Dei. Quomodò igitur mereberis, cùm nec unicum futurum ſit inſtans vitæ tuæ, quo non ſemper Beatus ſis & comprehenſor.

Merebor cunctis momentis vitæ meæ, reſpondet Verbum æternum, quia benè conjungere novero duos ſimul ſtatus Viatoris & Comprehenſoris, non minùs, quàm unitas ſervabo duas naturas, divinam & humanam, id eſt, omnia & nihil, in mea Perſona. Dividam me igitur inter ambos, ita ut anima mea futura ſit beata, & permanſurum Corpus meum inſtatu ſimplicis viatoris, paſſibile & mortale: quin & faciam diviſionem animæ meæ inter ſtatum utrúmque, Comprehenſoris & Viatoris; pars ſuperior fruetur Viſione Dei, & erit beata, hæcque merebitur nihil: & inferior erit ſubjecta paſſioni, & permanebit capax triſtitiæ, timoris, angoris, faſtidii, & omnium afflictionum interiorum & ſpiritualium; & hæc merebitur. Siquidem voluntas mea libera, quæ communis erit utrique ſtatui, Comprehenſoris & Viatoris, dividet ſe quoque inter utrúmque, ita ut ex parte beatitudinis neceſſitanda ſit, nullámque habitura facultatem merendi; & ex parte afflictionum Corporis & animæ, futura ſit libera & habitura merendi facultatem.

JEſus Chriſtus factus eſt Viator, ut pati & mereri poſſet.

Quando igitur mereri incipies, & quando idipſum finies? Incipiam à primo inſtanti vitæ meæ immortalis, & non finiam niſi in inſtanti ultimo: Siquidem primus eſſe mei creati, & libertatis meæ humanæ uſus, ubi primùm illum accepero, erit, ut totum meipſum impendam tibi, ô divine mi Pater, non ſolùm, ut reddam tibi cuncta homagia, quæ debebo tibi ob novum hoc eſſe, quod dederis mihi; ſed ut devoveam me tuæ juſtitiæ velut victimam, ut immoler in expiationem peccatorum mundi. Et dicam tibi ex intimo cordis mei: Benè video, quòd omnia ſacrificia animalium, quæ oblata ſunt tibi à creatione mundi, ſufficientia non fuerint ad ſatisfaciendum tuæ juſtitiæ pro peccatis hominum; ſed dediſti mihi corpus, quod tibi offero in ſacrificium pro reparandis ex integro omnibus injuriis, quibus à cunctis affectus es peccatoribus. Et prima hæc mea voluntas ſacrificandi totum meipſum pro ſalute mundi, ſufficiet ad ſanctificandos omnes homines, eòquòd voluntas efficax accipiatur à te pro effectu ipſo. Cùm mereri inceperim à primo hoc inſtanti vitæ meæ,

JEſus Chriſtus mereri incepit à primo inſtanti vitæ ſuæ, & non deſiit, niſi ante mortem.

Heb. 10. Ingrediens mundum dicit &c. Inquâ voluntate ſanctificati ſumus.

meæ, prosequar in omnibus aliis, ita ut nec unicum vacuum relinquam meritis, nec finiam priùs nisi in extrema mortis luctâ exspiraturus in Cruce & dicturus: *Consummatum est.*

Joan. 19.

Sufficit pro justitiâ, non sufficit pro amore.

Ergò jam satisfeceris à primo instanti vitæ tuæ mortalis, eòquòd sacrificium hoc voluntarium tui ipsius, cùm sit sacrificiũ à Deo præsentatum & oblatum Deo (ubi victima æqualis infinitæ, quam honorat, majestati) futurum sit meriti & valoris infiniti. Hoc ergò sufficit: respondet, sufficit pro tuâ justitiâ: Nam hæc in toto suo rigore exigere plus non potest, quam reparationem infinitam: sed hoc non sufficit pro meo amore; hic namque vult copiosam & abundantissimam fieri redemptionem. Et quando adjunxeris centenas aut bis centenas actiones sanctissimas, quæ omnes infiniti erunt meriti, an hæ non sufficiant? Ita, sufficiunt pro tuâ justitiâ, sed non pro meo amore; non vult hic tam angustis arctari limitibus.

Cur Jesus Christus voluerit mereri tam abundanter.

Et quando consumpseris quindecim, & viginti & triginta annos vitæ tuæ, absque eo, quòd dies noctesq; facias aliud, quàm quòd continuò merearis pro hominibus, omnia temporis tui momenta bonis replendo operibus, quorum unumquódque meriti erit infiniti; an nondum hæc omnia sufficient? Immò sufficient, & sufficient etiam superabundanter pro tuâ justitiâ; sed non sufficient adhuc pro amore, quo feror erga homines: siquidem accumulare non cessabo merita infinita infinitis meritis ad componendum ipsis tam locupletem bonorum meorum thesaurum, ut absolutè futurus sit inexhauribilis, túque ipse, qui Deus es Omnipotens, ipsum ita exhaurire non poteris, quin remaneant semper infinita merita, quæ sufficere poterunt infinitis hominibus, ad emendum tanti, quanti valet, regnum cœlorum. Hinc nunquam agere & pati desinam pro peccatoribus toto vitæ meæ spatio, nec unquam contentus ero, quoad dixero moriens ex amore ipsorum in Golgothæo vertice: *Consummatum est.*

JEsus Christus tanta non pertulit, nisi ut suo satis faceret amori.

Itáne, amabilis mi JEsu, itáne, infinitâ ratione amabilis Salvator animæ meæ, hâc ratione adhibes & accipis ingratos homines? Quando sic multiplicas bona tua opera, passiones tuas, merita tua, tantas agglomerans infinitates tantis bonorum infinitatibus, manifestè intueor, hoc necessarium non esse ex parte Patris tui cœlestis, nec ad satisfaciendum ipsius justitiæ; actionum namque tuarum duntaxat unica plus quàm sufficiens foret ad hoc; nec ad demonstrandum illi amorem tuum erga ipsum; hic enim non minùs exploratus est ipsi, quàm tibi; nec ad obstringendum illum, ut amet te;

te; infinitâ enim charitate te amat ab æterno: luculenter etiam video, illa omnia necessaria non esse, nec fuisse pro te ipso; tu enim nec minimum ex illis trahis emolumentum, ad te magis & amplius locupletandum. Certum igitur est, id esse intuitu nostri, & ex amore erga nos, quòd ita multiplicare volueris superabundantem hanc bonorum ac meritorum infinitorum abundantiam; quod ipsemet per os Apostoli tui asseruisti: *Ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ Tuæ, in bonitate super nos in Christo JEsu.* Ephes. 2. v. 7.

Ita, omnia hæc facta sunt ex amore erga nos; id est, ad ostendendum nobis infinitam amoris sui erga nos magnitudinem, & accendendum amore reciproco omnium corda hominum, quem si non responderent, omnium forent ingratissimi & stupidissimi creaturarum. Siquidem idem est, ac si manifestissimè dixisset nobis: Aspice, ô homo, & vide, an generosus sit animus & sincera voluntas, plena amoris, benevolentiæ ac bonitatis, quòd ita sacrificaverim, totúmque tradiderim me pro te & tua salute: centies millies & millie millies plura quàm opus erat ad salvandum te feci, ad ostendendum tibi, quòd meus erga te amor infinitâ ratione transcendat id omne, quod assequi posses cogitatione: Et tu ingrate, tam parvi me facis, ut non tantùm procul absis ab eo, quòd plura facias pro me ultra id, quod debes, sed ne gradum quidem moveas ultra id, quod maxima tua à te exigit obligatio! Nunquam non quæris: an ad hoc obligatus sum? Nonne sufficit, si faciam hoc vel istud? ad plura non teneor: Et tu, quæ pro me facis, metiris singula, ut rescindas, quæcunque potes; tam modicum tibi est erga me bonæ voluntatis! Et si minimum quid ultra tuam facias obligationem, putas, quòd habeas me tibi obligatum, meque tibi ex eo debere plurimum! ubi est ratio tua? ubi est mens tua? ubi gratitudo tua?

Efficax motivum ad amandum Deum.

Quid dicas ad hæc? ubi sanæ mentis est homo, qui hanc veritatem attentè considerans non sumè confundatur, seque ipsum execretur intuendo abominandam suam erga eum ingratitudinem, erga quem tantam habet obligationem? Quis non erubescat, dum videt, se nihil facere, nisi cum fastidio, & sumâ cum negligentiâ, quasi timeret, ne nimium & plus æquo faciat? O Deus! an sic accipimus ipsum, sic agimus cum eo? Nonne devovenda forent nobis ex æquissima grati animi obligatione singula vitæ nostræ momenta pro JEsu Christo, qui cuncta vitæ suæ pro nobis consecravit instantia? Non dicam, quòd minimum instans vitæ

Nihil facere volumus pro JEsu Christo, qui omnia fecit pro nobis.

vitæ ipsius, quod donavit nobis, ad merendum pro nobis, majoris fit valoris ac pretii, quàm omnis vita omnium simul hominum: consideranti enim hoc penitiùs, præ confusione & pudore vix non foret moriendum. Sed si utrinque ambulandum foret pari passu, & comparanda forent momenta cum momentis, ubi horæ sunt vitæ nostræ, quas purè reddimus JEsu Christo, pro omnibus diebus vitæ suæ, quos donavit nobis? O vecors nostra ingratitudo, quam es execranda! Sed revertamur ad considerandum, quàm admirabili ratione voluerit mereri pro nobis.

ARGUMENTUM.

JEsus Christus, qui non erat liber ad peccandum, erat liber ad merendum.

Articulus II.

AN igitur amplecti vis statum merendi pro hominibus, ô JEsu Salvator peccatorum? Incomparabilis tua charitas te exstimulat, ut suppedites illis abundanter, unde emant regnum cœlorum: Et hinc, cùm æqualis sis Deo Patri tuo, reddis te ipso inferiorem, ipsique subjectum, cumque beatus sis ex justitiâ, reddis te voluntariè miserum ac infelicem, id est, passioni subjectum ac mortalem velut hominum novissimum. Verùm hoc nondum sufficit, oportet esse liberum, ut mereri quis possit: omne enim, quod fit coactè vel ex inevitabili necessitate, nec meritum habet, nec demeritum. Jam tu liber non eris: siquidem indifferenter extendere non poteris manum ad ignē vel ad aquam, id est, ad bonum vel ad malum, sicut cæteri hominum, cùm impossibile futurum ubi sit peccatum vel minimum: coactus igitur eris ad faciendum bonum; si fueris coactus, non es liber; si liber non sis, nihil habebis meriti in omnibus operibus tuis.

Requiritur libertas, ut aliquis mereri possit.

Sed quomodò liber non essem, respondet ad hoc JEsus Christus, eòquòd, cùm verè sim homo, habiturus sim voluntatem humanam & liberum arbitrium ejusdem naturæ cum reliquis hominibus? Jam liberum arbitrium hominis non vult impelli coactione, nec ligari necessitate; aliàs destrueres illud, & faceres ex eo minus; quàm hominem liberum; nam esset velut bestia, si ipsum cogeres velut infelix mancipium, si necessitate ipsum ligares. Dedit Deus speciosum hoc homini privilegium, quod semper conservare vult ipsi, ipsumque illo à memine spoliari, ut faciat omnia sua Opera, sicut placuerit ipsi, non solùm absque coactione, sed etiam absque necessitate.

Ve-

Verum quidem est, voluntatem ipsius non esse vitæ ipsius regulam; non spectat, nisi ad supremam voluntatem Dei esse propriam suam regulam, cùm illa sit ipsa rectitudo & sanctitas per essentiam, quæ nunquam errare, aut in minima re deficere potest. Sed voluntas hominis indiget aliâ quâdam regulâ magis certâ magisque securâ, quàm sit ipsa; aliàs aberrat, deficit & deflectit facillimè: libertas ipsius non datur illi, ut aberret, sed ut benè se dirigat & moderetur; aliàs hæc non foret perfectio hominis, sed defectus, quo ipsis bestiis magis redderetur infelix. Libertas igitur ipsius non data est ipsi, ut dirigeret seipsam juxta propriam suam inclinationem: sic enim se dirigendo nunquam non à recto suo deflecteret tramite. Quare ergò data est ipsi libertas, nisi ut moderetur semetipsam? Ideò data est illi, ut ipsamet eligeret regulam infallibilem; quæ securè deducens ipsam in recto tramite, conservaret ei semper perfectam suam libertatem, illámque custodiret feliciter à lapsu in servitutem peccati, quâ turpiter privaretur, libertate, eòquòd ab hoc probrosissimâ constringatur servitute: *Qui facit peccatum, servus est peccati.* E servitute, quando in hac perseverat, dilabitur in necessitatem & in quamdam coactionis speciem, à qua reliqua sua prorsùs exuitur libertate; Nam qui assuetus est servire peccato, experitur se quasi necessitate compulsum & ratione quâdam coactum ad semper peccandum. Vide quàm procul à vera absit libertate.

Quare libertas data sit homini.

Joan. 8.

Ex hoc pulcherrimæ duæ deducuntur consequentiæ, exactâ dignissimæ consideratione. Prima, quòd nunquam voluntas humana magis sit libera, quàm quando inseparabiliter adhæret voluntati Dei, eam in omnibus sequendo, eòquòd tunc nobilissimum & excellentissimum exerceat libertatis usum, quem unquam exercere pollit, cùm exerceat ipsum absque coactione & absque necessitate: tum quia ad hoc ex propria sua se determinat electione, sibíque per hoc securitatem acquirit se meliùs semper conservandi in perfecta sua libertate, immunis à periculo prolabendi in servitutem, quamdiu infallibilem hanc sequetur regulam. Altera, quæ deducitur, consequentia est, quòd non sit perfectio libertatis ferri posse in peccatum, sed potiùs defectus & quasi ruina libertatis hominis; cùm hanc illi Deus non dederit, ut abuteretur illâ.

S. August. Epist. 98. *voluntas libera tantò liberior, quanto sanior; tantò autem sanior, quantò divinæ gratiæ misericordiæ subjectior.*

Hâc factâ suppositione, dicit tibi JEsus Christus, luculenter ostendo, nunquam fuisse hominem, nec unquam esse posse hominem tam liberum, sicut ego fue-

Nunquam aliquis homo fuit tam liber sicut JEsus Christus.

fueram in omnibus operibus meis, eòquòd nunquam aliquis habuerit voluntatem suam humanam ita in omnibus divinæ affixam voluntati. Duæ mihi sunt voluntates in unica mea persona divina & humana; superior dirigit inferiorem, & inferior adhæret unicè directioni superioris, ipsamque sequitur etiam in minimis ac levissimis rerum circumstantiis. Et ecce tibi excellentiam & triumphum libertatis meæ, cùm id non faciam nec ex coactione, nec ex necessitate, sed ex libera electione, quam feci, quamque facere non desino eâdem cum libertate: faciam in omnibus voluntatem divini Patris mei, qui misit me, cùm impossibile sit, meliorem exercere me libertatis meæ usum: procul absum, ut eâ me privem, cùm nunquam non tam perfectè utar ipsâ, ut semper in perfectissimo, quod habere possit, ipsa perseveret exercitio.

Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.

Joan. 14.

Nec alleges mihi, me plenâ non frui libertate, eòquòd ab hâc recedere non possim, ut in minimum ferar peccatum, imò nec in defectum levissimum, qui divinæ contrarius sit voluntati. In hoc namque ipso omnem possideo plenitudinem, omnemque excellentiam libertatis meæ: siquidem peccare posse, non est perfectio, quæ libertatem condecoret humanam, sed potiùs infinitas, quæ devenustet ipsam: sicut non diceres, quòd aliquis itinerans non sit liber ad benè conficiendum iter suum, eòquòd progrediendo nec labi posset, nec aberrare à viâ suâ; ex opposito enim hoc ipsum perfectam magis conferret ipsi id efficiendi libertatem: diceretur enim ipsi: incede liberè, non cades, neque deflectes à viâ. Sic tantò meliùs meam possedi libertatem ad merendum, quòd ipsam non habuerim ad peccandum.

Peccare posse non est perfectio libertatis.

Sed oportet me hìc altiùs attollere animum tuum, tibique considerandum proponere mirum, quo abripiaris, portentum. An nôsti, in quo consistat gloria, in quo consistant divitiæ libertatis meæ, interrogat JEsus Christus? Non in hoc, quòd habeam libertatem humanam in tota integritate suâ. Liberum arbitrium hominis, quando est solum, manet sterile, ineptum & inhabile ad operandum quidquam, quod alicujus valoris sit coram Deo; necessariò igitur conjunctum esse debet cum divinâ voluntate, & tunc in bonis operibus ac meritis efficitur fœcundum. Quando dicitur, quòd oporteat esse liberum, ut aliquis esse possit in statu merendi; hoc quidem innuit, quòd nulla debeat adesse vel coactio, vel necessitas, sed innuere non vult, nullum adesse debere cum re aliquâ vinculum & con-

Oportet ut libertas humana connubium faciat cum voluntate Dei, ut fœcunda sit bonis operibus.

junctionem; immò potiùs necessarium est, ut libertas humana sacri vinculo connubii ligata sit cum voluntate divinâ, si parere velit proles generosas ac nobiles, id est, actiones perfectas, quæ habeant quidquam meriti: aliàs non pariet nisi spurios & nothos, id est, actiones viles & abjectas.

Vide modò, quàm splendido ac sublimi statu cohonestem liberum hominis arbitrium; vide quàm auspicatâ sorte, quámque honorifico ac felici ipsum locupletem connubio, cum divinâ voluntate contracto, virtute cujus ita bonis operibus ac meritis redditur fœcundum, ut id solum suppediteț ipsi, unde copiosissimè omnes ditet homines, qui creati sunt, vel creari possunt ab Omnipotenti brachio Dei.

Tria connubia in mysterio Incarnationis.

Trina tractavi connubia in solo Incarnationis mysterio. Primum inter naturam divinam & naturam humanam, quæ vinculo tam arcto ac intimo unitæ sunt, ut nonnisi unicam solam constituant Personam, inseparabiliter inter se invicem per unionem hypostaticam conjunctæ, velut per nodum quemdam sacrum nunquam ampliùs dissolubilem. Sed hoc primum non est nisi veluti medium ad contrahendum secundum inter voluntatem divinam & voluntatem humanam, quæ similiter tam arctè & intimè conjunctæ & unitæ sunt per sacrum perfecti amoris vinculum, ut ex duabus voluntatibus non fiat nisi una, non per aliquam comixtionem aut confusionem essentiarum, cùm semper realiter à se invicem distinguantur, sed per sacram intentionum suarum perfectissimè semper in iisdem rebus convenientium harmoniam. Et tandem secundum hoc matrimonium non est adhuc nisi velut medium ad constituendum tertium inter liberum arbitrium omnium hominum & voluntatem cœlestis Patris ipsorum, quod desideratus est finis, & fructus exspectatus Mysterii Incarnationis, cùm verum sit, id confectum non esse, nisi ad sanctificandos homines.

Ecce ergò tibi statum libertatis humanæ in Persona mea, dicit JEsus Christus. Verum est, illam nec cogi, nec necessitate compelli, nec ita constringi, ut jus amittat libertatis suæ naturalis; nihilominùs sacro alligata est vinculo, quod nunquam disrumpetur, eòquòd sacro quodam conjuncta sit connubio cum voluntate Dei. Sed adverte, ipsam divino hoc connubio non solùm ipsam non esse violatam nec in esse suo, nec in jure suo, nec in prærogativis suis, nec in naturalibus perfectionibus suis, aut quidquam ex his amisisse, non magis, quàm natura huma-

Miræ tres prærogativæ, quas recipit liberum hominis arbitrium è suo connubio cum divinâ voluntate.

humana violata sit, vel quidquam amiserit naturalium suarum perfectionum, eòquòd conjuncta sit cum naturâ divinâ. Sed potiùs connubium liberi arbitrii hominis cum divinâ voluntate acquisivit ipsi admirabiles tres prærogativas, quæ in admirationem rapiunt Angelos, & summam omnium hominum constituunt felicitatem in tempore & æternitate.

Bona. Prima est, quòd admittatur in possessionem omnium infinitorum bonorum Dei, adeóque infinitâ ratione evadat dives; siquidem connubiorũ lex est, ut sponsus & sponsa iisdem gaudeant bonis, ut quod spectat ad unum, spectet etiam ad alterum, cùm ambo nonnisi unicam exhibeant & repræsentent quasi personam. O voluntas humana, quàm dives es, dum nupta es cum voluntate divinâ! habes enim omnia & potes omnia? verum est dicere: Homo facit in omnibus voluntatem Dei; verum est etiam dicere: Deus facit in omnibus voluntatem hominis; hæ duæ voluntates sunt, & non sunt, nisi una; duæ sunt ex conditione suâ naturali; non sunt nisi voluntas una, ex unione sui connubii. Ecce quantùm sublimetur libertas humana in Personâ Verbi Incarnati, úsque ad thronum Omnipotentis voluntatis Dei, ubi regnat sicut illa, velut illius sponsa. Cogita, an quidquam perdat ex bonis, quæ possidet naturaliter.

Cognatio. Secunda prærogativa, quam trahit è suo connubio, est agnatio & propinquitas tam nobilis, ut creaturis omnibus summam pariat admirationem; siquidem propinquâ conjungitur necessitudine cunctis tribus Personis adorandæ Trinitatis; habet ipsa jus vocandi primam suum Patrem, secundam suum Verbum, & tertiam suum Spiritum Sanctum: omnis hic honor congruit ipsi, eòquòd virtute connubii sui verè intret in possessionem omnium bonorum divinitatis. Verum est etiam, quòd reciprocè divina voluntas contrahat cognationem cum omnibus Personis Sanctis, quæ sunt extra Deum. Vide, quid exaratum sit in Evangelio. JEsus Christus interrogat: Quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei? habet quidem Patrem in Divinitate; sed non habet matrem, nec fratres, nec sorores; & nunc dum nupta est divina voluntas cum humanâ; ecce tibi novâm cognationem, quam ipsemet agnoscit & manifestis exponit verbis, dicens *Quicúnque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater & soror & mater est.* Matth. 12. O prodigium! ô mira felicitas duarum voluntatum, divinæ & humanæ, e quibus resultare con-

ſpicitur tam inſignis propinquitas & neceſſitudo! Creator & creaturæ, perſonæ divinæ & humanæ, ſi adhæreant divinæ voluntati, junguntur inter ſe cognatione, ſed cognatione tam propinquâ, qualis eſt eſſe Patrem, eſſe Matrem, eſſe fratres & ſorores.

fœcunditas, Sed tertia prærogativa, pluris adhuc à te æſtimanda, eòquòd majorem tibi afferat utilitatem, eſt, quòd ex auſpicato hoc connubio liberi arbitrii hominis cum voluntate divinâ in Perſonâ Verbi Incarnati, tam mira naſcatur fœcunditas, ut neſciat finem, nullis ſtringatur limitibus: naſcitur ex eo omnis gratia omnis ſanctitas, omne meritum, omnes pretioſæ æternitatis divitiæ, quæ omnem conſtituunt pulchritudinem, omnémque Eccleſiæ tum triumphantis, tum militantis gloriam; cùm verum ſit, quòd nec quidquam habeant boni, id eſt, nec gratiæ, nec meriti, nec gloriæ, niſi quod divinum hoc connubium produxerit ipſis ad ingentem ipſorum felicitatem. Divina voluntas ſola nihil poterat mereri, & voluntas humana ſola non poterat ſatis mereri; ſed quando ſimul copulantur, Deo ſoli exploratum eſt, quanta ipſarum ſit fœcunditas in producendo inceſſanter tantas, quantas voluerint, actiones nobiles & perfectas, omnesque plenas meritis. Hâc ratione oportet eſſe liberum ad merendum, liberum à peccato, à coactione, à neceſſitate, & ſervitute; ſed non liberum à conjunctione & intimo vinculo cum voluntate Dei; ſiquidem non portare amabilem hanc catenam, non eſt eſſe in libertate, ſed potiùs in libertiniſmo & effræni vivendi licentiâ; & quamdiu in hac quis vivit, nil operari poteſt, quod ſit meritorium; aſt econtra, quantò magìs quis illigatus eſt catenis hiſce aureis, tantò magìs eſt in ſtatu merendi, cùm omnia, quæ facit, majoris ſint pretii.

Quare voluntas humana mereatur infinitâ ratione in JEſu Chriſto.

Et nihilominùs hoc nondum eſt, quod diadema imponit, nec quod ſupremum nobilitatis characterem imprimit meritis Redemptoris. Dicere, quòd voluntas ipſius humana, unita cum divinâ per vinculum charitatis & gratiæ ſanctificantis, quam in omni habuit abundantâ, quæ congruebat animæ Dei-Hominis, meruerit plura in omnibus, quæ faciebat, quàm intellectus aliquis humanus comprehendere poſſet, eòquòd meritorum ipſius menſura deſumatur à magnitudine ipſius gratiæ: multum profectò eſt dicere; nihilominùs hoc non eſt dicere, merita ipſius fuiſſe infinita, eòquòd gratia ipſius ſanctificans, quæ illorum menſura eſt, cùm crea-

creatura sit, infinita non sit. Sed quando consideratur gratia unionis hypostaticæ, quæ facit, ut hic homo, qui agit, qui patitur, qui meretur, sit verè Deus, inveniſti principium valoris & infinitæ dignitatis meritorum ipsius. Non attendas solùm, actiones ipsius procedere ab Humanitate; sed perpende Humanitatem totam absorptam, totam transformatam, totam delibutam unctione divina, totámque illustratam esse splendoribus divinitatis: & non vanè judicabis, ipsam nihil egisse, quod non esset prorsùs divinum & infiniti valoris. Non advertas solùm, sanctam hanc Humanitatem totam fuisse repletam, & si ita loqui licet, exundantem & diffluentem gratiâ sanctificante; sed vide, quòd, cùm unita fuerit cum naturâ divinâ, ut non esset nisi eadem cum ipsâ Persona, videatur habuisse per hoc, veluti certam quamdam radicem, pertingentem úsque ad ipsam divinitatem, & ad omnia attributa divina, ad extrahendum exinde vitam, virtutem, excellentiam, dignitatem quamdam infinitam, quas omnes prærogativas effundebat super omnia opera sua, à quibus accipiebant meritum verè infinitum.

Divinitas enim Humanitatis unctio est.

Nicetas lib. 3. thesauri, c. 3.

Bone Deus! qui hæc perpenderet, quoúsque tandem deveniret? Quando intueor minimam actionem vitæ JEsu Christi, & video ipsam esse monetam omninò auream, insignitam imagine Principis, pondero illam, & hìc invenio pondus quoddam, valorem ac meritum infinitum; admiror illam ampliùs, plurísque æstimo, quàm si viderem producentem Deum è fundo nihili, per potentiam Verbi sui mundum alium naturalem, æqualis cum præsenti, quem cernimus, amplitudinis & magnificentiæ: siquidem in hoc non video, quòd Deus trahat aliquid ab intus ex seipso, ut mihi det illud, non haurit nisi è nihilo, & quamvis illud, quod inde trahit, sit solidum, plurimúnque habeat splendoris, semper tamen dicere possum, id nor esse, nisi res nihili, utpote è s nu nihili generatas, sic ea on nia nunquam prætendere possunt ut ingrediantur unquam in sinum Dei, eòquòd non prodierint ex eo: tota ipsorum inclinatio est versùs nihilum, unde prodierunt.

Unicum meritum JEsu Christi majoris valoris est universo simul mundo.

Sed quando aspicio meritum infinitum unius duntaxat actionis JEsu Christi, interrogo, unde id venit: video id non venire ex nihilo; nullum enim meritum in omnibus illis invenire

JEsus Christus nobis sua merita è proprio extrahit corde.

venire est abyssis, video, non proficisci illud à pura aliqua creatura, cùm hæc nihil efficere possit infinitum; sed video, quòd trahatur è thesauris boni infiniti; video, quòd prodeat è corde Dei ipsius: is id accipit è corde suo, ut donet mihi, est propria ipsius divinitas, est ipsius Omnipotentia, est infinita ipsius bonitas, quæ valorem & infinitatem tribuit huic merito. Est igitur aliud omninò opus, alterius ponderis & alterius dignitatis, quàm totus hic mundus materialis, quantumvis amplissimus & prodigiosæ omninò molis, eòquòd aliam prorsùs habeat originem & prodeat à principio, à quo infinitâ ratione attollatur supra ipsum. Sic legitimum habet jus intrandi in sinum Dei, & secum illos introducendi, quos invenerit aliquâ portione sublimis hujus meriti locupletes.

Quantum prodigium, videre JEsum Christum incessanter accumulantem infinita merita, meritis infinitis.

Quantum prodigium, bone Deus, si viderem manum Dei incessanter educentem novos mundos è sinu nihili, illósque semper in singula momenta accumulantem per spatium triginta trium annorum! Sed ecce longè aliud tibi prodigium! quando intueor JEsum Christum incessanter infinita merita infinitis meritis accumulantem in singula totius vitæ suæ momenta, quæ triginta tres conficiunt annos, quos exegit in terris, quin unquam cessaverit à primo usque ad instans ultimum; maximè, cùm verum sit, unicum ex his meritis majoris esse valoris, quàm omnes materiales mundi, quos Deus creare potuisset è nihilo per cuncta sæcula. Omnes intendant nervos tum Angeli, tum homines, nunquam comprehendere poterunt infinitâ ratione locupletem thesaurum meritorum JEsu Christi.

Quando intueor hanc excellentiarum immensitatem, quæ omnem meum excedit captum, quæ me confundit, quæ me obruit, quæ suæ Majestatis me opprimit splendoribus; adoro JEsum Christum, qui illarum est principium, admiror illum, & humili cum reverentiâ interrogo ipsum: Pro quo, Domine, hæc omnia? pro quo tanti meritorum thesauri? Siquidem non sunt pro te ipso, qui illos accumulas: Est tibi animus illos elargiendi. Sed cui?

ARGU-

ARGUMENTUM.

Quinam sint, pro quibus JEsus Christus voluerit mereri.

Articulus. III.

DUm interrogabam, pro quibus Salvator mundi mereri voluerit tum agendo, tum patiendo tempore vitæ suæ, cumprimis in articulo mortis, exspectans responsum ab ipso JEsu Christo, videre mihi videbar certa quædam spectra, quæ videbantur quasi monstra è puteis inferni prodeuntia. Illorum Dux fuit certus quidam Otto Brunsfeldius, qui se primum exhibuit & dicere est ausus, quòd JEsus Christus mortuus sit in Cruce, & meruerit pro omnibus creaturis, bonis & malis, ratione præditis & rationis expertibus, eòquòd, cùm peccatum infecerit omnia, opus quóque fuerit, ut omnia ipsius purificarentur sanguine. Hæc propositio horrore me primùm perculit, sed quia videbam ipsum neminem numerare sui sequacem, & ab omnibus condemnari imaginationem hanc non minùs insulsam, quàm impiam, non aliud pro responso obtinuit, quàm magnum sui despicatum.

Otto Brunsfeld. lib. de Pandectis Evangel.

JEsus Christus non meruit pro omnibus creaturis.

Sequebatur ipsum aliud spectrum, cui nomen Samuel Hubert, qui firmiter tenebat, & in publicis thesibus defendebat, quòd JEsus Christus mandatum acceperit à Patre suo, ut mortem subiret pro toto inferno, & mereretur ad salvandum ipsos diabolos. Apage hæretice & blaspheme: JEsus Christus factus est homo ad salvandum homines, sed mortuus non est, nec meruit ad salvandum rebelles Angelos, qui capaces non sunt gratiæ & misericordiæ.

Bernæ 1588.

JEsus Christus non meruit pro diabolis.

Intuebar posthæc multitudinem aliorum spectrorum, quorum duces agebant maligni spiritus, quos suos nuncupabant genios, Calvinum, Lutherum, Melanchtonem, Bezam, Bulingerum, & post ipsos alios recentiores, qui ipsorum sectæ quidem non adhærebant, magnâ tamen juncti cum ipsis erant amicitiâ, ob magnam opinionum suarum inter se conformitatem, qui omnes persuadere volebant mundo, quòd Jesus Christus, cùm salvare non vellet omnes homines, sed solummodò prædestinatos, non sit mortuus, nec quidquam meruerit, nisi pro his, quorum minimus est numerus, quódque respectu aliorum habuerit animum, privandi ipsos bene-

Est hæresis, dicere JEsum Christum non meruisse, nisi pro prædestinatis.

beneficio mortis suæ : allegabant aliquas rationes, quæ parum habebant verisimilitudinis, & quædam argumenta minoris adhuc valoris, quæ autem speciosis admodùm proferebant verbis, facientes se audiri, & audientes semetipsos velut oracula. Intelligebam prætendere ipsos, partium suarum esse omnes difficiliores decidere quæstiones, sibique à cunctis hominibus adhibendam fidem, utpote viris acrimoniâ ingenii præstantissimis, omnésque sibi non consentientes & scientiâ carere & ingenio; videbam quoque contemnere ipsos Ecclesiæ auctoritatem. Hanc ob rem æstimavi ipsos hæreticos, & absque eo, quòd immorari vellem disceptando cum ipsis, vel solummodò ipsos audiendo, inquirebam oraculum certum, à quo explanari & declarari mihi posset veritas.

Est articulus fidei, JEsum Christum mortuum esse pro omnibus.

Recurro igitur ad Ecclesiam, quæ fallere me nequit; siquidem S. Paulus vocat ipsam columnam veritatis immobilem : re ipsâ video, ipsam semper manere erectam, more columnæ inconcussam, semper eandem, semperque invariabilem à temporibus JEsu Christi; & dico intra memetipsum : Nullibi major mihi certitudo, quàm si huic adhæream columnæ. Video illam mihi dicere in Concilio Tridentino : Credimus, quòd JEsus Christus mortuus sit pro omnibus hominibus, id est, quòd obtulerit merita passionis suæ pro omnibus, & pro quovis hominum, quamvis omnes beneficium mortis ipsius non recipiant, sed tantùm illi, quibus meritum passionis ipsius communicatur; ità ut sit, sicut dicit S. Paulus : *Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* Ecce igitur, quid credere debeam, velut veritatem à Spiritu Sancto revelatam, & edoctam ex ore Ecclesiæ, quæ ipsius est instrumentum: siquidem ipse JEsus Christus expressis asserit verbis: quòd, si quis Ecclesiam non audierit, æstimandus sit velut Ethnicus & Publicanus.

Trident. sess. 6. cap. 3.

1. Tim. 4. v. 11.

Ità, credo æquè ac tu, quòd JEsus Christus & mortuus & meritus sit pro omnibus, dicit Beza, & idipsum Genevæ propugnavi publicè in thesibus; sed quantum ad sufficientiam, id est, quòd merita passionis ejus sufficientia fuerint ad salvandos omnes homines etiam reprobos, si voluisset hæc offerre pro ipsis, cùm sint infinita; sed offerre illa noluit justitiæ Patris sui, nisi pro solis prædestinatis. Sed tali ratione etiam poteris dicere, quòd passio JEsu Christi sufficientia habuerit merita, & plus quàm sufficientia ad salvandos ipsos diabolos, cùm infinita sint; & si hoc sufficiat ad dicendum, quòd mortuus & meritus sit pro omnibus, sufficit.

Beza in thesibus Genevæ excusis fol. 129.

Non sufficit dicere, quod JEsus Christus mortuus sit pro omnibus hominibus, quantum ad sufficientiam pretii mortis suæ.

nibus, poteris extendere theses tuas publicas, & defendere in illis; quòd etiam mortuus sit pro diabolis; & hæc dicens hæreticus fuisses & blasphemus, qualis re ipsâ es. Sic Ecclesia non docet, quando credere nos vult, JEsum Christum mortuum esse pro omnibus.

Quâ ratione credendum sit, JEsum Christum mortuum esse pro omnibus peccatoribus.

Sed ipsa docet, quòd Deus, cùm nunquam creaverit aliquem hominem ad imaginem suam, nisi cum animo faciendi ex ipso aliquem Beatum per possessionem gloriæ suæ, salvare velit ipsos omnes; quòd JEsus Christus incarnatus sit pro omnibus, quòd mortuus sit, quódque meritus sit pro salute omnium, non solùm in generali & confusè, sed etiam sigillatim & in particulari. Mortuus est & meritus est pro quovis hominum, ac si non fuisset, nisi ipse solus in mundo, citra id, quòd excludere voluerit vel unicum à beneficio mortis suæ, non solùm ipsam reddens sufficientem ad salvandum omnes, sed etiam offerens semetipsum Patri suo pro omnibus, cum voluntate actuali & animo sincero, ut proficeret omnibus, & nec unicus illo privaretur. Ecce quid fecerit ex parte sua, & in quo sensu verum sit, quòd mortuus sit pro omnibus, quódque sit meritus ad salvandum omnes, quamvis non ignoraverit, reprobos semetipsos mortis & meritorum suorum beneficio privaturos & perituros ex culpa sua, contra intentionem ac voluntatem suam. Hæc doctrina Catholica tam clarè nobis manifestata & tradita est in sacra Scriptura, támque conformis est infinitæ bonitati Dei, & necessitati omnium infelicium peccatorum, tam denique consolatoria pro omnibus, ut mirum sit, unicum solum in mundo repertum esse animum, qui sibi contrarium potuerit persuadere.

Nonnè legimus suavissima illa verba, quæ dilectus Domini nostri discipulus exaravit nobis in prima sua epistola: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi?* An veritas clariùs enuntiari possit? nonnè legimus alibi: *Qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus?* Estne hoc dicere, quòd se non dederit, nisi pro parva parte? nonnè videmus alibi, quòd *Deus nolit aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti?* Princeps Apostolorum est, qui asserit hæc verba, ubi antithesin ponit duorum verborum admodùm contrariorum, quæ se invicem efficaciter confirmant, aliquos & omnes. Qui sunt illi, quos JEsus Christus excludere vult à participatione meritorum suorum, ut illos perire permittat? Aliqui. Qui sunt ergò illi, pro quibus meritus est, quósque

1. Joan. 2. v. 2.

1. Tim. 2. v. 6.

2. Pet. 3. v. 9.

Probationes ex Scriptura.

desiderat proficere ex eo pro salute sua? omnes. An quid luculentiùs vel efficaciùs dici possit ad confirmationem veritatis?

Si habuisset voluntatem moriendi nonnisi pro solis prædestinatis, an S. Paulus, cui probè explorata fuerat ipsius intentio, cùm hanc didicerit ab ipsomet in tertio cœlo, tanta cum certitudine dixisset: *tradidit semetipsum pro me?* quid enim sciebat, se esse ex numero prædestinatorum? videmus, quòd ipsemet declaret nobis, timere se, ne reprobis sit accensendus: *Castigo corpus meum*, inquit nobis, *& in servitutem redigo, ne cùm aliis prædicavero, & ipsemet reprobus efficiar.* Quomodò dicis ergò nobis magne Apostole, & quomodò tradis scriptim nobis, velut articulum fidei, quòd tradiderit semetipsum pro te in particulari, cùm eadem certitudine fidei non sis assecuratus, te esse prædestinatum? ideò, quia certissimus sum, quòd tradiderit se pro omnibus absque ulla exceptione tam benè pro reprobis, quàm pro prædestinatis; & omnis homo vivens, quisquis sit, dicere possit ac debeat, quod ego dico: *tradidit semetipsum pro me* in particuri. O si benè quis ponderaret hoc verbum & ipsius comprehenderet sensum, quomodò cohibere se posset, quin ex tota anima sua JEsum Christum amaret?

Galat. 2. v. 20.

1. Corinth. 9. v. 27.

Efficax discursus S. Pauli.

Ex hoc ipso vas hoc electionis, hoc instrumentum Spiritûs Sancti format efficax hoc argumentum, quod non solùm urget omnes animos ad credendum, quòd JEsus Christus se obtulerit Sacrificium pro ipsis, ut sui pretio sanguinis acquireret ipsis vitam æternam, sed quod piam quamdam violentiam omni infert voluntati, ut incomparabile hoc beneficium æquissimo grati animi recolat affectu. Nam ecce quâ ratione loquatur nobis: *Charitas JEsu Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* Quid efficacius dicere posset ad assequendum scopum suum? Volebat omnes hominum animos exstimulare ad servitium & amorem Divini Magistri sui; & quia efficacius motivum non habebat ad inflammandum ipsos amore, quàm ostendendo illis, quàm ardenter fuerint amati, declarat illis magnum charitatis JEsu Christi erga ipsos excessum in hoc, quòd ipse amaverit plus omnes propriâ vita suâ, & manifestam obligationem, quam habent, amandi ipsum, in hoc, quòd ipsos omnes libe-

2. Cor. 5. v. 14.

rave-

raverit à malo infinito, ut in boni infiniti immitteret ipsos possessionem. Et ecce tibi efficaciam argumenti ipsius.

Considerate bene miserabilem statum, in quo eratis omnes, omnes obnoxii peccato, quod condemnabat vos ad mortem æternam; & nec unus ab eo exemptus erat; insuper permansissetis in ipso omnes úsque in æternum. Et ecce JEsus Christus ex mera sua bonitate, & ex unico suo erga vos amore, voluit assumere mortem omnium in unica & sola Persona sua, & solus ipse pati pro omnibus, ut vobis donaret vitam æternam, quam nunquam nisi per mortem ipsius assequi poteratis; & tanta ipsius erga vos est charitas, ut tradiderit semetipsum, ut vobis omnibus acquisîerit ac emerit vitam sui pretio sanguinis & propriæ vitæ suæ, ut illi, qui pretiosam hanc obtinuerint sibi ab ipso donatam vitam, non vivant ampliùs sibi ipsis, sed unicè illi, qui vitam contulit ipsis morte suâ.

Procul dubio hoc valde urget, quando quivis in particulari obligatus est agnoscere sincerè & confiteri candidè magnam hanc veritatem: Toleranda mihi fuerat mors æterna & tormenta perpetua, & ab iis liberatus sum; privatus fueram vitâ æternâ & possessione bonorum infinitorum in æternitate, & habeo jus adeundi illorum possessionem; & debeo hæc omnia charitati infinitæ JEsu Christi amabilissimi Redemptoris mei, qui mortuus est pro me ex sola bonitate sua & ingenti erga me amore; Ita pro me miserabili, pro me infinitâ ratione indigno. Ecce malum infinitum, à quo me liberat; ecce bonum infinitum, quod mihi acquirit, sacrificando se pro me, tradendo sanguinem suum, & propriam vitam suam. Quid ergò faciendum mihi pro ipso? Nonnè debeam ipsi totam vitam meam, & totum esse meum, & omnia servitia mea & omnia studia mea? Quando mihi forent centeni milliones cordium, non tantum, quantum teneor, amare possem ipsum. Ecce tibi doctrinam S. Pauli, qua urget efficaciter, & quasi vi cogit corda durissima & omni privata humanitate; & sicut volebat, ut omnes amarent JEsum Christum, nullo prorsùs excepto, ita volebat quóque, ut crederent firmiter magnam hanc veritatem, quæ urgeret omnes & quasi cogeret ad ipsum amandum.

Quòd si aliquis veniisset ex secta Calvini, vel eximiis illis ac ingenio præstantibus viris,

Nullum habet robur discursus, qui opponitur discursui S. Pauli,

qui ipsius adhærent opinioni, & aliâ quam S. Paulus discurrisset ratione, mundóque dixisset: persuasum sit vobis, JEsum Christum non esse mortuum pro omnibus, nec ipsum mereri voluisse omnium salutem, sed solummodò prædestinatorum, quorum numerus valde est parvus, & nemini constat, an accenseatur illis: pro omnibus aliis, quorum ingens est numerus, non habuit veram & sinceram voluntatem; poterat quidem etiam pro ipsis offerre merita Passionis suæ, & hoc non pluris stetisset ipsi; sed noluit: Nonnisi ergò pro pauciſſimis ex vobis mortuus est, & ignoratur, pro quo in particulari; & propterea amate illum ex toto corde vestro. Quid quæso ejusmodi discursus feciſſet commotionis in cordibus hominum? Verba S. Pauli nihil habuiſſent efficaciæ ad persuadendum illis, si dixisset: Fratres mei, charitas JEsu Christi urget nos, quia pro pauciſſimis ex vobis est mortuus & nescitur adhuc, quinam sint illi; amate igitur ipsum ex toto corde vestro.

An ex hoc vel unicus moveri ac persuaderi potuiſſet? Nonnè hoc potiùs fuisset dissuadere, & omnes à Christi avertere charitate? Ubi sanæ mentis est homo, qui ejusmodi auscultans doctrinam, sentiret persuasum se animo & corde commotum, affectu vel minimo devovendi sese totum JEsu Christo, illi serviendi, ipsum amandi? Fortassis enim, dices, non est mortuus pro me, cùm mortuus sit pro tam paucis? Et si hoc est, cùm magnam habeam ansam de eo dubitandi, non multum illi obligor, & per hoc omnes homines universaliter, tam reprobi, quàm Prædestinati ipsi fuissent affecti tædio pietatis; pro eo, quòd econtra omnes homines universaliter, tam prædestinati, quàm reprobi, nullo prorsùs excepto, urgeantur efficaciter ad amandum JEsum Christum per S. Pauli doctrinam. Nam quando fores reprobus, & nunquam nec frui deberes vitâ æternâ; nec æternam evitare mortem, semper tamen infinita ratione ipsi obligatus manes, eòquòd mortuus sit pro te, & fecerit ex sua parte omnia, quæ necessaria erant pro salute tuâ, ex amore incomparabili, ob quem obstringeris amare illum ex toto corde tuo; & si illum ita amares, reprobus non fores.

Beza prædicans JEsum Christum non esse mortuum pro omnibus, ab ipsis hæreticis fuit explosus,

Haud veritus est olim Beza coram numerosâ coronâ Magnatum Germaniæ, crudelem hanc & impiam è suggestu propalare doctrinam, quòd JEsus Christus mortuus non fuerit pro

pro omnibus peccatoribus, nec mereri voluerit cœlum, nisi Prædestinatis, absolutè excludens omnes alios à Passionis suæ beneficio; qui tantum exinde conceperunt horrorem, ut mox imposuerint ipsi silentium, & expulerint ipsum. Quâ ratione audire possent aures Catholicæ talem doctrinam, quæ ipsis hæreticis adeò videbatur abominanda, ut refugerent auscultare illam? Et certè quid producere ipsa posset in animabus nisi affectus pessimos, murmurationes, horrores, ambiguitates pusillanimitates, neglectum salutis, magnamque ad desperandum proclivitatem; pro eo, quòd doctrina Catholica confirmet, animet, consoletur, & exstimulet omnes ad sui amplexum magnâ etiam cum voluptate animique oblectatione. Revertor ad considerandum illam, & video nihil esse magis honorificum, magis dignum applausu.

ARGUMENTUM.

Eadem Veritas probatur ratione.

Articulus IV.

Non sufficit, Deum velle nostram salutem; debemus & nos velle illam.

REcurro ad ipsummet JEsum, Christum, eúmque interrogo; Domine, cùm verum sit, quòd salvare velis omnes homines, quòd mortuus sis pro omnibus, quódque tua sit intentio, ut immensus meritorum tuorum thesaurus serviat omnibus hominibus ad emendum Paradisum: cur igitur non omnes salvantur? Nonnè es omnipotens ad faciendum omnia, quæcúnque tibi placuerint? Quis tuæ resistere potest voluntati?

Respondet mihi: verâ ac sincerâ voluntate volo ut omnes homines participes fiant fructuum Passionis meæ, & salventur omnes: verum est etiam, voluntatem meam esse omnipotentem; verùm non utor totâ & absolutâ voluntatis meæ potentiâ, quando ago cum hominibus, qui fruuntur privilegio libertatis suæ, sicut utor illâ cum reliquis creaturis, quibus mihi resistendi non contuli libertatem. Non sufficit velle me, ut omnes salventur homines, sed oportet idipsum & velle illos; Ego volo, & ipsi nolunt; Ego ipsis offero meas gratias, & ipsi illas repudiant; ego ipsos urgeo, ipsosque impello, & ipsi mihi resistunt: quando pereunt, ipsorum sola est voluntas, & non mea: nunquam enim puniuntur, nisi quia meam facere no-

luerunt voluntatem. Id nôrunt & ipſimet fateri coguntur, ſe non eſſe miſeros, niſi quia eſſe voluerunt. Siquidem inauditum eſt, unquam aliquem ex damnatis auſum fuiſſe exprobrare Deo: Miſer ſum, quia voluiſti.

Sed, Domine, quomodò credere poſſumus, te velle ſalutem tot miſerorum infantium; qui ſuffocati moriuntur in ſinu matrum ſuarum, abs eo, quòd unquam fuerint in ſtatu, in quo recipere potuiſſent ſancti gratiam Baptiſmi, ſinè quo intrare non poſſunt regnum Dei, juxta proprium effatum tuum? Quâ ratione perſuadere nobis poſſumus, infinitorum meritorum tuorum theſaurum eſſe pro tot ac tantis nationibus infidelibus, quæ tuæ non ſunt membra Eccleſiæ, quæ nullam veritatis habent cognitionem? Ubi ſunt gratiæ, quas exhibes ipſis? ubi media ſalutis, quæ ipſis præparas?

Quomodò verum ſit Deum velle ſalutem parvorum infantium, qui moriuntur, antequàm naſcantur.

Mihi reſpondet, quòd gratia, quæ perficit naturam, non fit facta, ut curſum naturæ invertat. Si aliquis infans moriatur in ſinu matris ſuæ ex indiſpoſitione naturali, vel alio defectu, cujus ipſa eſt cauſa, eſt hoc accidens, cujus gratia nullam habet partem, & dici non poteſt, gratiam defuiſſe naturæ; ſed dicendum potiùs eſt, naturam defuiſſe gratiæ; & quòd ſi pauper hic infans moriatur abſque gratiâ Baptiſmali, & conſequenter non obtineat ſalutem, non id eſt ex voluntate Dei; vel ad ſummum eſt ex voluntate, quæ id permittit, & non ex voluntate, quæ id ordinat, decernit, imperat.

JEſus Chriſtus vult ſalutem nationum infidelium.

Pari ratione res agitur cum illis, qui naſcuntur inter nationes infideles. Si aliquis infans naſcatur ex tali Patre, in tali tempore, in tali loco, & talis conditionis, hic eſt naturalis rerum humanarum curſus, quem non invertit gratia: naſcitur is remotus à ſole divino, qui poſuit tabernaculum ſuum in Eccleſia ſua; ſi non recipit ex eo tam abundanter lumina, calores, influxus, hoc non impedit, quin is ubivis diffundat illos; & ſi naturales ipſorum indiſpoſitiones ſunt obſtaculo, ne tam copiosè participet ex iis, ſicut alii, dicendum non eſt, gratiam defuiſſe naturæ, ſed potiùs, naturam defuiſſe gratiæ. Ita miſeri & infelices ſunt nati ſecundùm curſum naturæ, quem gratia non impedit.

JEſus Chriſtus eſt ſol, qui vult ex parte ſuâ omnes fructus reddere maturos.

Et quis dicet, quòd ſol materialis maturitatem tribuere nolit cunctis fructibus, quamvis inveniantur ex illis, qui non matureſcant, eòquòd producantur in climate, vel aliâ quâdam diſpoſitione, quæ impediat, ne

reci-

recipiant copiosè satis ipsius calores, ipsius influxus. Ipse, quod suarum est partium, facit; cùm communis totius naturæ sit Pater; si fructus sint, qui pereant, non stat per illum, sed defectus est subjecti. Sic asserendum non est, quòd Redemptor universalis cunctorum hominum salvare non velit omnes peccatores, quamvis plures reipsâ non salventur. Ipse ex parte suâ copiosam facit & abundantissimam redemptionem; thesauri gratiarum & meritorum ipsius, quos aperit, quósque omnibus offert, sunt inexhausti; si plures ex illis non proficiant, non stat per Redemptorem, sed est defectus, infelicitas, & indispositio hominum.

Et quid prodest ergò, divine Redemptor, te mortuum esse indiscriminatim pro omnibus peccatoribus, teque obtulisse Deo Patri tuo tua merita pro omnibus, nullo prorsùs excepto, nequidem Anti-Christo, cùm innumerabilis multitudo reproborum nullum exinde trahant fructum, hauriant profectum? Tu noveras, ea omnia fore inutilia; ut quid ergò illa facere voluisti? an sponte res agis in vanum? Nam quis effectus Passionis tuæ respectu omnium reproborum?

Habet ipsa mirabilem effectum, respondet mihi: nam si non salvet ipsorum animas, salvat tamen gloriam Dei Patris mei. Ut id intelligas, considera, peccatum eodem tempore, duo ingentia progignere mala: primum est, & maximum, quòd atrocem injuriam inferat Majestati infinitæ Dei, & ex hâc parte illud infinitum est malum. Secundum est, quòd deprædetur, perdat & occidat animam, & ex hac parte est malum æternum pro illâ, à quo se nunquam liberare potest propriis viribus. Passio mea eodem sic tempore, utrúmque reparat malum peccati, sed modo diverso. Quantùm enim concernit reparationem injuriæ Deo factæ, hoc non dependet nisi à voluntate meâ, & ideò nunquam non assequor primum hunc finem, qui præcipuus est, quem spectavi in mysterio Incarnationis; quam etiam ob rem patiendum mihi fuerat pro omnibus peccatis hominum, ita, ut nec unicum inde excipiatur, non magis pro peccatis reproborum, quàm illis prædestinatorum, eòquòd nec unicum sit, quòd non infinitâ injuriâ afficiat Deum, quam reparare mearum partium erat per sacrificium mortis meæ. Effectus admirabilis passionis Domini respectu reprobrum.

Sed aliud malum peccati, quod respicit perditionem animarum id committentium, non solius est meæ voluntatis reparare. Debeo

beo id velle primus, & etiam volo; sed ipsæ debent id velle post me & mecum; & plerique nolunt efficax gratiarum mearum, quæ reparare omnes ipsorum possunt ruinas, acceptare remedium. Insensati, dum recipere nolunt infinitum, quod illis gratuitò offero pretium ad solvendum infinita, quibus tenentur justitiæ Dei Patris mei debita; dúmque solvere ipsimet illa malunt in æternum, absque eo, quòd unquam satisfaciant per cuncta inferni tormenta.

Ità, amabilis mi Redemptor, hoc optime declarat mihi, quàm necessarium sit credere, te mortuum esse pro omnibus hominibus, & etiam pro omnibus peccatis hominum in particulari. Sed non capio, quid lucri imaginari sibi potuerint homines pro te, vel pro se, persuadendo sibi, te mortuum non esse pro omnibus, téque omnes salvandi non habuisse intentionem.

Motiva, quæ habere possunt ii, qui dicunt JEsum Christum non esse mortuum pro omnibus.

Totum lucrum, quod anhelare pro se possent, est, quòd, cùm deserere nollent effrœnem suam vivendi licentiam, nec immoderatos suos edomare animi affectus, quibus vecorditer famulabantur, abscondere vel aliquâ ratione imminuere suum cogitarent probrum, non absque horrenda dicendo blasphemia, sibi gratiam defuisse: quódque ad pacificandum arrodentem conscientiæ suæ vermen, qui suam ipsis exprobrabat ingratitudinem, cùm non viverent pro ipso, qui pro se mortuus erat, nec ex toto corde ipsum amarent, à quo videbant se propriâ suâ vitâ amari magis; crederent hanc sibi tolli obligationem, dicendo, ipsum non esse mortuum pro omnibus, sed solùm pro parvo prædestinatorum numero; quódque, cùm certi non essent, an ex illis sint, vel non sint, sibi ingens hæc non incumberet obligatio me amandi, mihíque inserviendi: & tandem, cùm contemnerent legem meam, à qua condemnabantur coram cœlo & coram terra, ad excusandum se dicerent, sibi in statu, quem tenent, mandata mea servatu esse impossibilia.

Quanta sit injuria JEsu Christo, dicere quòd mortuus non sit pro omnibus.

Sed dicendo hoc atrocissimam mihi inferunt injuriam, inquit JEsus Christus: siquidem propugnando, me non esse mortuum pro omnibus, nec animum habuisse salvandi omnes, credere debent, me id vel non potuisse, vel id noluisse: si dicant, me suppeditare non potuisse totam summam, quæ necessaria est, ad satisfaciendum ex integro, pro omnibus peccatis hominum, credere me debent pauperem & impotentem, quod propriè est dicere, me Deum non esse; & nemo inter ipsos hoc dicere auderet. Si credant, me

me id noluisse, exigui vel nullius erga se amoris & bonitatis me arguant necesse est. Si teneant, me nec amoris nec bonitatis habuisse satis, ut extenderem ad omnes homines, & à parvo tantùm numero omnem meam bonitatem, omnem meum amorem fuisse exhaustum, hoc vehementissimè affligit me, ipsúmque exulcerat mihi cor, ac vulnerat animum; mavelim enim meam potentiam, quàm meum amorem lacessiri injuriâ.

Quòd impossibile sit dubitare de amore JEsu Christi ergà nos.

Itáne? post hæc omnia, quæ feci, post hæc omnia, quæ pertuli pro hominibus, ipsi dubitarent adhuc de infinito meo erga se amore? Itáne? viderint ipsi, Deum Majestatis infinitæ pro se annihilatum, & ex amoris sui abundantia dilapsum velut in extasi è sinu Patris sui inter brachia sua; & revocarent in dubium, an ità amentur ab ipso, ut nec unicum suorum excludere velit ab amplitudine amoris sui? Itáne? conspexerint ipsi hunc Deum annihilatum exigere in terra vitam pauperem, afflictam, calamitosam, omni adversitatum, laborum & tribulationum genere refertam, quin unquam pro semetipso fecerit quidquam, & ambigui adhuc hærerent de amoris ipsius magnitudine? verùm, quod excedit omnia, an viderint ipsum confixum cruci, sacrificare honorem suum, corpus suum, animam suam, propriam vitam suam per probrosissimum pariter & pœnosissimum supplicium, ut perdendo se salvaret ipsos; & interrogarent adhuc, an eòusque diligam ipsos, ut mori voluerim pro omnibus, & omnes salvare? Loquimini vulnera mea, loquere ô vox omnipotens sanguinis mei, quem torrentis in morem effundo pro ipsis; loquere cor meum apertum; loquere caput meum spinis transfixum, loquere totum corpus meum virgis concisum: dicite illis, an Deus Omnipotens in hunc redactus statum ad salvandos peccatores, eòusque diligat ipsos, ut sincerum habeat animum salvandi ipsos omnes.

Probè video, amantissime mi Salvator, amorem tuum nullis arctari limitibus, diligere te nos sinè fine, & magis quàm propriam vitam tuam. Sed videris non amare temetipsum, qui infinitâ ratione es amabilis; siquidem omnia tua nobis elargiris bona: an igitur nihil servabis pro te? Itáne ergò? nulla tibi pars erit propriorum meritorum tuorum? an nihil omninò es meritus pro teipso? Ità, inquit mihi, volui ex bonitate venire in partem propriorum bonorum meorum cum hominibus; & ex hoc volo agnoscere ipsos magnam abundantiam

JEsus Christus ex bonitate voluit aliquam meritorum suorum nobis cum capere partem.

mei ergà se amoris: siquidem portio, quam mihi reservo, est quasi nihil, respectu immensæ summæ, quam totam integram dono do ipsis: nihil volo ex eo, quod concernit meritum essentiale respiciens beatitudinem; hæc omnia cedo ipsis, absque eo, quòd ex iis mihi reservem vel unicum atomum.

JEsus Christus non meruit pro se nisi glorificationem sui corporis, & exaltationem sui nominis,

Tota portio, quam habere volo ex thesauro infinito omnium meritorum meorum, quæ comparavi, non concernit nisi duas res accidentales, glorificationem corporis mei, & exaltationem mei Nominis. Corpus meum, quod reddidi passibile & mortale toto tempore transitoriæ vitæ meæ, quam exegi in terrâ, continuum operando miraculum, ut conservarem illud in statu, in quo pati posset pro hominibus, acquisivit sibi jus, ut glorificaretur, velut corpus animæ beatæ, & ad hoc nullo alio indigebam merito: sed quia plurimum sustinuit pro gloriâ Dei, & totum coopertum fuit plagis ex amore proximi, hinc meretur augmentum gloriæ proportionatum magnitudini pœnarum suarum.

Heb. 2. v. 9. *Vidimus JEsum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.*

Et quod attinet exaltationem Nominis mei, est hæc recompensatio, quam accipio à justitiâ Dei Patris mei: Quia enim humiliatus sum, annihilatus, & summis obrutus opprobriis ad reparandam ipsius gloriam, hinc æquitati judicavit consonum, ut me exaltaret, meumque Nomen ita redderet glorioſum, ut illo pronuntiato, omne flecteretur genu, in cœlo, in terrâ, & in ipso etiam inferno. Ecce totam portionem quam mihi reservo ex meritis Passionis meæ; totum residuum dono gratuitò & prompto animo miseris peccatoribus.

Grates immortales, ô infinitâ ratione bone, infinitâ ratione amabilis JEsu! unicum adhuc nôsse aveo, quem statum tenere quis debeat, ut participare possit è thesauro infinitorum meritorum tuorum.

Videamus.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Quinam sint in statu, ut participes fieri possint meritorum JEsu Christi.

Articulus V.

INstrue me, Domine. & addiscam à te ipso, quomodò habere se quis debeat, ut manum mittere possit in thesauros tuos, seque tuis locupletare bonis.

Nonnisi in hac vita mereri possumus.

Oportet ipsum esse, inquit mihi, nec beatum, nec damnatum, id est, neque in cœlo, neque in inferno. Esse beatum in cœlo, non est tempus meritorum, sed præmiorum: Esse econtra damnatum in inferno, est esse extra tempus meritorum & in statu suppliciorum. Uterque status est in æternitate, quò dum perventum est, nulla ampliùs fit mentio meritorum, nec bonorum nec malorum, sed solummodò retributionum vel felicem vel miseram post se trahentium sortem, eòquòd elapsum sit tempus, quod solùm determinatum est ad colligendum vel merita vel demerita. Ecce quare dixerim in Evangelio: *Oportet operari donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari.* Dies vester est totum tempus vitæ vestræ ab ortu úsque ad occasum, concessum vobis ex integro ad operandum; & vestra, quam collocatis opera, non collimat aliò, nisi ut magnum accumuletis meritorum acervum pro æternitate.

Joan 9.

Quanti interest, operari singulis momentis ad merendum cœlum.

Operamini benè, dum dies est vester, memores habere vos nonnisi unicum, qui semel dilapsus non revertetur ampliùs, nec alium vos unquam deinceps habituros: aspicite illum inter duas magnas æternitates; unam ipso priorem, & alteram ipso posteriorem, & videte quàm brevis sit ipse: interim incredibili cum celeritate fugit, quem fugere non ita sinite, quin impendatis illum benè, quin laboretis indefessè, quin consideretis, omnes horas, omnia momenta unicæ vestræ diei, tanti esse pretii, tanti valoris, ut quodlibet ex illis comparare tibi possit coronam ærernam, quæ omnia mundi regna longo post se relinquat intervallo. Die pulsâ & appulsâ nocte in mortis hora, actum est, non ampliùs fiet sermo de meritis, nec de novis acquirendis lucris: non possidebis per totam magnam æternitatem, nisi quod comparaveris brevis hujus diei tempore.

Omnes igitur, mi Domine, omnes homines, qui sunt in tempore, tempus possident ex tuis participandi meritis, & omnes indiscriminatim, quicúnque sint illi, facultatem tenent, suas in thesauros tuos, ad locupletandum se, inferendi manus?

Extra Ecclesiam nemo quidquam potest mereri.

Ita, omnes possident tempus & omnibus ad hoc facultas est, sed non omnibus ejusdem est exercitium: divitiæ meæ non sunt, nisi in domo mea, & qui meus non est domesticus, non habebit partem illarum. Domus mea est Ecclesia, porta hujus domûs est Baptismus; qui non transierit per hunc, non intrabit domum meam, nec bonorum meorum habebit partem. Sic omnes infideles revera eo sunt loco, ut participare possint ex inexhausto meritorum passionis meæ thesauro, siquidem tam benè præparata sunt illis, quàm aliis; sed reipsâ non participant, eòquòd nondum intraverint in domum meam, ubi liberaliter illa distribuo domesticis fidei.

An ergò sufficit, Domine, Baptizatum esse, ut tuam quis intret Ecclesiam, & accensitus tuis censeatur domesticis? siccine omnes hæretici, qui baptizati sunt verè ex meritorum tuorum participant thesauro? eoque divites erunt in æternum?

Non sufficit, respondet mihi, meam semel intrâsse Ecclesiam, sed oportet in illa perseverare, & ab eâ separari nunquam: intrarunt illi quidem per Baptismum & in gratiarum mearum venerunt partem, quando infantes erant; sed egressi sunt ex illa, dum rationis obtinuerant usum; & quia ampliùs meos agere noluerunt domesticos, nec illos ampliùs admittere volui ad participandas divitias thesauri mei.

Revoca in mentem eam, quam in Evangelio dedi comparationem: *Ego sum vitis, & vos palmites.* Ego nihil recipio à vobis, sed vos omnia recipitis à me. Ego námque largior vobis esse, vitam & virtutem producendi fructus: Ego sum in vobis, & vos estis in me; & in hoc statu fœcundi estis bonis fructibus & divites meritis, sed sine me nihil potestis facere. Joan. 15.

Ut aliquis palmes producat fructus, necessariò quatuor requiruntur; Et modò hæc habeat, sufficiunt ipsi. Primum, oportet ipsum conjunctum esse viti, si enim rescindatur inde, nulli ampliùs servit commodo, nisi ut comburatur. Secundum, oportet vivere ipsum eâdem vitis vitâ, & nutriri radicali ipsius humore: quamvis enim ipsi conjungatur, absque eo moritur, exaresçit, & nihil producere

Pulchra comparatio vitis & palmitum allata à JEsu Christo.

cere potest. Tertium, oportet ipsum calefieri calore quodam cœlesti, & fructus ipsius ab ardoribus solis perduci ad maturitatem, aliàs nihil, quod alicujus valoris sit, progignet. Et quartum, oportet ipsum custodiri à gelu, grandine, & aliis externis impedimentis, quæ destruerent ipsius fructus, ipsumque redderent inutilem. Ecce ad amussim delineationem statûs, quem tenere quis debet, qui participare vult è fructibus Passionis Redemptoris, qui ipsius sunt merita.

Quatuor requiruntur ad afferendum fructum meritorum.

Inprimìs oportet palmitem conjunctum esse suo stipiti, aliàs nunquam aliquem progignere poterit fructum. Quicunque non est conjunctus JEsu Christo, nunquam habere poterit aliquod meritum: Conjunctio hæc efficitur per fidem, cujus unitas constituit unitatem Ecclesiæ Catholicæ, quæ est Corpus mysticum Salvatoris; & quicunque in hâc constitutus est unitate, censetur membrum Corporis ipsius, & si haberet nonnisi hoc unicum, stupendas possideret prærogativas. Quando dicitur, quòd Ecclesia sit sancta, quòd sit sponsa JEsu Christi, quòd magis suâ propriâ vitâ ametur ab eo omnia hæc conveniunt ipsi in corpore, cujus est membrum; & quando oratur pro Ecclesia, oratur pro ipso; & quando dicitur, esse communionem Sanctorum, insinuatur, communicationem esse bonorum spiritualium inter fideles, in quarum omnium prærogativarum ipse admittitur participationem.

Sed quicúnque non habet conjunctionem hanc cum JEsu Christo per fidem, est palmes recisus è vite, cui nulla progignendi unquam aliquem fructum est facultas. Omnes igitur hæretici, omnes Athei, omnes Mahumetani, omnes infideles, quorum infinitus ferè est numerus, idonei non sunt, quamdiu in hoc perseverant statu ad colligendum aliquod meritum, vel participandum è fructibus Passionis Redemptoris. Et quid continget illis? ad quid inserviunt, omnia hæc arida sarmenta, è vite præcisa, nisi ut comburantur? Eheu! quàm copiosum pabulum ignis æterni! Quis omnia hæc absque vehementi aspiciat dolere?

Fides.

Secundò non sufficit, ut palmes conjungatur stipiti, sed oportet ipsum vivere eâdem cum vite & stipite vitâ: si enim exarescat & moriatur, nullum afferre potest fructum. Sic omninò non sufficit cum JEsu Christo uniri solo fidei vinculo, & Ecclesiæ ipsius existere membrum: oportet habere vitam supernaturalem sanctificantis

Gratia sanctificans.

gratiæ, quæ vivere nos facit eâdem cùm JEsu Christo vitâ divinâ, nosque idoneos reddit ad afferendos meritorum supernaturalium fructus; aliàs palmes est siccus & aridus condemnatus ad perpetuam sterilitatem, quâ æquè redditur inutilis, quamvis conjunctus maneat cum stipite, ac si ab illo foret separatus. Plurimi igitur Christiani, qui conservant quidem fidem, sed carent gratiâ, eòquòd vivant in statu infinitâ ratione miserabili peccati mortalis, inhabiles omninò sunt in hoc statu progignendi aliquod meritum vitâ dignum æternâ; & si maneant ac moriantur in hoc statu, non admittentur unquam in partem immensi hujus thesauri meritorum Redemptoris sui.

Sancta charitas.

Tertiò requiritur calor cœlestis, qui calefaciat & vivificet vitam, ut fœcunda reddatur, ac ardor solis, quo fructus ipsius perducantur ad maturitatem; aliàs, quod alicujus valoris sit, producet nihil. Hoc insinuare vult, quòd ultra duas uniones fidei & gratiæ sanctificantis, quæ conjungunt animam cum JEsu Christo, ipsamque vivere faciunt ipsius vitâ, requirantur ardores sanctæ charitatis, quibus calefiat & excitetur ad exercitium bonorum operum, imitando vitam Redemptoris sui, sitque verè motivum amoris Dei, quo impellatur ad agendum. Quamvis enim habeat fidem & sit in statu gratiæ si non ageret nisi naturaliter ex respectu humano, id est, ex motivo amoris proprii & propriæ utilitatis, facere quidem posset opera bona ex seipsis, quæque ratione quâdam placerent Deo, sed hæc non essent nisi fructus immaturi ex defectu caloris; & quia ipsa animata non foret divino charitatis ardore, sic parvam vel nullam partem haberet ex infinitis meritis Redemptoris sui.

Fuga peccati & malorum occasionum.

Tandem non sufficeret palmiti vitis uniri cum stipite, & vivere vitâ ipsius, insuper frui radiis & influxibus solis favorabilibus, quantum requiritur ad progignendos fructus optimos. Si cunctis his stantibus percutiatur pruinâ vel grandine, aut exspolietur à furibus manet absque fructu, haud aliter ac si nullam è præfatis habuisset prærogativis, sic quamvis anima uniretur JEsu Christo per fidem, per gratiam sanctificantem, per sanctam charitatem, ipsaque disposita foret ad producendum plurima bona opera, seque locupletandum meritis maximis: Eheu! si aliquâ percutiatur tempestate, expolietur ab inimicis salutis suæ, amittit quandóque unius horæ spatio omnes, quos plurium annorum laboribus collegerat fructus. Eheu! nonne sæpius hoc accidit,

dum

dum immoramur periculosis in mundo occasionibus, dum nunquam non ambulamus in medio laqueorum, in extremitatibus præcipitiorum?

Nôsse igitur cupis statum, quem tenere oportet, ut participare possis ex meritis Passionis Salvatoris mundi! habere studeas hæc quatuor: unionem fidei, quæ te conjungat cum ipso, velut membrum cum suo capite; vitam gratiæ sanctificantis, mediante quâ recipias influxus divini ipsius spiritûs; ardores charitatis sanctæ, à quibus impellaris ad exequendum in omnibus divinam voluntatem ipsius. Præter hæc omnia sis veluti vitis benè occlusa, periculosas fuge occasiones, custodi te ab inimicis salutis tuæ, qui rapere tibi possent bonorum tuorum fructum operum, deplorando in peccatum lapsu. In hoc statu certo participabis & abundanter ex meritis Salvatoris tui.

Sed dicitur, divitias inflare cor, & animo inserere ambitionem; metuo ne tam divitem me aspiciens concipiam cogitationes superbas, & magnam mei ipsius existimationem ob abundantem meritorum meorum copiam. Et unde accipies hæc merita? interrogabit te magnus Apostolus: Quid habes, quod non accepisti? Et si accepisti à Deo, quid gloriaris, quasi non acceperis? Quasi haberes id à teipso? Nihil eras, homo es, an meruisti, ut esses? Natus es cum peccato, & justificatus es ac adoptatus in filium Dei, quid meruisti, ut obtineres hanc gratiam? Nihil potes à teipso, nisi mendacium & peccatum, & recepisti facultatem operandi bonum ac promerendi coronas; & tu quid dedisti Deo? Nihil. Sed quid habes, quod Deus non dederit tibi? Nihil. Si resumeret, quod spectat ad se, & nihil relinqueret tibi, unde gloriari posses? Nihil. Ecce omnes tuas divitias.

Quomodò cognoscendum nos nullum habere bonum, quod non proveniat à Deo ut illum glorificemus, nosque humiliemus.

Ne persuasum habeas, mereri te aliquid posse à teipso. Quare? Quia absque illo agere & operari nihil potes. Quare nil agere absque ipso possum? quia absque ipso esse non potes. Habes esse, & hoc merum est donum Dei; habes gratiam, quæ perficit tuum esse, & hoc est merum donum Dei; habes bonum usum tui esse, tuæque gratiæ, quæ producere te facit bona opera; & hoc denuò est merum donum Dei; locupletas ex hoc & per hoc te meritis, sed hæc sunt iterum dona Dei; sine ipso enim non haberes illa. Quando tua allegas merita, ostendis & visenda præbes merita JEsu Christi: verum est, quod tua sint, sed tua sunt, quia illa is dedit tibi; & dignus es, ut perdas, si attribuere tibi cogitas illa, quasi à te ipso pro-

S. Augustin. in Psal. 43. v. 17.

profecta; mereris humiliari eorum privatione, si possidendo illa tibi ipsi adscisceres paras gloriam: tandem enim, quid habes, quod non accepisti?

Quando Deus coronat merita tua in cœlo, propria sua coronat dona; sibi ipsi ergò potiùs, quàm tibi administrat justitiam, cùm merita, quæ coronat, non à te, sed proveniant ab ipso. Sic omnia ex gratia habes; & hinc etiam ipsa vita æterna vocatur gratia: *Gratia vita æterna.* Nihil attribuamus nobis, permaneamus in nostro nihilo, ipsi soli gloria ex omnibus. Dum reservat sibi soli omnem gloriam, omnem nobis relinquit utilitatem. Ecce tibi infinitarum divitiarum thesauros, quos apertos tenet nobis, omnia hæc merita nostra sunt, si capere volumus illa; hauriamus incessanter, nosque locupletemus. Sed quâ ratione id faciendum. Erit hoc argumentum consultationis sequentis, quæ tota erit practica.

Rom. 6.

Consultatio XXIII.

Quomodò incessanter haurire possimus è thesauris meritorum JEsu Christi.

Permissum est quærere commoda nostra spiritualia.

Dicant, quidquid voluerint, dari animas in intentione suâ adeò puras, ut agant absque ullo propriæ utilitatis intuitu; amamus nihilominùs omnes utilitatem nostram, & amare debemus illam. JEsus Christus non condemnat desideria, quibus inardescunt avari accumulandi bona, nisi quia vilia nimis & abjecta sunt, dum inhiant pulveri terreno, cùm opimiorem ac sublimiorem nanciscì possent fortunam: suadet namque Apostolis suis, ut thesaurizent sibi thesauros in cœlo, ipsisque promittit æternas divitias, si temporales, quas possederint, deserere voluerint, suique amplecti sequelam. Vult igitur existimulare illos ad sublimiorem vitæ Christianæ perfectionem propriæ intuitu utilitatis, & ubivis, ubi requirit servitia hominum, allicit illos promissione retributionum.

Tres habemus virtutes Theologicas, fidem, spem & charitatem, quas largitur nobis, dum peregrinamur in vita hac mortali, velut tres duces, ad deducendum nos ad patriam nostram cœle-

Quare Deus largiatur nobis virturum spei.

cœlestem, & omnes tres necessariæ sunt nobis. Una est velut facula, quæ nos illuminat, ad ostendendum nobis rectam veritatis semitam, quam ambulare debeamus; aliæ duæ duo sunt amores, qui velut duo sacri ignes nos accendunt & exstimulant ad conquirendum nobis æternum regnum Dei: una amare nos facit Deum propter seipsum, & hæc est charitas; & alia amare nos ipsum facit propter nos ipsos, & hæc est spes. Verum quidem est perfectiùs esse amare ipsum propter seipsum, quàm amare ipsum propter nos; nihilominùs verum quoque est, quòd, si maxima est perfectio amare Deum propter se ipsum ex charitate, etiam magna valdè perfectio sit amare ipsum propter nos ex spe: tandem enim utraque pari ratione est virtus Theologica, & quando Deus has nobis largitur, vult nos ambas quóque exercere, & ambas servire nobis ad salutem nostram.

Charitas & spes debent esse inseparabiles.

Fateor quidem, quòd, qui expellere vellet charitatem, non amando Deum, nisi ob propria sua commoda, enorme committeret crimen; sed nonnè crimen, quóque committeret, si quis omninò expelleret spem è corde, absque eo, quòd amare ipsum vellet, ad possidendum illum, sub majoris obtentu perfectionis? Verum sit, amorem hunc proprii studiosum esse commodi, sed commodum hoc optimum est & sanctissimum, quod Deus non solùm permittit, sed nobis quóque præcipit, ut illud ob oculos ponamus nobis, cùm unam è tribus virtutibus Theologicis hunc in finem nobis elargiatur, illámque ipsemet nutrire ac fovere velit promittendo nobis coronas, & magnificentissimas retributiones.

Quare ergò reliquit nobis in Ecclesiâ suâ divitias infinitas, quas acquisivit nobis morte suâ, gratias suas, merita sua, divinas satisfactiones suas, omnia dona sua cœlestia, & inexhaustos thesauros suos nostris apertos oculis, è quibus ut hauriamus abundanter, iisdémque bonis suis nos locupletemus, ipsemet nos invitat; an hoc sit, quòd nos velit servire sibi absque ullo proprii nostri intuitu commodi? Nonnè videmus hoc unicum esse, cui ipsemet omnem suam impenderit operam toto vitæ suæ mortalis spatio? Et certè post primarium gloriæ Dei Patris sui scopum, aliò non collimavit in omnibus, quæ fecit & tulit in hoc mundo, quàm ut unicè laboraret pro commodo salutis nostræ, nosque veris vitæ æternæ locupletaret divitiis. Induamus ipsius spiritum, capiamus benè verum ipsius animum; meliùs nil facere poterimus post primarium

JEsus Christus nos docet exemplo suo operari pro salute nostrâ.

& præcipuum gloriæ Dei scopum, quàm indefessè laborare pro commodo & utilitate animæ nostræ, pro acquirendis vitæ æternæ bonis.

Operari fideliter tempore momenti hujus pro æternitate.

Jam in manibus tenemus inæstimabilia hæc bona, & non advertimus; in terra acquiruntur, & in cœlo possidentur; totam infinitam æternitatis habemus durationem ad possidendum illa; & nonnisi parvum vitæ præsentis momentum habemus, ut illa acquiramus. Nihilominùs tam improvidi & incauti sumus, ut insensibiliter id elabi permittentes de hoc nil cogitemus, nilque utiliter operemur; & non observamus infinitam, quam facimus, jacturam ex unico defectu nostro, cùm tamen, si benè collocare & impendere vellemus cuncta momenta nostra, nec unicum ex illis futurum sit, quod tanti momenti non esset, ut immensum æternæ gloriæ pondus compararet nobis. Siquidem hæc manifesta doctrina est magni Apostoli S. Pauli ad Corinthios scribentis: *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Itáne pro momento tribulationis, pro instanti laboris, æternum detur stipendium, cujus sit nobis incomprehensibilis magnitudo? Et nos scimus hoc verum esse, & esse articulum fidei, & nihil facere volumus. O stupiditatem deplorandam! O sævitiem intolerandam, quàm in nos ipsos exercemus!

2. Cor. 4.

Inveniuntur animæ sanctè avaræ.

Verum est, non omnes hâc percelli cœcitate; reperire est animas, quibus cùm Deus detexerit pulchritudinem bonorum suorum cœlestium, & ipsæ remedium facile ac continuum habeant in manibus illorum adeundi possessionem, tam ardentibus acquirendi illa accenduntur desideriis, ut avarissimis quibúsque in mundo ardentius desiderium non sit coacervandi pulverem bonorum suorum temporalium, quàm sit illis sinè intermissione accumulandi magnum valdè thesaurum verorum bonorum æternalium. Sæpiùs dicentem audivi optimum Dei famulum, qui exstimulavit sese intuitu laboris, quem exantlant mundi assectæ ad assequendas, sibique comparandas vanitates suas: Itáne videam, impensè omnes suam navare operam, ut perampliis se locupletent fortunæ muneribus, hunc in aula, illum in foro, istum in bello, alium in mercaturâ, aliquos in mari, nonnullos in terra, laborare omnes, ut se magnificent, seque gazis repleant; & ego meæ quoque non intendam, non invigilem fortunæ? Intendam & invigilabo sicut illi, quin & illis meliùs, id faciendi exploratum mihi est me-

Christianus fortunæ suæ invigilet.

medium, tam benè res agam meas, ut nec momentum meæ abiturum sit vitæ, quo non adeam possessionem thesauri, qui majoris longè erit pretii, quàm illa omnia, quæ omnes simul acquirere sibi possent totius suæ curriculo vitæ.

Facilia media, quibus Christianus fortunam suam promovere potest.

Interrogavi ipsum, quomodò facies? Et desuper instituimus colloquium, quod trahebat post se tum voluptatem, tum utilitatem, quæ haberi posset, maximam, circa facilitatem mediorum, quæ habemus ditandi nos indies, cunctis horis, singulis momentis magno meritorum cumulo, quæ inservient nobis ad comparanda vera æternitatis bona. Nonnè habemus, dicebat mihi, inexhaustos meritorum JEsu Christi thesauros, qui nunquam non aperti sunt nobis? Quid nobis obstat, ne inseramus manus & capiamus inde, quantum volumus? Consideraveram penitiùs aliàs illa scripturæ verba, quæ legeram in Vate Isaia:

Isa. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris;* Et cogitabam de gaudio, quo perfunditur aliquis exæstuans siti, quando pulchrum quemdam invenit fontem, revocans in mentem longè majus gaudium, quo delinitur anima, quæ æternorum avida bonorum, currit ad fontes Salvatoris, cùm auspicatam reperiendi illos nacta fuerit sortem.

Amabilissime Salvator mi, ubi ergò sunt fontes tui? ostende mihi illos, ut hauriens ex illis extinguam sitim meam. Videtur mihi, quòd præcipuè quatuor mihi designet, quos si accessero, omnes suis gratiis, suisque meritis inveniam refertos. Primus, bona nostra sunt opera: Secundus, passiones & cruces nostræ: Tertius, nostræ preces & orationes: Quartus, bonus usus sacramentorum. Invisamus ipsos omnes successivè, dicebam ipsi, ut meliùs illorum cognoscamus valorem, & æternorum bonorum, quæ inde haurire possumus, abundantiam.

ARGUMENTUM.

Abundanter participare possumus ex meritis JEsu Christi per bona nostra opera.

Articulus I.

Bona anima non facit, nisi bona opera.

OMnes fructus bonæ arboris sunt fructus boni; & omnes actiones bonæ animæ sunt opera bona. Jam non est unicum opus bonum, quod non habeat meritum suum, valorem

ſuum, aliàs bonum non eſſet. Sequitur ergò, quòd, dum multiplicat actiones ſuas, multiplicet etiam bona opera ſua, & merita ſua, quódque hâc ratione, non eſſet locupletare ſe in omnibus, quæ facit.

Et itáne? dixi ipſi, non diſtinguis inter actiones ipſius ordinarias, & bona ipſius opera? Intelligo probè, quòd, dum facit eleemoſynas, jejunat, dum frequentat Xenedochia & ergaſtula, viſitatú & conſolatum afflictos, bona faciat opera. Sed quando ordinarias vitæ humanæ conficit actiones, quando laborat, quando quieſcit, quando curat res domeſticas, vel etiam publicas, quando agit cum proximo & temporalia tractat negotia, quando obambulat, ſeque recreat, quando bibit & manducat. Et tandem quando innumeras indifferentes, quibus vitæ humanæ inundat curſus, obit & perficit actiones; an appelles has bona opera, quibus ſuum correſpondeat meritum? An nullum collocas diſcrimen inter magnas, mediocres & parvas, quas oportet facere, actiones?

Magna eſt differentia inter bonas noſtras actiones & in quo conſiſtat.

Colloco equidem inter illas diſcrimen vel maximum, reſpondit mihi, ſed hoc eſſe non poteſt, eâ, quâ putas ratione. Non voco id magnum, quod magnum videtur, nec parvum, quod parvum apparet in actionibus, quas indies conficimus; neque etiam intelligo, quòd valor vel meritum deſumatur ab actionum noſtrarum vel magnitudine vel parvitate. Et ut tibi deſuper meam explanem Philoſophiam, teneo, meæ conformiter ſententiæ, quam ſtabilio per id, quod addidici ex Theologiâ & ſanctis Patribus, quatuor veritates velut certas, firmas ac ſolidas.

Quatuor pulchræ regulæ adjudicandum benè de noſtris operibus. Regula primæ.

Prima, quòd nec unica ſit actio humana, parva vel mediocris, vel quævis pro arbitrio tuo maxima, quæ conſiderata in ſeip, ſa in quantum eſt actio hominis, habeat aliquod meritum coram Deo; intelligo meritum illud ſupernaturale, quod reſpicit vitam æternam. Sic pone mihi ob oculos omnia trophæa Cæſarum, omnes Victorias Heroum, omnia machinamenta roboris, animi, generoſitatis, quæ cunctis ſæculis præteritis fuêre admirationi: adjunge omnes actiones purè naturales, quæ à creatione mundi ab omnibus confectæ ſunt hominibus, quæque maximo exceptæ ſunt applauſu: Omnia hæc tanti non ſunt ponderis, quanti unicus hujus meriti, de quo loquimur, atomus in ſtatera Dei.

Regula ſecunda.

Secunda, quòd plerúmque plus vilitatis, indignitatis & abjectionis complectantur mundi actiones maximæ, quàm minimæ, eòquòd inveniatur in illis plus

plus amoris proprii, plus vanitatis, plus injustitiæ, plus oppositionis, quæ oppugnat Spiritum Dei. Omnes hi defectus quasi semper comitantur actiones magnas, quas ob splendorem suum admiratur mundus, cùm econtra multò minores & pauciores invenire sit in actionibus mediocribus & usitatis, quas tanti non pendit nec æstimat mundus. Sic illud, quod apud mundum magno est loco & dignum laude, parvi penditur à Deo, dignúmque censetur despicatu.

Regula tertia. Tertia, quòd actiones nostræ metiendæ non sint nec à suâ magnitudine, nec à suo splendore, nec à suo pondere, nec à sua duratione, nec ab omni eo, quod à nobis videtur, ad judicandum, quænam reipsâ maximæ sint in seipsis, sed secundùm id, quòd factæ sint juxta dispositionem Dei, cujus providentia, quæ etiam minima quæque gubernat, valdè diversas vult & requirit actiones ab hominibus, juxta status & conditiones diversas, quibus inservit ipsos. Hinc sicut illud, quod nullatenus vult Deus, exempli gratiâ peccatum, nihil omninò bonitatis habet ac valoris; sic id, quod magis vult Deus, majoris bonitatis est & excellentiæ: Et juxta hanc regulam, quando David custodiebat greges suos in pueritia sua, majoris præstantiæ hæc fuit actio, quàm quando numerari fecit totum populum suum factus jam Rex. Et vera hujus est ratio, quòd Deus ab eo voluerit unum & non voluerit alterum.

Et quarta denique est, quòd quidquid valoris est vel meriti in nostris actionibus, non nos ipsi collocaverimus illuc, sed à Deo receperimus, ut illuc collocaremus. Eheu! quid habemus à nobis ipsis, quod non purè humanum sit, vile & imperfectissimum? Sed id omne, quod aliquid participat ex magnitudine & sanctitate infinitâ Dei, habet omnem valorem, & omne meritum, quod is illi vult dare, neque plùs neque minùs. Ex hoc sequitur, quòd quantò minus à nobis est, & quantò plus à Deo in operibus nostris bonis, tantò illa excellentiora sint ac magis meritoria; & consequenter Deo soli ex eo omnis refundenda sit gloria, cùm ipse solus donaverit illis id omne, quidquid ibi invenitur boni, nobisque nil debeatur, nisi contemptus & humiliatio, cùm nos soli tribuamus illis omnem defectum ac imperfectionem, quæ ibi reperiri possit. Regula quarta.

Quomodò verum sit, omnia opera justorum esse meritoria.

Assentior in hoc, dicebam ipsi, congruæ rationi videntur regulæ tuæ. Sed stantibus his omnibus, quomodò declarabis mihi, quod dixisti ab initio, omnes actiones bonæ animæ esse opera

meritoria? Si adhuc diceres, ipsam plura illorum facere, quæ meritoria sint, mererétur forsan assensum: Sed omnia, citra id, quòd attendas, ipsam innumera facere, quæ nullius sint momenti, & alia, quæ necessaria sint ad sustentationem vitæ humanæ, & plurima ejusdem naturæ cum illis, quæ faciunt infideles & maximi inimici Dei: (benè intelligo, quòd his accensere non velis peccata, sed solùm actiones, quæ ex se ipsis malæ non sunt) quis sibi persuadeat, bonam animam ex his omnibus haurire posse valorem meriti, qui vitâ dignus sit æternâ?

Tres conditiones necessariæ ad faciendum bonum opus.

Ecce tibi, quo persuaderi debeas, respondit mihi. Theologi nonnisi tres requirunt conditiones præcipuas in aliqua actione, ut meritoria fiat vitæ æternæ. Prima, ut sit aliquo modo bona ex seipsâ. Jam ipsa semper talis est, quando non est mala, id est, quando non est prohibita à Deo; de cætero, sive maxima sit, sive minima, hæ differentiæ minoris considerationis sunt coram Deo, quàm sint omnes actiones alicujus formicæ respectu potentis cujusdam Monarchæ: Non petit ipse actiones nostras, sed cor nostrum, quod pro se fecit, quódque ipsi summè placet, quando divino suo inflammatur amore. Secunda conditio est, ut actio fiat à persona constituta in gratia Dei, eòquòd gratia, quæ sanctificat animam, adoptet hominem in Filium Dei & actiones hujus filii suo placeant Patri cœlesti: quicúnque est extra hunc statum, est in statu peccati mortalis; & in miserabili hoc statu quidquid facit, habere non potest meritum, quamvis excellentissimam ex se ipsâ conficeret actionem. Et pro tertiâ conditione requirunt, ut actio fiat ex vero motivo placendi Deo, vel amandi Deum, vel glorificandi illum; vel faciendi divinam ipsius voluntatem, quæ omnia sunt idem; affirmántque bonam hanc intentionem esse id, quòd maximè considerari debeat in cunctis operibus nostris; siquidem illa dirigere ad Deum, est velut munus, quod propriâ quis manu ipsius imponeret Altari.

Examina nunc & videbis, nec unicam esse actionem in tota vita bonæ alicujus animæ, quæ habere non possit omnes hasce tres conditiones, solo peccato excepto: & consequenter certum est, nec unicam esse, quæ habere non possit valorem ac meritum, quo digna reddatur pro sua retributione accipere vitam æternam.

Actiones, quas mundus contemnit, habent meritum coram Deo.

Itáne ergò? aliquis vinitor merebitur paradisum, eòquòd suam coluerit vineam; & aliquis opifex, eòquòd in sua taberna artis suæ confecerit opus; & aliquis famulus, eòquòd suum discal-

discalceaverit herum; & aliquis homo, eòquòd in suo obambulaverit horto, & aliquem decerpserit florem; & ille alter, eòquòd manducando & bibendo suæ satisfecerit necessitati; & aliqua fœmina, eòquòd rei suæ domesticæ curaverit & administraverit minutias? Et quæ excellentia, & quis valor observari possit in omnibus hisce abjectis actionibus, quas nihili æstimat mundus, unde sibi quis persuadeat, illas dignas esse possessione boni infiniti? unde ipsis hoc pondus & ingens hoc meritum? videtur id omnem sanam offendere mentem.

Deceptio sapientiæ humanæ.

Verum est, fatebatur mihi, quòd si judicium feratur juxta regulas sapientiæ humanæ, videri ridiculum, si dicatur, actionem, quæ nullius est teruncii, adæquare pretio regnum in æternitate. Sed nonne jam dixi tibi, considerandam non esse magnitudinem vel parvitatem actionum nostrarum ex seipsis, in quantum proficiscuntur à nobis, eòquòd ratione pari nullius valoris sint omnes. Moderari imperium vel plantare herbam, sunt actiones duæ judicio nostro valdè inæquales; nihilominùs æqualiter nihil sunt coram Deo respectu meriti supernaturalis. Sed Deus nonnè ex hoc nihilo facere potest id omne, quod voluerit, qui ex eodem nihilo creavit Angelos & pulverem terræ, juxta gradum esse naturalis, quem suis conferre voluit creaturis? Nonnè ex abjecto nihilo minimarum nostrarum actionum prodigiosa conficere poterit magnalia, quæ æternæ gloriæ mereantur coronas juxta gradum gratiæ, meriti & esse supernaturalis, quem illis voluerit conferre?

Quæris, quomodò hoc faciat? Considera, quòd omnes divinas suas divitias contineat in thesauris suis: ibi sunt omnes ipsius gratiæ, & omnia ipsius merita, distribuit hæc, cui placuerit, & quantum sibi placuerit: si plus gratiæ largiatur animæ pauperis alicujus famuli, ipsique tribuat, ut minimam suam actionem majori perficiat cum amore, quàm ipsius faciat herus magnificam exstruendo Ecclesiam, vel dimidium bonorum suorum distribuendo pauperibus: simplex actio servi, quæ despicabilis videtur, major est coram Deo, quàm illa heri sui tanto effulgurans splendore: siquidem nihil omninò valoris ac meriti est in operibus nostris, nisi quod Deus collocaverit illuc è divinis thesauris suis, cùm impossibile nobis sit illuc vel unicum duntaxat illius collocare atomum à nobis; & ipse indiscriminatim collocare potest tam in minimas, quàm actio-

Minima actio servi, majoris esse potest valoris, quàm maxima, sui heri.

actiones maximas, quantum placuerit sibi.

Sæpè notatur plus amoris in parvis, quàm magnis rebus.

Verùm an esse posset, me plus habere gratiæ, plus amoris Dei, & plus meriti obambulando ad recreandum me, quàm jejunando ad macerandum corpus meum? sinè dubio hoc esse posset. Itáne? plùs inserviendo pauperi in Xenodochio, quàm mitrati præsulatûs officio totam quamdam moderando ditionem? haud dubiè id poterit esse. Et aliquid ampliùs adhuc vobis dico, benè obeundo actiones minimas nos sæpiùs majorem demonstrare amorem Dei, quàm exantlando maximas. Non dixero, hominem aliquem admodùm esse avarum, aut ardenti desiderio inhiare divitiis, si videro invigilare ipsum solicitè magnæ cujusdam summæ, quæ suum concernat & spectet emolumentum; sed si videro, quòd solerter curet res minimas, quòd & pro acu accuratè cuncta agat, quòd etiam pro denario acriter disceptet, litémque moveat; haud evidentius requiram indicium, unde videam, vehementissimâ ipsum accumulandi facultates ardere cupiditate.

Similiter, quando anima Christiana præcipuas suas adimplet partes, & maximas, quas exantlat, offerre studet actiones Deo, nonnisi mediocrem arguit amorem intus in corde gliscentem: Verùm si contendat & attendat anxiè, ut actiones suas minimas faciat ad placendum Deo; si nihil intermittere curet ex omnibus, quæ Deo crediderit fore accepta, illáque omnia perficere studeat cum maximo amore Dei: quis diffitebitur, quin ostendat ex his, habere se multum gratiæ, multúmque amoris, & consequenter per parvas hasce actiones, quæ nihili esse videntur, maximis ipsam accumulari meritis?

Nonnisi magni amici habent curam rerum minimarum.

Reddere alicui communia urbanitatis & benevolentiæ obsequia, nonnisi mediocrem portendit & ostendit amicitiæ effectum, sed excogitare media, invenire modos, quibus serviat amico, quibus demulceat ipsum, quorum non meminisset alius, haud obscura singularis & intimæ amicitiæ est nota; & sæpiùs quóque hæc magis obstringunt & lucrantur animos, quàm obsequia magna, eòquòd majorem, magísque officiosum denotent amorem. Reperire est animas, quæ hâc ratione rebus invigilant minimis, in quibus credunt obsequium se posse præstare Deo. O quàm acceptæ sunt illi, quámque luculentum perfecti amoris ipsius præbent argumentum!

Cùm res ita habeat, dicebam ipsi, ô Deus! quàm solidum cunctis Christianis solatium!

Haud

Quilibet in statu suo ex omnibus actionibus suis facere potest bona opera.

Haud enim est opus ad faciendum bona opera, suam magnis actionibus navare operam, quæ directè respiciant pietatem; veluti sunt orationes, eleemosynæ, jejunia, & aliæ ejusmodi, eòquòd ex omnibus vitæ humanæ actionibus, etiam vilissimis & usitatissimis bona confici possint opera. Hâc ratione dicere quivis potest intra semetipsum: Contentus sum assignatâ mihi à Deo conditione, hæc tam est commoda ad comparandam meam salutem, quàm quævis alia vitæ, cùm ex omnibus actionibus meis totidem possim efficere opera bona, quæ vitam mereantur æternam: Contentus sum, non esse ditatum me magnis naturæ donis, nec eâ instructum facultate, ut egregia & præclara exantlare & exequi possim facinora, eòquòd non attendantur hæc, omnisque valor, ac omne actionis meritum suam trahat mensuram à gratia & amore Dei, cujus tandundem & plus habere mihi licet in actione minima, quàm in splendidissima, plurimúmque honoratâ. Perinde ergò mihi est, quascunque conficiam actiones, sive magnas sive parvas; non enim in hoc invigilandum est mihi, sed solumodò, ut omnes illas, qualescúnque sint, perficiam magnâ cum animi puritate, nec minori cum amore Dei; & hoc sufficit ad promerendum vitam æternam. An quidquam sit magis consolatorium, magisque idoneum ad conferendum maximam cunctis animabus quietem?

Fallax imaginatio, quæ decipit plurimos bonos.

Ita est, replicabat mihi. Sed plurimi nunquam non credunt, quòd nonnisi exiles perficiendo actiones, faciant nihil; persuasi insuper, se perdere parum illud, quod faciunt boni, eòquòd non meminerint semper actualiter offerre id Deo, idque perficere per actum amoris Dei præsentem. Naturales animi evagationes & creaturarum tumultus distrahunt ipsos, ipsisque aliquando per longius tempus subtrahunt memoriam Dei; & ipsi putant, omnia esse perdita, eòquòd illa, quæ ita perficiunt, omni careant merito; & certè hoc eos affligit plurimùm, ipsosque reddit pusillanimes; sed hoc ideò est, quòd benè informati non sint de veritate; res enim sæpenumerò prorsùs accidit ex oppositò, cùm quasi non fiant magnæ actiones coram Deo, nisi quando parvæ videntur coram hominibus. Plerique hominum plurimi æstimant munera magis sublimia, actionésque magis splendidas, quæ fiunt ab iis, qui in magna constituti sunt dignitate: occulere hoc quidem student sub obtentu majoris gloriæ Dei, verùm haud leviter decipiuntur: cùm profectò creaturæ

turæ quærant gloriam, & à proprio obcœcentur amore; siquidem major Dei gloria meliùs invenitur in majori nostri humiliatione. Et si credant adhuc, quòd magna hæc existimatio, quâ præferuntur actiones illustres, magnúmque excitantes rumorem, actionibus parvis, quarum nulla fit mentio, sit causa, quòd multum boni fiat, & magnum inde meritum colligatur; decipiunt se valdè, cùm sæpiùs actiones magnæ, quæ multum splendoris habent, eòquòd non ita purè fiant propter Deum, sicut illa, quæ nihil habent lucis, longè minus habeant meriti.

Melius est occupare se rebus, quæ minoris æstimantur.

Ut faciamus bonum, nil aliud curandum nobis foret, nisi ut benè & perfectè omnes nostras perficiamus actiones, absque eo quòd attendamus, an parvæ sint, vel magnæ. Sed posito, quòd discernendum foret, an potiùs amplectendæ sint hæ, quàm illæ, meliùs esset eligere magis abjectas, illasque anteferre splendidioribus, eòquòd gratia & purus spiritus Dei magis conservetur in his, minúsque sit periculi amore proprio evertendi & destruendi illum. Sic timor, ne faciamus quidquam, quòd alicujus sit valoris, quando nonnisi viles conficimus actiones, impedire & retinere neminem debet, cùm ipsæ benè à nobis factæ, tantò magis æstimentur à Deo, quantò magis despiciuntur ab hominibus.

Ita in hoc consistit maxima difficultas; sed majori percellit timore, quòd constet, requiri ad faciendum bonum opus intentionem, perficiendi illud propter Deum: Et plerique conqueruntur de hoc, quòd quasi omnes suas perdant actiones, ex eo, quòd bonam hanc non habeant intentionem, nec meminerint illas offerre Deo. Et ecce tormentum, quod innumeras bonas affligit in mundo animas. Sed quàm facile est illis impendere consolationem, si benè comprehendant maximum & prorsùs eximium vitæ interioris arcanum, quod plurimi non observant.

Verum est, requiri intentionem suam propter Deum, ut bona sit & meritoria. Sed hæc bona intentio non consistit in cogitatione, nec in reminiscentia, néque in alio discursu intellectûs, & consequenter verè haberi potest intentio faciendi opus nostrum propter Deum, quin de Deo cogitemus: bona intentio spectat ad voluntatem, uti dicit S. Thomas: Verum est etiam quòd ipsa non sit tam voluntatis actus, quàm certa quædam voluntatis dispositio, quæ consistit in hoc, quòd, cùm ipsa sit domina, quæ moderatur & gubernat omnia in nostra anima, ipsamque

Quid sit dirigere intentionem suam, ad faciendum opus meritorium.

D. Thom. q. 12. â 1.

que operari & agere facit in omnibus, ipsamet etiam dirigatur ab actione quadam præcipuâ & fortiori omnibus aliis, quæ trahat ipsam & operari in omnibus, citra quod de hoc cogitet, vel idipsum advertat. Et ecce propriè, quid sit vera ipsius intentio; siquidem hoc est, quod quærit, quódque ipsam agere facit in omnibus operibus ipsius.

Exemplum cujusdam avari declarat bonam intentionem.

Res est clara in exemplo magni cujusdam avari: Voluntas ipsius regitur à maximo quodam divitiarum amore: Ecce pondus ipsius, & ecce etiam veram intentionem, quæ operari facit ipsam in omnibus. Quæris, quænam sit intentio hujus hominis in omnibus, quæ facit, in omnibus, quæ dicit, in omnibus, quæ cogitat, in omnibus, quæ negotiatur. Nonnè semper est, ut coacervet & accumulet bona? Non est opus, ut de hoc cogitet, non requiritur, ut illud dicat, nec nova circa hoc formet propositа; ipsius intentio est semper eadem; ipsa est pondus firmiter fixum & stabilitum in voluntate illius, quæ trahit ipsam in omnibus, quæ facit; & quando etiam cogitaret, quòd non habeat intentionem se locupletandi, & quando id diceret omnibus, & quando levem quemdam adhiberet voluntatis conatum, ut illud non vellet: hoc non impediret, quin vera ipsius intentio semper sit coacervandi bona; quoad amor divitiarum prædominans in ipsius voluntate est affectus.

Amor est pondus cordis, & hic est vera intentio faciens operari omnia.

Sic igitur, postquam anima verè stabilivit imperium amoris Dei in corde suo; quando verum est, ipsam summè amare Deum, & ex toto corde suo, sicut primum & maximum legis mandatum indispensabiliter exigit ab ea, quando ipsa amat Deum suum, sicut auarus suas amat divitias: certum est, quòd vera voluntatis ipsius intentio sit, faciendi omnia, quæ facit propter Deum & ex amore Dei, utque placeat ipsi, absque eo, quòd de hoc actualiter cogitet, & absque eo, quòd actuale de hoc efformet propositum. Siquidem amor Dei est cordi ipsius, quod pondus est horologio, à quo moventur omnes ipsius rotæ, & à quo diriguntur omnes ipsius motus, quin aliquis de hoc cogitet, vel quòd alio sit opus, quam relinquere actionem ponderi illud trahenti.

Quomodo & quare sæpè renovanda sit intentio.

Verum quidem est, quòd sicut requiritur indies attollere & denuò sursum attrahere pondera horologii, si velimus, ut semper ordinatè procedat; sic quóque renovare oporteat & sæpiùs confirmare firmam hanc & constantem unicè vivendi Deo voluntatem, & faciendi omnia ex amore ipsius, conando, ut bona hæc intentio semper altiùs attollatur, ipsaque sinè intermissione magis roboretur; & hoc quasi

est reddere pondera horologii semper magis graviora, ut celeriori id evolvatur decursu. Et hoc posito, nec unicum solum bonum opus perditur in tota vita bonæ alicujus animæ; omnia sunt sancta, omnia meritorum plena, eòquòd omnia fiant propter Deum, quamvis ipsa non semper actualiter recordetur Dei; amor ipsius, qui est pondus ipsius, incessanter impellit ipsam ad eum, & omnes dies ipsius pleni sunt meritis: Dies pleni inveniuntur in eis: Quando non haberemus nisi hunc unicum Salvatoris fontem apertum, ad hauriendum ex eo ipsius merita, ipsius gratias, per bona nostra opera, sufficeret hoc nobis semper, ad nos locupletandum. Sed habemus adhuc alium, nempè cruces & afflictiones nostras. Eamus spectatum ipsum.

ARGUMENTUM.

Locupletare nos possumus meritis JEsu Christi per Cruces & afflictiones nostras.

Articulus II.

JEsus Christus demonstravit nobis majorem charitatem, patiendo quàm agendo pro nobis.

COram hominibus agere plus est, quàm pati, sed coram Deo pati malum, plus est, quàm agere bonum. Nonnè videmus, quòd, quamvis JEsus Christus nobis maximum demonstraverit amorem per omnes actiones suas, nihilominùs longè majorem ostenderit nobis per passionem suam. Et licèt multa fecerit, ac multa meruerit pro salute nostrâ, agendo pro nobis, nihilominùs amor ipsius non triumphavit in tota virtute suâ, nec merita ipsius summum assecuta sunt fastigium, quàm quando ad extremam agendi redactus est impotentiam, manus ac pedes confixos habens in Cruce, ita ut vix ampliùs aliquid posset agere; sed in statu, quo toleravit omnia ex amore erga nos. Unicum hoc momentum extremarum afflictionum mortis ipsius, pretiosius est, magisque admirabile, quàm omnes totius vitæ ipsius actiones.

Majus est meritum in patiendo malum, quàm agendo bonum.

Hoc nos docet, nobisque luculenter demonstrat, quòd meritum affixum non sit solis operibus bonis, quæ agimus; sed verè id etiam sit in cruce & afflictionibus, quas patimur ex amore Dei; quódque adhæc nunquam possimus tantum mereri, faciendo bonum, quantum meremur patiendo malum. O Deus! si hæc veritas benè insculperetur animo cunctorum bonorum hominum, hæcque firmiter credere-

deretur ab ipsis; quàm admirabiles produceret in eis effectus, quibus privantur, quòd illam cordi suo non profundè circumferant insculptam?

Siquidem inprimis, cùm omnes teneantur desiderio suam operandi salutem, plerique conqueruntur de eo, quòd nihil faciant pro Deo, eòquòd non satis invigilent & bonis studeant operibus, hi ex impotentia, illi ex defectu temporis, alii, quia millenis obruuntur impedimentis, & propterea destituuntur animo, & credunt totam vitam suam non tantum inutiliter, sed etiam dilabi miserabiliter. Si probè nôssent, quòd melior vitæ justorum pars non consistat in agendo bonum, sed patiendo malum; quódque non minus promoveatur opus salutis nostræ, aliud nil agendo, nisi quòd patiamur, quàm plurima exercendo bona opera; quódque ex opposito certum sit, plerúmque plus veri esse meriti in tolerando malum, quàm faciendo bonum: consolati forent & repleti gaudio, quia crederent, sibi nunquam esse meliùs, quàm dum putant sibi esse malè & pessimè.

Magis gaudendum est nobis, dum patimur quàm dum operamur bonum.

Ulteriùs, cùm nemo sit in mundo, aliqualem habens zelum pro salute suâ, qui non demulceatur gaudio, dum obtinet à Deo gratiam bona quædam faciendi opera; & quantò illorum facit plura, tantò majori perfunditur solatio, quamvis non modicum in ipsis inveniat laboris; eòquòd sentiat nescio quem occultum conscientiæ suæ applausum, à bonis operibus omninò inseparabilem, sicut econtra inseparabilis est ab operibus malis interior exprobratio, increpatio, reprehensio: siquis persuasum sibi haberet, se meliùs promovere opus salutis suæ, portando crucem suam, seque obrutum videndo miseriis & afflictionibus, quàm plura perficiendo bona opera; plus etiam experiretur gaudii spiritualis & solidæ consolationis in anima sua, patiendo malum, quàm faciendo bonum. Nihilominùs jucundamur, dum agimus bonum, & tristamur, dum patimur malum, ex falsa imaginatione, quòd illud nostram promoveat salutem, & hoc retardet illam: & ex adverso comparamus & lucramur nobis longè plura tolerando malum, quàm operando bonum: & si non sentiamus testimonium hoc conscientiæ & interius hoc gaudium in cruce, sicut in exercitio bonorum operum, aliunde non est, nisi quòd satis non credamus, id verum esse. Bone Deus! qui benè insculpere posset veritatem hanc animabus bonorum hominum, qui plerúmque magis obruti sunt afflictionibus, quàm consolatos semper videret ipsos, utpote sæ-

piùs afflictos & calamitatibus oppressos?

Via cœli securior est & facilior per afflictiones, quàm per bona opera.

Porrò via salutis, & modus locupletandi nos copiosis meritis longè facilior est & certior per afflictiones, quàm per exercitium bonorum operum. Non omnes facultatem habent multa operandi bona; sed nemo est, cui desit facultas tolerandi malum; non semper adest nobis occasio faciendi bonum; sed occasio patiendi malum, nunquam deest nobis; siquidem omni ex parte adoriuntur nos Cruces, & undequáque adveniant, sunt optimæ. Quando agimus bonum, timendus nobis est amor proprius, vel vana gloria, à quibus sæpiùs magna strages infertur bonis nostris operibus, dum illa omni exspoliant merito: sed quando patimur malum, procul abest, ut vel amor proprius vel vana gloria nobis struat insidias; & ideò de non perdendo merito longè magìs in hoc sumus securi.

Magna consolatio pro omnibus afflictis.

Quanta consolatio bonæ animæ, quamvis pauperrima sit & miserrima, quando dicere potest: Verum est, me nihil boni agere eùm nec facultatem ad id habeam, nec capacitatem; sed per gratiam Dei patior & tolero malum. Non doleo, quòd impotentem me videam ad patrandum multa & magna bona, sicut patrare video alios multos naturæ donis, ingenio, auctoritate, bonis, sanitate instructos; cúmque his omnibus bonum faciendi mediis destituar, nec minimum illorum conficere mihi licet: sed propterea non affligor; nunquam non beatam me credam, modò detur mihi pati malum: novi enim, si iisdem instructus fuero dispositionibus, quæ requiruntur ad conficiendum bona opera; id est, si anima mea immunis fuerit à peccato, & in statu gratiæ; si pati voluero malum, sicut vellem operari bonum ex amore Dei, me non solùm lucrari tantum, sed acquirere multò plus tolerando mala, quàm faciendo bona.

Qui patiuntur, semper putant, se non benè pati.

Hoc bonum foret, dicis mihi, si quis pateretur benè, sed non benè ego patior. Quare inprimis afflictiones meæ non sunt voluntariæ: siquidem non ego aucupor illas, sed ipsæ aliunde invitum me occupant, & nolens oneror illis. Quid meriti hauriam ex eo quod voluntarie non assùmo? Secundò non tolero illas cum patientiâ; maximam enim semper experior repugnantiam, ita ut sæpiùs etiam in querelas erumpam, & nullam non moveo lapidem, ut meam à me amoveam afflictionem. Et denique despondeo animum, dum afflictionibus & miseriis me intueor oppressum, relinquo omnia, nec quidquam boni peragere possum, immò nec precari Deum,

Deum. Videtur mihi me nihil esse, nec quidquam valere, sed nec Deo placere in hoc statu. Nonnisi in votis mihi est dies, quo statu tam miserabili me videam exemptum, ut operari quidquam incipiam pro salute mea.

O Deus! quantus tui est error animi! ô Deus! quàm deciperis, dum adeò indigna foves in pectore sensa! Divine JEsu! ostende te huic animæ, & instrue ipsam per temetipsum, ut illustrata magno splendore exemplorum ac luminum tuorum clarè videat errores suos, ignorantias suas.

Exemplum admirabile JEsu Christi nos docet modum benè patiendi, ut mereamur.

Ponderosam hanc Crucem, Domine, quam supra Golgothæum deportâsti verticem, an ipsemet elegeras tibi? Non, accepi illam, quæ imposita est mihi, ipsam inveni prorsùs idoneam, quâ uterer ad operandum salutem & redemptionem mundi. Sed quis fabricatus est hanc Crucem, quisque illam imposuit tibi? Non indagavi, quæ manus fabricaverint illam, nec à quibus mihi fuerit imposita: Erant inimici mei, & manus erant Sacrilegæ; sed non refert, sufficit ipsam fuisse crucem: amplexatus sum talem, qualis oblata est mihi, illámque adhibui ad construendum Altare mei sacrificii.

Sed nonne sentiebas repugnantiam in portanda & toleranda hâc Cruce? Sentiebam illam adeò magnam, ut sola illius imaginatio in horto olivarum me perculserit pavore, me concusserit tremore, me suffuderit sudore tum aqueo, tum sanguineo, me denique confecerit mœrore usque ad mortem, ita ut illâ expedire me vellem, & instanter à Patre meo expeterem ab ea liberari. Ah! Itáne, Domine, summa hæc, quam in patiendo sentiebas, repugnantia, non spoliabat te tuarum merito afflictionum? Non, quia non obstantibus cunctis aversionibus naturalibus erga Crucem, resignavi me in beneplacitum Dei, ipsi dicens, ut juxta suam mecum faceret voluntatem. Hic voluntatis meæ superioris actus, erat verus, quem dabam ad patiendum, consensus, quamvis fuerit absque gustu, absque ullâ consolatione; dúmque volebam hoc ex parte animæ meæ superiori, modo quodam valdè arido & admodùm insipido, omnes mei fremebant sensus, omnesque animæ meæ sensitivæ refragabantur facultates, & omnes naturæ inclinationes, meæ se opponebant voluntati, & vehementissimè volebant oppositum: ita ut repugnantiæ meæ incomparabiliter fuerint vehementiores, magisque manifestæ, quàm imperceptibilis quasi consensus, quem meâ affere-

JEsus Christus sentiebat magnas repugnantias in patiendo, & patiendo cum magno merito.

ferebam voluntate. Et nihilominùs faciebam in hoc omnia, quæ requirebantur ad perfectiſſimè patiendum.

Jesus Christus nunqnam plùs fecit, quàm redactus ad ſummam impotentiam nihil faciendi.

Sed tandem, Domine, tu nihil ampliùs agebas pro noſtra ſalute, quando huic confixus eras Cruci: Siquidem non poteras ampliùs movere nec pedes nec manus, non prædicabas ampliùs Evangelium, non curabas ampliùs infirmos, non patrabas ampliùs innumera egregia facinora, uti priùs; redactus ibi eras ad ſupremam infirmitatem, abſorptus opprobiis & contemptu hominum, reputatus inter ſceleratos; nemo admirabatur ampliùs tua miracula, nemo ampliùs te afficiebat honore; ecce igitur te ibi totum abjectum, totúmque redactum ad nihilum. Ut quid non deſeris miſerabilem hunc ſtatum? ut quid non deſcendis de hâc cruce, ut pergas patrare miracula pro gloriâ Dei & ſalute hominum? Ecce jam Judæi promittunt tibi, ſe fore convertendos, ſeque credituros in te, ſi deſcendas de Cruce, & exemplo illorum ſe totus convertet mundus. Sed in ſtatu, quem tenes, quid agere poteris dignum conſideratione?

Omninò ex oppoſito, dicit tibi, nunquam tam magnum quid feci, quàm quando nihil feci, quàm pati & mori pro gloriâ Dei Patris mei, & pro ſalute omnium peccatorum. Tempus agendi tranſiêrat, non erat hic ampliùs niſi tempus patiendi: Sed exquiſitiſſimum confeceram hìc opus, & per hoc imponere volebam coronidem & ultimam perfectionem cunctis operibus meis. Summus hìc impotentiæ ſtatus, in quo apparebam totus annihilatus, totus abjectus, totúsque inutilis, tam erat magnus, ut in eo patraverim maxima potentiæ meæ & amoris mei miracula.

Cruces, quæ non eliguntur ſunt meliores.

Quid dicis ad hæc infelix ſeducta anima, tam malè ſentiens de Cruce, quam toleras? Nonnè abundè inſtructa & inſtituta es exemplo Salvatoris tui? Nonnè vides, quòd licèt non ipſamet elegeris afflictiones tuas, licèt ex neceſſitate ſuſtineas ipſas, ex eo non minùs tibi ſint meritoriæ, quódque crux ſemper ſit bona undequáque tibi advenerit, à quibúscunque impoſita tibi ſit manibus: ſive amici tui ſint, ſive inimici, ſive homines boni, ſive mali, quando etiam tu ipſa ex propria culpa tua tibi fabricata eſſes illam, & tandem quando ab ipſo tibi profecta fuiſſet diabolo, haud refert, ſufficit, quòd crux ſit, ut omninò ſit idonea ad patrandum mira pro ſalute tuâ, modò portaveris illam. Nonnè probè hinc vides, quòd repugnantiæ tuæ in patiendo, non impediant, quin afflictiones tuæ

Repugnantiæ in patiendo non impediunt meritum.

tuæ tibi plurimùm sint meritoriæ? etiamsi conciliarent tibi mœrorem úsque ad mortem, etiamsi sudare cum aqua te facerent cruorem, etiamsi ipsas extorquerent tibi querimonias, precesque ardenter ad Deum fusas ut liberaret te à Cruce tuâ, modò his omnibus reluctantibus, voluntas tua superior resignata sit in Deum, dicatque ipsi: *Domine non mea, sed tua voluntas fiat:* Etiamsi videaris tibi id facere aridè, & absque ullo affectu sensibili, & ex opposito sentires multò plus aversionis quàm voluntatis & inclinationis in patiendo propter Deum. An omnes hæ infirmitates naturales, quas JEsus Christus sentire voluit ex commiseratione erga miserias nostras fuêre obstaculo, quin passus fuerit perfectissimè & maximo cum merito?

Nunquam est aliquis in meliori statu, nisi quaudo obruitur miseriis.

Nonnè denique vides, quòd hic afflictionum status, in quo putabas te esse nihil, nihilque valere, nec placere Deo, nec capacem te esse ad quidquam boni agendum, immò nec ad orandum Deum, omninò status sit optimus, tibique maximè proficuus, in quo plurimùm placeas Deo, magnisque passibus progrediaris in via salutis tuæ? Fortassis statûs hujus dies unicus, quem infelicem tu putas, tibi majori est emolumento, pluribus te ditat meritis, quàm mensis integer statûs alterius, in quo esses sinè Cruce.

Dicis, te credere hoc non posse, eòquòd videas manifestè, te nihil ibi boni facere. Nulla ampliùs arrident bona opera, nulla ampliùs oblectat vel devotio, vel oratio, imò sinè summo fastidio ne quidem cogitare possum de Deo. Nonnisi plenus sum querimoniis, tædiis, motibus impatientiæ, amaritudine, æmulatione, quâ invideo aliorum felicitati, omnes passiones meæ disruptis tumultuantur frœnis. Quæ patior exteriùs, horrendum mihi constituunt purgatorium, omni namque patior ex parte: Quæ tolero interiùs, verum mihi fabricantur infernum, ubi sustineo privationem Dei haud aliter, quàm damnati, & sicut ipsi, pessimos sentio affectus. Frustra mihi dicuntur omnia, persuadere mihi non possum, placere me Deo in hoc statu, vel promereri me aliud, nisi supplicia. Etiamsi resignare me vellem in beneplacitum Dei, non possem; & quando dico: Fiat voluntas tua, volo pati, quia vis; videor mihi illudere mihi ipsi: siquidem in corde verum est, quòd pati nolim: dúmque nolens & invitus patior, ubi est meritum?

Quando quis putat, omnia esse perdita, tunc omnia sunt optima.

Ah! infelix anima, quæ conquereris ita, quantùm compatior tibi, non quòd sis in hoc statu,

sed quòd non agnoscas pulchritudinem, excellentiam, summam felicitatem statûs, qui tantam tibi confert conformitatem cum JEsu Christo Crucifixo, ut nunquam magis sis similis ipsi! Ecce totus sicut ipse obtectus es Cruce exteriùs, & in impotentia præstandi quidquam boni; es velut ipse absorptus maximis afflictionibus internis, putásque te derelictum à Deo, sicut ipse quóque conquestus est in Cruce. An hoc statu sit quidquam sublimius? Non, nunquam magis potes esse Christianus, nunquam magis acceptus Deo, nec unquam magis in statu, majora acquirendi merita. Considera benè admirabile hoc exemplum JEsu Christi, quia ipse est verum exemplar nostrum: comprehende benè divinam ipsius Philosophiam, quæ docet, quòd oporteat nos everti, perdi, omninò destrui, ut nobis sit benè, immò optimè; quódque nunquam præstemus aliquid excellentius pro ipsius gloria & salute nostrâ, quàm quando nihil agimus boni, sed quando sustinemus Cruces, Cruces, & puras Cruces, sinè hoc, quòd habeamus id solatii, quòd sciamus, nos pati benè, & patiendo placere Deo: siquidem hîc purus invenitur amor, purúmque meritum. O quàm fores felix, si comprehendere id posses!

Admirabilis Philosophia Christiani circa Crucem.

Apostolus S. Jacobus vult Christianum maximam suam in hoc collocare felicitatem: *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Gaudendi vobis est ansa, quando Deus vos aliquâ gravat afflictione, & quantò magis vestra creverit afflictio, tantò & vobis gaudendi major est ansa. Et quando obruet vos impetuoso imbre variarum afflictionum, persecutionum, dolorum, omnis generis miseriarum, velut tempestate grandinum decidentium super vos, ad subvertendum & demoliendum omnia: *Omne gaudium existimate.* Credite, obtinuisse vos maximum & verissimum gaudium animæ Christianæ. Et si dubitetis de eo, vestros conjicite oculos in exemplar vestrum, JEsum Christum, totum expoliatum, totum annihilatum in Cruce, & videte, nunquam vos ipsi assimilari magis, & consequenter nunquam perfectiores vos esse Christianos. Per hoc complevit ipse totum infinitorum meritorum suorum thesaurum; & ex hoc vobis quóque abundantiùs licet haurire.

Jacobi 1.

In quo consistat verum gaudium Christiani.

O beatum & millies beatum, qui benè comprehendere posset divinam hanc philosophiam! Si placere vis Deo, ama pati; si exercere desideras purum amorem, puramque virtutem Christianam, ama pati; si aves patrare mira pro salute tuâ, ama pati;

Ut quis sit beatus, debet amare afflictionem.

pati; si anhelas locupletare te citò maximo meritorum thesauro in æternitate, ama pati; & tandem, si nôsse cupis modum vivendi semper consolatè, firmiter habeas persuasum, veram felicitatem tuam consistere in patiendo, & patiendo multa, & patiendo semper úsque ad mortem, ex amore infinitâ ratione amabilis Salvatoris tui, qui aliud non fecit, nili pati, pati & pati, toto vitæ suæ curriculo ex amore tui. Si semel hoc benè comprehenderis, æstimo te felicissimum omnium super terram; hauries námque cum gaudio bona æterna è secundo fonte Salvatoris. Accedamus ad tertium, nempè orationem.

ARGUMENTUM.

Possumus haurire continuò & abundanter è thesauro meritorum JEsu Christi per orationem.

Articulus. III.

August. serm. 1. de verbis Domini.

REfugium pauperum, quibus nec laborandi, nec negotiandi datur facultas, eleemosynam efflagitare à divitibus, & hâc ratione inveniunt suæ sublevamen indigentiæ. Sanctus Augustinus egregiè dicit, quòd omnes mendici Dei simus, eòquòd omnes egeamus veris his bonis, quæ necessaria nobis sunt ad vivendum vitâ æternâ. Nec comparare nostro labore illa possumus, nec negotiando ipsa acquirere propriâ nostra industriâ, nec ulla creatura nobis illa largiri potest: ipse solus est dives ille, qui concluſa servat ipsa in thesauris suis; & ideò nobis omnibus incumbit stare ad portas ejus, & ab ipso efflagitare eleemosynam. Id quod appellamus orationem, non est aliud, quàm nostræ exercitium mendicitatis; quando oramus illum, petimus ab eo, ut nobis det, eòquòd nostram sentiamus indigentiam, & sciamus, ipsum non minùs charitativum esse, quàm divitem. Non informamus nos ipsum de nostris necessitatibus, ipse meliùs has novit, quàm nos, & ipsas sublevare posset optimè, abs eo, quòd exspectet, quid requiratur à nobis; sed complacet sibi, aspiciendo nos postulantes à se velut mendicos, ut ostendat sese nobis liberalem velut Patrem misericordiæ infinitâ ratione divitem in bonitate.

Sumus omnes mendici Dei, petentes ab ipso eleemosynam, dum oramus ipsum.

Ipsemet confidentiam largitur nobis petendi à se, & ad hoc ipsum nos exstimulat. O bonitas infinita! ipse nos rogat, ut rogetur à nobis, eòquòd majo-

ri teneatur desiderio largiendi nobis, quàm teneamur nos rogandi ipsum; & ut efficaciùs nos ad hoc impellat, promittit, daturum se nobis, quæcúnque flagitaverimus: *quidquid petièritis.* Ecce maximam tibi amplitudinem, cùm nullos omninò illi statuat limites; est promissio hæc certissima, cùm Deus sit, qui nobis hanc faciat, isque infinitâ ratione verus ac fidelis sit in promissis suis; promittere nobis possumus ab eo liberalitates & munificentias maximas, eòquòd infinitâ ratione sit dives. Eja, dicit tibi sanctus Augustinus, tenes promissa Dei: Ecce proposuit, pete, quod vis. Si tibi Imperator diceret, pete, quod vis, quos tribunatus, comitatúsve rogares? quanta tibi proponeres & accipienda & aliis largienda? Deo tibi dicente, pete, quod vis, quid petiturus es? Excute mentem tuam, exerce avaritiam tuam, protende, quantùm potes, & dilata cupiditatem tuam; non quicúnque, sed Omnipotens Deus dixit, pete quod vis.

Si possessionum es amator, desideraturus es totam terram, ut omnes, qui nascuntur, coloni tui aut servi tui sint. Et quid cùm totam terram possederis? mare petiturus es, in quo vivere tamen non poteris, in hâc avaritiâ te pisces superabunt. Sed fortè insulas possidebis: transcende & hæc, pete & aërem, quamvis volare non possis: porrige cupiditatem tuam úsque ad cœlum, dic tuum esse solem, lunam, stellas, quia ille, qui fecit omnia, dixit, pete, quod vis.

Verùm si habueris hæc omnia, quid habebis nisi res nihili, id est, creaturas minores te, quas traxit ipse è nihilo, quæque nil habent, unde magnificent te, cùm minores sint te; nil habent, quo ditent te, cùm pauperiores sint te; nil habent, quo repleant & satient te, cùm nonnisi parvus caduci boni sint atomus, & anima tua infiniti sit capax boni, boni æterni; & tandem nil habent, quo vivere te faciant vitâ hâc æternâ ac beatâ, quam anhelas, & pro quâ obtinenda mendicas ad portam Dei. Siquidem pauper petit, quo alat vitam suam, & omnia hæc quæ tu petis, non sunt idonea ad dandam tibi vitam: Etiam Deus non æstimat res has nihili respectu tui, & negligit has dare illis quos amat.

Habet is alia bona, quæ tibi congrua sunt, quæque necessaria sunt tibi ut vivas in æternum: ipse asservat hæc in thesauris suis, ut promptissimè largiatur tibi illa, quando eleemosynam petièris ab ipso, ut vivas; abundant illa gratiis, meritis & sanctitate; & hæc tibi dandi succenditur desiderio, ut suppeditet tibi medium in omnem

Joan. 14. & 15.

Deus nos orat, ut ipsum oremus, ex desiderio dandi nobis.

S. August. in Psal. 34. serm. 1.

Abusus est petere à Deo res perituras.

Quæ bona Deus velit dare nobis.

omnem vivendi æternitatem. Verùm is ipsemet incluſus est cum gratiis ſuis & meritis ſuis in theſauro ſuo; & ardet etiam cupiditate majori dandi tibi ſe ipſum, quàm tibi dandi bona ſua: *Et nihil magis vult dare, quàm ſe.* Exquirere ab ipſo potes, quidquid volueris, ſi melius quid noveris ipſo, in arbitrio tuo eſt, id petere; ſed vide, quòd magnâ ipſum afficias injuriâ, tibique ipſi plurimùm noceas, ſi, dum ipſe tibi dare deſiderat bonum infinitum, nempè ſeipſum, tu ab ipſo non petas niſi crepundia, vilia, futilia.

Auguſtinus ubi ſuprà.

Ecce igitur nos divites in perpetuum, ſi velimus; nunquam non habemus hunc fontem Salvatoris apertum, id eſt, theſaurum gratiarum ipſius, & infinitorum meritorum, ubi invenimus ipſummet, & haurire ex eo poſſumus inceſſanter, & quantum volumus. Haurimus inde per orationem, quò accedimus velut ad portam ipſius, ut petamus ab eo eleemoſynam; ipſe magis deſiderat nobis dare, quàm nos petere ab eo; ipſe nobis dicit: *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*; cùm ſemper velit nobis dare, ut nunquam nos ceſſet locupletare. Ubi eſt pauper, qui fatigaretur petendo eleemoſynam à divite, ſi nôſſet divitem nunquam fatigandum dando omnia, quæ voluit ab eo poſtulare, inſuper daturum nunquam niſi pretioſiſſima quæque, & quantò plura ipſi dederit, tantò adhuc plura dare velle? quanto ardore accederet ipſum, inceſſanter poſtulaturus ab eo?

Luc. 18.

Quid animare nos debeat ad ſemper orandum.

Jam nobis hæc certitudo eſt, ex ipſo ore JEſu Chriſti prolata: *Petite & accipietis*; petite ſinè intermiſſione, & ſinè intermiſſione accipietis. O Deus! quid cogitamus? an nobis quid aliud faciendum eſſet cunctis momentis vitæ noſtræ, quàm inceſſanter efflagitare divitias pretioſi hujus theſauri, qui totus plenus eſt gratiis & meritis infinitis, in quo eſt ipſemet, totus ſuccenſus deſideriis donandi ſe nobis, cùm certi ſimus, quòd nunquam paſſuri ſimus repulſam, cùm infallibiliter nobis daturus ſit, quidquid petierimus, cùm largiturus ſit nobis res tam pretioſas, ut minima eleemoſyna, quam nobis è ſuo tribuit ac confert theſauro, majoris ſit pretii, quàm omnia imperia mundi. O ſi oculis corporeis intueremur id, quod è ſuo trahit theſauro, illud ut inſerat & inferat noſtro, quotieſcúnque obſecramus ipſum! nunquam non eſt portio quædam ipſius gratiæ, nunquam non eſt augmentatio quædam divini ipſius amoris, nunquam non eſt nova quædam participatio meritorum Crucis ipſius. Ecce tibi, quid com-

Joan. 16.

Omnes eleemoſynæ, quas Deus nobis facit, ſunt magnificæ.

complectatur thesaurus ipsius, quásve eleemosynas largiatur tibi.

Et quanti valoris est quælibet gratiæ sanctificantis portio, & quivis divini amoris ipsius gradus? Nonnè est regnum cœlorum in omnem æternitatem? procul dubio: Nam omnis anima, quæ in morte inventa fuerit dives unico solo gradù gratiæ & amoris divini (quæ duo inseparabilia sunt) certa est, habituram se vitam æternam; & quæ habuerit duos gradus, habebit etiam gloriam duplò majorem, & quæ mille gradus, millies majorem, eòquòd gloria æterna suam desumat mensuram à gratia & gradu amoris divini, in quibus verum consistit animæ meritum. Si igitur anima incessanter petens eleemosynam à Deo per preces continuas, certa est juxta promissionem Dei, quæ fallere & falli non potest, quòd incessanter recipiat novum quemdam gradum meriti, quanta successu temporis divitiarum ipsius erit abundantia, & quantus tandem erit gradus gloriæ ipsius in æternitate? Excedit id omnem captum, hominúmque intelligentiam. Si igitur videremus oculis nostris corporeis augmentationem hanc continuam, juxta proportionem, quâ ingeminamus preces nostras cum fervore: an ignavia sit tanta in mundo, quæ non excitaretur ad orandum continuò? Ah!

Divitiæ animæ frequenter vel semper orantis sunt inæstimabiles.

Itáne? certitudo, quam habemus per promissionem tam manifestam Dei, nonnè magis sit infallibilis, quàm si videremus illam propriis oculis nostris. Perpende hoc benè, & quasi impossibile erit, quin fortis addendus tibi sit stimulus ad orandum absque intermissione, ut absque intermissione haurias cum gaudio è fontibus Salvatoris.

Omnis generis orationes & preces sunt efficaces ad obtinendum à Deo, quidquid petitur ab eo, sivè vocales sint, sivè mentales: nihilominùs asserendum est, inesse quid orationi internæ ac mentali, unde accipiat vim ac virtutem omninò aliam, quam non habeat vocalis. Et quando dico orationem mentalem, non intelligo solùm horas illas integras, quæ clam & in silentio consecrantur meditationi vel contemplationi; plurimi enim dicerent, sibi otium & capacitatem huic se impendendi non esse. Sed voco orationem mentalem, quam anima facit ad Deum in secreto cogitationis suæ & affectibus amoris sui, sivè brevis illa sit, sivè longa; modò sit fervens, admirabilem habet vim obtinendi à Deo quidquid voluerit.

Oratio mentalis est efficacior vocali,

Jam postquàm anima accensa est vero desiderio salutis suæ, postquàm magnam concepit æstimationem pretiosarum divitiarum,

Quàm facile sit & utile semper orare interiùs.

tiarum, quæ inclusæ sunt in thesauris gratiarum & meritorum JEsu Christi, postquàm cognovit facile, quod habet, medium illas obtinendi, illisque se locupletandi per orationem sivè vocalem, sivè mentalem: nonne incessanter haurire potest in secreto è fontibus Salvatoris sui? nonnè habet ipsa libertatem omni tempore, omni loco, solitaria vel sociis stipata, aliquo labore externo occupata, vel in quiete, in Ecclesia, domi, in plateis, in conversatione; sivè sana sit vel ægrota, consolata vel afflicta: nonnè semper habet libertatem postulandi ardenter à Deo in secreto pectoris sui, ut cor suum suis repleat gratiis, ut augeat & perficiat in se amorem suum? Et nunquam id facit ipsa in vanum: certum namque est, nihil magis placere Deo oratione, nec quidquam esse, cui tam facilem præbeat annutum.

Pulchra differentia inter orationem mentalem & vocalem.

Adverto differentiam inter orationem vocalem & mentalem, qualis fermè intercedit inter duos pauperes, qui ambo efflagitant eleemosynam: sed unus est incognitus, eòquòd rarò videatur & nulla habeatur familiaritas cum eo, relinquitur ipse ad portam, non tamen negligitur, quin ipsi asportetur eleemosyna. Alter est cognitus, eòquòd sæpiùs soleat videri, frequentiùs affici beneficio, pro quo se exhibet gratissimum; & amatur etiam ampliùs, admittitur in ipsam domum, agitur cum ipso familiariùs, & ipsi quoque eleemosyna porrigitur liberalior. Oratio mentalis & interna est velut pauper, qui majoribus repletur favoribus, qui ingreditur in domum, qui recipitur cum majori confidentiâ & amicitiâ, quique majorem experitur Domini liberalitatem ac munificentiam.

Deus agit cum anima, quæ novit orare interiùs, velut cum amicâ suâ.

Quis dubitat, quin anima, quæ loqui novit Deo ferventer & frequenter in arcano cordis sui, facilè admittatur in adorandum sacrarium cordis Dei? Lingua cordium est amor; quia hæc anima agit amanter, agitur quóque amanter cum ipsa; & quamvis pauperrima sit & mendica, meretur tamen, ut summa Dei Majestas amet ipsam, & familiariter agat cum ipsâ, velut cum amicâ suâ: ipsa assuevit loqui cum ipso sæpiùs, & ipse non cessat beneficiis afficere illam; ipsa consuetudine sua frequentiori in ipsius devenit notitiam, & ipsa tractatur ab eo velut domestica, & tandem ipsius evadit amica; & postquàm evasit hucusque, non est ampliùs velut pauper requirens eleemosynam, est velut amica, cum quâ vivitur ex communi massâ; videtur intrare ipsa in possessionem omnium thesaurorum Dei; inter veros nám-

námque amicos omnia sunt communia, & quod spectat ad hunc, spectat etiam ad alterum.

Infinita felicitas animæ, quæ familiariter novit agere cum Deo per actus frequentes amoris.

O Deus optime! Deus amantissime! quò evasimus? Dicebam ab initio, nos haurire posse è thesauris meritorum JEsu Christi per orationem: Et invenio tandem, nos eorundem accipere posse integram possessionem, si noverimus, uti oportet, orare, & agere cum Deo familiariter, ac ipsius promereri amicitiam assiduitate, quâ nos sæpiùs ipsi coram exhibemus, ipsique magno cum fervore loquimur in arcano cordis nostri. Quis æstimare possit nostræ magnitudinem felicitatis, si semel eoúsque provehere ipsam possimus? Hæc anima assueta occupare sese interiùs, elicit incessanter ferventes amoris Dei actus, per quos totum cor suum immergit in cor Dei; & qui ponderare vellet, quanti esset valoris unicus ejusmodi actus, inveniret centenos mundos æqualis cum præsenti magnitudinis, nullatenùs ipsi posse æquiparari, vel ipsius adæquare pretium. Sed tandem post longam & continuam multiplicationem illorum actuum, per quos collocata in statum plenitudine refertum amoris, replentis totum cor suum, nullos ampliùs speciales illorum elicit, sed consumi se permittit sinè intermissione, & absque interruptione ullâ sacro illo, quo ardet, igne. Anima hæc an dives sit per orationem suam immensis thesauris meritorum JEsu Christi? Certè, non sunt ipsi omnes inclusi in ipsa; sed ipsa tota est absorpta, totaque summersa in ipsorum abundantiâ: relinquamus ipsam in felici hâc jacturâ, & permaneat ipsa hìc in æternum.

Sed interim sanctâ quâdam invidiâ ipsius prosequamur felicitatem, & ipsius addiscamus exemplo, frequenter cum gaudio haurire è fontibus Salvatoris per multiplicatas preces nostras. Quando non semper poterimus operari bonum, vel pati malum, quæ duo prima sunt media, quæ habemus, hauriendi è thesauris ipsius; saltem semper orare possumus, vel exteriùs per os corporis, vel interiùs per os cordis, & incessanter flagitare Deum, ut det nobis, unde vivamus in æternum, id est, suam gratiam, & sanctum amorem suum postulare ab ipso panem quotidianum, ipsumque rogare, ut sancta sua voluntas fiat in nobis, sanctúmque suum sanctificetur Nomen; omnia hæc non sunt, nisi petere eleemosynam è divitiis divini thesauri ipsius; siquidem hæc omnia sunt gratiæ, quas ibi conclusas tenet, ut nobis largiatur illas

illas exoratus à nobis, nunquam in vanum id facientibus. Felix anima, quæ ordinarium suæ orationis peragit exercitium; magis felix, quæ facit illud sibi esse continuum! dici potest, ipsam haurire semper cum gaudio è fontibus Salvatoris: ipsa tam evadit dives, ut ipsamet id nesciat, & nunquam benè sciet, quanti thesaurus suus sit, nisi in æternitate.

Felix, qui incumbit incessanter orationi.

ARGUMENTUM.

Efficax medium, quod JEsus Christus nobis largitur hauriendi abundanter è thesauris meritorum suorum, per bonum Sacramentorum usum.

Articulus IV.

EXclamandum hìc foret cum sancto Ambrosio ex æquissimo gratitudinis affectu: O bonitas Dei, quot apertæ sunt portæ ad intrandum in cœlum! O quantæ sunt viæ, quæ deducant nos illuc! ô quàm efficacia nobis largiris media, ut auspicato effectu promoveamus magnum opus salutis nostræ! omnia tria media participandi è meritis JEsu Christi, quæ consideravimus, bona opera, benè toleratæ afflictiones, oratio, sunt efficacissima profectò; verùm æquiparanda non sunt huic ultimo, quod consistit in bono Sacramentorum usu, siquidem quando ex hypothesi aliquod formari posset dubium circa alia; ecce tibi unum, de quo dubitari omninò non licet, cùm articulus sit fidei, Sacramenta novæ legis, à JEsu Christo instituta operari gratiam ex seipsis. Quid sibi vult, ex seipsis?

Vult innuere, quòd ipsa pretiosa sint vasa, quæ illâ (nimirùm gratiâ) tota sint plena, quæque eam abundanter & infallibilissimè effundant in totam animam se recipientem, quin opùs sit, ut illa ex parte suâ quidquam contribuat, nisi quòd obstaculum non ponat bono ipsorum effectui. Exempli gratia: Certi sumus, quòd omnis infans, qui baptizatus est, recipiat gratiam sanctificantem. Et quid facit hic infans ex parte suâ, aut quid contribuit, ut ipsam recipiat? Nihil, cùm inhabilis adhuc sit perficere actionem, sive bonam, sive malam, immò nec sciat, quid agatur secum, sed sufficit, quòd nullum ipsi afferat obstaculum. Sacramentum Baptismi sanctificat ipsum ex seipso, & facit ex ipso filium Dei. Mirifica hæc virtus, quæ tam luculenter apparet in Baptismo, est eadem in omnibus aliis; habent ipsa

Sacramenta legis evangelicæ operantur gratiam ex seipsis.

omnia facultatem conferendi gratiam sanctificantem ex seipsis, omnibus sese recipientibus, modò operari permittantur, & non impediantur producere bonum hunc effectum.

Duo præcipuè illorum nobis sunt, quorum usus nobis est frequentior: Pœnitentia & sancta Communio; indies conspiciuntur populi catervatim huc advolare, eòquòd credant, hæc sacra esse vasa omni referta gratiâ & sanctitate, nec aliud requiri, nisi ut accedant, illáque recipiant. Fides illorum Catholicissima profectò est, & infallibilissima: sed insuper plurimi talem concipiunt fiduciam, seque tam certos credunt, quòd, modò frequenter accedant ad pœnitentiam, & frequentiùs adhuc ad sacram synaxin, sufficiat, quódque directè & magnis passibus ambulent viam cœli. Et verum est etiam, quòd nihil tam sit efficax, ad locupletandum illicò animam magnâ divinarum gratiarum abundantiâ, sicut frequentissimus Sacræ Communionis usus, quódque omnes illi, qui frequentant ipsum, quasi ad oculum crescere debeant in gratia, in perfectione & sanctitate. Et si non obtineant, quod quærunt, ex qua parte est defectus?

Non sufficit recipere Sacramenta, oportet exinde proficere.

An erit ex parte divini hujus Sacramenti? Hoc esse non potest: Siquidem non solùm est articulus fidei, quòd producat gratiam ex seipso, sicut omnia alia Sacramenta; sed ad credendum nos fides obstringit, quòd contineat ipsummet omnium gratiarum Auctorem, quódque totum illarum Oceanum afferat animæ se recipienti. Una ergò sola Communio bona sufficeret ad complendum ipsam omnibus gratiis, cùm plures illi offerat, quàm earum recipiendarum habeat capacitatem. Nunquam igitur ex parte ipsius oritur defectus, si anima post numerosam Communionum multiplicationem inopem sicut priùs, se inveniat gratiâ, sanctitate & amore Dei. Necessariò igitur omnis defectus proficiscitur ex parte animæ, uti conveniunt omnes; sed non ita apparet, ubi sit hic defectus. Quæramus illum, ut inveniamus; maximi námque hoc est ponderis ac momenti.

Sacramenta nunquam sunt infructuosa ex parte suâ.

An causa sit, quòd hic homo tam frequenter Sacram Synaxin accedens, non satis magnam huc afferat reverentiam; quòd perficiat illam quasi ex usu & consuetudine; quòd non possideat fervorem internum, nec fidem satis vivam; quòd suum in varia distrahi permittat spiritum; quòd ignavus sit & vecors, & absque ullo affectu? Ecce ingentes procul dubio defectus; sed hi omnes non impedirent, quin ita commu-

Sola ignavia & evagatio mentis non impedit gratiam Sacramentorum,

communicando reciperet gratiam, cùm Sacramenta operentur gratiam ex seipsis in iis, qui non ponunt obstaculum, citra hoc, quòd aliquid ex parte suâ contribuere ipsos, sit opus. Verum quidem est, quòd ipsorum indevotio, quæ non reddit ipsos omninò incapaces ad recipiendum fructum Sacramenti, nisi pertingat usque ad peccatum mortale, indignos tamen reddat illos, ad recipiendum illum tam abundanter sicut reciperent, si meliores huc afferrent dispositiones. Et Deus meritissimè castigat illos, relinquens terram illorum sterilem, quamvis optimum ipsa recipiat semen juxta effatum Vatis Aggæi: *Seminâstis multum, & intulistis parum.* Verumtamen, quando persona, quæ communicat, non haberet plus devotionis erga Sacramentum, nec plus reverentiæ, quàm infans, qui recipit Baptismum, hoc non impediret, quin operaretur gratiam in illâ: quondam enim imponebatur ori Baptizatorum particula sacræ hostiæ, & ipsi duplicem recipiebant gratiam, illam Baptismi, & illam Sanctæ Communionis. Si igitur hæc anima, quæ cōmunicat absque attentione & devotione animi, non recipit gratiam, oportet aliquid aliud esse, quod ipsam impediat. Sed quid est hoc?

Aggæi 1. v. 6.

An causa sit, quòd ipsa accedat ad sacram mensam plurium rea peccatorum venialium? Siquidem cùm hic panis Angelorum sit, accedere oporteret velut Angelum, ad recipiendum illum. Et quia JEsus Christus infinitâ ratione abhorret peccatum, etiam minimum peccatum veniale, maxima ipsi infertur injuria, dum recipitur conscientiâ peccato veniali obnoxiâ; & forsan hoc impedit, ut suam recipienti hoc Sacramentum non conferat gratiam. Non, nisi eo modo, sicut mox explicabo: Siquidem licèt peccatum veniale summè displiceat Deo, & ipse annihilari mallet cœlum & terram, quàm unicum tale committi; nihilominùs id absolutè incompatibile non est cum gratia sanctificante, cùm illam non destruat in anima illud committente; aliàs peccatum veniale non esset, sed peccatum mortale. Similiter ergò non impediret augmentum gratiæ, & Sacramentum non intermitteret producere illam in anima se recipiente, quantúmvis plurium venialium conscia foret noxarum. Si ergò illam non recipiat, oportet majus adesse obstaculum id impediens. Et hoc tandem quid erit?

Peccatum veniale non impedit gratiam Sacramentorum.

Non est hic fluctuandum animo. Certum est, nonnisi solum peccatum mortale absolutè incompatibile esse cum gratiâ sanctificante; & ideò etiam nuncupatur peccatum mortale, eòquòd

Nonnisi peccatum mortale obstat effectui principali Sacramentorum.

mortem afferat animæ, auferendo ipsi vitam gratiæ. Si igitur verum est, quod Sanctum Sacramentum non producat effectum suum principalem, nempe gratiam sanctificantem, in anima se recipiente, necessariò oportet hanc animam esse in statu peccati mortalis. Nam omnis Theologorum doctrina consentit in hoc, quòd nonnisi solum peccatum mortale absolutè sit incompatibile cum gratia. Sed ô Deus! quò nos abripit hæc veritas? & quantæ ex hoc principio deducuntur absurditates?

Valde mirum est Sacramenta non proficere ea recipientibus,

Quid igitur cogitandum sit de tot hominibus aliàs sat bonis, devotis tam viris, quàm fœminis, de tot Presbyteris, de tot Religiosis utriúsque sexûs non cessantibus recipere Sacramenta Pœnitentiæ & sanctissimæ Eucharistiæ, quin appareat aliquod augmentum gratiæ aut amoris Dei in eis? Nam quales visi sunt ante quindecim, viginti aut triginta annos, tales videntur hodiedùm, nisi forsan deteriores adhuc fuerint effecti. Et quando remittuntur ad propriæ tribunal conscientiæ, ipsíque bonâ fide agentes coram Deo abscondita cordium agnoscente confitentur veritatem, qualem ex propria sua noverunt experientiâ, fatebuntur, se non videre, quòd habeant plus gratiæ, aut sanctitatis, aut amoris Dei, post quadringentas vel millenas Communiones, quàm habuerant ante. Ex manifesta igitur experientia judicari potest, quòd tanta, quæ receperunt Sacramenta, nihil gratiæ sanctificantis operata sint in ipsis: Siquidem, quàm modicum etiam gratiæ ipsis quodlibet contulisset, cùm ita fuerint multiplicata, observatum fuisset tandem ipsius augmentum, sicut plura arenæ grana tandem acervum conficiunt, qui appareat oculis. Jam nemo hic aliquid percipit, nec ipsimet observare possent, quòd adaucti fuerint illâ. Exploratum igitur omninò est, quòd Sacramenta nihil operentur in illis, saltem quod percipi posset.

Sed dicis, illa semper producere gratiam ex seipsis, quando nullum occurrit obstaculum in anima se suscipiente. Hoc tam verum est, ut articulus sit fidei. Et dicis nonnisi solum peccatum mortale esse, quod obstaculum ponat gratiæ sanctificanti. Nihil hoc est certius. Ah! Itáne mi Deus, an ergò hi omnes erunt in statu peccati mortalis? an ergò committent tot nefanda sacrilegia, quot recipient Sacramenta? an sic continuò ambulabunt latam æternæ damnationis viam, dum homines æstimantur pietate & devotione insignes? Ipsorum vita non apparet vitiosa, nec videntur ipsi committere peccata grandiora, quin etiam contestantur,

Veritas terribilis, quam nec dicere, nec cogitare licet.

stantur, se pro nullâ re mundi patraturos peccatum lethale, aut tali suam maculaturos conscientiam. Et dicere, hæc omnia esse peccatum lethale continuum, totidémque victimas inferno consecratas esse illos, qui sæpiùs frequentant Sacramenta, seque devovendo exercitiis pietatis, videntur esse purior & sanctior totius portio Ecclesiæ: hoc scandalosum foret dictu, horrendum hoc foret cogitatu.

Discursus, qui urget & confundit securissimos quosque.

Ità, non dico illud, & ducerem mihi conscientiæ id solummodò cogitare, terribile mihi idipsum videretur. Sed quid agendum, ut nos hoc labyrintho evolvamus? Nonnè verum est, quòd Sacramenta à JEsu Christo instituta producant in animabus gratiam ex seipsis, id quod appellant, *ex opere operato*, quandò non inveniunt obstaculum, quo impediantur? de hoc dubitare non licet, cùm sit articulus fidei. Nonnè verum est, quòd nonnisi unicum peccatum mortale sit obstaculum gratiæ sanctificanti, & incompatibile cum illa? de hoc æquè parùm dubitari potest, cùm hoc quasi constituat essentiam peccati mortalis, quódque illius distinctivum est à veniali: unum destruit gratiam, & alterum non destruit ipsam. Nonnè tandem verum est, quòd necessariò debeat esse aliquod obstaculum, quod impediat augmentum gratiæ in omnibus his animabus, quæ tam frequenter recipiunt, & quasi indies Sacramenta inutiliter, cùm non appareat, quòd producant quidquam in his animabus? Hoc negari non potest. Verùm si hìc adest obstaculum gratiæ, adest hìc ergò peccatum mortale? Verùm si peccatum mortale hìc adest, est ergò status miserandus deducens ad æternam damnationem? Judica tu ipse. Verùm si hoc habeatur pro certo, est igitur desperandum toti mundo? Fateor, plenum hoc esse terrore, quódque fortissimos quosque concutiat tremore.

Difficultas, quæ resolvi non potest.

Sed quid agendum, ut expediamur his angustiis, ut enodemus hanc difficultatem? Fateor, quòd quantò magis, quantò penitiùs hæc mente revolvo, tantò me magis involvam tenebris, minúsque videam lucis. Veritatem hanc reliqui prorsùs nudam & absque ullâ mitigatione in prima impressione hujus libri, quam plures animæ timoratæ nimis duram credentes, hâcque perterritæ, déque illâ conquestæ, obsecrârunt me, ut sibi hâc super re, si possibile sit, aliquid impertirer lucis, quâ redderentur securæ. Sed quid juvat abscondere veritatem, seque ipsum excœcare velle? allegari possent vanæ quædam rationes, non idoneæ nisi ad occultandam & non enodandam difficultatem; sed

infelix est labor, studere, ut se ipsum quis decipiat. Relinquo quæstionem hanc examinandam & resolvendam aliis me doctioribus.

Quod adjungere possum in secunda hac impressione magis favorabile, quódque judicio meo magis convenit rationi, est, quòd indevotio, parva fides & reverentia, & ut dicam unico verbo, defectus bonarum dispositionum, quibus instructas oporteret esse animas Sacramenta recipientes, privet vel ex parte, vel fortassis ex toto ipsas fructu, quem haurirent ex illis, quique esset gratia sanctificans: non quòd ipsæ absolutè incapaces sint ad recipiendum illam, quando ipsarum indispositio non pertingit úsque ad peccatum mortale; sed quòd indignæ sint, ut Deus largiatur eosdem ipsis favores, quos largitur animabus sibi fidelibus, quódque mereantur potiùs puniri ob defectum, quem committunt, subtractione actuali multarum gratiarum, quibus Deus privat ipsas magis vel minùs juxta ipsarum demerita. Sic plures, absque eo, quòd fortassis faciant unquam, vel saltem ratò Communiones sacrilegas, illas faciunt inutiles, & loco hujus, ut remunerentur pretioso dono gratiæ, puniuntur ejusdem privatione. Ecce, juxta opinionem meam, quod dici hâc in re possit, magis mite ac pium, quódque personas plurimas à Comunionibus sacrilegis reddere possit securas, quamvis illas plerúmque faciant inutiles. Sed qui benè perpenderet jacturam communionis inutilis, amaris deploraret ipsam lacrymis; quantis enim gratiis ipsa privat animam, tantò hæc privatur gloriæ cumulo in æternitate. Et ecce quò nos redigat nostra indevotio, nostra negligentia, nostra socordia.

Nihilominùs fateor, quòd consideratio magnæ hujus miseriæ me humiliet úsque ad abyssum, méque semper timore ac tremore concutiat coram Deo. Obsecro JEsum Christum per pretiosum ipsius sanguinem, ut mihi detegat & è corde meo avellat cuncta obstacula, quæ augmentationi gratiæ ipsius colloco in anima mea, cùm auspicatissimâ hâc fruar sorte, sæpiùs accedendi ad Altare, & percipiendi divina ipsius Sacramenta.

Justus timor absterreret me quidem, ne accederem ad illa. Sed timor adhuc major me urget & exstimulat, ut ipsa frequentem; audio námque minas intentatas à JEsu Christo in Evangelio: *Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ecce condemnationem meam jam pronuntiatam, si abstinuero, méque abstraxero ab Joan. 6. v. 54.

Non minùs periculosum est, abstinere à Sacramentis, quàm inutiliter accedere.

ab adorando pretiosi Corporis ipsius Sacramento. Novi aliâ ex parte, non minùs ipsum in judicio suo postulaturum rationem de communione omissa contra voluntatem suam, quàm de communione malè factâ contra reverentiam Majestati suæ debitam. Oportet ergò evitare utrumque; oportet communicare, ne privemur vitâ æternâ, uti minatur nobis; sed oportet communicare dignè, ne fortè rei inveniamur Corporis & Sanguinis Domini, juxta S. Pauli factum nobis monitum. Et ingentes hæ duæ obligationes, quæ utrinque nos urgent, inevitabili nos stringunt necessitate, ut indefessè invigilemus puritati animæ nostræ, velut homines, qui, cùm nutriantur propriâ substantiâ Filii Dei, vivere etiam debeant vitâ Dei. O quàm verum est, omnes Christianos debere esse sanctos!

ARGUMENTUM.

Quodnam sit verisimiliter verum obstaculum impediens effectum Sacramenti.

Articulus V.

FAteor, mirum valdè esse, quòd dum conscientiarum nostrarum instituimus examen, non inveniamus peccatum notabile nobis obstans, quin simus in gratia Dei, & speremus augmentum gratiæ ex usu Sacramentorum. Nihilominùs manifestè videmus, illam non crescere in nobis, vel tam parùm, ut nostram effugiat cognitionem. Quòd obstaculum hìc possumus ponere, cùm videamur nobis servare totam legem Dei?

Nimìs parùm æstimatur obligatio maximi præcepti.

Quid novi, an non peccemus omnes gravissimè contra primum & maximum mandatum, quod præcipit nobis, amare Deum ex toto corde nostro, ex tota anima nostra, & ex totis viribus nostris? Ecce tibi maximum, validissimum, magisque indispensabile ex omnibus præceptis Dei, quod requirit omnia, quódque nihil excipit; & nihilominùs videtur, id ex omnibus minùs curari aut observari, quasi nullam specialem afferret secum obligationem; nullum ex omnibus est, cui minus tribuatur observantiæ, cui adimplendo minor impendatur zelus.

Nonnulli faciunt ex eo velut præambulum Confessionis suæ, & dicunt obiter: Accuso me, quòd non amaverim Deum ex toto corde meo. Sed non intendunt

dunt per hoc præbere materiam absolutionis, & plerique Confessarii hanc desuper non darent: ambo tam pœnitens, quàm Confessarius credunt, non esse id, nisi levem quamdam imperfectionem. Sed quæro, quod majus peccatum potest anima committere, quàm non observare maximum & maximè obligatorium ex omnibus præceptis legis divinæ? Estnè, quòd ignoretur, non amare Deum ex toto corde suo, sicut lex præcipit, esse peccatum mortale? Itáne? credatur, alia præcepta, quæ minora sunt, obligare omnia sub pœnâ peccati mortalis, & hoc, quod est maximum omnium, non obligaturum? Estnè, quòd non sciatur, illum juxta omnem Theologiam, quicúnque portaverit in corde suo amorem erga aliquam rem vel majorem, vel æqualem amori Dei, esse in continuo peccato mortali, & nunquam exiturum inde, quoad vere & absque figmento universum amori Dei conferat imperium in corde suo.

Confitemur, nos non amâsse Deum, velut rem nihili, & sæpe est peccatum mortale.

Eheu! nulla videtur hujus rei esse cura, quasi nemo sibi vertit stimulo, amare omnia magis Deô. Amamus ardenter amicos nostros, consanguineos nostros, cognatos nostros; amamus ardenter bona nostra, mundum, & vanitates illius; amamus ardenter nosmetipsos, vitam nostram, honorem nostrum, commoda nostra; non cogitatur de alio, non fit sermo de alio, nonnisi his intenditur animus, mens, affectus, totum huc nostrum effundimus cor, totum huc nostrum collocamus studium; & inter hæc omnia, omnium cogitationum nostrarum de Deo est minima. Hoc non ponderamus, & omnes quasi ita vivimus absque remorsu conscientiæ.

Quasi nemo observat præceptum de amando Deo, nec credit, quòd obliget sub peccato mortali.

Non dicam, quòd amor Dei expellere debeat è corde nostro amorem omnium aliarum rerum, quódque ad satisfaciendum obligationi maximi præcepti, ita amari debeat Deus solus, ut cætera omnia vel odisse vel negligere debeamus: ex opposito expresse mandat nobis, ut cum ipso nostros amemus proximos. Amare possumus amicos nostros, propinquos nostros, & etiam amari debent inimici nostri & peccatores ex amore ipsius: Et denique amare possumus omnia illa, quæ Deus amat, amando illum, sicut præcipit, ex toto corde nostro, modò plùs omnibus amemus ipsum.

Sed amare omnia magis ipso, æstimare omnia, adhærere omnibus, loqui de omnibus, laborare, nosque fatigare longè magis pro omnibus, quàm pro ipso, dum ipse negligitur, dum ipse oblivioni datur, dúmque ipse ratione quâdam contemnitur à nobis, ut consecremus totum cor

nostrum,

nostrum, æstimationem nostram, & affectus nostros creaturis; nonnè cœcum esse oporteat, qui non videt, impossibile sic esse observare primum & maximum præceptum, quod mandat nobis amare Deum ex toto corde nostro, & ex tota anima nostra, & ex totis viribus nostris, quódque nos obligat sub pœna peccati mortalis æquè ac omnia alia præcepta, sed fortiùs, sed indispensabiliùs cæteris omnibus præceptis legis Dei? Et tu, qui haberes remorsum conscientiæ, si cõmisisses homicidium vel furtum, eòquòd peccâsses contra præcepta Dei: Non occides, non furaberis; non sentias vel minimum in conscientia tua stimulum, quando absque intermissione peccas contra præceptum maximum, quod te obligat, ut ames Deum ex toto corde tuo?

Permittere dominium aliis amoribus, quàm amori Dei in corde suo, quantum crimen, quantum periculum.

Itáne? Contentus sis dicere duntaxat obiter, velut præludium Confessionis tuæ, quòd non amaveris Deum ex toto corde tuo? Et dicendo hoc credas, te dicere nihil dignum consideratione, & ne quidem cogites circa hoc elicere contritionem, & firma emendationis concipere proposita? Et eosdem permittas regnare amores in corde tuo, tot tantosque affectus erga centena crepundia, quibus afficitur & oblectatur cor tuum, & ex iis parva sua sibi fabricatur idola? Tu nuncupas hæc inclinationes innoxias pro eo, quòd nuncupare deberes sacrilegas, eoquòd cor tuum suffurentur Deo, idque tam impensè occupetur illis, ut de nulla re alia admittat cogitationem? Et tu de alio non facis verba, & anima tua non alio distinetur negotio, dum interim oblivisceris Deum, dum nullatenùs ipsum amas, dum ne quidem de ipso cogitas, dum nullum de ipso misces sermonem, dum nullo erga servitium ipsius accenderis desiderio, dum denique accipis & adhibes ipsum, velut rem quamdam abjectissimam? Quanta cœcitas, si non videatur, peccari in hoc graviter contra primum & maximum præceptum, quod omnem obstringit animam sub pœnâ peccati mortalis, ut amet ipsum ex toto corde suo? Et taliter vivendo securus quis esse possit, se esse in gratia Dei?

Laqueus, quo innumeræ capiuntur animæ, quæ se credunt esse devotas.

Quis novit, an hæc causa non sit, cur tot sinè intermissione reiteratæ Communiones ab omnibus Personis devotis, Presbyteris & Religiosis utriúsque sexûs nihil producant in ipsarum animabus? Si ignorent obstaculum quòd ponant gratiæ, considerent benè dispositiones cordis sui, quibus repleatur & occupetur affectibus, quibus succendatur & ardeat amoribus. Eheu! peccatum nostrum fortassis scriptum est in

capite Legis Dei, & non videmus illud: Hæc præcipit nobis, ut amemus illum ex toto corde nostro, & ipse est, qui minimam cordis nostri possidet partem. Faciamus, quidquid voluerimus, quoad verè expulerimus è corde nostro omnem alium amorem, qui cor nostrum suffuratur Deo, quoad firmaverimus ibi absolutum amoris Dei imperium, quoad amemus ipsum, unico verbo, sicut nobis præcipit, ex toto corde nostro, & non ex parva parte cordis nostri; non speremus, nos recepturos ipsius gratias, vel augmentum illarum, quando etiam decies millena receperimus Sacramenta; & nullam concipiamus animo certitudinem, nos benè ambulare in via salutis nostræ.

Error quorundam novorum Doctorum putantium, quòd satis ametur Deus, modò non offendatur.

An credendum sit iis, qui dicere nobis volent, satisfieri magno præcepto amoris Dei, modò Deus non offendatur. Deus æterne! Deus Omnipotens! quàm horrenda doctrina! an dici possit, amare me aliquem ex toto corde meo, modò ipsum non occidam, vel ipsi non eruam oculos? Quis unquam credidit, quòd amor, quo prosequendus est verus amicus, non consistat in alio, nisi quòd ipsum nullâ afficiam injuriâ? Quid est ergò amare? Tu hoc nôsti, amator impotens tui, qui tuas amas divitias, tuas voluptates, tuam gloriam; tu nôsti, quomodò amandum sit. Ama Deum tuum, infelix, ama Deum tuum saltem, sicut tuum amas argentum, tuam voluptatem, tuam vanitatem. Pudore suffundor, dum adeò indigna tibi propono exempla, comparans Majestatem & bonitatem infinitam cum spurcitiis & pulvere terræ. Enimverò moriendum tibi erit præ pudore tui ipsius, quandò infinita hæc bonitas & Majestas in judicio suo exprobrabit tibi, quòd postposueris ipsum infamibus voluptatibus tuis; quódque, cùm benè sciveris, quomodò amandus sit infamis complex brutalitatum tuarum, nesciveris, quomodò tibi amandus fuerit Deus tuus.

Amare debetmus Deum, sicut nos amat.

Quæris, quomodò amandus sit Deus, ut satisfacias obligationi mandati maximi, tibi id præcipientis sub pœnâ damnationis æternæ: aspice, quomodò ipse te amaverit. Nonnè ex toto corde suo! Interroga hoc lanceâ cor perforatum, voluit id habere os apertum, ut clamaret ad te voce sanguinis sui, quòd plus te amet propriâ vitâ suâ: Sic oportet amare. Nonnè ex totis viribus suis? Interroga brachia ipsius, tensa in modum arcûs supra Crucem, & omnes Corporis & animæ ipsius facultates occupatas ad conquirendum tibi regnum æternum: sic amare oportet ex totis viribus suis. Nonnè ex tota anima

ma sua? Aspice, quod nunquam aliquid egerit, nec unquam aliquid passus fuerit, nisi ex amore erga te, quódque totum se devoverit, totum se consumpserit, totum se sacrificaverit pro salute tuâ, quódque post consecrata tibi omnia momenta vitæ suæ, tandem pretiosam hanc vitam dederit ex amore erga te. Sic amare oportet ex tota anima nostra.

Excessus amoris, quem JEsus Christus demonstrat nobis in Sanctissima Eucharistia.

Sed vide tandem, quomodò post acquisitum infinitum meritorum & gratiarum thesaurum, includat omnes has pretiosas divitias in Augustissimo suo Sacramento, ubi ipsemet includitur. Considera bonitatis ipsius excessum erga te, dum ejusdem tibi permisit usum tam frequentem, quoties te benè disponere volueris ad ipsum recipiendum: intuere propriis tuis oculis infiniti amoris ipsius abundantiam, quando ipsemet in Persona ingreditur cor tuum in actu Communionis tuæ, ut afferat illi totum ingentem oceanum divinarum harum divitiarum. An benè capis omnem immensitatē bonorum, quæ affert tibi, omnes ipsius divinas satisfactiones, omnia ipsius merita, verum ipsius Corpus, ipsius Animam, ipsius Cor, cum omnibus bonis affectibus, quibus repletur? Omnia hæc apud te sunt, & omnia hæc tua sunt, & verè spectant ad te, quia donavit tibi. Non abriperis? non alienaris animo, aspiciens infinita, quibus repleris, bona?

Quomodò proficere aliquis mirificè possit recipiendo Sanctissimum Sacramentum.

Hauri tuo commodo, & quantum volueris ex magno hoc gratiarum & meritorum Redemptoris tui Oceano: Dilata cor tuum, amplifica & extende animam tuam, quantùm potueris, per mille desideria, per mille bonos amoris affectus, compara & lucrare tibi indulgentias plenarias & Jubilæum maximum; quoties communicaveris id facere poteris. Nam ecce tibi omnem thesaurum satisfactionum Salvatoris tui, qui tuus est; offer illum Deo pro satisfactione omnium pœnarum debitarum peccatis tuis, infinitâ ratione plura hic continet, quàm opus sit. Ama Deum tuum, & grates illi habe, & ipsum glorifica, quantùm teneris, & quantùm ipse meretur. Tu facere id potes; habes namque animam Redemptoris tui, donatam tibi in Communione: ipsa est anima tua, & omnes boni ipsius affectus tui sunt: adhibe illos, ut exsolvas Deo cuncta debita tua: Urge hæc desideria, hosque bonos affectus, quantùm potueris, promove, & videbis verum esse, quòd bonus Sacramentorum usus efficacissimum sit medium, quod JEsus Christus reliquit nobis, ut abundantissimè hauriamus è thesauro infinitorum meritorum suorum.

CONSULTATIO XXIV.

De Thesauro inexhausto Satisfactionum JESU CHRISTI.

ROgati sumus, ut accederemus ergastulum, invisuri miserum hominem, quem indigere ajebant plurimùm consolatione: Invenimus ipsum oneratum catenis in ergastuli fundo. Mi frater, compatior tibi, instructum te videns malè ominato hoc apparatu. Eccur versaris in hoc statu? quid pro tuo fieri potest solatio?

Imago peccatoris intra manus justitiæ Dei.

Eheu! miseriarum mearum abundantia major est opinione tua: maximis onustus sum debitis, nec quidquam mihi bonorum est, ut exsolvam me illis, nec est amicorum quispiam tantæ erga me bonitatis, ut illa pro me deleat: nihilominùs res mihi est cum creditoribus sævissimis, qui nunquam exire me hinc patientur, quoad novissimum reddam denarium; torqueor igitur vehementissimè, quòd nec boni quidquam habeam, nec ulla affulgeat spes liberationis meæ. Verùm infelicitas mea ad majores adhuc me redegit angustias: obnoxius sum plurimis enormissimis criminibus, quæ diluere mihi est impossibile; potentibus urgeor adversariis, plurimúmque adversùm me concitatis, Judices mihi sunt severi & inexorabiles, tum in manibus ipsorum, absque ullâ defensione, exspectare mihi aliud non licet, nisi mortis sententiam & judicium suppliciúmque durissimum, sed nec ejusdem explorata mihi est hora.

His dictis agebatur in desperationem, at quidquid ipsi dici poterat, ex nullo capiebat consolationem; dúmque ita summo angebatur dolore, ingreditur homo magnâ spectabilis auctoritate, quem non agnoscebat, qui cùm ipsum aspiceret, magnâ miseriarum ipsius commotus est miseratione & ita commotus, ut ex abundantia bonitatis absque exemplo, liberaverit ipsum, seque posuerit in locum ipsius, voluntariè se onerans omnibus illius debitis, quin etiam cunctis, quæ commiserat, criminibus. Nemo facilè exprimat gaudii ipsius de tam ingenti, tam subita, tam insperata felicitate concepti magni-

Felicitas insperata.

magnitudinem, dum illicò exoneratum se vidit cunctis debitis, restitutum libertati, & morte ereptum: nihilominùs absque periculo non fuit amittendi vitam ex abundantia gaudii, quo abripiebatur, quóque exhauriebantur spiritus, & dilatabatur cor ipsius tantâ cum vehementia, ut mox exspiraturum se crederet: affectus enim syncope cecidit intra brachia nostra, & mansit aliquanto tempore absque loquela & absque motu.

Æquus gratitudinis effectus.

Redditus sibi, projecit se ad pedes liberatoris sui, seque reponere voluit in locum ipsius, cùm sufferre non posset virum tantæ nobilitatis coúsq; redactum pro homine nihili, qualis ipse. Sed non, dicit alter, sine me; vade, fruere vitâ, bonis tuis, libertate tuâ, solùm memineris, quantùm amem te. Exivit igitur nobiscum tam referto gratitudinis affectibus corde, ut verbis careret ad exponendum illos; erant nonnisi elogia, admirationes, adorationes tam incomparabilis bonitatis; concipiebat vota, moliebatur consilia, millies volebat mori pro ipso, credebat totum mundum debere eosdem secum concipere affectus, seque juvare in demonstranda grati animi exhibitione.

Bonus noster Ecclesiasticus videns ipsum ita dispositum, dicit illi: Aperi oculos tuos, infelix homo, somnium est id omne, quod vidisti. Quandò sanctus Petrus liberatus fuit è carcere Herodis per manus Angeli, quando catenæ ex seipsis ceciderunt de manibus ejus, quandò porta ferrea, quæ carcerem tenebat clausum, aperta est ei, & quandò restitutum se vidit plenæ libertati in medio platearum civitatis, credebat hoc omne nonnisi somnium esse, & nihilominùs respectu ipsius maxima erat veritas; sed tu ex adverso ceu solidam credis veritatem id omne, quod factum est in te, & temet decipis, cùm nonnisi visio sit & somnium.

Quod nos credimus veritatem, est sæpe somnium.

Quomodò somnium? Non dormio, non deliro, non est hæc illusio; ecce enim liberum me à catenis, meo carcere, meis debitis, mortis periculo, cui eram proximus, fruor libertate, nullatenus est hæc deceptio. Somnium est, repetit Ecclesiasticus, tibi id iterum confirmo, id omne nonnisi est somnium. Non dico, quòd verum non sit, te esse extra carcerem, te exoneratum esse tuis debitis, tuisque catenis, tibique salvam præstitam esse vitam; sed appello hanc veritatem somnium, quamvis enim ipsa sit aliquid reale, nihilominùs adducta in comparationem cum majori, majorisque ponderis veritate, quam non vides, minor est somnio illius, qui

Parvæ veritates non sunt nisi somnia respectu magnarum.

somniat, se Regem esse, in comparatione cum veritate ejus, quod est reipsâ. Somnium illius, qui dormiendo sibi imaginatur, se regem esse, est parum aliquid: est enim vera repræsentatio alicujus felicitatis, quàm putat se habere, quâque levi quâdam afficitur delectatione, quamdiu dormit & somniat. Sed fateberis mihi, illam nihil esse comparatam cum verâ felicitate ejus, qui verè sceptrum possidet & coronam.

Maxima nostra felicitas nobis est incognita.

Sic omninò res tecum agitur. Præsens hæc, quæ gaudio te replet, felicitas, est parum aliquid: verum enim est, liberatum te esse à miseriis, quibus opprimebaris in hoc ergastulo, téque jam frui libertate. Verùm jucundo oblectaris somnio, magníque illud facis, eòquòd dormias, quamvis vigilare te putes, & nondum oculos habeas apertos ad perspiciendam veritatem alterius felicitatis, quæ infinitâ ratione utilior est tibi, magísque è re tuâ; quæque, si illam vidisses, perfunderet te gaudio infinitâ ratione solidiore & copiosiore, quàm illo, quo perfunderis.

Homo ille attonitus, hæc audiens, sensit illicò magnam gaudii abundantiam, quâ abripiebatur extra seipsum, tranquillitati redditus & quieti ex aspectu majoris alicujus felicitatis sibi promissæ, sicut splendores alicujus faculæ, quæ nostros offundunt oculos, absorbentur lumine solis, quandò hic nostrum subit hemisphærium. Quæ est ergò hæc magna felicitas, in cujus comparatione illa, quam possideo, non est, nisi somnium? Tu dicis, quòd non intuear ipsam, eòquòd dormiam & somniem. Amabo excita ergò me, aperi ergò mihi oculos, illámque ostende mihi.

Minùs gaudium absorbetur à majori.

Exin demonstravit ipsi Ecclesiasticus innumeras obligationes, quibus tenebatur obstrictus JEsu Christo, quòd ipsum liberaverit è captivitate, quòd ipsius disruperit catenas, quòd solverit ipsius debita, quòd eripuerit ipsum à morte, quòd unico verbo, traxerit ipsum ex abyssо miseriarum, in comparatione cujus illa, unde exierat, minus quid erat, quàm somnium; quódque tandem comparaverit ipsi glorioſam libertatem filiorum Dei, respectu cujus illa, quâ tantopere oblectabatur, censeri non debebat, nisi levis quædam imaginatio. Et ecce quâ ratione exorsi fuerint discursum.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Infinitâ ratione obstricti eramus justitiæ Dei, & JEsus Christus satisfecit pro omnibus nostris debitis.

Articulus I.

Timentur rigores justitiæ humanæ,

CRedebas te miserum, dum captivus detinebaris in profundo ergastuli, oneratus catenis, quas disrumpere non poteras, oppressus debitis, quibus solvendis impar eras, eòquòd longè tuas excederent facultates; & quod pessimum erat, accusatus plurium atrocissimorum criminum, quæ haud poteras inficiari: & in hoc statu cernebas te consignatum manibus severissimæ justitiæ, à quâ expectare non poteras, nisi sententiam mortis, & mortis pœnosissimæ: habebas profectò gemendi ansam, utpote dilapsus in profundissimam miseriarum abyssum, in quam dilabi possit infelix homo in hujus vitæ decursu. Verùm quid sunt hæc omnia, nisi noctis somnia, quæ transeunt & evanescunt cum tempore.

Omnia mala, quæ ipsa inferre potest, terminantur paucis.

Tandem enim non permansisses perpetuò in hoc carcere; ferrum illud, quod tanti ponderis tibi videbatur, nonnisi onerabat Corpus tuum, & anima tua nunquam non manebat libera; debita tua non erant infinita, nec consistebant nisi in amissione paucorum bonorum fragilium & caducorum; crimina tua, quæ constituebant maximum sarcinæ tuæ pondus, quæque subjectum te tenebant cunctis justitiæ humanæ rigoribus, non poterant tibi majus afferre malum, quàm corporalem tibi auferre vitam, quâ æquè fueras spoliandus citiùs aut seriùs: toleranda tibi forsan fuerant quædam tormenta, quorum quantò major vehementia, tantò breviori evanuissent temporis intervallo; & exin omnia dissipata fuissent haud aliter, quàm somnium. Quot infelices ita clauserunt vitam ante centenos, ante quingentos annos? Et nunc ubi sunt hæc omnia, quæ tunc videbantur tam terribilia? Nonnè sunt velut noctis somnia, quæ evanescunt?

Hinc est, quòd JEsus Christus, Veritas æterna nobis dixerit in Evangelio: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs, quid faciant, sed timete eum, qui, postquàm occiderit, habet potestatem mittere in gehennam corpus & animam, ut torqueantur ibi in æternum. Et ut nobis hoc firmiùs inculcet, repetit & confirmat idipsum; *Ita dico vobis, hunc timete.* Matth. 10.

mete. Ita timete, timete justitiam magni Dei, viventis Dei; Ita, dico vobis, illam summè timendam esse.

Nonnisi sola justitia Dei inferre nobis potest mala infinita.

Aperi ergò oculos & considera alias miserias infinitâ ratione majores, magisque deplorandas, quibus obruebaris: aliud ergastulum, alias catenas, alia debita, alia crimina, aliam justitiam, alia supplicia, aliam mortem, & omnia hæc insignita charactere æternitatis. O Deus! quando fit sermo de malis æternis, hoc percellere deberet horrore omnem hominem viventem in terris, obstrictum hoc barathro terribilium miseriarum; nihilominùs id nemini incutit timorem, quia non percipitur à sensibus. Omnes homines non habent nisi sensus corporis apertos & vigiles ad dirigendum se, & judicandum de rebus; quamdiu dormiunt in anima sua, ratio semper sopita manet, fides est mortua, vel saltem manet oculis clausis; & in hoc statu nunquam vident magnas æternitatis veritates, quas sinè intermissione aspicere deberent, seque occupant vanis sensuum illusionibus, quas permagni pendunt & æstimant. Eheu! non sunt profectò hæc noctis somnia, quæ dissipantur & rediguntur in nihilum, comparata cum veritatibus æternis, solidis, certis, & infinitâ ratione ponderosis, quas ipsi nequidem percipiunt, vel si illarum meminerint per momentum & quasi per transennam, aspiciunt illas velut somnia.

Ut igitur aperiam tibi oculos, teque agnoscere & fateri cogam, quòd miseriæ, quas non vides, & quibus obstrictus eras, quin id adverteres, tantum crudelitate & sævitie transcendant, has, quas patiebaris, quæque extorquebant tibi gemitus, quantum æternitas transcendit diem, quantum veritas superat imaginationem, quantum Deus supergreditur creaturam, id est, infinitâ ratione, infinitâ ratione, infinitâ ratione.

Omnis peccator est captivus justitiæ Dei, oneratus catenis in abysso carceris.

Responde mihi ad quæstiones meas, & fatere veritatem, cui contradicere non poteris. Nonnè verum est, quòd omnis anima, quæ infeliciter obstricta est peccato, captiva sit justitiæ Dei? Nonnè necessariò rationem reddere debebit ante tribunal ipsius? Siquidem impossibile est peccatum semel commissum non puniri, aliàs Deus non esset Deus. Certum igitur est, quòd omnis peccator captivus sit, detentus intra manus justitiæ divinæ, ipsique impossibile sit semetipsum unquam inde extrahere. Sed ubi est carcer ipsius? Et hic horribilis supra id, quàm credi possit; siquidem moratur is in ergastulo tam profundo, quàm est ipsum nihilum, & nihilum profundius

dius illo, unde Omnipotens Dei manus extraxerat ipsum, per creationem: siquidem id est peccatum ipsum, in quod prolapsus est, quódque ipsum redegit in nihilum, quamvis id non adverterit. Sanctus Rex David agnovit & confessus est hoc, quando liberatus fuit è fundo hujus barathri, suorum agens pœnitentiam delictorum. *Ad nihilum redactus sum, & nescivi.* Eheu! captivus eram in profundo carcere miserandi nihili, & illic omnia peccata mea catenæ erant, quibus constringebar, & quorum obruebar pondere; & sensus mei non percipiebant miserabilem statum, cui immersus eram.

Psal. 72.

Peccator est captivus in perpetuum.

Peccator in statu hoc nonnè deteriùs habet, quàm habueras tu in profundo ergastuli tui? Siquidem tu ibi non eras, ut centenis illic maneres annis, & hic, ut inde exeat nunquam. An enim liberare poterit semetipsum? an peccatorum suorum propriis suis manibus disrumpet catenas? an quempiam inveniet sivè Angelorum sivè hominum, cui robur sit ad rumpendum illas, & restituendum ipsum libertati? quis diffitebitur, hoc absolute impossibile esse omni alii, quàm Omnipotenti brachio Dei? necessariò igitur oportet ibi manere ipsum veluti reum captivum, & volentem nolentem sustinere judicium justitiæ altissimi. Ipsa est inexorabilis, ipsa observat omnia, ipsa examinat omnia, ipsa ponderat omnia úsque ad minimum verbum otiosum. Et hæc omnia negari non possunt, cùm sint totidem fidei articuli.

Quid exposcet ipsa ab hoc miserabili? Est is oneratus debitis & criminibus infinitis. Siquidem inprimis debet Majestati Dei reparationem honoris, & satisfactionem æqualem injuriæ ipsi factæ. Jam injuria hæc est infinita, cùm verum sit, sicut excellenter discurrit sanctus Thomas, quòd magnitudo injuriæ suam desumat mensuram à magnitudine Personæ offensæ, quódque tantò major sit injuria, quantò major dignitate & nobilitate est Persona offensa. Ex hoc ergò sequitur, quod injuria facta Deo, qui Majestatis est infinitæ, injuria sit infinita, adeóque æquissimo jure reparationem requirat infinitam; & quando peccator non commisisset nisi unicum solum peccatum in tota vita sua; ecce ipsum jam obstrictum Deo satisfactione infinitâ. Unde accipiet, ex quo solvat debitum suum? Quando sacrificaverit totum suum esse, & esse omnium creaturarum incipiendo à primo Angelo, úsque ad novissimum terræ pulviculum, quid est omne, nisi parvum nihilum, infinitâ ratione inferius

D. Thom. 3. p. q. 1. a. 2.

ferius supremâ DEI Majestate ?

Reparatio, quæ est nova injuria,

Multò minus hoc est, quàm si offenso Regi per insidias vitæ ipsius factas, præsentaretur atomus aëris pro totâ satisfactione. An digna reparatio hæc foret injuriæ ? Nonnè potiùs injuria foret nova magnum ipsius demonstrans contemptum, cùm quis crederet ; se dignam per hoc exhibuisse ipsi satisfactionem ? Jam dico, quòd cuncta entia creata, & immolata Deo pro reparatione unius duntaxat peccati, multò minora sint respectu offensi Regis : siquidem distantia inter atomum & Regem, qui tantæ videtur magnitudinis, non est absolutè infinita, ambo sunt creaturæ prodeuntes ex eodem nihilo ; sed distantia inter Creaturam & Deum est infinita, & absolutè infinita, & plus quàm infinita, si verbo hoc uti licet, ad enuntiandam veritatem, quæ nunquam exprimi potest in tota sua latitudine.

Hoc totum non est, quod solvendo non sit sua debita, quódque hæc sola obligatio ipsum perpetuò obstrictum teneret catenis suis, & ergastulo suo, cùm ipsi absolutè impossibile sit hac in parte præstare satisfactionem. Verùm tot crimina læsæ Majestatis Divinæ, quibus aggravatus est ? An negare potest, se esse reum ? hoc ipsi est impossibile. An sperare potest, se evitaturum artificio quodam judicium & rigorem justitiæ divinæ ? hoc ipsi adhuc magìs est impossibile. An exspectare potest, recepturum se ab illa judicium & supplicium levius & lenius criminibus suis ? hoc iterum est impossibile ; siquidem *Justus est Dominus, & recta judicia ejus.* Verùm si judicatur secundùm justitiam, pro peccato, quod includit in se gravitatem infinitam, eòquòd injuria sit Majestatis infinitæ ; ergò necessariò condemnabitur ad pœnam infinitam, non in sua vehementia & profunditate, cùm ipsius anima capacitatem non haberet ad illam recipiendam, sed in sua longitudine & duratione ; id est, quòd condemnandus sit ad tolerandam mortem, sed mortem æternam, quæ ipsum semper faciet mori, & mori actualiter, sinè intermissione ipsum semper occidendo, & nunquam non trucidando in omnem æternitatem. Psal. 118.

Peccator metuit mortem æternam.

Quid tibi videtur de statu ipsius ? Nonnè formidabilis est ? nonnè idoneus, qui deficere faciat stellas cœli, & conterat in pulverem petras ? Tu illicò horrore concuteris, dum aspicis mortem corporalem aliquorum momentorum, ignorans horam, quâ sustinere illam debeas ; Quàm terribilis sit status peccatoris intra dentes mortis æternæ.

beas; nihilominùs id non est, nisi somnium noctis. Sed ecce terribilem sanè mortem, quæ non contenta occidere corpus, pugione ipsam configit animam, nec hunc ab eâ retrahit unquam. Ah! mors æterna, quantùm tua sævit & debacchatur crudelitas! Ah! jam à longo tempore me mactas & occidis atrociter! an nunquam cessabis? Contine ergò saltem manum tuam per aliquot momenta, metámque pone crudelitati tuæ. Non, occido te ex sententia magni Dei viventis, qui vult, ut occidam te semper absque intermissione. Sed finem fac tandem me occidendi, & destrue me totum, téque satia, totam integram meam deglutiendo vitam. Non, nunquam non occidam te, & occidêris nunquam; morieris semper actualiter, & mortuus nunquam eris. Estné igitur hæc mors, cujus condemnabor ob unicum solum peccatum, quod læsæ majestatis est crimen? Est ipsissima, tu ipsam modò non vides, nec concipere potes, sed nec times ipsam; quia, cùm illam nondum sentias, credis, eam esse nonnisi somnium; sed otium tibi erit videndi ipsam & sentiendi in omnem æternitatem. An sufficiat hoc tibi, ad percellendum te tremore?

Non, non, audi me, aliam habeo, quam tibi annuntiem, sententiam: an nôsti, te non satisfacturum unicâ solâ ejusmodi morte, si plurium peccatorum obstrictus es reatu? Justitia humana, quam ita metuis, punire non posset quingenta crimina, nisi unicâ morte solâ, quæ licet severissima sit, non est tamen nisi mors brevis & transitoria. Sed Omnipotens justitia Dei mulctare probè novit sigillatim cuncta crimina, multiplicando toties mortes, quoties sua crimina multiplicaverit peccator assignando unicuique in particulari illam, quam promeruit mortem: si namque primum peccatum promeruit ex æquo, condemnari ad mortem æternam, an secundum peccatum, quod quandóque est magis enorme minorem prætendat punitionem? Et tertium non sit dignum suâ, & quartum, & decimum, & quinquagesimum, & centesimum, & sic de reliquis: quodnam ex omnibus judicatum & condemnatum in particulari dignum non est morte æternâ, quasi solum id esset in hac anima? Quot igitur commisisti peccata, tot mortes sunt æternæ, quas oportet te sufferre. Numera, numera sigillatim omnia, quæ commisisti peccata, si tamen eorum inire poteris numerum, & noveris,

Peccator sustinebit tot mortes æternas, quot commisit præcata.

quot mortes æternæ subeundæ tibi sint ex sententia severissimæ justitiæ Dei: Noveris certò, quòd cùm Deus infinitâ ratione sit justus, nec unicum peccatum etiam maximum relinquet impunitum.

Quid sit infirmitas humana sub Omnipotentiâ Dei.

Sed quando inieris hunc criminum tuorum numerum, & quamlibet mortem æternam, cuilibet assignaveris peccato, videbis illicò & unico intuitu totam legionem, exercitum integrum ex mortibus, quæ te exspectant armatam habentes pugione manum, ad exequendum adversùs te justas sententias Dei Omnipotentis: tenta vires tuas & animum tuum, & pondera tecum ipse, an sustinere poteris omnem rabiem & crudelitatem unius duntaxat ex hisce mortibus. An id poteris, quin concutiaris? tu subsistes adhuc post centenos annos, & centies millenos sæculorum milliones, semper enim morieris. Ubi sunt tuæ ad tolerandum id vires, misercule vermis terræ, qui contereris pede? infelix & emortuum folium, quod rapitur vento, an portare poteris universum pondus brachii Omnipotentis Dei? Abjecta stipula an subsistes ante torrentem ignis iracundiæ altissimi;

Verumtamen te aspice, aspice statum tuum, si commisisti aliquod peccatum, vel plura peccata, tu id nôsti. conscientia tua id novit probè; si illorum te reum nôsti; ecce debita tua, ecce crimina tua, tu solvendo non es, tu obstrictus teneris manibus justitiæ magni Dei, tu evitare non potes condemnationem tuam; aperi oculos tuos, & vide id somnium non esse. Quid facies? defende te, ut poteris, tibi id permitto. Quid poteris facere? an dicas, te nec habere debita, nec crimina? dicis: negare non possum utrúmque; Sed conscientia, quæ millenos æquat testes, nimis quàm altè clamat, ut me accuset: verùm igitur est, & id concedis. Quid ergò facias? an tuo exeas ergastulo? an proripias te è manibus Dei? sed quò ibis, ut sis extra illas? an annihilare voles animam tuam immortalem? sed frustra; oportet subsistere ipsam in æternum. An speres, causam tuam non fore agitandam nec citandum te, ut compareas coram judicio Dei? tam stupidus non es, ut hoc putes; comparendum tibi forsam quantocyùs, cùm nec diem noveris, nec horam; & fortâssis hæ lineæ, quas hic legis, servient tibi pro citatione, & comparebis ibi intra paucas horas. Itáne ergò tandem? an exspectare poteris, te non fore condemnandum, cùm scias, te & reum esse, & non esse solvendo?

Confideratio penitiùs ponderanda.

vendo? Non, siquidem teipsum condemnabis, & conscientia tua, postquàm egit accusatorem & testem, erit adhuc severus judex, ut te condemnat.

JEsus Christus se posuit in locum peccatoris, ut ipsum liberaret.

Ecce statum maximè deplorandum, cui obnoxii erant omnes filii Adæ. Sed profundiùs adhuc descendebat miseriarum, quibus obruebantur, abyssus, quàm dici poterat, & quamcúnque in partem suos verrebant oculos, impossibile ipsis erat vel minimum spei aspicere radium, sed desperationem, universalem, quâ involvebantur, quandò Unigenitus Dei Filius ipsos è throno gloriæ suæ benigno intuens oculo ipsorum misertus est, & ex abundantia bonitatis suæ illis succurrere secum concluſit. Quamobrem è fastigio cœlorum descendit invisurus ipsos in terris: amor ipsius triumphum agens de Majestate ejus, exspoliavit illum omnibus excellentiis suis, ipsumque reduxit eò, ut immergere seipsum voluerit in illum miseriarum Oceanum, quo ipsos summersos videbat ut illos liberaret: ingressus insuper ipsorum ergastulum, totámque imensitatem suam parvo includens corpori humano, sese posuit in locum ipsorum: Ite, inquiebat, liberabo vos ab omnibus miseriis, quibus vos ita intueor immersos: onero me vestris debitis, quin & vestra in me suscipio crimina, respondebo pro illis & satisfaciam justitiæ Dei, rumpo catenas vestras, vosque restituo libertati.

Abundantia bonitatis JEsu Christi erga nos, quâ exstimulari debemus ad ipsum amandum.

Ah! Domine, quid agere statuis? Sed quâ ratione id fiat? Iráne infinitæ Majestatis Deus in hanc te agas præcipitem annihilationis abyssum, pro miseris terræ vermiculis sceleratis, inimicis tuis? Quæ verisimilitudo, toleraturum te ista? meliùs foret, perire nos omnes. Non, respondit ipse, permittite mihi onus debitorum vestrorum & criminum vestrorum, satisfaciam pro omnibus, miser ero, ut vos sitis beati: fruimini libertate, quam vobis restituo, fruimini vitâ, quam vobis tribuo; sed frui vos volo vitâ æternùm beatâ; conferam vobis possessionem infinitorum bonorum in æternitate; & ex toto amore cordis mei suscipio omnia mala vestra, ut vobis elargiar omnia bona mea: solummodò memineritis, quantùm vos diligam.

Homo hic recens egressus ergastulo, qui audiebat omnes hasce magnas veritates, quas pius noster Ecclesiasticus magno cum spiritûs favore explanabat ipsi, tantò magìs oblectabatur illis, quantò magìs dispositus erat experimento proprio, quo æstimare poterat infelicem statum hominis debitis & criminibus onerati,

rati, jamque totus commotus gratitudinis affectu erga bonitatem illius, qui se nunc primùm ab ergastulo venerat liberare. Intelligebat probè, alias has animæ miserias infinitâ ratione magis esse deplorandas; hinc revolvens animo infinitam obligationem, quâ devinctus erat JEsu Christo, quòd liberaverit se ab illis, ita se sensit commotum, ut altùm exclamaverit lacrymantibus palpebris: Ah! Domine, quantùm urges, quantùm exstimulas cor meum! gaudebam de somnio; sed tu me reples gaudio infinitâ ratione majori, quòd illius mihi inducit oblivionem. Credebam ipsum, qui extraxerat me è meo carcere, esse hominem, cui maximâ, quæ excogitari possit, devincirer obligatione, méque debere ipsi totum amorem cordis mei. Sed fateor, JEsum Christum hunc esse: Ita ipse est solus, cui omnia debeo. Tu me doce, quâ ratione ita satisfecerit pro me; audi, tibi dicam.

ARGUMENTUM.

Quâ ratione JEsus Christus satisfecerit pro debitis nostris, & pro cunctis peccatis nostris.

Articulus II.

JEsus Christus voluit esse noster cognatus.

VOluit inprimis contrahere nobiscum necessitudinem arctissimam & cognationem tam constantem, ut absque eo, quòd observaret inæqualitatem partium, & infinitam inter te & nos distantiam, desponsaverit se cum natura nostra humana, tam forti vinculo se uniens illi, ut id nunquam in perpetuum sit disrumpendum; sed unione tam intimâ, ut, quidquid dicitur de connubiis, quæ nonnisi unam eandémque rem constituunt ex personis hanc conditionem amplectentibus, non sit nisi unio quædam ficta in comparatione. Siquidem verum est, Filium Dei naturæ nostræ humanæ desponsatum in Mysterio Incarnationis, non esse reipsâ, nisi unam eandémque personam cum ipsâ.

JEsus Christus desponsans sibi naturam humanam, desponsavit sibi cuncta ipsius debita.

Ecce igitur ipsum firmissimè obstrictum commodis familiæ humanæ; & ex hoc momento duæ partes, quæ ineffabili hoc connubio in perpetuum sibi invicem sunt unitæ, tam plenam & integram possident rerum omnium communicationem, ut quòd est unius, sit etiam alterius, ut omnes infinitæ excellentiæ Dei, excellentiæ fiant hominis, & dici possit: Homo est Omnipotens, homo est æternus, homo est Creator mundi; & econtra omnes indigentiæ, omnes infirmitates & miseriæ hominis fiant infir-

firmitates & miseriæ Dei, & affirmari rectè possit: Deus est pauper, Deus est impotens, Deus est passibilis & mortalis: desponsando se nostræ naturæ, desponsat sibi omnia debita nostra, seque illis onerat, seque obstringit ad solvendum illa ex integro, illáque aspiciens veluti sua.

Admirabilis inventio Sapientiæ Dei, dum eandem Personam debitorem fecit & creditorem.

Verùm cui solvet omnia hæc debita, nisi sibi ipsi? Homo est, qui debet, & Deus est, cui debet: sed ipse uterque est; est homo, & consequenter debet; sed etiam est Deus, & consequenter est ipsemet, cui debet. Rupertus Abbas admiratur in hoc adinventiones divinæ sapientiæ, ad satisfaciendum plenæ justitiæ Dei, faciendo, quòd eadem persona debitor esset ac creditor, quódque JEsus Christus Homo-Deus esset uterque. Ipse debet infinitâ ratione velut homo; verùm si esset solùm homo, satisfacere non posset debitis suis, eòquòd nimis quàm pauper esset: Ipse est infinitâ ratione dives; sed si esset solùm Deus, non posset esse debitor, & consequenter nec deberet solvere, sed ô admirabile vinculum utriusque, quod nonnisi eandem facit personam è duobus! hâc ratione is, qui non debebat, factus est debitor, & is, qui solvendo non erat, factus est Omnipotens, ut satisfacere posset omnibus debitis suis. *Unus idémque Christus,* inquit Rupertus, *ut verus Deus ab homine exigeret, ut verus homo persolveret.* Hoc tangit ipsum solum, ipse obligatus est ad satisfactiendum cuctis debitis indigentis nostræ naturæ humanæ, quam sibi desponsavit.

Rupertus lib. 1. de divinis officiis §. 36.

Jam ipse hoc facere potest plenè & abundanter, eòquòd omnes actiones, quas faciet velut homo, futuræ sint valoris infiniti, cùm actiones futuræ sint Personæ divinæ, & dignitas actionis mensurari debeat à dignitate Personæ facientis. Nonnè cernis, quomodò hæc conveniant optimè legibus bonæ justitiæ? Homo offendit Deum, & peccatum ipsius est malum infinitum, eòquòd sit injuria facta Majestati infinitæ. Et ecce modò Homo-Deus reparat hanc injuriam per satisfactionem infinitam, eòquòd hæc reparatio sit facta à Persona divina, quæ Majestatis est infinitæ. Hæc pretio sunt paria: ille, qui offenditur, est Deus; ecce offensam infinitam; & ille, qui reparat offensam, est Deus; ecce satisfactionem infinitam. Ecce igitur æqualitatem omninò integram, & justitiam in toto rigore suo observatam, infinitum pro infinito.

Satisfactio æquivalens.

Verùm dicas, rigorosa non est hæc justitia: nam si consideres JEsum Christum satisfacientem Deo pro peccatis hominum, ut talis non est æqualis Patri suo, sed est ipsius inferior, ipsius subditus,

Videtur JEsus Christus non satisfeciisse in rigore justitiæ.

ditus, ipsius servus, ipsius supplex: ecce prostratum illum humiliter ad pedes ipsius velut reum, qui efflagitat misericordiam, æqualitas non est inter Dominum & servum, multò minùs inter Creatorem & creaturam; & deinde justitia obligat æqualiter ambas partes eandem simul causam tractantes, juxta leges justitiæ rigorosæ, sed Deus aliquâ lege obligari non potest. Impossibile igitur est, JEsum Christum satisfacere Deo pro omnibus debitis hominum, juxta rigorem justitiæ, accipe enim illum ut volueris; velut homo est nimis infrà Deum, nihil hîc adest æqualitatis; velut Deus nimiùm attollitur supra conditionem Reparatoris alicujus injuriæ: ipsius non est facere satisfactionem, sed ipsius est hanc accipere.

Qua ratione JEsus Christus verè satisfaciat in rigore justitiæ,

Quid facis, dum ita loqueris? an dividere vis Christum, ut Deum colloces ex una, & hominem ex altera parte? si hoc est, destrues ipsum, & non ampliùs habebimus Salvatorem. Ne separes, quod Deus conjunxit, ne solvas sacrum hoc connubium naturæ divinæ cum natura humana in Persona JEsu Christi, qui totus semper manet & integer. Invenies in unica Persona Dominum & servum, Creatorem & creaturam, supplicem & Deum, quem supplicat. Ipse igitur submittere se potest Deo, ad reparandum injuriam, eòquòd ipsius sit inferior; sed potest id facere in toto rigore justitiæ, eòquòd sit ipsi æqualis; & potest id omnibus modis, cùm statuendum sit indubitatum hoc principium, quòd omnes ipsius actiones habeant dignitatem & valorem infinitum, utpote productæ à Persona divina. Jam quod verè habet valorem infinitum. Sufficere sinè dubio potest, ad solvendum omnis generis debita, quantumvis maxima; & id, quod dignitatem habet infinitam, rejici non potest, velut indignum.

Pono, quòd verum sit, Deum obligatum non esse ad recipiendum satisfactionem, quamvis hæc æqualis esset offensæ, cùm concedi debeat, quòd Deus nec stringi nec obstringi possit aliquâ lege, nisi illâ, quam imponere voluerit sibi ipsi, per aliquam sese obstringens promissionem. Sed nonne toties obstrinxit se per promissiones suas, de recipienda satisfactione à Messia, quem missurus erat, ut esset Salvator hominum? loquens de ipso in Vate Isaia dicit: *Ecce servus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo:* Et paulò infrà. *Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium.* Et adhuc in Isaia: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Sed quando tam solemnes non dedisset pol-

Isa. 42. v. 1. v. 6.

Isa. 53.

Deus obstrictus est promissione, de recipiendis satisfactionibus JEsu Christi.

pollicitationes, quâ ratione non accepisset satisfactiones illius, qui Deus est Majestatis infinitæ, qui humiliabat se ante ipsum, ut præstaret ipsi homagium, cùm impossibile sit illi exigere majorem honorem pro reparatione contemptûs ab hominibus accepti? quâ ratione repudiâsset meritum actionum Filii amore infinito à se amati, cùm impossibile sit illi recipere aliquid sibi gratius ab ullo altero? siquidem nec unica fuit ex actionibus ipsius, cujus infinita non fuerit dignitas, valor & meritum.

Quæ differentiâ inter meritum & satisfactionem JEsu Christi.

Quam differentiam tu collocas, interrogabat hic homo, inter meritum & satisfactionem? suntné hæc duo diversa? an separari possunt in actionibus JEsu Christi? non, inquit ipsi Ecclesiasticus, non est nisi infinitus valor sanctissimorum ipsius operum, qui modò appellatur meritum, modò satisfactio. Quando hic valor offertur Deo ad acquirenda nobis bona supernaturalia, & præcipuè bona æterna, quorum indignissimi sumus, appellatur meritum; & quando idem hic valor servit ad liberandum nos à peccato, nósque custodiendum à pœnis æternis, quarum ob peccata nostra eramus digni, vocatur satisfactio: videtur igitur unum respicere cœlum, ad comparandum id nobis, & alterum respicere infernum ad redimendum nos ab illo: meritum nobis consignat possessionem bonorum; satisfactio nos liberat ab oppressione malorum. Sed ambo, meritum & satisfactio, inseparabilia sunt in actionibus JEsu Christi: ubicúnque meretur, etiam satisfacit, & ubi satisfacit, etiam meretur, & ambo, quæ infinita sunt, pari passu ambulant.

JEsus Christus satisfecit & promeruit continuò à primo instanti vitæ suæ,

An igitur satisfecit & promeruit per omnes actiones vitæ suæ, an solùm per aliquas? per omnes, respondet Ecclesiasticus. Incepit jam ab introitu suo in mundum: siquidem primum opus, quod fecit, sicut scribit sanctus Apostolus Paulus ad Hebræos, erat offerre sacrificium voluntarium sui ipsius Deo Patri suo pro Redemptione peccatorum; & tam accepta ipsi fuit hæc actio, ut ipsa sola sufficisset ad sanctificandum nos omnes. Hinc est, quòd sanctus Thomas, & omnes Doctores Catholici doceant, quòd JEsus Christus, cùm habuerit perfectissimum usum rationis suæ & libertatis à primo conceptionis suæ instanti, in sinu divinæ Matris suæ fecerit ex eo velut primum Altare sacrificii sui, ubi immolavit corpus, animam, & vitam, quæ acceperat, devovens se voluntate efficacissimâ velut victimam morti, in reparationem gloriæ Dei Patris sui, & in satisfactionem pro omnibus peccatis hominum; quódque ex hoc

Hebr. 10.

D. Thom. 3. p. q. 34. a. 3.

momento meruerit pro seipso exaltationem Nominis sui, glorificationem sui corporis, & pro nobis gratiam ac salutem. Et exin continuando eundem hunc actum, & eandem hanc intentionem, cunctis momentis vitæ suæ, & signando omnia opera sua eodem hoc charactere, continuaverit semper meritum suum infinitum, non faciendo totâ vitâ suâ nisi sacrificium perpetuum, quod consummavit tandem in Cruce, quódque absolvit cum vitâ suâ, dum exspiravit: dicens *Consummatum est.*

Totus vitæ JEsu Christi cursus non fuit nisi continuum sacrificium meritorium & satisfactorium.

Revolve totum decursum vitæ ipsius, & videbis hunc aliud non fuisse, quàm continuum sacrificium, ubi immolavit gloriam suam per contemptum, quem nunquam non sustinuit, vivendo in conditione paupere, manens incognitus & abjectus coram oculis mundi, velut novissimus hominum: sacrificium continuum, ubi immolavit sacrum corpus suum per millenos cruciatus, jejunia quadraginta dierum & quadraginta noctium in tristi eremo, absque sumptione ullius cibi, super nudam cubans terram, tenuiter vestitus, nudis ambulans pedibus, vel ad summum vilibus cum sandaliis: sacrificium continuum, ubi condemnavit omnes sensus suos ad mortificationem nunquam intermissam, ducens vitam adeò austeram cum Apostolis suis, ut, quando fuit quæstio de cibandis tot millenis personis, quæ secutæ fuerant ipsum in desertum, ad audiendum divina ipsius verba, indagari debuerit, quænam ipsorum fuerit provisio: Et inventum fuit, ipsos aliud non habuisse, nisi quinque panes hordaceos, & aliquos viles piscículos. Ecce igitur totam abundantiam, totam pretiositatem, totámque magnificentiam supremi hujus mundi Monarchæ: Sacrificium continuum, ubi sanctam suam privavit Humanitatem gloriâ ipsi debitâ per continuum quoddam miraculum totâ ipsius productum vitâ, quódque nunquam interruptum fuit, nisi paucis momentis Transfigurationis ipsius in Thaboræo vertice, ut innocens caro ipsius idonea esset ad sufferendũ dolores, & horribiles cruciatus, quos sceleratissimi fuissent promeriti: Sacrificium continuum, ubi immolare voluit ipsum dimidium animæ suæ, id est, partem ipsius inferiorem, quam velut prædam reliquit expositam timori, dolori, tædio, tristitiæ, à quibus ita se passus est obrui, ut ex his se moriturum crediderit in horto Olivarum: Sacrificium continuum, ubi consummavit vitam suam, sinè intermissione benè faciendo omnibus, & incessanter quoque ab omnibus recipiendo malum, injurias, abjectiones, reprehen-

henſiones, calumnias, perſecutiones, injuſtitias, dolores & denique mortem.

Et hæc ultima fuit omnium ipſius ſacrificiorum conſumatio, quæ etiam ultimum adjecit cumulum infinito theſauro meritorum divinarúmque ſatisfactionũ ejus, ubi ſanctiſſima ipſius Humanitas tota perforata & tota lacerata in Cruce, ſolvebat Deo Patri ſuo omnem ſumam, quæ ex integro noſtra delere debebat debita. Regius Propheta hæc ori ipſius inſeruit verba: *Conſcidiſti ſaccum meum.* Tu ô Omnipotens manus juſtitiæ Dei Patris mei laceraſti tandem ſaccum meum. Et ex hoc attollit ſanctus Auguſtinus cogitationes noſtras, & noſtram exſtimulat fiduciam: *Non tibi vileſcat, quod ait, ſaccum meum, ibi erat incluſum pretium tuum, in paſſione conſciſſus eſt, conſcidit ſaccum lance. à perſecutor, & fudit pretium noſtrum Redemptor*; Et omnes pretioſæ divitiæ ipſius, quibus plenus erat, effuſæ ſunt ſuper nos, nihil enim pro ſe reſervavit; non indigebat ipſe nec meritis, nec ſatisfactionibus pro propria perſona ſua, nobis igitur omnia ſua donavit bona, omnia noſtra in ſe ſuſcipiens mala. O miſericordia infinita! ô bonitas nullis arctata limitibus in munificentia ſua. Quodnam cor non atteratur affectibus gratitudinis & amoris, aſpiciens ſaccum tuum ſic in fruſta conciſſum, ut evacuet & exhauriat ſe, ut depauperet ſe omnibus, illudque locupletet?

Pſal. 29.

S. Auguſtin. ſerm. ult. de tempore.

Quomodò JEſus Chriſtus ſolverit integram ſummã debitorum noſtrorum in Cruce.

O mi JEſu! quàm dives ſum ex bonis tuis, modò me diſponã ad recipiendum illa, quæ tam liberaliter effundis e Cruce, quam conſcendiſti ex amore erga me! ſiquidem hìc invenire eſt ſaccum, qui includit omnes tuos theſauros cœleſtes; diſciſſus hic eſt, dum ſanctiſſima Humanitas tua tota eſt perforata, tota diſcerpta, tota dilaniata; nil ampliùs continere potes, oportet te omnia effundere ſuper nos. Sed ad recipiendum pretioſas has gratiarum tuarum, meritorum tuorum, & ſatisfactionum tuarum divitias, accedendum mihi eſt ad Crucem tuam, & ego illam fugio, cùm perpeti nec minimum velim. Video effundi illas per vulnera, adeóque per vulnera quóque recipere illas oporteret; & ego illis amore tui ſauciari nolo, quamvis te ipſis videam coopertum amore mei. O JEſu patiens, promerens & operans ſalutem noſtram in Cruce! qui neſcit tecum pati, neſcit ubi ſit pretioſus theſaurus, quo locupletare ſe poſſit in æternitate.

JEſus Chriſtus effunditnobis ſuas gratias per vulnera; illas nos quoque per vulnera recipere oportet.

Ecce pulcherrimos ſanè affectus, reponit homo noſter noviter ergaſtulo egreſſus. Sed, ut verum fatear, non intelligo te adeò benè. Tu dicebas, quòd JEſus Chriſtus tantâ fuerit erga me bonitate, ut onerari voluerit omnibus meis debi-

Dicere, quòd JEſus Chriſtus paſſus fuerit, ut nos à paſſione faciat immunes, eſt opinio hæretica.

debitis, ut posuerit se in locum mei, ut toleraverit pro me, quod tolerare debebam ceu supplicium meorum criminum, quódque tandem satisfecerit plenè pro me, & etiam superabundanter; & modò dicis, quòd oporteat me quoque pati cum illo. An igitur satisfaciendum est mihi ipsi? Quid ergò juvat, ipsum passum esse pro me, si adhuc puniri debeam, cumque ipso pati? Est idem ac si mihi diceres: revertere & redi ad eum, qui extraxit te è tuo carcere. Vah! cur posuit se illuc, si illuc esse non velit? Et similiter, cur JEsus Christus pati voluit in Cruce amore mei, nisi ut ego non patiar?

Quid inquis, reposuit ipsi subiracundè Ecclesiasticus? probè adverto, colloquium tibi fuisse cum quopiam hæretico, téque ipsius afflatum veneno perversam aliquam concepisse animo sententiam: siquidem homines ejusmodi carni & sensibus prorsùs addicti, ut arceant à se rigida pœnitentiæ opera, egregiam hanc protulêre in medium Philosophiam, quòd, ut plus honoris attribuatur JEsu Christo, permittere oporteat ipsum pati solum, absque eo, quòd cruciatuum ipsius aliquam nobis assumamus partem, quòd permittenda sit ipsi soli satisfactio tota, citra id, quòd & nos admoveamus manum; & ideò fugillant rigores vitæ austeræ & actus pœnitentiæ, quos nuncupant satisfactiones humanas, quibus homines prætendant salvare seipsos, quique injuriam faciant Passioni Redemptoris. Oportet tibi demonstrare hujus errorem, téq; docere.

ARGUMENTUM.

Quâ ratione necessarium sit, ut satisfaciamus ipsimet cum JEsu Christo & per JEsum Christum pœnæ peccatis nostris debitæ.

Articulus. III.

Nostra salus non est opus Dei solius.

SUnt quædam, quæ facit Deus solus absque concursu nostro veluti magnum opus Creationis nostræ: non expetiit ipse consensum nostrum, ut extraheret nos ex abysso nihili, fecit id ipsemet ex sola bona voluntate suâ, nosque nihil ex parte nostrâ hìc addidimus. Sunt autem & alia, quæ facimus nos soli absque concursu Dei, veluti peccata; monstra hæc sunt opera solius nostræ malæ voluntatis, ex parte suâ nihil hìc contribuit Deus. Alia insuper sunt, quæ Deus non facit absque concursu nostro, quæque etiam nos facere non possumus absque concursu Dei, veluti est ingens opus salutis nostræ. Hoc est effatum S. Augustini tam exploratũ, ut in omnium versetur ore: *Qui creavit te sinè te, non salvabit te sinè te.* S. Augustin.

Quan-

1. Cor. 3. Quando S. Paulus ad Corinthios scripsit, quòd simus coadjutores Dei, non solùm dicere volebat, quòd ipse ex officio Apostolatûs sui navaret cum Deo operam conversioni pecctorum, sed quòd quivis ex nobis tigillatim posset & debeat se dicere coadjutorem Dei respectu propriæ suæ salutis, eòquòd nunquam hanc Deus solus operaturus sit absque concursu nostro.

Verum est quidem, nos facere nil posse absque JEsu Christo, sicut ipsemet nobis declarat in Evangelio: *Sinè me nihil potestis facere.* Non dicit: Sinè me non potestis nisi parum quid facere; sed nec parum nec multum. Absque ipso facere nihil possumus, cùm omnis nostra potentia proficiscatur ab ipso solo, qui est omnipotens. Sed verum quóque est, quod ipse nil facere possit absque nobis pro obtentu salutis nostræ, eòquòd necessariò requirat consensum nostrum, concursum nostrum, cooperationem nostram, sinè quâ ipse, quamvis Omnipotens sit & infinitâ ratione dives in misericordia, nunquam alicujus operabitur salutem. Et si liber voluntatum nostrarum concursus necessarius non esset, si nonnisi requireretur pro salute nostrâ voluntas Dei, cur omnes homines non salvarentur, quin periret ullus? Nonnè ipse vult salutem omnium? nonnè mortuus est pro omnibus? nonnè meritus est, nonnè satisfecit pro omnibus per magnum Passionis suæ sacrificium? Et nihilominùs non omnes salvantur, eòquòd sola voluntas Dei non sufficiat pro salute hominum: requirit ipse consensum & concursum voluntatis illorum; & quia plerique hunc denegât, plerique damnantur ex sola culpa sua, contra voluntatem JEsu Christi, qui ipsorum volebat salutem.

Joan. 15. Nihil possumus facere absque JEsu Christo, nec ipse salvare nos potest absque nobis.

Certum igitur est, quod magnum opus salutis peccatorum absolutè dependeat à concursu duarum voluntatum, illâ Dei, & illâ hominis. Illa Dei est causa primaria & principalis, illa, quæ submistrat omnem virtutem necessariam pro magno hoc effectu: sed illa hominis est causa secunda, quam recipere oportet sacros motus, influxum & virtutem causæ primæ, hancque impendere ad concurrendum verè cum illâ ad eundem effectum; & concursus duarum harum voluntatum ita necessarius est, ut una absque alterâ efficiat nihil. Si Deus nollet, impossibile esset homini operari salutem suam, etiamsi hanc vellet ex parte suâ; & si homo quóque non velit, Deus nunquam operabitur salutem ipsius, quamvis id faciendi habeat voluntatem: requiritur concursus Dei & hominis, estque opus, ut amborum voluntates conveniant, simulque agant, aliás effi-

Requiritur concursus duarum voluntatum ad operandum salutem nostram.

cietur nihil. Posito hoc tam indubitato principio, ut nemini de eo liceat dubitare.

Quid sit concurrere cum Jesu Christo ad salutem nostram.

Quæso te, considera, quid sit concursus vel cooperatio duarum causarum. Nonnè hic est, quòd quando operatur una, operetur quóque altera eodem tempore & per eandem actionem. Ecce tibi, quid propriè & essentialiter constituat concursum, & extra hoc nil aliud. Necessariò igitur concurrere nos oportet cum JEsu Christo ad opus salutis nostræ, si perfici id volumus; oportet agere cum illo, quod agit ipse ex amore nostri. Non ergò verum est, quod permittere debeamus, ipsum agere totum solum, ipsum laborare & pati totum solum absque eo, quod nostram adjiciamus manum operi: cooperandum est nobis, id est, conjungere debemus nos ipsi, ut faciamus, quod facit ipse, pro salute nostrâ; aliàs dicere non possumus, nos vel parùm cognoscere magnas obligationes nostras, nosque vel leviter scire, quomodò laborandum sit seriò pro salute nostrâ.

Non oportet permittere, ut JEsus Christus laboret totus solus.

Quid agis, Domine, per omnes hos labores pœnosæ vitæ tuæ? Es pauper, fatigaris, jejunas, oras, consolaris, adjuvas omnes miseros, toleras injurias, contemptus, dolores, tota vita tua plena est cruce & afflictione. Ecur hæc omnia divine Redemptor? Me totum impendo ad operandum salutem vestram. Age, mi amabilis Salvator; nil mihi incumbit, nisi ut agere te sinam, etsi ego quidquam operis non adjiciam; tu satis es potens, ut agas solus & perficias magnum hoc opus; injuriâ afficerem infinitam tuam potentiam, si apponere & ipsi vellem manum. Tu satis es dives, ut suppedites solus omnem hanc summam, quæ necessaria est ad solvendum cuncta mea debita, & satisfaciendum pro omnibus meis noxis: exponerem despectui immensos thesauros tuos, si apponere & contribuere illis aliquid vellem ex meo. Tu satis bonus es, ut ipsemet solus facere velis omnia; cùm infinitâ ratione sis misericors; infinitam tuam offenderem bonitatem, si negotio, quod moliris ipse, meam impenderem curam; nonnisi fruendum mihi est quiete, tibique relinquendum totum opus salutis meæ.

Non salvat JEsus Christus nisi eos, qui applicare sibi volunt fructus mortis suæ.

Verùm an ignoras, quòd licèt præcipuè tua à me dependeat salus, non tamen dependeat à me unicè, quódque, si operer ante te, quóque operari oporteat post me & mecum? An nescis, quòd licèt voluntatis meæ sit salvare omnes, omnes tamen non salvem, sed solùm eos, quorum voluntas concurrit & cooperatur cum meâ; quódque nunquam aliquis suam operatus sit salutem, nec illam operari possit, absque eo, quod

quòd ipsemet admoveat manum: nihil tu facere potes absque me, sed nec ego facere quidquam possum absque te: ego inexhaustos possideo thesauros meritorum & satisfactionum plus quàm sufficientium ad solvendum debita tua, & satisfaciendum etiam superabundanter pro omnibus, hominibus, qui exire possent è nihilo per Omnipotentiam Dei: servo ipsos tibi apertos, illosque offero omnibus; nunquam tamen solvi pro aliquo, nisi tantùm pro iis, qui voluerunt huc suam porrigere manum, ut solverent ipsimet unàmecum è propriis bonis meis.

Verum est, præstitisse me redemptionem copiosam, magisq; abundantem, quàm opus sit ad salvandum centenos millenos mundorum; sed omnia, quæ feci, tibi nil proderunt, nisi eorum quoque accipias partem; & partem eorum accipies nunquam, nisi cooperatus fueris mecum, id est, faciendo mecum id, quod vides fecisse me pro salute tuâ: portavi crucem, oportet hanc te quoque portare; jejunavi, ploravi, pœnitentiam egi; oportet te hæc quóque facere, fui pauper, abjectus, persecutionibus oppressus; talem te quóque oportet existere; unicum meum negotium in terris fuit, tuæ invigilare saluti, contemnendo cætera omnia velut crepundia, méque dies ac noctes omni cum charitatis fervore impendendo unico huic necessario, ita te agere quóque oportet: & hoc propriè appellatur cooperari, & contribuere ex parte tuâ, quod debes, operi salutis tuæ. Et verbo unico cooperandum est cum Salvatore tuo: sinè tuâ enim cooperatione nunquam pertinges illuc. O quàm pauci hoc capiunt idioma!

Libenter aspicimus thesauros JEsu Christi, non libenter mittimus manus in illos.

Loquimur libenter de abundantibus divitiis, quas Salvator ac quisivit nobis passione suâ: aspicimus cum gaudio immensos & inexhaustos thesauros gratiarum, meritorum, satisfactionum, qui fructus sunt dolorum & mortis ipsius; & quando nobis dicitur, hæc omnia nostra esse, summo demulcemur solatio, cùm divites evadamus in æternum. Sed quando admovenda est manus, ut illa nobis ipsis applicemus per actualem participationem afflictionũ & laborũ, qui protulerunt totum hunc ingentem thesaurum, tunc sumus frigidi, sumus ignavi, retrahimus manus, nonnisi oculos habemus ad illum aspiciendum, in ipso complacemus nobis, ipsúmque admiramur. Vah! quid prodest hoc nobis? Quid prodesset pauperi totâ vitâ suâ maximum quemdam aspexisse thesaurum? an ex eo foret ditior? si nunquam mitteret in illum manus suas, nonnè semper maneret pauper in seipso, aspiciens interim extra se magnas divitias, quarum nullam haberet partem. Ita,

Non applicantur fructus Passionis JEsu Christi per solam fidem.

Ita, dices, assentior, applicanda nobis esse merita & satisfactiones JEsu Christi, ut prosint nobis; sed applicare mihi cupio illa per fidem, credendo firmiter, quòd JEsus Christus dederit pro me vitam suam, & sanguinem suum. Ita cupiunt & prætendunt hæretici. Sed hæretici sunt, dum credunt, quòd sola fides justificet; cùm stare hæc possit in anima cum peccato mortali, & hìc fides sit mortua, de quâ loquitur S. Jacobus, quæ dare non potest vitam, quam non habet. Sed cœci sunt, dum credunt, fidem esse veluti manum, quæ accipiat id, quod credit, ad attrahendum illud ad se, illudque sibi appropriandum. Si non nisi credenda forent bona spiritualia vel corporalia ad possidendum illa, levi admodùm haberentur pretio, & nemo remaneret pauper: fides non consistit nisi in credendo veritates, quas Deus revelat nobis; jam ipse non revelavit tibi, quòd merita Passionis suæ tibi sint applicata: quando tibi revelaverit, potes id credere; & tunc applicata tibi non erunt; eòquòd id credas; sed credes, quia tibi erunt applicata.

Non applicantur merita JEsu Christi per solam spem.

Non, nolo hunc modum applicationis meritorum Redemptoris mei per fidem; probè novi, illam non esse, nisi deceptionem hæreticorum; sed cupio applicare mihi illa per spem & magnam quamdam fiduciam in infinitam ipsius bonitatem: novi, quòd amet me; novi, quòd dives sit in misericordia; novi, quòd, quicunque speraverit in illo, non confundatur; novi denique, quòd, cùm mortuus sit pro me in Cruce, nolit me mori æternùm in inferno. Sic Libertini & ignavi, qui semper dormire volunt in peccatis suis, colligere prætendunt fructus Passionis JEsu Christi per falsam & fraudulentam spem, quæ veræ præsumptionis non evadit notam: prætendunt, se posse esse malos cum omni securitate, eòquòd Deus bonus sit; sibi metuendum non esse de peccatis suis præteritis, eòquòd JEsus Christus pro iis per mortem suam satisfecerit: dicunt quóque, se deinceps committere noxas posse, quotquot voluerint, eòquòd jam multò plus is solverit, quàm fuerit opus ad satisfaciendum pro illis. O Deus! Nonne hoc est illudere Deo, & habere despicatui infinitum pretium Redemptionis mundi?

Oportet operari cum JEsu Christo.

Verùm per hæc omnia non diceris cooperari saluti tuæ: ex adverso hæretici non invenerunt applicationem suam per fidem, & Libertini per imaginariam fiduciam suam, nisi ut liberarent se ab operatione & cooperatione per bona opera & molesta pœnitentiæ exercitia. Jam necessariò cooperandum est tibi ad opus salutis tuæ, aliàs perficietur id nunquam;

quam; & qui dicit, cooperari (id quòd Verbum innuit) operari debet conjunctim cum alio, qui operatur, & debet amborum, ejus, qui operatur, & illius, qui cooperatur nonnisi eadem esse actio, nonnisi idem opus. Jam JEsu Christi est, operari salutem tuam, mereri, satisfacere, efficere reconciliationem tuam cum Deo Patre suo; sed tuum est, cooperari cum ipso, ut ex concursu ipsius & tuo non fiat, nisi una eadémque actio, nonnisi unus idémque effectus, qui pertineat ad ambos; eòquòd ambo concurrant in ipso producendo, & quilibet ad hunc contribuat ex parte sua.

Quâ ratione & quo sensu debeat omnis homo ex parte esse Salvator sui ipsius.

Et per hanc regulam, quæ certissima est, verum est dicere, quòd, si ipse operetur salutem tuam, tu opereris illam quóque cum illo; si ipse te redimat, tu quóque ratione quâdam redimas teipsum; si ipse mereatur, tu pariter mereris; si ipse satisfaciat, tu quóque facias satis; si ipsius merita, ipsiusque satisfactiones spectent ad ipsum eòquòd producat illas velut causa principalis, spectent ipsæ quóque ad te, eòquòd producas illas cum ipso, velut causa minus principalis; sed causa nihilominùs realissima, quæ verum præbeat concursum, ad producendum magnum hunc effectum. Verum est, quòd omnia, quæ supernaturalia hìc sunt, divina & valoris infiniti in his omnibus, proficiscantur ab ipso solo; & ideo salus peccatorum non attribuitur nisi ipsi soli; sed verum quóque est, quòd, dum exhibet tibi gratiam, téque associat sibi ad productionem actionum sanctarum, quibus conjunguntur merita & divinæ satisfactiones ipsius, dici possit, hæc esse propria tua merita, proprias satisfactiones tuas; sicque temetipsum esse ratione quâdam, qui opereris salutem tuam, teipsum, qui merearis, qui satisfacias pro peccatis tuis, quamvis id nunquam fit, nisi in JEsu Christo, & per JEsum Christum, sinè quo nil potes facere.

Probè video, fatebatur noster Proselythus, me deceptum esse, quódque non sufficiat credere, vel confidere in misericordias Domini, vivendo otiosè, quódque necessarium sit cooperari cum JEsu Christo & contribuere operi salutis nostræ. Sed nondum intelligo, in quo consistat hæc cooperatio. Dicam tibi, audi & intellige benè.

ARGUMENTUM.

In quo consistat cooperatio, quæ necessaria est ex parte nostrâ ad operandum salutem nostram per merita & satisfactiones JEsu Christi.

Articulus IV.

Oportet nos uniri cum JEsu Christo, ut cooperemur cum ipso.

POsito ceu primo principio, quòd sinè ipso nil possis facere, sed cum ipso possis omnia. Posito ceu secundo, quòd, ut omnia possis cum ipso, id est, mereri, satisfacere & operari salutem tuam, oporteat te uniri cum illo, ea ratione, quâ palmites uniuntur viti suæ, sicut ipsemet dicit, vel sicut membra corporis capiti suo: Et hæc unio fit per vincula supernaturalia fidei, spei, charitatis, gratiæ sanctificantis. Quamdiu hæc vincula subsistunt, vera hæc vitis dat omnibus suis palmitibus vitam, vigorem, & virtutem producendi fructus suos. Caput hoc adorandum effundit in membra sua influxus vitæ divinæ, & virtutem supernaturalem, per quam acquirunt capacitatem producendi in ipso & per ipsum merita vitæ æternæ, & satisfactiones in abundantia pro omnibus peccatis. Et sic promittit nobis ipsemet in Evangelio: *Qui manet in me, & ego in eo, his fert fructum multum.* Siquidem hoc est, aliquâ ratione esse ipsummet, quando quis est in ipso; & consequenter hoc est facere omnia, quæ quis facit in virtute & per virtutem ipsius.

Joan. 15.

Sanctus Paulus loquens de Christianis, qui componunt Ecclesiam, dicit, nos omnes non esse nisi unicum & solum corpus in JEsu Christo. Et Cajetanus admiratur in hoc felicitatem & sublimem dignitatem Christiani, qui cum vivum sit membrum corporis hujus Mystici, ipsemet possit reddere Deo satisfactionem æqualem injuriæ à se ipsi factæ, ob dignitatem, quam recipit à Divino suo capite. Ecce verba ipsius: *Ex Christo JEsu, qui est caput nostrum, & nobis, constituitur Persona quædam Mystica. Ecce quare mea satisfactio, juncta satisfactioni JEsu Christi, inveniatur æqualis offensæ meæ, in quantum illa est facta à Personâ hâc Mystică. Et etiam contingere poterit, ut mea solutio meum excedat debitum;* Cùm satisfactiones JEsu Christi, quæ sunt superabundantes, fiant meæ.

1. Con. 10.

Cajet. in D. Th. 3. p. q. 1. a. 2.

Non confituimus nisi unicam Personam Mysticam cum JEsu Christo.

Benè videmus, quòd tam arctum, támque forte sit vinculum inter membra & Caput nostri Corporis, ut omnia inter

Corpus Mysticum JEsu Christi non est Chimæra.

ter ipsa sint communia, eadem vita, eadem dignitas, eædem divitiæ: Sed plures credunt non ita se habere vinculum membrorum Corporis Mystici JEsu Christi, cum divino suo capite. Videtur ipsis hoc Corpus Mysticum quamdam referre Chimæram, quæ esse non habeat nisi in imaginatione. Sed non magis est verum, quòd JEsus Christus habeat Corpus naturale, formatum ex operatione Spiritûs Sancti, in Virgineo sinu sanctissimæ Matris suæ Mariæ, quódque immolaverit illud pro nobis in Cruce; quàm verum est, ipsum habere Corpus Mysticum, suam nempe Ecclesiam, quòd ipsemet formavit è proprio corde suo, in ardoribus divinæ suæ charitatis, quódque genuit in Cruce inter agonias Passionis suæ.

JEsus Christus plus amat Corpus suum Mysticum, quàm Corpus suum naturale.

Utrúmque Corpus, naturale & Mysticum, amat is valdè, ambo sunt ipsi unita intimè, & ambo ferventi prosequitur affectu. Sed clarè demonstravit, quòd magis dilexerit Corpus suum Mysticum, quàm corpus suum naturale, eòquòd immolaverit hoc pro salute alterius. Videtur insuper, quòd Corpus Mysticum magis ipsi sit unitum, quàm Corpus naturale, eòquòd ipsius anima separata fuerit ab ipsius Corpore per mortem, aliquo saltem tempore, nunquam autem separari ipsa possit à Corpore ipsius Mystico, nec momento quidem unico. Manifestè tandem declaravit, quòd magis afficiatur Corpore suo Mystico, quàm Corpore suo naturali; siquidem suis, qui illius sunt membra, dicit: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei: si patiantur persecutionem, conqueritur de injuria sibi factâ & clamat è vertice cœlorum: *Quid me persequeris?* Nonnè dicendum sit, vehementissimum & vivacissimum ipsum conservare affectum erga hoc Corpus Mysticum in throno gloriæ suæ, ubi doloribus Corporis sui naturalis non afficitur amplius? desuper discurro ita.

Omnes thesauri JEsu Christi, non sunt pro Corpore ipsius naturali, sed pro Corpore ipsius Mystico.

Cùm mysticum Corpus JEsu Christi, cujus maximo cum honore nostro nos membra sumus, si veri simus Christiani, non sit minus verum ipsius Corpus, quàm Corpus ipsius naturale, quod verè ipsi est unitum, cumque afficiatur eo, quod ipsum tangit, tantùm & adhuc plus, quàm quod tangit corpus suum naturale, sequitur evidenter, quòd Corpus ipsius Mysticum non participet minus ex immensis thesauris divitiarum, gratiarum, meritorum & satisfactionum ejus, quàm Corpus ipsius naturale. Quid dico, minus? participat multò plus ex illis; siquidem nil promeruit pro Corpore

ſuo naturali, quàm glorificationem ejus, ipſi aliunde jam debitam ex jure gloriæ animæ ſuæ. Sed non promeruit pro ipſo hoc meritum eſſentiale, quòd reſpicit vitam æternam; non ſatisfecit pro ipſo, cùm nil debuerit unquam juſtitiæ Dei, eòquòd nullum unquam habuerit peccatum: ita ut theſaurus inexhauſtus meritorum & ſatisfactionum ipſius ſit totus integer pro Corpore ſuo myſtico: vivit ipſe in omnibus membris ipſius, & omnia membra ipſius vivunt in ipſo; ipſe agit, ipſe patitur, ipſe meretur, ipſe ſatisfacit in omnibus membris ipſius, & omnia membra ipſius agunt patiuntur, merentur, ſatisfaciunt in ipſo.

O ſi veri eſſemus Chriſtiani, dicere poſſemus omnes cum S. Paulo: Vivo ego, non jam ego, vivit verò in me Chriſtus: id eſt, vivo ego, ſed non vivo vitâ meâ propriâ, JEſus Chriſtus eſt, qui vivit in me, qui agit, qui patitur, qui facit omnia in me. Ceſſamus eſſe homines, & vivere velut homines, juxta proportionem, quâ efficimur magis Chriſtiani, eòquòd dum JEſus Chriſtus ſe magis communicat animæ noſtræ; magna ipſius vita abſorbeat vitam noſtram & ſpiritûs ipſius totum noſtrum ebibat ſpiritum, ut ſancti Jobi utamur verbis. Maximè congruum eſt verbum hoc, ad declarandum quâ ratione JEſus Chriſtus fiat vita animæ relinquentis ſe poteſtati ipſius gratiæ: ſiquidem is trahit ipſam extra ſe, è ſtatu ſuo purè naturali & humano; & hoc fit, quando ſpiritus ipſius divinus exhaurit omnem noſtrum ſpiritum, auferens ipſi ſua lumina, ſuas gratias, ſuas cognitiones, ſuos diſcurſus, ordinarium ſuum agendi modum, omnes proprias ſuas operationes, & tandem aliquâ ratione proprium ſuum eſſe; & anima evadit ſicca, arida, exſpoliata omnibus, & velut mortua, haud aliter, quàm ſi ſol ebibiſſet omnem aquam, quæ fuerat in aliquo vaſe, illúdque reliquiſſet ſiccum. JEſus Chriſtus ſic accipit animam, quando totus vult eſſe in illa, quando eſſe vult ipſius eſſe, ipſius vita, ipſius operatio, privat & exſpoliat prius ipſam omnibus per plures mortes ſibi amariſſimas, ſæviſſimas, crudeliſſimas; & ſæpè cùm non capiat conſilia Dei ſuper ſe, ipſa triſtatur, illi reſiſtit, ſeque defendit, quantùm poteſt, contra operationem Spiritûs Dei; ſiquidem ipſa mori non vult, nec ita permittere ſui deſtructionem. Et innumeri, etiam viri docti, & aliàs ſatis illuminati, ſed cœci in directione Spiritûs Dei ſuper animas, ubi nihil comprehendunt, ſed apprehendunt omnia velut Chimæras & meras imaginationes.

Quâ ratione Spiritus Divinus JEſu Chriſti ebibat proprium noſtrum ſpiritum humanum.

Ni-

Quomodò Deus annihilat animam, ut ipse totus solus sit in illa.

Nihilominùs verum est, quòd, postquam anima Christiana omni studio vacat & intendit JEsu Christo, quando diu studuit conformare se illi, benè concipere ipsius spiritum, seque induere affectibus, desideriis & sensis ipsius: JEsus Christus tandem producat in ipsâ operationes tam admirandas, ut non solùm sint inexplicabiles, sed etiam incredibiles iis, qui illas non experiuntur. Siquidem is ita annihilat ipsam, illamque ita exspoliat esse suo naturali; ut ipsa aliud non sit, quàm ipse, ut aliam non habeat, quàm ipsius vitam, ut alias non habeat, quàm ipsius operationes: Qui oculos haberet ad perspiciendum mira, quæ Deus operatur in fuudo hujus animæ (quæ fortassis non vident Angeli ex seipsis) non ibi videret, nisi JEsum Christum. Plerúmque ejusmodi Personæ semper oneratæ sunt Crucibus, & ignoratur, JEsum Christum esse, qui renovet in ipsis omnia Mysteria vitæ afflictæ & ærumnosæ. Et hæc sunt dolores, infirmitates persecutiones, injuriæ, calumniæ, contemptus, privationes bonorum amicorum, consolationum, & denique omnis generis afflictiones in Corpore & in anima.

Natura, cui hoc placere non vult, conqueritur, & gemit, fugitque Crucem, quantùm potest: prudentia carnis, quæ hoc non capit, movetur ex eo, vel ad commiserationem, vel ad contemptum, facitque quidquid potuerit, ut ab illo se custodiat, vel exinde sese eripiat. Sed anima irradiata lumine divino, aspicit hæc omnia tùm in aliis, tùm in seipsâ, cum reverentia velut mysteria vitæ patientis & afflictæ JEsu Christi, quæ postquàm impleta sint in Corpore ipsius naturali, compleantur etiam indies in Corpore ipsius Mystico, juxta hoc sancti Pauli effatum: *Adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi in carne mea, pro Corpore eis* (Mystico) *quod est Ecclesia.* Et quamvis ipsa se sentiat destrui & consumi afflictionibus amaris, quas magnâ suffert cum difficultate, nihilominùs felicem se æstimat ac beatam, dum intuetur adhuc JEsum Christum actualiter patientem in se, pro gloriâ Dei Patris sui, & ad perficiendum magnum opus salutis suæ in Cruce, juxta aliud effatum ejusdem Apostoli S. Pauli: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo JEsu.* Sentite in vobismetipsis id, quòd JEsus Christus sentit ex amore erga nos.

Mysteria dolorosa vitæ JEsu Christi adimplentur in Corpore ipsius Mystico,

Coloss. 1.

Philipp. 2.

Quis comprehendere possit, quantam abundantiam gratiarum, meritorum, satisfactionum complectantur omnes status JEsu Christi patientis, applicatos animæ, quæ tota est in ipso,

& in qua reciprocè ipse est; sicut ipsemet declarat nobis: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Joan. 15. Ab initio patimur ad imitationem JEsu Christi; & hìc multum est meriti: posthæc, quando progredimur, patimur in unione cum JEsu Christo; & hìc multò plus est meriti, eòquòd plus contineat perfectionis, uniri cum JEsu Christo, quàm illum duntaxat sequi: Et tandem pertingimus eò, ut patiamur in unitate cum JEsu Christo, non aspiciendo nos ampliùs velut rem quamdam separatam vel distinctam ab eo, sed velut ipsummet, cùm viva simus membra Corporis ipsius mystici, in quibus ipsemet patitur, & patietur ad adimplendam Passionem suam, Prædestinatorum Redemptionem, úsque ad consummationem sæculorum. Et Deus solus cognoscit totam abundantiam, divitiarum, gratiarum, meritorum & satisfactionum, quas hìc invenire licet, ubi videtur, omnia esse communia inter JEsum Christum & animam Christianam, eandem vitam, eosdem affectus, eadem lumina, easdem operationes easdem passiones, eosdem dolores, eadem merita & easdem satisfactiones.

Diversi gradus juxta quos participamus Passionibus JEsu Christi.

Quando Princeps Apostolorum sanctus Petrus dicit nobis, quòd JEsus Christus pertulerit peccata nostra, id est, pœnam peccatis nostris debitam, in Corpore suo; nonnè putatis, hoc æquè intelligi de Corpore ipsius mystico, quàm de Corpore ipsius naturali? sòla pœna peccatorum nostrorum portata fuit à Corpore ipsius naturai, absque eo, quòd ipse aliquam haberet partem culpæ; tota culpa peccati erat in Corpore ipsius mystico; oportet ergò, ut pœna Corporis naturalis transeat per Corpus mysticum, ad illud purificandum & emundandum à peccatorum suorum maculis. Ecce, quare, velit unum non minus quàm alterum onerari Cruce & afflictione. Si ipse pertulit Crucem in Corpore suo naturali, dicit Corpori suo mystico: Qui non portat Crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus: si ipse fuit pauper, & exspoliatus omnibus, nudus totus in Corpore suo naturali; dicit Corpori suo mystico: Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Si ipse malè fuit acceptus, contemptus, calumniis offensus, persecutionibus oppressus in Corpore suo naturali, dicit Corpori suo mystico: Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos. Si ipse pœnitentiam egit, vitámque duxit austeram in

Oportet omnes pœnas Corporis naturalis JEsu Christi transire per Corpus ipsius mysticum.

1. Petr. 2, v. 24.

Cor-

Corpore suo naturali, jejunando, plorando, deserta petendo, declarat membris Corporis sui mystici, dicitque ipsis: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Si ipse summam sustinuit humiliationem, ad nihilum quasi redactus in Corpore suo naturali, dicit Corpori suo mystico: Humiliamini sub potenti manu Dei: Amen, Amen dico vobis: Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli (id est, humiles, sicut parvi infantes) non intrabitis in regnum cœlorum.

Pulchra comparatio inter Corpus naturale JEsu Christi, & Corpus ipsius mysticum.

Considera attentè, institue comparationem inter Corpus naturale & Corpus mysticum Filii Dei: videbis unum totum obductum plagis à plantis úsque ad verticem, videbis alterum totum oneratum Cruce & afflictione, à primo úsque ad novissimum prædestinatorum: videbis affligi unum in omnibus suis partibus per diluvium dolorum, ad operandum redemptionem mundi; videbis cruciari alterum in omnibus membris suis per ingentem tribulationum Oceanum ad applicandum illis fructum Redemptionis. Ambo hæc Corpora, naturale & mysticum, nonnisi unicum habent Caput coronatum spinis, ambo sunt æqualia: non est illorum unum totum dilaniatū crudelitate afflictionum, & alterum totum dissolutum in voluptates & delicias. Sed ambo patiuntur, ambo, cruciantur ambo affliguntur ad promerendum regnum Dei; ambo obruuntur pœnis, austeritatibus & pœnitentiæ operibus ad satisfaciendum justitiæ Dei, pro peccatis hominum. Et semper JEsus Christus est, qui patitur in ambobus, qui meretur, qui satisfacit & operatur salutem nostram; nihilominùs nos quóque sumus, qui patimur, qui paremur, qui satisfacimus in ipso, & per virtutem ipsius, in Corpore suo mystico.

Et sic profitetur Ecclesia in ultimo suo universali Concilio fidem Catholicam, quantùm spectat ad satisfactiones, quas facimus Deo pro peccatis nostris, pro quibus JEsus Christus passus est pro nobis in Cruce: *Si quis dixerit, pro peccatis, quo ad pœnam temporalem, minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis; sed néque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus anathema sit.* Hæc sunt verba Concilii in Sessione decimâ quartâ, Canone decimo tertio, & in sequenti, qui est decimus quartus: *Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum JEsum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, Doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, átque ipsum beneficium mortis Christi, obscurantes, anathema sit.*

Trident. Sess. 14. Can. 13.

Est articulus fidei, quòd satisfaciamus pro peccatis nostris cum JEsu Christo & per JEsum Christum.

His

His ſtantibus, dicas adhuc, interrogavit noſtrum hominem Eccleſiaſticus, dicas adhuc, opus non eſſe quidquam agere nos ipſos vel pati pro ſalute noſtra, eòquòd JEſus Chriſtus ſatisfecerit, & ſatisfuerit paſſus pro illâ dicas adhuc cum hæreticis, quod ſit inferre injuriam Paſſioni JEſu Chriſti, affirmare, agendam eſſe pœnitentiam, eòquòd ipſe ſatisfecerit pro nobis? Nonnè, hoc idem eſſet, ac dicere, non ampliùs eſſe orandum, ne fortè injuria inferatur orationi JEſu Chriſti; non ampliùs adorandum eſſe Deum, ne forſan injuriâ afficiatur perfectâ adoratio JEſu Chriſti; non ampliùs exercendam humilitatem vel patientiam in occaſionibus aliquid tolerandi, ne fortaſſis injuriâ laceſſatur humilitas & patientia JEſu Chriſti. Vellésne ſequi ejusmodi Evangelium?

Non reſpondit ipſe, ſatisfactum eſt mihi Doctrinâ tuâ circa modum totum Catholicum & ſpiritualem, participandi è divinis ſatisfactionibus JEſu Chriſti. Sed reſidua ſunt mihi adhuc quædam dubia, quorum à te efflagito declarationem. Liceat mihi illa tibi proponere.

ARGUMENTUM.

Per quid dimetienda magnitudo noſtrarum ſatisfactionum: an ipſæ communicari poſſint aliis: ad quid ſint indulgentiæ & purgatorium.

Articulus V.

Valor boni operis deſumit menſuram ſuam non ex labore, ſed ex amore.

AUdivi ſæpiùs dici per modum parœmiæ. Si habeas plus laboris, quàm alius, in faciendo bonum, habes etiam plus meriti. Sed aſſentiri non poſſum, hoc ſemper eſſe verum: video namque eos, qui ignavi valdè ſunt, quique parum habent bonæ voluntatis, dimidiâ ex parte plus habere laboris, quàm habeant alii, in ſatisfaciendo ſuæ obligationi. Nonnè hoc eſſet dicere, quòd, cùm plus habeant laboris; plus quóque habeant meriti? Hac ratione plus traheret quis commodi ex eo, quòd eſſet ignavus, quàm quòd fervidus, plus lucraretut voluntatem habens languidam & infirmam, quàm habens ardentem & generoſam; & imperfectiſſimi mererentur plus perfectiſſimis.

Non accipis id benè, reſpondet Eccleſiaſticus: Non ſemper verum eſt, quòd ubicúnque plus eſt laboris, plus etiam ſit meriti. Siquidem non præcisè ex magnitudine laboris dimetienda eſt magni-

magnitudo meritorum vel satisfactionum, quæ inveniuntur in bonis operibus. Est magnitudo amoris, qui nostra dimetitur merita, nostras satisfactiones; hic enim valorem tribuit omnibus nostris operibus; est fervor bonæ voluntatis, hæc enim tantum habet roboris, quantum habet amoris Dei: ita ut longissimè absit, quod verum sit vitiosum hoc adagium: si habeas plus laboris, quàm alius, habebis etiam plus meriti; imò potiùs contrarium est verissimum. Si habueris minus laboris in faciendo bonum, habebis plus meriti, habes enim plus amoris Dei & voluntatem magis fervidam, quæ tibi tribuit hanc facilitatem operandi bonum. Et hæc prærogativa est perfectissimarum animarum, maximóque ardentium Dei amore, quòd multò minus habeant laboris in exercitiis virtutum, & incomparabiliter plus meriti, quàm alii.

In quo sensu verum sit: quò plus laboris, plus meriti.

Plerúmque quò majora, magisque laboriosa sunt opera, tantò etiam magis meritoria sunt, magisque satisfactoria, non ex causa majoris laboris, sed ex causa, quòd major requiratur amor ad aggrediendum illa, & exantlandum illum laborem: ex pondere enim amoris Dei omnia suam desumunt mensuram; omnis actio, in qua plus erit amoris Dei, plus habebit valoris, abs eo, quòd attendatur, an minus vel plus laboris habeat ex seipsâ. Ubi plus valoris est, ibi plus est meriti; & omne opus, quòd plus habet meriti, plus etiam satisfacit pro pœnâ peccatis nostris debitâ. Amor igitur est mensura nostrorum meritorum, nostrarúmque satisfactionum in omnibus iis, quæ agimus. Et ignorantia magnæ hujus veritatis decipit hæreticos, quando tam ardenter oppugnant merita humana, & satisfactiones humanas, nobisque exprobrant, quid salvare velimus nosmetipsos, & satisfacere pro peccatis nostris per satisfactiones humanas, & promereri paradisum per merita humana, quódque hoc injuriâ afficiat Passionem Redemptoris,

Magna est malitia, vel maxima saltem ignorantia, ita loqui: Nam, ut verum fatear, nec merita humana dantur, nec satisfactiones humanæ; quia quidquid purè humanum est in nostris operibus, nil meretur, nec quidquam satisfacit coram justitiâ Dei, respectu vitæ vel mortis æternæ: nonnisi divinum est, quod meretur, quódque satisfacit, & nihil divinum est in nostris operibus, quàm dignitas, quam recipiunt ex amore Dei, qui ipsorum est principium; & per illum omnia merita divina sunt, & satisfactiones divinæ. Sed mirum arcanum est in amore divino ad tribuendum valorem nostris bonis

operibus, ad quæ conficienda nos impellit: ipse nonnisi unus est in seipso, nihilominùs valdè diversus in suis est qualitatibus, & juxta hanc diversitatem tribuit etiam diversos characteres bonis nostris operibus, quæ ipsius sunt opera.

Patres vitæ spiritualis observârunt, quòd amor divinus tribus modis dominetur in animabus. Modò est amor affectivus, & modò est amor effectivus, & modò est amor patiens vel Crucifixus. Amor affectivus est totus in deliciis, in gustibus, in fervore, in solatiis, quæ magnam tribuunt facilitatem in operando bonum: Hic plerúmque est amor incipientium, quibus Deus præbet ubera & dulcedinem lactis, velut infantibus. Hic amor confert animabus magnam facilitatem in exercitiis virtutum, & omnia illa, quæ faciunt, procul dubio multum habent meriti, cùm multum habeant amoris, quantumvis parum vel ferè nihil laboris habeant.

Amor effectivus.

Amor effectivus non tantum habet suavitatis, nec tantis plenos deliciis sapores, sed plus habet roboris & fervorem magis generosum. Is totus est in labore & in difficilibus magnarum virtutum exercitiis: ipse est amor proficientium, quibus Deus incipit reddere paulisper acerbas, abundantes has divinorum suorum uberum consolationes, quósque experiri permittit difficultates virtutis magis quàm antea. Ex hoc quandóque persuasum sibi habent, quòd retrocedant, & plurimum jam deciderint à primo suo statu. Sed êcontrario ipsæ magis progrediuntur, cúmque non ampliùs infantes sint, quæ portari debeant brachiis, Deus permittit ipsas suis pauliſper incedere pedibus & sufferre laborem itineris; & quia paululùm fortiores evaserunt, portandam imponit ipsis portionem quamdam magis ponderosam Crucis suæ; sed suppeditat quóque ipsis plus virium, juxta proportionem majoris ipsis inpositæ molis. Omnia quæ faciunt in hoc statu, procul dubio, longé plus habent meriti, quàm habebant in alio, non solùm, quia plus laborant, sed quia multò plus diligunt & amant.

Amor patiens.

Tandem amor patiens vel Crucifixus spoliatus est omnibus: non habet is ampliùs nec dulcores, nec consolationes, sicut amor affectivus; nec vires sensibiles aut fervorem generosum, velut amor effectivus. Ipse totus est in fastidiis, in repugnantiis, in Crucibus, in impotentia præstandi aliquid boni. Videtur animæ in hoc statu, se perdidisse omnia, seque delapsam esse in profundam abyssum perditionis, eò-

eòquòd nil ampliùs habeat residuum nec devotionis, nec fervoris, nec bonorum exercitiorum, nec quidquam, nisi fastidia, videndo se tam miserabilem, postquàm fuerat tam beata, nec aliud, quàm voluntatem, quâ velit esse Dei. Sed videtur ipsi, hanc non esse voluntatem, nisi ignavam & inutilem, sibíque esse impossibile, ut ipsa sit Dei, eòquòd nil valeat præstare boni; & hoc est, quòd totam constituit Crucis ipsius molem. Et Deus, qui sibi complacet ita videre ipsam, non permittit, ut videat, quòd nunquam fuerit in meliore statu, quódque nunquam amaverit amore magis puro, magisque forti, eòquòd amor hic patiens sit & Crucifixus, qui est amor animarum perfectarum.

Excellentia & puritas amoris patientis.

Eheu! nisi ipsa ardenter amaret Deum, non ita torqueretur, sicut torquetur, ex eo, quòd credat, se ipsum amare non posse. Si non desideraret ex animo placere ipsi, non tam sævo afficeretur dolore, sicut afficitur, dum conspicit, se facere nil posse, quòd ipsi placeat. Si Deus non esset unicus ipsius amor, solum ipsius desiderium, solúmque ipsius solatium, ipsa tota, sicuti est, non foret desolata. Sed impossibile est, recipere aliundè aliquid solatii, cùm cætera omnia non habeat cordi, cùm non amet nisi Deum, cùm nil velit, nisi illum, cùm nil desideret, nisi ipsum solum; verùm de hoc nil novit ipsa, quod etiam est causa, cur maneat destituta solatio. Nihil est purius, nihil divinius, nihil admirabilius hoc amoris genere, quòd tàm amarum videtur animæ, eòquòd ipsius non agnoscat pulchritudinem. Nullum habet ipsa solatium faciendo aliquod bonum, sed merum fastidium non faciendo, & non tolerando nisi malum videtur ipsi: Et in hoc amat ipsa amore prorsùs pœnoso & in Crucem suffixo. Sed hoc totum, quòd patitur in hoc statu, est valoris & meriti inæstimabilis coram Deo, eòquòd ex una parte molestissimos exantlet labores, & ex altera amet amore, qui sibi non habet æqualem.

Quæ bona spiritualia communicare nobis invicem possimus.

Videbatur benè, quòd noster homo hæc audiens, non esset satis spiritualis, ad capiendum illa: siquidem citra id, quòd penitiùs consideraret ingentem thesaurum meritorum & satisfactionum, quibus locupletare se possunt animæ, quæ amant tam pœnoso amore; ecce tibi quæstionem, quam proposuit pro nostro Ecclesiastico. Aveo scire, mi Domine, an possimus mereri vel satisfacere tum pro aliis, tum pro nobis. Vidi non paucos, qui jejunabant, dabant eleemosynas, agebant pœnitentiam pro aliis, persuasi insuper animo, se

per talia liberare posse animas è purgatorio ; nec defuerunt alii qui lucrabanturindulgentias,tum pro se, tum pro amicis suis. Quid hoc sibi vult innuere? An sic succurrere possumus utrique tam ex corporalibus, quàm spiritualibus nostris bonis?

Quis dubitat, respondit Ecclesiasticus, quia omnis generis bonum est communicabile ; & si incumbit divitibus,qui abundant bonis temporalibus, facere eleemosynas indigentibus; cur verum non sit, quòd, qui abundant bonis spiritualibus, possint ac debeant horum participes reddere eos, qui illorum laborant penuriâ? Nihilominùs distinguendum est inter merita & satisfactiones. Merita respiciunt acquisitionem beatitudinis; satisfactiones respiciunt liberationem à pœnis, quæ nostris, debentur peccatis. Nunquam accumulare possumus merita nimia ad acquirendam beatitudinem. Ecce quare Deus noluerit, ut mereri possimus pro aliis, quod pro nobis ipsis. Nemo unquam fuit, nisi JEsus Christus, qui largiri potuit omnia hæc merita hominibus, eòquòd is non indiguerit illis pro seipso. Sed nos tamen accumulare possumus plures satisfactiones, quàm indigeamus ad solvandas pœnas peccatis nostris debitas. Ecce quare Deus voluerit, ut satisfactiones nostras communicare possemus aliis, vel nos illis voluntariè privare ex charitate, illásque donare aliis, quando etiam nobis forent necessariæ.

Ecce, quare pœnitentiam agamus pro aliis, id est, jejunemus, nos maceremus, exolvamus in corpore nostro pœnas debitas illorum peccatis. Ecce quare lucremur indulgentias, non solùm pro nobis ipsis, sed etiam pro aliis, sivè vivis, sivè defunctis animabus in purgatorio. Reperire est, qui ex devotione & charitate cedant animabus purgatorii, quidquid satisfactorium in suis habere possunt operibus. Vide sextum ex *exercitiis Christiani Interioris*, quod docet modum, & illius demonstrat utilitatem.

Quid sint indulgentiæ & purgatorium.

Sed tandem, quid sunt indulgentiæ, quas lucramur pro nobis ipsis & pro aliis? Est articulus fidei, quòd potestas indulgentiarum relicta sit à Christo JEsu Ecclesiæ suæ, quódque illarum, usus utilis sit populo Christiano. Hæc propria sunt verba professionis fidei nostræ. Habemus thesaurum infinitum meritorum & satisfactionum JEsu Christi; quilibet haurit è thesauro meritorum Redemptoris, illáque sibi appropriat per media, quæ exposuimus in præcedenti consultatione, & omnia ipsius merita ita manent ipsi soli, ut communicare illa non possit aliis.

Sed

Sed eodem tempore haurimus è thesauro divinarum satisfactionum ejus, eâ ratione, quam modò explanavimus loquentes de Corpore mystico JEsu Christi; & esse poterit, quòd plures sanctæ animæ ex illo acquisiverint sibi plus, quàm indigeant ad satisfaciendum cunctis pœnis, quæ suis debentur peccatis. Quod superabundat, manet in thesauro spiritali Ecclesiæ, qui propterea compositus esse dicitur ex satisfactionibus JEsu Christi & Sanctorum; & exindè hauriuntur indulgentiæ, quæ aliud non sunt, quàm solutio omnium pœnarum, quas debemus justitiæ Dei pro peccatis nostris, Papa, qui velut caput visibile totius Ecclesiæ, est dispensator omnium ipsius thesaurorum spiritualium, concedit nobis indulgentias vel plenarias, vel limitatas, prout expediens judicaverit secundùm Deum. Sufficit de hoc argumento.

CONSULTATIO XXV.

De Jure, quod JEsus Christus aquisivit super nos, déque Diversis Titulis, quos gerit respectu nostri.

Toti sumus JEsu Christi ob magnas tres obligationes,

GRandis erat fiducia, juxta opinionem S. Bernardi, quando S. Petrus Apostolorum Princeps, loquens nomine aliorum omnium, dicebat JEsu Christo: Ecce reliquimus omnia, quid ergò erit nobis; omnia reliquimus, ut sequeremur te, quid ergò dabis nobis proemii? Itáne? loquimini de proemio, quasi divinus Magister vester obligatus foret vobis, quando nec minimam exhibuistis obligationis vestræ partem, quâ ipsi obstricti estis? An ignoratis, quòd jura, quæ habet in vos, tam magna sint & ampla, ut nullo arctentur fine? Considerate illorum solummodò tria, & cetera relinquite omnia.

Inprimis est Creator noster.

Inprimis est Creator vester, ipse est, qui eduxit vos è profundâ abyssò nihili, undè exiissetis nunquam absque ipso: Eratis nihil, & nihil merebamini, & ex sola sua bonitate vos fecit, quod estis, & quidquid habetis, dedit vobis; consequenter debetis ipsi omnia, & ipse nil debet vobis. Probè novi, totam adorandam Trinitatem esse, Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, quæ dederit esse vobis per Omnipotentiam sibi communem; nihilominùs verum est, quòd JEsus Christus, qui secunda Persona est, contribuerit illuc, secundum nostrum intelligendi

dum, modo magis particulari, quàm aliæ Personæ, ob duas rationes. Prima est, quòd ipse sit Verbum, & Sacra Scriptura nobis dicit, quòd Deus fecerit omnia per Verbum suum: *Omnia per ipsum facta sunt.* Secunda est, quòd ipse sit imago in divinitate, & quando Deus voluit creare hominem dixit: Faciamus hominem ad imaginem nostram.

Joan. 1.

Cùm ergò sit Creator vester, omnia recepistis ab eo, & quia omnia ab eo recepistis, debetis ipsi omnia. Si domus diceret Architecto: Ego tibi servio, quâ ratione solves me? Nonnè responderet ipsi? Nullâ tibi obligatione teneor, quòd servias mihi, ideò namque te feci, tu mea es, tu meum es opus, tu mihi debes omnia, & ego tibi debeo nihil. Jam nos infinitâ ratione magis debemus Creatori nostro, quàm domus architecto; siquidem hæc non accepit ab ipso nisi formam suam, quæ nonnisi medietas est sui esse, & non materia, quæ est medietas altera; & nos accepimus totum nostrum esse materiam & formam, Corpus & animam à Creatore nostro.

Et dein Architectus non est semper intentus domui suæ, ut cogitet de illâ, ut sustineat & conservet ipsam, ut portet ipsam in suis manibus; & Creator noster semper in nos suos figit oculos, ut aspiciat nos semper, cor suum apponit erga nos, ut amet nos; semper manus suas porrigit nobis, ut conservet nobis esse, quod dedit nobis, & concurrat nobiscum ad omnia opera nostra. Nonnè ergò jus habeat verius dicendi nobis, quàm architectus domui suæ: Nihil tibi debeo ex eo, quòd mea sis, sed tu mihi debes ex eo, quòd fecerim te pro me: sic quidquid facere poteris, nil tibi debeo proemii; tu námque es opus meum, & ego te feci, ut servias mihi. Ecce primum jus, quòd JEsus Christus habet in nos; hoc tam strictum, támque essentiale est, ut amittere id non possit, nisi reducendo nos in nihilum.

Quantùm dependamus à nostro Creatore.

Sed secundum, quod habet, est ipsi speciale, solam ipsius concernens Personam, quódque longè pluris stetit ipsi. Ipse est Redemptor vester, id est, ipse redemit vos à servitute dæmonum, quibus peccatum vos vendiderat, sub quorum tyrannide fuissetis in æternum miseri, nisi ex ea vos liberâsset. Si ad redimendum vos dedisset omnes thesauros mundi, si dedisset cœlum & astra, mare ac terram, & elementa omnia, imò totum hunc mundum materialem, crederetis hoc magnum quid esse; sed revera hoc omne non est nisi palea, respectu ejus, quod dedit & solvit ad nos redimendum: siquidem sanguinem dedit & vitam Dei immortalis, quod

Secundò est Redemptor noster.

quod est pretium infinitum. Judica, an meritò ipsius sis, isque legitimum & arctum habeat jus te possidendi, & an unquam fuerit mancipium in mundo, quod tam absolutè ad suum spectaverit Dominum. Et si mancipium postulare præsumeret retributionem à Domino pro servitiis illi præstitis, quid diceret ipsi?

Non possumus tantùm solvere pro JEsu Christo, quantùm ipse solvit pro nobis.

Et quando etiam verum non esset, quòd ipsius sis; tum quia creavit te ex nihilo, tum quia redemit te tam carò, an petere auderes ab eo: Domine, reliquimus omnia, ut sequeremur te, quid dabis nobis proemii? Ah! quid reliquisti pro me, responderet tibi, respectu ejus, quod dedi & solvi pro te, quando me exspoliavi cunctis splendoribus majestatis meæ, descendens è cœlo in terram, ut quærerem te méque darem tibi? sed, Domine, abstraxi me ab omni alio occupationum, cogitationum & affectuum genere, ut me unicè tuo consecrarem servitio: scilicet, si verum est; pauci enim sunt, qui non nisi huic soli & continuæ occupationi intendant. Sed quando etiam verum esset, quid foret respectu ejus, quod feci pro te, cùm nec unicam solam habuerim cogitationem in meo animo, nec unicum pronuntiaverim Verbum, nec unicum fecerim in terra gressum, nec unicum molitus fuerim opus, quòd non impenderim ad operandum salutem tuam? Verùm, Domine, laboravi, passus fui, sustinui ex amore tui. Compara labores tuos cum meis, & dolores tuos cum eis, quos toleravi, & illos allegare pudebit te; nec interrogabis ampliùs, quid proemii retribuam tibi. An ego tibi sim debitor? Nonnè plus æquo solutus es? Ecce secundum jus, quod JEsus Christus acquisivit in nos.

Tertiò est ultimus, noster finis

Insuper tertium adhuc habet jus, arctius cæteris omnibus, & est, quòd sit noster finis ultimus, beatitudo nostra, & summum bonum nostrum, pro quo creati sumus. Quid debeat is nobis, si reliquerimus omnia pro ipso? cætera omnia nobis sunt inutilia Quâ obligatione tenebitur nobis, si omnia fecerimus pro ipso? amittimus omnia, quæ facimus pro quovis alio fine: Non est ipsius cõmodum, est nostrum. Non devincimus ipsum nobis, quando nos unicè devovemus ipsi ad breve vitæ præsentis momentum, ut perpetuò possideamus ipsum in cœlo; ipse potiùs nos summè devincit, dum insignem hanc nobis exhibet misericordiam. Aspicienda sunt nobis parvula nostra servitia, velut proemia maxima, cùm hæc sint semina æternitatis beatæ, quæ seminare nunquàm possemus, nisi maximo hoc nos insigniret honore, admittendo nos in numerũ servorũ suorum.

Ve-

Assequi non possumus nostrum finem ultimum, nisi per JEsum Christum.

Verum quidem est, omnes tres, divinas Personas, objectum esse nostræ beatitudinis; sed nonnisi per JEsum Christum sperare possumus, fruituros nos in æternum ipsarum visione beatâ. Nemo venire potest ad Patrem, nisi per illum, quia aliud non est nomen sub cœlo datum hominibus, in quo sperare possimus salutem, nisi unicus hic Salvator mundi, Redemptor animarum. Hæc sunt jura cunctipotentia & irrefragabilia, quæ JEsus Christus habet in nos & in omnes homines; impossibile est, vel unico ex his obniti, illúdque exponere disceptationi. Jam unicum sufficeret, ad obstringendum indispensabiliter nos omnes, ut unicè serviamus ipsi. Sed quando omnia tria concurrunt simul, ô Deus, quis comprehendere possit obligationum nos devoventium JEsu Christo robur, magnitudinem, amplitudinem? Quis diffitebitur, illas transcendere captum nostrum, seque extendere in infinitum?

Nullum nobis est jus petendi à Deo retributionem.

O si anima seriò, maturè & profundè perpenderet tam solidas hasce veritates, tamque essentiales ac fundamentales Religionis suæ Christianæ, illique Deus vel tenuem communicaret illarum cognitionem; quid fieret cum ipsa? an judicaret, se unquam satisfacere posse obligationum suarum minimæ? an mereri præsumeret magna proemia, quando reddidisset JEsu Christo omnia obsequia, quæ reddiderunt ipsi omnes sancti Ecclesiæ Confessores ab Incarnatione Domini; & quando sustinuisset ipsa sola, quidquid sustinuerunt omnes sancti Martyres per universa sæcula? O quam benè intelligeret ipsa veritatem effati illius Evangelici à Redemptore suo prolati, quamque sincerè diceret ex intimo cordis sui! *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Luc. 17. v. 10. Sed eheu! nondum satisfeciſſemus millesimæ parti debitorum nostrorum: longè igitur ab sumus ab eo, ut mereamur aliquam retributionem.

Deus tanta est bonitas, ut recompenset minima nostra servitia.

Et nihilominùs, ô bonitas infinita JEsu Christi! tanti æstimat minima nostra servitia, ut non minores, quàm æternas promittat ipsis retributiones. Est fidelis in promissis suis, aliàs Deus non esset; est Omnipotens ad dandum nobis, quod promisit, aliàs fidelis non esset; habet ad hoc præstandum voluntatem sinceram & veram, aliàs id non promitteret. Tam certi igitur sumus, nos recepturos proemia æterna pro parvis servitiis, quæ præstiterimus ipsi per aliqua vitæ præsentis momenta, ac si jam teneremus illa. Ipse tam benevolum se exhibet iis, qui privaverint se re aliquâ amore sui, & adhuc magis illis, qui

qui reliquerint omnia ad complectendam ipsius sequelam, ut promittat illis centuplum etiam in vita præsenti; id est, quòd qui reliquerit omnia pro ipso solo, ipse solus sit ipsis futurus omnia: sed hoc erit centuplum, id est, modo tam lucroso ac utili, ut centies superaturum sit omnia, quæcunque reliquerint.

Non sufficit dixisse hæc in communi: sed oportet speciatim horum facere demonstrationem luculentam ac palpabilem. Nihil mihi tam congruum videtur ad attrahendum omnes animas ad JEsum Christum; nihil mihi ita videtur efficax ad inserendum amorem ipsius cordi; nihil esse potest fortius ad obstringendum illas inseparabiliter ipsius servitio, veluti catenis aureis, quæ tam pretiosæ tamque amabiles sunt, ut illas disrupturæ nunquam sint in æternum.

ARGUMENTUM.

JEsus Christus est Pater noster & frater noster. Maximus honor, quem recipimus è divina ipsius cognatione.

Articulus I.

Parum est, reliquisse cognationem suam, ad sequendum JEsum Christum.

QUid reliquisti, ut sequereris JEsum Christum? reliqui Patrem, Matrem, fatres, sorores, omnem meam cognationem, quæ copiosa erat, & è quâ sperare poteram magna lucra, multa solatia. Non indago, qualem reliqueris Patrem, an fuerit admodùm nobilis, vel abjectæ conditionis; an ardenti vel languido prosecutus te fuerit amore; an reliquisset te pauperem, vel pinguem tibi servâsset hæreditatem. Nullâ refert, suppono ipsum fuisse nobilissimum omnium Patrum, fuisse Principem, Monarcham; suppono ipsum fuisse ditissimum omnium in mundo, optimum, amabilissimum, perfectissimum genitorum omnium, qui fuerunt unquam in terris; vel suppono, ipsum habuisse conditiones omninò contrarias. Haud interest; sufficit, te reliquisse ipsum, ut sequereris JEsum Christum; sufficit, voluisse te amore ipsius solius te privare Patre & Matre, & totâ cognatione tua. Æquum est, ut ipse solus sit tibi hæc omnia, útque ipse tibi det centuplum, id est, tibi reddat centies plura, quàm reliqueris pro ipso: is namque hoc promisit, & fidelis est in promissis suis.

O quàm longè alio locupletaris ex hoc cognationis genere, incomparabiliter nobilioris, amplioris, ditioris, potentioris amabilioris, quod illicò oblivisci te

faciet populum tuum & domum Patris tui, quódque accumulabit te honore, gaudio, felicitate, si tuam æstimare nôris beatitudinem. Athanais, tu non eras nisi filia simplicis Philosophi, persecutione oppressa à fratribus tuis, exspoliata abs illis hæreditate tuâ, quando accedebas prostratum te ad pedes Imperatoris Theodosii, postulatura ab eo justitiam. Quàm auspicatus hic tibi casus, dum è statu tam misero sublata es ad solium imperii jura dantis universo mundo! Cor tuum, quod capere non poterat omnem hanc felicitatis tuæ abundantiam, an meminerat adhuc domûs Patris tui, vel disceptationis cum fratribus tuis!

Felicitas magna Athanaidis.

Sed ecce hic longè aliam felicitatis sortem, gloriam longè splendidiorem pro te, qui reliquisti Patrem & Matrem, & totam cognationem tuam, ut sequerere Christum JEsum. Habebis pro Patre, Deum Patrem Omnipotentem, summum entium omnium Monarcham, eris verè ipsius filius: habebis pro fratre tuo Primogenitum Filium unicum Patris æterni, cujus eris filius cum ipso, & nuncupabit is te fratrem suum. Omnes sancti, qui regnant in cœlo, quique æternitatis sunt reges, verè sunt fratres tui; & omnes Sanctæ, quæ regnant cum ipsis velut Imperatrices in regno Dei, verè & propriæ sunt sorores tuæ; & ex his omnibus tua componitur cognatio; dico, vera cognatio, quæ magis conjuncta est tibi, quàm fratres tui, quàm sorores tuæ secundùm naturam; siquidem tota conjunctio, quam ipsi habent tecum, non fundatur nisi in sanguine naturali, qui non est quid magni; sed nobilis hæc & magna cognatio, quam acquiris, fundatur in sanguine adorando Filii Dei, qui infinitâ ratione nobilior est, quique absque comparatione fortiorem constituit conjunctionem. Et pro culmine felicitatis tuæ & honoris tui, omnes beati Angeli sunt affines & intimi amici tui, eòquòd conjuncti sint tibi eâdem charitate sanctâ, quâ æternaliter conjunguntur Deo & omnibus Sanctis. Et ecce tibi statum, in quo versaris.

Quàm glorioſam cognationem acquiramus, quandò ſumus JEſu Chriſti.

Impossibile foret, videre animam unico intuitu omnes has excellentias, quin tota maneret attonita, tota hebes & stupida, tota offusa & oppressa à splendoribus hujus Majestatis. Itáne, Pater æternus, Pater meus? Itáne, Filius ipsius Unigenitus, frater meus? Itáne, omnes Sancti, tot millionum milliones Sanctorum, omnes fratres mei? Et totidem millionum milliones Sanctarum; Ecce omnes sorores meæ, refulgentes gloriâ? Et innumeræ Legiones beatorum Angelorum? Ecce hi omnes affines

Conſideratio circa gloriosam cognationem Chriſtiani.

fines & amici mei. Et tota hæc ingens felicitas mihi oritur ex eo, quòd fruar honore, ut sim JEsu Christi. Obmutescimus, & animus absorbetur vastâ hâc excellentiarum amplitudine, quam capere non potest. O si magnas has & admirabiles veritates vel leviter tantùm caperemus, si crederemus illas firmiter, si verè persuasas haberemus illas animo, quid evaderet anima Christiana, quídve esset ipsa?

Sed perpaucos videre est Christianos, qui cordi habeant nobilitatem divinæ suæ nativitatis ad vitam Christianam, quíque æstiment veram hanc gloriam, quam æstimare deberent, aspiciendo se honoratos cognatione tam nobili, tàm amplâ, támque splendida, tantam evibrante Majestatem, quorum si aliqui inveniendi forent, circumferentes æstimationem hanc verè insculptam animo, nescio ubi quærere deberem illos. Eheu! de hoc ne quidem ulla admittitur in mente cogitatio; innumeri sunt, qui nunquam id ponderârunt, quíque totâ vitâ suâ nec minimam fecerunt desuper reflexionem; si fortuitus quandóque hâc super re incidat sermo, audies plerúmque omnes mundi assecias, veluti totidem cœcos mussitare & oscitanter dicere: Spiritualia hæc sunt, mystica sunt; juxta opinionem suam dicere volentes, nihil ea esse, nisi puram imaginationem.

O igorantia! ô deploranda stupiditas! Omnia, quæ sunt mundi, cuncta corporalia, sensibilia, materialia, naturalia, non sunt nisi puræ imaginationes respectu magnarum harum veritatum; cognatio vestra naturalis non est nisi chimæra, in comparationem adducta cum hac spirituali: illa namque, quam cernis oculis tuis corporeis, cuíque tantam firmitatem affingis, evanescit in morem umbræ, & non perdurat nisi per pauca vitæ præsentis momenta, & altera æterna est, duratura tam diu, quàm diu Deus. Non est verum longo tempore, te habere hic in terris patrem, matrem, fratres, sorores, cognationem; & cujuscúnque nobilitaris aut splendoris habere illam possis; paucos intra annos reducuntur hæc omnia in nihilum. Sed verum est in æternum, quòd Deus sit Pater tuus, quòd JEsus Christus natu major sit frater tuus, quòd omnes Sancti, omnésque Sanctæ sint fratres tui & sorores tuæ, quódque simul permansuri sitis in fortunatissimâ hâc familiâ in omnem æternitatem, nunquam amplius ab invicem separandi. Non est igitur cognatio hæc imaginatio; sed illa vitæ præsentis nonnisi imaginatio est,

Stupiditas Christiani æstimare nescientis felicitatem suam.

& velut somnium noctis, quod præterit.

Quomodò verum sit, JEsum Christum esse verum Patrem nostrum.

Tolerandum adhuc foret in infideli vel Atheo, si non cognosceret alium Patrem, quàm illum, à quo accepit corpus hoc carneum, quod circumfert, quódque parum absimile est corpori bestiarum; nec alios cognatos aut propinquos, nisi illos, quos oculis suis intuetur corporeis. Sed in te, qui Christianus es, quâ ratione hoc sit tolerandum? An ignoras, quòd, postquàm natus es è sinu matris tuæ naturalis, velut abortus naturæ per peccatum depravatæ, circumferens mortem in anima tua per peccatum originale, secundâ vice sis natus per sanctum Baptismum? quam vitam recepisti per secundam hanc Nativitatem? Nonnè hæc est vita divina? Nonnè natus es verus filius Dei, & natus ex Deo, sicut loquitur Sacra Scriptura:

Joan. 1. *Sed ex Deo nati sunt.* Et ille, qui dedit tibi veram hanc vitam, & nativitatem hanc tam nobilem, nonnè verè est pater tuus! Estné hæc imaginatio? Nonnè reipsâ accipit vitam divinam, quæ tibi datur per gratiam sanctificantem & per quam evadis filius Dei, tibíque acquiris tam legitimum jus ad possessionem bonorum Patris tui cœlestis, ut si moriaris in instanti post Baptismum, nemo dubitet, quin adeas quantocyùs possessionem regni cœlorum? Verissimum igitur est, quòd sis natus filius Dei, quódque Deus verus sit Pater tuus. Dicendum igitur non est, paternitatem hanc, & filiationem hanc spiritualem esse & mysticam, intelligendo, juxta mentem ignorantis vulgi, eam esse nonnisi puram imaginationem; infinitâ enim ratione magis verum est, Deum esse Patrem tuum, téque esse filium Dei, quàm verum sit, Patrem tuum naturalem esse Patrem tuum, téque esse filium ipsius: Siquidem in instanti, quo moreris, non est ampliùs Pater tuus, & tu ampliùs non es ipsius filius; sed in æternum Deus est Pater tuus, & tu verus es ipsius filius, possidens bona ipsius in æternum.

Nos non nascimur ex substantiâ Dei.

Verum quidem est, te natum non esse filium Dei, ex propriâ subsubstantiâ Dei, sicut Filius ipsius Unigenitus, qui est in sinu ejus, quémque producit ab æterno, communicando ipsi totam substantiam suam divinam; sed néque es Filius Dei per simplicem quamdam denominationem externam. Vide te, exclamat dilectus Domini nostri discipulus, totus abreptus gaudio & admiratione ex aspectu nimiæ bonitatis Dei erga nos:

1. Joan. 3. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & simus.* Ne credatis, nos non esse filios ipsius adoptivos, nisi per sim-

simplicem denominationem extrinsecam, eâ ratione, quâ aliquis homo adoptat quemquam in suum filium, quod non consistit, nisi in quibusdam verbis, quæ profert, vel in quibusdam lineis, quas scribit, quæ nihil addunt personæ, quam adoptat, unde vel melior fiat, vel deterior.

Quàm glorioſum ſit nobis eſſe filios Dei per ipſius gratiam.

Sed quando Deus nos suos nasci facit filios, id facit, effundendô è sinu suo quasi usque in essentiam animæ nostræ gratiam sanctificantem, quæ est ens quoddam positivum, & qualitas tam divina, ut in instanti totum mutet statum & conditionem animæ nostræ. Ipsa hanc elevat in dignitate super universam naturam, illa transformat ipsam, & ratione quâdam reddit divinam, transportando eam à vilitate suâ naturali usque in sinum Dei. Ipsa, unico verbo, hanc facit tam similem Deo, ut, qui videret ipsam in mirificâ hâc pulchritudine, quam recipit à gratiâ se sanctificante, seque faciente filium Dei, haberetur ab eo pro ipso Deo. Declaratio sancti Thomæ, ut aliquam nobis ostendat magnæ hujus veritatis idæam, est admirabilis. Vides, dicit, ferrum accensum in fornace, & caperes id pro igne ipso, quique non vidisset ferrum & ignem separata ab invicem, non crederet unquam, ipsa duas esse res, tam sunt inter se unita. Sic, cùm anima tota sit reddita divina per gtatiam sanctificantem, diceretur, illam esse ipsum Deum; & hâc ratione nos suos nasci facit filios. Non igitur hoc fit per simplicem adoptionemexternam & sterilem, quæ nil collocat in persona, quæ adoptatur.

Est hoc nimis parum adhuc ad demonstrandum nobis magnitudinem felicitatis nostræ, nobisque persuadendum, quòd verum sit, nos nasci filios Dei. Audi Sacram Scripturam loquentem de hoc verbis inusitatis, quæ nonnisi Spiritus Sanctus potuit invenire: *Semen Dei in eo manet.* Dicit, quòd semen Dei maneat in filiis Dei. Semen frumenti producit frumentũ, semen arborum producit arbores, semen hominis producit hominem; & quid ergò producere potest semen Dei, nisi Deum? 1. Joan. 3. v 9. Christianus est filius Dei, productus è semine Dei.

Non advertis differentiam tam manifestam inter filios Dei & reliqua entia, in hoc, quod concernit ipsorum nativitatem? Quando Deus producit omnes alias creaturas, nihil sui ipsius collocat in ipsas; nonnisi loquitur, & omnia sunt facta: *Ipse dixit, & facta sunt.* Verùm ut nasci faciat filios suos, divinum suum immittit ipsis semen, quod est gratia sanctificans. Verum est, hanc gratiam non esse propriam ipsius substantiam divinam; & tamen aliquid ex ipso; aliàs sanc- Psal. 14.

tus Petrus non diceret, quòd per illam *efficiamur divinæ consortes naturæ.* Videtur ipsa esse aliquid plus, quàm simplex creatura: unde enim venit hæc gratia sanctificans! éstne extracta è nihilo, sicut cætera entia creata? Non; trahit ipsa originem suam à divinitate & sanctâ Humanitate JEsu Christi simul unitis, & conferentibus utrisque suum ad producendum magnum hoc opus ambarum; siquidem nec divinitas sola, nec humanitas sola efficere id posset; sed est fructus ambarum naturarum simul unitarum, Divinæ & Humanæ, componentium Deum-Hominem & Hominem-Deum; & hunc Hominem-Deum totum contritum tormentis, totum perforatum plagis, & denique maximâ compressum & oppressum violentiâ sub torculari Crucis. Ecce pretiosum liquorem, quem nobis exprimit ex toto seipso, gratiam sanctificantem, quæ est velut quinta essentia Divinitatis annihilatæ in humanitate, & humanitatis absorptæ in Divinitate. Ecce quid sanctus Joannes nuncupet semen Dei; & hoc est, quod producit & nasci facit omnes filios Dei.

2. Pet. 1. v. 4.

Vides, quòd in vanum non sit, esse te filium Dei? Vides, Patrem tuum divinum, non genuisse te absque dolore, sed mortuum esse ex doloribus partûs sui? Vides, eodem tempore, quo es filius Dei, esse te etiam filium Crucis, & amare debere filium Patrem suum, & Matrem suam? Vides, perdere debuisse Deum-Hominem vitam suam humanam, ut daret tibi vitam suam divinam? Vides, ad extollendum te ad hoc culmen gloriæ, ut verè esses filius Dei & æternus hæres regnorum ejus, ipsum se demisisse usque ad profundam tui nihili abyssum? Si capere non potes sublimitatem dignitatis tuæ, dum dicitur tibi, esse te verè filium Dei: aspice profundam veri Filii Dei annihilationem, in quam demisit se ex amore tui, & considera, quid talis humiliationis excessus in Majestate infinitâ potuerit producere.

JEsus Christus genuit nos in Cruce cum dolore.

Audi discursum egregium, quem hâc super re fecit Doctorum sublimissimus tractatu secundo in Joannem. *Noli ergò mirari, ô homo, quia efficeris filius per gratiam, quia nascens ex Deo secundùm Verbum ejus. Prius ipsum Verbum voluit nasci ex homine, ut tu secundus nascereris ex Deo, & diceres tibi: Non sinè causâ Deus nasci ex homine voluit, nisi quia alicujus momenti me existimavit, ut immortalem me faceret, & pro me mortaliter nasceretur. Ideò cùm dixisset: ex Deo nati sunt; quasi ne mirarentur, & exhorreremus tantam gratiam, & nobis incredibile videretur, quia homines ex Deo*

S. Augustinus tract. 2. in Joan.

Ut persuadeat nobis, quòd homo sit verè filius Dei, Filius Dei verè factus est filius hominis,

Deo nati sunt: quasi securum te faciens ait: Et VERBUM Caro factum est, & habitavit in nobis. Quid ergò miraris, quia homines ex Deo nascuntur? Attende ipsum Deum natum ex hominibus. Videmus quòd in Evangelio JEsus Christus ubíque nominari velit filius hominis, quódque singulari curâ nos instruat, ut intueamur nos velut filios Dei, in eximiâ illâ oratione, quam ipsemet nos edocuit. Quandò oratis, dicite: *Pater noster, qui es in cœlis;* Et alibi majorem adhuc nobis addit animum, & nos Deos appellat, scilicet per participationem, & filios magni Dei, citatque expressè illa psalmi octogesimi primi verba: *Nonnè scriptum est in lege vestrâ: Ego dixi, Dii estis.*

Joan. 10.

Ecce igitur originem felicitatis tuæ: Tu vere es filius Dei, & Deus est Pater tuus cœlestis, quandò adoptatus es per gratiam sanctificantem, dubitare de eo non potes. Habes ergò cognationem realem & proximam cum tribus Personis adorandæ Trinitatis, JEsus Christus ergò, qui est Pater tuus secundum Divinitatem suam, est etiam frater tuus secundùm Humanitatem suam. Sanctus Paulus vocat ipsum fratrem tuum natu majorem: *Primogenitus in multis fratribus*; non solummodò, quia ipse est homo, sicut tu, & primus ac præcipuus hominum, ex cujus amore facere Deus voluit cæteros; sed etiam, quia ipse adoptatus est filius Dei, sicut tu, quamvis ratione infinito modo nobiliori, quàm tu. Vide, quid dictum sit supra in Consultatione Decimâ octavâ, articulo primo; & ipsemet nos hoc insignit honore, ut incessanter nos nuncupet fratres suos in Evangelio. Et quia omnes ii, qui filii sunt ejusdem Patris, verè sunt fratres, sequitur ex hoc, omnes Sanctos esse fratres tuos, omnésque Sanctas esse sorores tuas, eòquòd cuncti & cunctæ nascantur ex Deo per gratiam sanctificantem sicuti tu.

JEsus Christus tàm verè est noster frater, quàm verè est noster Pater.

Rom. 8.

O Deus! quàm admiranda cognatio! quàm est nobilis! quàm est ampla! & quantâ te insignit gloriâ, quæ omnem mundi transcendit gloriam! Quid sentit, quando hoc perpendit, cor tuum? Videmus, nil ita animare cor alicujus filii, quàm quando prodiisse se videt ex illustrissima prosapia, quando coronatos recenset vertices inter majores suos, quando circumseptum se videt cognatione numerosissimâ, quæ non nisi constet è Principibus & Magnatibus; nil ruminatur ipse mente suâ, nisi consilia magna, nil sperat, ad nil aspirat, nisi ad grandia, nisi ad ardua; mori mallet, quàm se demittere ad moliendum quid vile, ad amplectendum, quod

Ignavia Christiani degenerantis à nobilitate cognationis suæ.

quod plebem amplecti videt abjectam. Ah! Christiane, ubi est cor tuum? Non consideras prosapiam tuam infinitâ ratione illustriorem esse prosapiâ ipsius, cognationem tuam nobiliorem, & modis omnibus absque comparatione ampliorem? siquidem quærat ipse majores suos, inveniet ipsos in pulvere, aspiciet aliquod fragmentum marmoris, quo tegantur ossa ipsorum, statuam aliquam plorantem, lacrymas quasdam siccas & duras tumulis ipsorum insculptas, omnia hic funesta sunt, despecta & abjecta. Verùm intuere gloriam propinquorum tuorum, qui exponuntur in aris, pretiosas Sanctorum & Sanctarum reliquias, quæ conservantur in Lipsano thecis argenteis & aureis, pretiosisque lapidibus exornatis; adolentur ipsis thura, ipsorúmque incessanter in Panegyricis renovatur memoria. Ecce fratres tuos & sorores tuas; & animam habeas tam ignavam & vecordem, cùm tali prognatus sis familiâ, ut non aspires, sicut ipsi & ipsæ, ad coronas perpetuas? Et non te pudeat vitam ducere carnalem ac animalem, quæ accenseat te gregibus bestiarum?

Sed perpende tecum & agnosce, cui debeas filiationem tuam divinam & cognationem tuam adeò illustrem. Nonne JEsu Christo soli? Nonnisi, qui ipsius sunt, fruuntur magnâ hâc felicitate. Omnes infideles nullam hìc habent, nec obtinent partem: ô quàm sunt miseri, quòd ignorent JEsum Christum, quòd non sequantur ipsum, quòd non unicè ipsius se devoveant servitio! si cognoscerent inæstimabilem, quam possidemus, felicitatem, non esset inter eos, qui esse non mallet Christianorum novissimus in tota Ecclesia, quàm possidere solus omnes omnium Regum terræ coronas, exspoliatus permanendo gloriâ, quâ liceat ipsi esse JEsu Christi.

Debemus omnem nostram felicitatem JEsu Christo.

Veni modò, & interroga JEsum Christum: Domine, reliquimus omnia, ut sequeremur te; Reliqui Patrem meum, & Matrem meam, & omnem cognationem meam, ut devoverem me tibi; quid ergò mihi dabis proemii? Nonnè responderet tibi: Fili mi, vide quid acceperis à me; & per me, quem alium Patrem, quámve aliam cognationem; & fateberis, te non solùm recepisse centuplum, sed millionum millio-nes centupli. Nihilominùs hæc nondum omnia sunt, attende, quæ consequantur ex hoc, & hæc sunt mirabilia.

ARGU-

ARGUMENTUM.

JEsus Christus est nostra hæreditas, & nobis utilior est ipse solus, quàm si totum possideremus mundum.

Articulus II.

Relinquendo omnia ad sequendum JEsum Christum relinquitur nihil.

QUi verè renuntiat ità omnibus creaturis, ut non habeat nisi JEsum Christum solum, non debet illi dicere: Domine, reliquimus omnia, & secuti sumus te, Sed prorsùs ex adverso puræ adstipulabitur veritati, si fateatur: Domine, nihil reliquimus, & invenimus omnia, sequendo te. Siquidem verum est, totum & integrum mundum non esse, nisi purum nihil; quódque is fiat reipsâ purum nihil pro nobis in puncto mortis; & JEsus Christus solus in æternum nos ità manet, ut ipse solus in perpetuum nobis sit omnia. Nemo non fateri cogitur hanc veritatem; sed non omnes hîc vident hanc aliam, quæ admirabilis est, quòd etiam in hac vita relinquere omnia absque exceptione, ut adhæreatur unicè JEsu Christo, & nihil aliud possidere in terris, nisi ipsum solum, non sit quidquam amittere, sed infinitâ ratione lucrari, eòquòd ipse solus nobis sit omnia.

Exspoliatio admirabilis S. Franciſci.

Quando sanctus Franciscus, quem JEsus Christus convertit ad se, ut in Persona ipsius totum suum Evangelium redderet visibile oculis mortalium, in principio conversionis suæ persecutionem sustinuit à Patre suo, retrahere volente ipsum à vocationis suæ gratia; quando renuntiavit tam generosè omnibus, quod prætendere & postulare is poterat à se prostrato ad pedes Episcopi Assisiatis, dum exspolavit semetipsum omnibus vestimentis suis, usque ad subuculam, reddens omnia indigno huic Patri, & magno cum spiritûs fervore dicens: Nullum ergò ampliùs habeo patrem in terris, nullam cognationem, nullam hæreditatem, nullam domum, nullum vestimentum, nihil ex omnibus creatis: Tu, ô mi amabilissime JEsu, tu solus es, qui es Pater meus, & cognatio mea, & hæreditas mea, & domus mea, & omne bonum meum; nil volo nisi te solum, & tu solus es mihi omnia: *Deus meus & omnia.* Qui judicâssent de rebus juxta sensum & solum lumen naturale, dixissent, ipsum perdidisse omnia, ipsúmque subitò redactum eò, ut vivere jam debeat absque honore, absque bonis, absque ulla consolatione vitæ humanæ. Ità verum est, ipsum reliquisse hæc omnia, sed habebat

JEsum Christum, qui solus ipsi hæc omnia erat ratione quâdam, quæ longè superet & transcendat centuplum.

Videte, ô homines, & propriis vestris addiscite experimentis. Franciscus vult esse absque honore & in maximo contemptu hominum, ut sequatur JEsum Christum; & JEsus Christus facit, ut magis honoretur ipse solus, quàm omnes mundi Monarchæ. Franciscus vult esse absque bonis, & in summa exspoliatione paupertatis, ut sequatur JEsum Christum; & JEsus Christus vult, ut ipse ditissimus sit hominum. Franciscus vult renuntiare omnibus consolationibus, seque exponere ad tolerandum omnes miserias vitæ humanæ, ut sequatur JEsum Christum; & JEsus Christus facit, ut nullus sit homo in terris, qui magis exemptus est à magnis mundi miseriis, quique purioribus & magis innoxiis fruatur consolationibus, quàm ipse. Hæc est manifestissima ipsius promissio in Evangelio: *Amen dico vobis, nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Evangelium, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore, & in sæculo futuro vitam æternam.* Marci. 10.

Magnifica promissio Jesu Christi.

Quæris: ubi est igitur hic honor, & magna hæc gloria, ad quam is extulit S. Franciscum? Nonnè ipse inter pauperes est pauperrimus, hominúmque abjectissimus, qui nec hilum possideat ejus, quod mundi constituat magnificentiam? Ità, & in hoc ipso extollit illum Deus ad veræ fastigium magnificentiæ: adhuc in vita præsenti accipit ipsum, sicut accepit sanctissimam Humanitatem Filii sui Unigeniti, omnibus adorandam creaturis: privat ipsum subsistentiâ humanâ, & non relinquit ipsi nisi solam subsistentiam divinam. S. Joannes nuncupat divitias *substantiam*, vel subsistentiam *hujus mundi*, eòquòd hæ sint, quæ totum sustentent, & subsistere faciant mundum. Jam S. Franciscus nihil habet hujus subsistentiæ humanæ: non igitur subsistit, nisi per solam subsistentiam divinam, admirabili cum imitatione sanctissimæ Humanitatis Salvatoris mundi. Franciscus paupertate suâ attollitur ad imitationem Humanitatis JEsu Christi. 1. Joan. 3. v. 17.

Et series exspoliationis hujus tam absolutæ ab omnibus bonis mundi, quâ incapacem omninò se reddit ad possidendum unquam aliquid creati, elevat ipsum ad sublimem imitationem Divinitatis ipsius, per quod cunctis admirabilis redditur hominibus. Siquidem in quo consistit suprema Dei magnificentia, nisi in eo, quòd locupletari per nullam rem possit, nisi per propriam Divinitatem suam. Totus ac integer mundus, & centies milleni S. Franciscus paupertate suâ imitatur ipsam Deitatem.

leni mundi, si hos è nihilo extrahere vellet, non locupletarent ipsum; omnia hæc indigna sunt, quæ aggregentur thesauro & divitiis ipsius: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Et S. Franciscus amplexatus est statum, ut non solùm omnes Reges terræ ipsum locupletare non possent, sed & ipsemet Deus centenos ipsi donando mundos non posset ipsum locupletare: Omnia creata abjecta sunt nimis, quæ ipsius componant thesaurum; locupletari non potest, nisi per idipsum, quod constituit divitias Dei, nempè Divinitatem. Ecce totum ipsius thesaurum.

Psal. 15.

Et dico, quòd hoc non solùm ipsum reddat honorabilem, sed & cunctis admirabilem hominibus. Nam quando intuentur hominem, qui repudiet universaliter omnia mundi bona sibi oblata, etiam ad recipiendum illa rogatus, percelluntur admiratione, quæ non modicam trahat post se reverentiam, & dicunt: oportet ipsum aliquid plùs esse, quàm hominem, cùm despiciat ea omnia, quæ tanto cum amore sectantur & aucupantur homines. Et hujus experientia habetur adhuc indies, quando veri Filii S. Francisci velut Missionarii abeunt inter infideles, præcipuè in Regna Orientis, ubi alium non amant Deum, nisi aurum & argentum: quando hi vident Missionarios suos, non solùm illa contemnere, sed summè abhorrere, respiciunt illos velut homines è cœlo, ipsósque magna cum reverentia auscultant velut oracula. Reverà velut oracula è cœlo accipiendi sunt, qui aliud loquuntur idioma, quàm homines terræ. Et constat, hoc prodesse plurimùm ad progressum & incrementum Evangelii.

Nunquam tam impensè studuit se homo annihilare, seque contemptibilem reddere mundo, uti S. Franciscus & JEsus Christus complacuit sibi decies centesies millies reddere ipsi centuplum ejus, quo se exspoliavit amore sui; cùm voluerit, ut appareret in mundo, velut alter ipse; dico etiam, oculis exterioribus mundi. Nos digni non sumus, qui aspiciamus vel interiora JEsu Christi, vel interiora S. Francisci; hæc sanctuaria sunt, quæ aperta non sunt nisi oculis Dei solius. Sed judicemus ex eo, quod foris est. Quando videmus duo horologia, quorum styli vel acus sese conformant tam perfectè, ut semper easdem signent & denotent horas: judicamus, absque eo quòd decipiamur, quòd motus interni & arcani rotarum suarum omninò similes sint & æquales. Quando igitur intuemur exteriora JE-

Quantò magis S. Franciscus se humiliavit, tantò magis ipsum Deus exaltavit.

ſu Chriſti, & exteriora S. Franciſci, iisdem ſignata characteribus, nonnè meritò judicemus, interiora quoque ipſorum admodùm fore æqualia, ſibique invicem ſimilia. Si utérque tibi appareat omninò nudus; & ſi, monſtrando tibi pedes ſuos, manus ſuas, & latus ſuum, omnia hæc pari ratione transfixa, tibi eadem dicerent verba, quæ leguntur in Evangelio: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum*; quem acciperes pro JEſu Chriſto? quem acciperes pro Franciſco?

Stigmata S. Franciſci.

Luc. 24.

Ecce tibi hunc hominem, qui ſe tam abjectum reddidit ad ſequendum JEſum Chriſtum, ut ne atomum quidem mundani poſſideret honoris JEſus Chriſtus ſolus nonnè melior illi fuit, quàm ſi cunctos poſſediſſet honores, qui unquam hucusque exhibiti fuêre cunctis mundi Monarchis? Dices: mirum non eſt, ità honorari virtutem; ſicut enim impoſsibile eſt, ut is, qui accedit ad ſolem, non illuſtretur ipſius lumine, ità impoſsibile eſt, ut ille, qui appropinquat Deo, non totus ipſius reſplendeat gloriâ. Sed ejusmodi ornamenta non præbent alimenta; ejusmodi ſplendores non ſuppeditant res pro ſuſtentatione vitæ humanæ neceſſarias; ejusmodi pompæ non afferunt neque domos, neque veſtes, neque bona, neque reliqua, quibus indigemus, dum indigenæ ſumus in terris.

Verùm ex oppoſito complacet ſibi JEſus Chriſtus in hoc magis luculenter oſtendere, quòd omnia magis, quàm centuplicata reddat illis, qui amore ſui voluerint relinquere omnia. Nonnè claris verbis promiſit id in Evangelio? omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aus matrem, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, nunc in hoc tempore, & in ſæculo futuro vitam æternam. Si homines invicem pacta ineant, adhibent fidem promiſsioni, quando hæc firmata & ſignata eſt propriâ ipſorum manu, quamvis non lateat mendacem omnem eſſe hominem: & fides non adhibeatur Deo, qui eſſentialis eſt veritas, quando promittit nobis, & promiſsionem ſuam firmat ac ſignat ſanguine ſuo? quoties in Evangelio declaravit paternæ ſuæ curas providentiæ circa creaturas, quas non tanto, quanto nos proſequitur amore? Conſiderate, inquit, volucres cœli, quibus alia occupatio non eſt, niſi cantare laudes Creatoris ſui in vaſto aëre, quin terram colant, aut ſerant, aut metant, & Pater veſter cœleſtis paſcit illas: aſpicite etiam agrorum vel hortorum lilia, quæ volatilibus ſunt minora; nonnè veſtimentis exornantur pulchrioribus, quàm Principes mundi? & poſthæc credatis,

JEſus Chriſtus promittit centuplum etiam in hac vita.

credatis, Patrem vestrum cœlestem non singulari prospecturum curâ propriis filiis suis?

Videre vultis promissionis hujus executionem: qui reliquerit aliquid ex amore mei, dicit JEsus Christus, centies tantum ipsi præstitero ego solus. Aspicite S. Franciscum & totam pauperem ipsius Familiam tam numerosâ divitem sobole. Nonnè manifestè videtis, quòd pro patre & matre, quos relinquerunt, Deus suscitet illis non tantùm centenos, sed plùs quàm millenos patres, plùs quàm millenas matres, prospicientes ipsis de alimentis, tanta cum bonitate, ut longè transcendat illam patrum & matrum, quos reliquerunt in mundo? siquidem cùm hi plerúmque non agant, nisi ex impulsu naturæ, qui valdè imperfectus est, manducandum porrigunt ipsis panem doloris; pro eo, quòd alii ab affectibus prorsùs divinis gratiæ & charitatis impulsi, illis depluant manna de cœlo absque ulla amaritudine.

Executio promissionis centupli quomodò fiat.

Nonnè luculenter omninò observas hoc centuplum, quando pro una vel duabus domibus, quas reliquerint ad sequendum JEsum Christum; quingentæ, millenæ, vel decies millenæ ipsis aperiuntur, ut recipiantur in iis intra brachia charitatis sanctæ, longè meliùs, quàm recepti fuissent in domo sua propria. Et JEsus Christus solus præstat illis hæc omnia; nam sicut ex amore illius omnia reliquerunt, sic etiam ex amore illius, omnia ipsis suppeditantur necessaria; ipse est tota ipsorum possessio, & unicus ipsorum thesaurus, & hic thesaurus subministrat omnia. Nonnè videtis, quòd ipsos in suum substituat locum, quòd in propria sua Persona obstrictum se teneat de omnibus bonis, quæ exhibentur ipsis, ità ut in fine sæculorum dicturus sit omnibus prædestinatis: *Quod feciſtis uni de minoribus istis, mihi feciſtis?* Nonnè igitur verum sit, quòd JEsus Christus solus ipsis sit omnia?

Ne dicam, quòd pro parvo terræ, quem reliquerunt, pugillo ad amplectendam JEsu Christi sequelam, tota illorum videtur esse terra, & omnes habitatores terræ conducti ad ipsorum servitia; qui omnes laborant, etsi ab eis non conducantur, nec hi etiam de hoc cogitent, ad subministrandum illis omnia vitæ necessaria, unus hâc, alter aliâ ratione. Et hic Spiritus est JEsu Christi, qui ex paterna sua providentia ipsis dat jussa, ipsos concitat, ipsósque obstringit ad dandum sinè coactione & sinè violentia (sed cum interno animarum suarum gaudio) id, quod auctoritas & robur potestatis humanæ ex ipsorum manibus non

potuisset avellere. O quàm amabilis obligatio charitatis, quæ semper solvitur, & nunquam exsolvitur, sed eidem semper debito manet obstricta! ô prodigium potentiæ & divitiarum JEsu Christi! ex amore illius habere nil volo in mundo; & ecce ratione quâdam me mundi reddit dominum, & omnes homines mihi debitores: non mihi opus est justitiâ humanâ, nec apparitores emitto, ut cogant illos ad solvendum mihi sua debita; sed solùm habeo JEsum, qui curam gerit de omnibus, qui illos admonet, qui illos solicitat, qui illos urget, ut solvant me: & ipsi hoc faciunt tanto cum amore, ut beneficio exeunte è manibus suis, non prodeat ex ore ipsorum querela vel minima, sed potiùs gratiarum actio Deo facta, cui se obligatos agnoscunt de bono, quod fecerunt. O quàm verum est, amabilissime JEsù, te solum esse mihi omnia.

Emolumenta centupli, quod Deus dat in hoc mundo pro temporali.

Verùm quis æstimare satìs posset emolumenta hujus boni, quo JEsus Christus afficit eos, qui habere nil volunt nisi ipsum. Inprimìs expediris ab incommoditatibus abundantiæ, quæ plurimùm affligit divites, pro eo, quòd putent suam in ea consistere felicitatem: cui enim ipsa servit, nisi ut obruat ipsos negotiis, curis, inquietudinibus, angustiis, à quibus illi, qui solis necessariis contenti sunt, vacant, vivúntque in pace? Secundò exoneraris laboribus millenarum molestissimarum solicitudinum negotiando modò cum his, modò cum illis, prævidendo pericula, adhibendo cautelas, accumulando timores, faciendo itinera, laborando dies noctésque, & unico verbo, malorum catervâ obruendo caput tuum, ut parum boni inducas in manus tuas. Tertiò evitas & evadis invidias, persecutiones, oppressiones potentiorum, tyrannidem litigiorum, fastidiorum, jacturarum, & mille alias calamitates, quæ incessanter flagellant eos, qui possident ea, quæ bona nuncupantur, quæque potiùs nuncupanda forent mundi mala. Quis non fatebitur cum Sapiente, quòd quidvis minimum his omnibus exemptum, sit melius omnibus mundi abundantiis, quas tot ac tantæ comitantur miseriæ? *Melius est parum cum justitia, quàm multi fructus cum iniquitate.* Prov. 16. v. 8.

Verùm dices, nonnè posset ejusmodi hominibus applicari parabola hæc Regii Prophetæ? *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, & ideò tenuit eos superbia.* Non veniunt in partem laborum cum hominibus, nec flagella, quibus cæduntur homines, experiuntur; hinc Psal. 72. v. 5.

hinc est, quòd tumore inflentur & arrogantiâ : ducunt igitur vitam otiosam, mollem, commodam & absque ulla afflictione; & anima ipsorum turget superbiâ, dum acceptos & exceptos se vident velut Deos in terra.

Non, sed totum contingit oppositum : siquidem ipsorum labores, ipsorum cruces, ipsorúmque humiliationes longè majores sunt illis reliquorum hominum. Verum est, quòd non laborent hi ipsorum more pro terra, laborant tamen pro cœlo; non brachiis quidem corporis, sed facultatibus animæ ; non ut colligant fructus terræ mox putredine consumendos, sed ut metant fructus æternitatis nunquam obnoxios corruptioni. Laborant cum JEsu Christo, quia contendunt ipsius imitari vitam. Hoc ergò non est vitam ducere inertem, desidem, otiosam.

Centuplum non est absque cruce, sed hæc suavis est.

Verum quidem est, quòd exempti sint ab omnibus adversitatibus, quibus implicatur divitiarum possessio, quæ non minoris sunt ponderis, quàm numeri. Ecce quare non immeritò dicatur, quòd non flagellentur cum hominibus ; sufferunt tamen & tolerant cruces paupertatis, quæ copiosæ admodùm sunt , & ita ponderosæ, quando sunt involuntariæ , ut nemo in mundo tanti sit animi, qui non percellatur tremore, quando se cernit iisdem obruendum. Non quidem est absonum à veritate, ipsas plurimùm esse addulcoratas, quando voluntariæ sunt, non tamen cessant veræ esse cruces, quæ torqueant & crucient haud leviter naturam ; siquidem hanc ipsæ in perpetua conservant humiliatione ; in absoluta impotentia erga omnes res humanas; in universali dependentia à toto mundo, nunquam non expositum contemptui, abjectioni, & privationi eorum omnium, quæ habere posset in votis. Longissimè igitur abest, ut præbeat illis vel minimæ ansam arrogantiæ, cùm nihil sit, quod ità atterat & pessundet animi elationem humani.

Philosophia admirabilis.

Nihilominùs, ô admirabilem Philosophiam Spiritûs Jesu Christi! Ecce tibi totam portionem, quam is relinquit iis, qui relinquere volent omnia, ut nil habeant, quàm ipsum solum in mundo : omne ipsorum studium esse debet, ut se exspolient, se depauperent semper magis, ità se exuant omnibus, ut nihil prorsùs habeant reliquum, sese humilient, quærant contemptum, quantúmque poterunt, se annihilent; ab omni se abstrahant consolatione humanâ, semperque vivant in cruce mortificationis universalis & continuæ. Et hæc omnia, tali cum conditione,

JEsu Christi.

tione, ut, quamdiu nihil habere voluerint, nisi Jesum Christum solum, in nullo passuri sint penuriam; quando quidquam voluerint habere, omnia ipsis sint defutura: quamdiu prompto animo desideraverint humiliari sub pedibus omnium & contemni, honorandi sint ab omnibus; quamprimùm honorari voluerint, ab omnibus contemnendi: quamdiu privare se studuerint consolationibus sensuum & voluptatibus terrenis, victuri sint contenti & consolati magis cunctis in mundo hominibus; ubi primùm commoditates quæsiverint corporis, sensuúmque voluptates fuerint aucupati, contemptibilissimi futuri sint in mundo. Et profectò res ità contingit; videbitur clarissimè, si quis voluerit advertere.

Obcœcate munde, quantùm deciperis in falsa tua persuasione? sed quàm infelix es, dum nunquam capis, nec capere potes consilia & molimina Spiritûs Jesu Christi! Ipsius sapientia est admiranda, & ipsius regulæ sunt infallibiles: qui se depauperat, locupletatur; qui se humiliat, exaltatur; qui fugit consolationes, has reperit: & ex adverso, qui locupletare se studet, depauperatur; qui exaltare se vult, humiliatur; qui sectatur voluptates, illas fugit; omnes mundi scientiæ nihil vident in hoc; & minimus radius cognitionis JEsu Christi, nil quàm hoc videt clariùs. Res ergò est explorata, quòd JEsus Christus non solùm sit omnia iis, qui relinquunt omnia ex sui amore; sed semper sit centuplum cuivis, qui amore sui quidquam reliquerit, sive honorem, sive voluptatem, sive bonum temporale.

Sanctus Germanus Episcopus Antisiodorensis ibat aliquando peregrinatum cum Diacono suo, & ecce mox pauperum greges, à quibus ceu verus pater habebatur, seque congregabant circa ipsum, & ubivis protendebant manus, ut eleemosynam ab eo expostularent. Conversus ad Diaconum inquit: An accepisti quidquam pecuniæ pro nostro itinere? non sunt mihi, respondit Diaconus, nisi tres aurei. Dispertire illos inter hos pauperes. Sed unde vivemus nos? Diaconus reposuit: Charitas benè ordinata incipit à seipso, si superflui quid nobis fuerit, hoc cedat pauperibus, sed necessarium vix erit nobis. Itáne ergò, inquit ipsi S. Germanus, diffidis bonitati Dei? non credis ipsius verbo, quo promisit nobis centuplum, si quid dederimus ex amore ipsius? da, da Jesu Christo, qui extendit ad nos manum in persona horum pauperum, nec tantam tui age curam, quantam Dei, qui patitur in membris

Pulchrum exemplum sancti Germani Antisiodorensis, quod ostendit, Deum verè reddere centuplum.

membris suis; si recipiant à nobis, reddit nobis centuplum.

Nihilominùs Diaconus ex prudentia nimìs quàm humana, unum reservat aureum pro sui necessitatibus itineris, duósque alios dispertitur pauperibus, persuasus animo, se quidquam reservando lucratum esse plurimum. Sed non benè adhuc capiebat admirabiles conditiones commercii cum Deo, ubi per leges omninò contrarias legibus mundi, aliquis se privat omnibus, quæ reservat, & omnia lucratur ea, quæ dispertitur.

Vix aliquid confecerant viæ, ecce viri nobiles, accelerantes gradum post eos, profunda cum reverentia sanctum obtestantur Præsulem, per amorem JEsu Christi, cujus tenebat locum, ut honorare & consolari præsentiâ suâ dignaretur præcipuum quemdam nobilem, qui propè à loco decumbebat ægrotus, à quo etiam eo nomine fuerant missi, hanc ab ipso efflagitaturi gratiam; vel saltem ut suam illi per ipsos mitteret benedictionem. Vir sanctus charitate plenus, invisit ægrotum, consolatur ipsum, addit ipsi animos ad portandam crucem à Domino sibi impositam, ponit ipsi ob oculos ardentem amorem, quem JEsus Christus ostendit nobis; crucem pro nobis portando suam; quòdque felicissimum æstimare se debeat nactus occasionem, quâ reciprocam parvi amoris notam ipsi possit exhibere patiendo pro illo.

Ægrotus totus affluens consolatione, totúsque sancto accensus desiderio non solùm patiendi, sed etiam moriendi pro JEsu Christo, post humillimas sancto Antistiti exsolutas grates, instantissimè ipsum rogat, ut ducentos aureos acceptare vellet, quos donaret ipsi ex devotione. Accipe id, quod tibi datur, inquit S. Germanus suo Diacono; & memineris, quòd si non defraudâsses pauperes uno illo aureo, jam recepisses aureos trecentos: hæc namque est promissio veritatis æternæ; *Centuplum accipiet*; & ecce hujus tibi adimpletionem.

ARGUMENTUM.

JEsus Christus est supremus noster Monarcha, noster Pastor, nostra Lux, noster Dux, perfectus noster amicus.

Articulus III.

DUo sunt Regnorum genera, unum temporale, materiale & externum, aliud æternum, spirituale, & oculis corporeis in-

JEsus Christus est verè Rex spiritualis & temporalis.

visibile. Ambo pertinent ad JEsum Christum; nam si quæstio est de temporali, quis negare potest, Deum esse supremum Monarcham universi? nonnè per leges ipsius gubernantur omnia? nonnè per ipsum Reges regnant? sunt ergò illi velut ipsius Pro-Reges, qui etiam, dum gloriantur de supremo dominii sui fastigio, affirmant, se dependere à nullo, nisi à Deo. Sed nec unicus præsumebat unquam se eximere à supremo magni hujus Monarchæ dominio; nemo enim de suprema hac potestate disceptare auderet cum Deo. Jam Jesus Christus est Deus, dico etiam, in quantum est homo, est Deus personaliter; vere igitur ipse supremus Rex est omnium Regum mundi: *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Quamobrem & jus habebat assumendi sibi imperium super omnes mundi Monarchias tempore vitæ suæ mortalis: siquidem omnes pertinent ad ipsum ex jure nativitatis suæ æternæ, & suprema potestate, quam conferebat ipsi unio Hypostatica in omnes creaturas.

Apoc. 19.

Noluit uti jure regni sui temporalis.

Nihilominùs uti non voluit jure suo. Is, qui venerat ad docendum nos mundi contemptum, fugam honorum, amorem humiliationis & despectûs, tantùm abfuit, ut regnare desiderarit in terris super Reges; ut subjicere se voluerit pedibus hominum, velut vilissimum terræ vermiculum; hinc est, quòd regiam fugerit dignitatem, quando rapere ipsum volebant populi & facere ipsum sibi Regem, uti recensetur in Evangelio; hinc etiam protestatus est coram Pilato, tempore judicii & condemnationis suæ: Regnum suum non esse de hoc mundo.

Exercuit jus regni sui spiritualis.

Verùm is obtinet aliud Regnum magis sublime, æternum, spirituale, & omninò divinum; & hoc est, quod propriè spectat ad ipsum. Hinc est, quod nobis dicat apud S. Matthæum: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Absoluta hæc potestas extendit se directè in omnes animas hominum, bonas & malas, nec unica illarum est, quæ obligata non sit subire leges ejus, & omnes recipiunt ab eo præmia æterna, vel æterna supplicia, juxta quod ipsius vel custodierint, vel contempserint leges. Imperium ejus est ipsius Ecclesia; ipse solus supremus illius est Monarcha; ipse solus gubernat ipsam, ipsam conservat, ipsam defendit contra omnes mundi & inferni potestates, quæ non cessant oppugnare illam.

Matth. 28.

E thesauris suis prospicit cunctis necessitatibus subditorum suorum.

O beatos nimiùm subditos Regis tam amabilis! quis vidit unquam tam bonum Principem? Ipse haurit è thesauris suis, unde prospiciat necessitatibus totius

tius Regni sui, quin trahat unquam aliquid è subditis suis, ad locupletandum se; pro eo, quòd alii exhauriant substantiam pauperum suorum subditorum, ad implendum suas arcas & cistas. Ulteriùs ipse nonnisi gratias effundit ubique, in toto suo Regno innumeros erigit thronos misericordiæ, & judices, quibus suas comittit vices, mandatum habent recipiendi omnes reos, qui accusatum se venerint coram ipsis cum dolore; & quamvis obnoxios ipsos inveniant pluribus criminibus læsæ Majestatis divinæ (etiam enormissimis) si videant, quòd accusent ac condemnent seipsos, jussa habent condonandi ipsis omnia, ipsósque remittendi locupletatos gratiâ, & faciendi ex ipsis, antequam à suis recedant pedibus, Majestatis divinæ amicos, & specialiter eidem dilectos; nihilominùs potestatem ipsi non habent nisi absolvendi & non condemnandi, aut neminem damnandi. O amabilem Principem! pro eo, quòd alii habeant ubivis tribunalia justitiæ, & illi, quibus suam committunt auctoritatem, nonnisi potestatem habeant condemnandi secundùm rigorem justitiæ; si gratiam exhibere conducat, potestas hæc est, quam reservant sibi solis.

Sed quod arguit bonitatem nimiam quæ non solùm est absque exemplo, sed superat quoque id omne, quod unquam subire potuisset cogitationem & mentem hominum: pro eo, quòd omnes alii Reges velint suos exponere subditos suas vitas pro conservatione vitæ sui Principis; JEsus Christus solus & unicus est Regum, qui suam det vitam, ad salvandum illam omnium suorum subditorum. Ipse solus Rex est, qui onerari velit injuriis ac opprobriis, ut omnes suos subditos exornari faciat honore & gloriâ. Ipse solus Rex est, qui oppleri velit plagis, ut has à suis arceat subditis, cùm ipsos plùs propriâ suâ diligat vitâ. Venite cuncta sæcula & videte, an unquam ejusmodi conspectum fuerit prodigium? an unquam auditus est sermo de Rege tam amabili? dicite mihi, an dignus non sit, qui regnet super omnia corda hominum. O quàm meritò sanctus Paulus asseruit in fervore zeli sui: *Si quis non amat Dominum nostrum JEsum Christum, sit anathema.* 1. Cor. 16. v. 22.

Nunquam Rex fuit similis JEsu Christo.

Et quod admirabilius est, quódque stupore abriperet corda hominum, si considerarent, summam in hoc Regni sui collocat gloriam. Aspice, quisnam illius sit thronus, est Crux ipsius: aspice, quænam illius sit corona, sunt spinæ perforantes & terebrantes

Augusta cæremonia inaugurationis ipsius tempore passionis suæ.

Caput ipsius: Aspice, quænam regia illius sit purpura; est pretiosus sanguis, quo totum obducitur Corpus ipsius: aspice, quinam sint ipsius aulici, quinam stativi ipsius custodes; est caterva satellitum & inimicorum omni crudelitate in ipsum debacchantium; & in egregio hoc apparatu augustam celebrat inaugurationis suæ cæremoniam: in hoc statu assumit titulum Regis; quem in Thaboræo non assumpserat vertice, quémque semper in toto vitæ suæ repudiaverat decursu: In magna hac die, & memoranda hac omnium sæculorum actione, quâ regiam suam publicat dignitatem, hujus vult titulum cunctis exaratum idiomatibus in throni sui affigi fastigio, & summè pomposum illius exhiberi spectaculum in montis cujusdam vertice, in conspectu omnium nationum tempore paschali Jerosolymis congregatarum: *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit in ligno.* Evulgate per universum orbem, & dicite cunctis mundi nationibus, quòd exaltaveritis me super solium Regni mei.

Nunquam tam plenus Majestatis apparuit oculis Patris sui æterni: hic namque triumphavit de cunctis potestatibus inferni, de malitia peccati, déque omnibus adversariis gloriæ Dei Patris sui; hic simul & semel reportavit tot millionum milliones Regnorum æternorum, quæ dispertiri vult cunctis fidelibus subditis Imperii sui. Sic nostris expositus permanere vult oculis in suis imaginibus per cuncta sæcula, non in loco aliquo particulari; sed vult videri ubique & collocari in editioribus Ecclesiæ suæ locis, ut ubivis & incessanter aspiciamus nostræ felicitatis originem, & manifestas infinitæ bonitatis notas ab amabili Principe nostro nobis relictas; habeamus insuper exemplar, juxta quod efformare nos studeamus, ut grati animi exhibeamus ipsi significationem. Omnia ipsius vulnera sunt totidem ora, quæ clamant ad nos voce pretiosi sui sanguinis: *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Qui me amat, sequatur me, omnésque Imperii mei fideles subditi, qui prosequuntur me amore, sequantur vestigia mea, studeántque assimilari mihi.

Oportet nos conformari Regi nostro Christo.

§. 1. *JEsus Christus est noster bonus Pastor.*

Titulus Regis complectitur aliquid tam glorioſum, tantámque innuit potestatis amplitudinem, ut nunquam non afferat aliquid timoris. JEsus Christus vult quidem hunc portare titulum,

JEsus Christus mavult vocari Pastor noster, quàm Rex noster.

lum, eòquòd sit congruum æquitati, ut vivamus semper in timore; magis tamen sibi complaceat assumere titulum Pastoris, ubi depositâ Majestate, amor, bonitas, solicitudo universum tenent Imperium, eòquòd nos esse velit sub manu sua, velut parvulos agnellos, quibus non sit nisi prompta submissio ad audiendum vocem Pastoris, & subeundum ipsius gubernationem, quique omnem suam collocant fiduciam, omnémque suam securitatem in custodia boni Pastoris sui.

Nunquam dixit nobis: Ego sum Rex vester, quamvis fuerit reipsâ; sed dicit nobis, & sæpiùs repetit, esse se nostrum Pastorem bonum; & non solummodò hoc dicit, sed id exercet officii, ac egregiè ipsius subit functiones. Bonus Pastor, inquit, vadit ante gregem suum, & oves ipsum sequuntur. Nonnè ubivis anteivit nos, suis nos informans exemplis? Nunquam nobis præcepit quidquam, quod prior ipse non fecerit amore nostri.

Joan. 10.

Bonus Pastor cognoscit oves suas, & prospicit omnibus ipsarum necessitatibus, cuncta alia relinquit negotia, seque totum tradit custodiæ gregis sui; huc omnes suas dirigens curas, & omnem laborem suum, & in hoc solo omnem suam collocans felicitatem, & omne suum gaudium, ut dilectus sibi grex nullâ afficiatur incommoditate. Jacob idæa bonorum Pastorum in veteri Testamento, vigilabat perdius & pernox, omnesque tolerabat labores & molestias, ne minimum accideret malum gregi Laban soceri sui, cujus gerebat curam: *Die noctúque æstu urebar & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis. O quàm bonum Pastorem.* Genes. 31.

Jesus Christus in Persona sua ostendit omnes conditiones boni Pastoris.

Verùm quid sit hoc respectu JEsu Christi ergà nos? Ipse cognoscit nos perfectissimè, usque ad nostræ intima animæ, & absque comparatione meliùs, quàm cognoscamus nos nosmetipsos. Nunquam non suos in nos figit oculos, & nunquam nos è suo dimittit aspectu; omnes suas nobis impendit curas, omnes suas cogitationes, omnem suam solicitudinem: ità ut renuntians omnibus aliis negotiis, toto vitæ suæ mortalis tempore, nunquam vel unicum formaverit gressum, nunquam vel unicum pronuntiaverit verbum, nunquam vel unicam conceperit cogitationem, nunquam vel unicam perfecerit actionem, nisi pro salute animarum nostrarum: ipse tam solerter curat ea, quæ nostra sunt, ut spondeat nobis, nec periturum capillum de capite nostro absque speciali providentiæ suæ cura. Et si videre velis, quibus oneretur laboribus, ut sit bonus Pastor, aspice ipsius

afflictiones, ipsius jejunia, ipsius vigilias, ipsius lachrymas, ipsius persecutiones, ipsius dolores, sævissima passionis ipsius tormenta. An fuerit unquam tam bonus Pastor, qui ità amaverit gregem suum?

Bonus Pastor summè curat, ut ad bona pascua suum deducat gregem, vel meliora saltem, quæ regio submiserit ipsi. JEsus Christus solus ille est bonus Pastor, qui attulit nobis è cœlo suavissimum alimentum, quo nostras pascit animas, divinum Verbum suum, quod æternas includit veritates, quas è divini Patris sui hausit pectore. Sed contentus non est amor ipsius, nisi inauditum exantlet prodigium, quod nunquam alicujus creaturæ subiisset mentem: vult ipsemet esse alimentum perdilecti gregis sui, manducandum nobis præbet proprium corpus suum, & potandum proprium sanguinem suum, vúltque nos propriâ suâ nutriri substantiâ. Obstupescite omnes creaturæ, ad conspectum huius prodigii; deficite præ admiratione Angeli cœli; obmutescite, & extra vos abrepti intuemini hoc portentum homines mortales, & agnoscite, quòd impossibile sit videre unquam tam bonum Pastorem.

Bonus Pastor defendit gregem suum ab incursu luporum, cunctarúmque ferocium bestiarum, quæ nocere illis possent, nunquam deserit illum in aliquo constitutum periculo; sed potiùs, quantò majus videt periculum, tantò magis solicitus est custodire illum, suámque in illo benè custodiendo exponit vitam. Ah! nonnisi tu, ô amabilissime mi JEsu Salvator, nonnisi tu cum veritate dicere potes: Ego sum Pastor bonus; totus infernus desæviebat in nos; omnia peccata, quæ pejora sunt dæmonibus, devorabant nos; Justitia Dei Patris tui meritò contra nos irritati conterebat nos in furore suo: & tu, Pastor optime, tu opposuisti te ad excipiendos omnes ictus, tu exposuisti propriam vitam tuam, & perdere voluisti te, ut à perditione servares nos omnes. O incomparabilis Pastor! ô fortunate nimiùm grex, qui defenditur protectione tam boni Pastoris!

Quando deseruit terram, ut rediret in cœlum, in sinum Patris sui, non deseruit curam dilecti gregis sui; sed potiùs tunc pastoralem suam congeminavit solicitudinem. Siquidem ultra propriam suam vigilantiam, quâ invisibiliter semper assistere volebat ei, dedit in mandatis Apostolorum suorum Principi S. Petro, quem generalem suum instituit Vicarium, ut ejusdem intenderet gubernationi ac omnes partes Pastoris optimi solertissimè

JEsus Christus relinquit nobis Pastores loco sui, qui imitari ipsum debeant, & amare gregem suum.

mè adimpleret. Sed talibus cum circumstantiis hanc illi concredidit, quæ luculentiùs quàm unquàm ostendebant affectum & amorem plùs quàm paternum amantissimi hujus Pastoris animarum nostrarum.

Siquidem antequam committeret curam totius gregis sui sancto Petro, voluit certus esse de perfecto ipsius amore, trinisque vicibus interrogavit desuper ipsum: non, quòd de eo dubitaret, aspiciebat namque penetralia cordis ipsius; sed ut obstringeret ipsum ad respondendum manifestè, & cuncta agnoscerent sæcula, quid requirat in eo, cui curam concredit animarum, quas magis propriâ diligit vita. Petre, amas me? Domine, tu scis, quia amo te; pasce ergò oves meas, illarum tibi committo curam. Petre, amas me? Domine tu scis, quia amo te ex toto corde meo: pasce igitur agnos meos, illorum te instituo Pastorem. Sed Petre, amas me? Ah! Domine, eccur hàc super re ità urges me? Tu vides intima cordis mei, tu nôsti, quòd amem te, plùs quàm me. Benè ergò contentus sum, habe igitur curam totius gregis mei, illum tuæ committo custodiæ. Prima conditio, quam requiro à vero Pastore, est amor; secunda, est amor; & tertia perfectissimus est amor erga me, & hunc demonstrari ab ipso mihi volo in cura, quam assumet gregis mei.

Memineris Petre, quòd bonus Pastor non debeat amare seipsum, sed ardenter amare debeat oves meas, quas ipsi committo: memineris, quòd oblivisci debeat sui ipsius, sua negligere commoda, seque exponere omnibus, etiam jacturæ sui ipsius, ad servandum illas: id est, quòd debeat paratus esse vitam suam dare corporalem pro salute gregis sui; aliàs verus non erit Pastor, sed mercenarius. Sanctus Petrus institutus est ab ipso JEsu Christo Pastor universalis totius gregis sui cum hac conditione, & observavit illam tam benè, ut dederit vitam suam pro ovibus suis; & quasi omnes successores ipsius usque ad sanctum Sylvestrum suas ità dedère vitas, & sanctissimi evasêre Martyres, ultrà trecentos omninò annos. O JEsu amabilissime, Pastor animarum nostrarum! an igitur contentus non erat amor tuus sacrificâsse teipsum; sed sacrificat adhuc omnes veros Pastores, quos loco tui substituis nobis, ut moderentur nos: vult sufferre ipsos omnia, exponere se omnibus, etiam usque ad propriæ jacturam vitæ ad procurandum salutem nostram: ità nimirùm amas nos.

Officium boni Pastoris.

Mercenarii, falsi Pastores, vos non capitis idioma hoc, vos amatis

Defectus Pastoris mercenarii.

tis vosmetipsos, & non gregem Domini vestri, magnam commodorum vestrorum geritis curam, & illarum negligitis salutem; vos pinguitèr pascitis corpora vestra illarum substantiâ, & mori permittitis illarum fame animas. Mercenarii vos ipsas deseritis, & fugitis, quando aspicitis ipsas in periculo: non fugitis, quòd mutetis locum, sed quòd negetis, quod debetis ipsis auxilium, sicut sanctus Gregorius exprobrat vobis: *Fugit, non mutando locum, sed subtrahendo solatium, Fugit, quia injustitiam vidit, & tacuit.* Fugitis, quia tacetis, dum videtis ipsas intra ungues lupi infernalis, dum ignorantia ipsas obcœcat, dum inordinati affectus ipsis dominantur, dum dæmones ipsas tentant, dum peccata ipsas occidunt. Videtis ipsas in deplorando hoc statu, & nullo ardetis zelo ad liberandum ipsas; parùm soliciti estis de bono ipsarum spirituali, modò temporale ipsarum vos maneat. Ah! mercenarii! vos ignavè fugitis, sed non fugietis semper, incidetis aliquando in manus Dei. Eheu! quid eveniet vobis?

S. Gregor. hom. 14.

§. 2. *JEsus Christus est nostra Lux, & verus noster Dux.*

Unus solus verus Deus, una sola vera lux.

SIcut nonnisi unus est Deus, ità nonnisi una est veritas, & hæc veritas est Deus; ità nonnisi una est vera Lux, & hæc Lux est Deus. Jam JEsus Christus est solus hic Deus, hæc veritas, hæc Lux, Lux æterna, quæ magnum constituit æternitatis diem, in qua Deus videt pulchritudines suas, & sinè qua nihil videret. Ingens hæc Lux descendit de cœlo in terram, quæ crassis obvoluta erat tenebris; sed abscondit se sub nube carnis nostræ mortalis, non ut obscuraret, sed ut temperaret nimium suum splendorem, seque accommodaret nostrorum debilitati oculorum. Hæc sola vera est *Lux, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum*, sicut dicit Evangelium; & quicunque oculos non habet ad aspiciendum illam, cœcus est, quamcunque aliam lucem se putet habere. Intellige benè, quæ dicam.

Joan. I.

Nonnisi unus solus verus est Deus: In vanum imaginabatur sibi Gentilitas maximum falsorum Deorum numerum: quantò plures putabant se habere Deos, tantò minus habebant Dei; & quantò plus credebant se habere pietatis, tantò plus habebant impietatis; & quantò majorem putabant se dare Religioni splendorem, tantò minus habebant Religionis. Multitudo falsorum Deorum suorum erat nullitas Deorum suorum.

In

In vanum nominant Saturnum, Martem, Venerem; quantò magis invocant ejusmodi Deos, tantò minus habent Dei, quia nonnisi unus est solus verus Deus.

Ità omninò nonnisi est una sola vera Lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; incassùm persuadent sibi homines, se multò alia habere lumina, quibus se illuminent, seque dirigant; frustrà dicunt, habere se lumen rationis naturalis, lumen sensuum, lumen prudentiæ humanæ; hisce omnibus instructi se credunt valdè illuminatos. Sed vera hæc non sunt lumina, cùm nonnisi una sit vera Lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, nempe solus JEsus Christus, qui vera hæc Lux est de cœlo descendens. Cùm igitur ipse solus vera sit Lux, omnia alia nonnisi falsa sunt lumina; & consequenter non illuminant, ut ponant ob oculos res tales, quales sunt; sed obcœcant ipsos, proponendo illas multò aliter, quàm sint, adeóque non securè deducunt, quos ducunt, sui sequaces, sed seducunt eos. Et quantò plura quis habet horum falsorum luminum, tantò minus veri habet Luminis; & quantò magis se credit illuminatum, tantò majori offunditur cœcitate.

Quantò plus habemus falsorum luminum, tantò minus habemus veri luminis.

Aspiramus omnes ad felicitatem; inquirimus viam, quâ pertingamus eò, ubi vivere nobis liceat consolatè & beatè. Omnia lumina rationis nostræ naturalis, illa nostrorum sensuum, illa prudentiæ humanæ ostendunt nobis, id evinci & fieri per dignitates, per gloriam, abundantiam bonorum, voluptates, exemptionem ab omni miseriarum genere, & putamus videre nos clarè velut in meridie. Et nihilominùs hæc non sunt nisi falsa lumina, quæ obcœcant & decipiunt; duces sunt infideles abducentes nos à termino, quò tendimus. Nihilominùs omnes ipsorum sequuntur ductum eòquòd credantur vera esse lumina: Sapientissimi quique in mundo putant in hoc se esse securissimos, eòquòd videatur hoc ipsis plausibile, studeántque suum implere caput regulis pulcherrimis, quibus utitur sapientia mundi, qui omnes consentiunt, contendendum nobis esse, ut hâc viâ reddamur beati. Sed quantò plura falsorum habent luminum, tantò minus veri habeant luminis, velut Pagani; quantò plures habebant hi falsos Deos, tantò minus habebant veri Dei; & & quantò plus habebant falsæ pietatis, tantò habebant plus veræ impietatis, sic etiam hi, quantò se magis putant illuminatos, tantò magis sunt obcœcati, &

Falsa mundi lumina seducunt nos.

quantò putant se esse sapientiores, tantò magis sunt stolidi.

Mira mundi cœcitas.

Nonnè oportet eos esse nimis quàm cœcos ac stolidos, vinculis non immeritò implectendos, quòd non videant ea, quæ indies coram suis accidunt oculis; quòd non advertant, eos omnes, qui assequi prætendebant beatitudinem sequendo lumina stolidæ sapientiæ mundanæ, nunquam inveniisse eam, quam quærebant, felicitatem, sed miseriam, quam se sperabant evitaturos; ac potiùs ipsos omnes fuisse obrutos mœroribus, fastidiis, inquietudinibus, afflictionibus, laboribus toto vitæ suæ tempore, ac tandem omnes miserabiliter periisse? hæc experimenta sinè intermissione habere ante oculos, & nunquam posse cognoscere, quòd per illa non obtineatur beatitudo, nonnè deploranda sit cœcitas & obcœcatio? & homines isti, qui circumferre se putant splendidissimum in capite suo solem, nonnè tenebris offundantur densioribus, quàm illis Ægypti?

Mundus lumina JEsu Christi, æstimat velut tenebras,

Sed mirandum non est, cùm nonnisi una sit vera lux, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, quam ipsi non vident. Hæc sola vera Lux est JEsus Christus, & ipsi hunc non cognoscunt; ipse solus est, qui descendit de cœlo in terram, docturus nos viam vitæ, & illi sequi renuunt ipsum; ipse est veritas infinita per essentiam, & illi omnia ipsius effata ac placita ceu absurdas & ridiculas despicantur veritates, eòquòd tales appareant falsis suis, quibus reguntur, luminibus. An adversetur quidquam magis omni prudentiæ carnis, quàm dicere: Vis consolatus vivere & beatus? aggrava te crucibus & afflictionibus, téque mortifica absque intermissione. Vis esse ità dives, ut nihil tibi desit? exspolia te omnibus, & omnia mundi contemne bona. Vis vivere in honore? fuge vanos mundi honores, sectare humiliationes, contemptus, téque demitte usque ad nihilum.

Non est homo in terris, qui hæc intueatur velut veritates, nisi illuminatus sit solâ Luce, quæ est Christus JEsus. Nemo hanc ambulare vult viam, eòquòd videatur non conducere ad felicitatem, sed ad miseriam; & omnia falsa mundi lumina hoc ferunt judicium. Sed in hoc obcœcant universaliter omnes, qui nonnisi pro ipsis habent oculos: siquidem præter omnem humanæ rationis Philosophiam, experientia omninò manifesta convincere deberet omnes. Qui sunt, qui magis beati, magisque consolati vivant in mundo? nonnè illi, qui mundum contemnunt, & leges ejus, ut sequantur

tur illas JEsu Christi? qui sunt, qui magis solido, magis firmo fruuntur gaudio? nonnè illi, qui sensuum fugiunt voluptates, & vitam amplectuntur austeram? qui veri sunt divites, quibus nihil deest, qui sorte suâ vivunt contenti, qui nihil anhelant ulteriùs? nonnè illi, qui voluntariam sectantur paupertatem, prementes in hoc vestigia JEsu Christi? qui sunt, qui magis honorantur, quósque omnes pluris æstimant, magisque reverentur ex intimo cordis sui? nonnè illi, qui honores mundi fugiunt, qui se humiliant, & nonnisi contemptum quærunt? experientia ostendit hoc indies tam manifestè, ut non dubitare de eo liceat.

Felicitas eorum, qui sequuntur Lumina JEsu Christi.

Et post vitam adeò beatam, quisnam futurus est finis ejusmodi hominum? quæ per omnem æternitatem ipsorum sors erit? si interrogarem omnes Sapientes sæculi, an postquam secuti sunt toto vitæ suæ cursu, speciosa providentiæ suæ humanæ lumina, felicissimos se non æstimarent, si concludere illam possent, sicut illi, qui sequuntur lumina JEsu Christi: quis ex omnibus illis non diceret velut Balaam, benedicendo tandem illos, quos maledixerant toto tempore vitæ suæ: *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia!* sed responderem ipsi: Obcœcate, ubi sunt oculi tui? ubi ergò est sana mens tua, quam habere te putas? si super omnia desideras obtinere finem beatum verorum servorum JEsu Christi; eccur ergò non ambulas viam, quæ conduceret te illuc?

Numer. 23. v. 10.

O JEsu, tu vera nostra Lux es! sed quomodò dicis, quòd sis Lux mundi, cùm mundus non agnoscat te, nec oculos habeat ad te videndum, nihilque tuæ omninò videat doctrinæ, & ambulet viam prorsùs contrariam illi, quam ipsi demonstras? verùm non desinis esse Lux mundi, quæ saltem confundat illum, si ipsum non illuminet. Væ illi, si claùdat oculos, ne videat te. Quomodò non moriamur præ pudore, quòd Christianorum circumferamus nomen, profitentes publicè, quòd adoremus te, credamus in te, sequamur te, imitemur te, & interim tam simus vecordes, ut publicè totum agamus contrarium illi, quod doces nos? ô mi JEsu! cùm sciam, te veram esse Lucem meam, nolo ampliùs habere oculos nisi pro te, incessanter aspiciam te, & minimis intentus ero tum verbis, tum factis tuis, pedetentim sequar te, nec unquam ex aspectu meo dimittam te. Abeste falsa sensuum & rationis humanæ lumina, nunquam me ampliùs decipietis.

Væ mundo, qui claudit oculos luminibus JEsu Christi.

§. 3. JEsus Christus est perfectus noster amicus.

VIta humana infelix est illi, cui non arriserit sors, ut pefectum inveniat amicum, juxta effatum S. Augustini : *In quibuslibet rebus humani nihil est homini amicum, sinè homine amico.* Nam cùm ipsa plena sit amaritudinibus, quid eveniet illi, qui debebit ipsas digerere solus, eòquòd amicum non habeat; qui illarum in se velit suscipere partem? cùm ipsa exposita sit millenis calamitatibus, quanta ipsius erit miseria, qui caret amico porrigente sibi manum auxiliatricem, seque sustentantem? cùm ipsa millenis obnoxia sit necessitatibus, unde sperare poterit solatium, qui solus est, & nescit amicum? & tandem cùm maxima vitæ voluptas consistat in delectatione, quâ demulcetur cor humanum in amando, quem dulcorem gustare potest ille, qui caret amico, quem amet, & à quo ametur? quamobrem diristima, quam antiquitùs fulminabant, imprecatio hæc erat: *Nec amet, nec ametur ab ullo*; quo dicere voluerunt: miserrimus sit miserorum omnium in terris.

S. August. epist. 121. cap. 2.

Necessarium est, habere perfectum amicum in vita præsenti.

Verùm si necessariò oportet habere amicum perfectum, ut consolatus quis vivat ac beatus in terris, ubi inveniemus ipsum? erit nec in mundo & inter homines? Eheu! inter hos non reperire est, nisi perfidias, fraudes, simulationes. Novi, nihil esse usitatius, quàm audire nomen amici, omnes contestantur amicos se esse, idque conantur persuadere: sed inprimis verum est, quod dicitur: omnis homo mendax; nemo enim verus est amicus, etiam suiipsius, cùm verus amicus nil faciat mali amico suo; jam omnis homo, qui peccator est, peccando facit sibi ipsi malum infinitum; si igitur malus sit sibi ipsi, cui bonus erit?

Non est verus amicus in mundo.

Dicendum est de perfecto amico, quod modò diximus de luce. Infinita sunt falsa lumina in mundo, quæ non illuminant, sed obcœcant potiùs homines; sed nonnisi una vera est Lux descendens de cœlo ad illuminandum omnem hominem venientem in hunc mundum. Ità innumeri sunt falsi amici in mundo, qui omnes in se confidentes decipiunt; sed nonnisi unus verus & perfectus est amicus, qui descendit de cœlo, ut amet nos verè, & ametur à nobis perfectissimâ amicitiâ. Tu solus, ô JEsu, verus noster & perfectus es amicus; declaras id non solùm verbis, sed etiam operibus. Nam exspectari quid posset in sinceriss imo, intimo, fidelissimo, & generosissimo amico, quod non habeas in gradu eminentissimo

Nonnisi unus est verus amicus, qui est JEsus Christus.

simo respectu nostri? elige ipsemet amicum perfectissimum, quem imaginari tibi poteris.

Omnes conditiones perfecti amici sunt in JEsu Christo.

Optarem amicum, qui nobilissimus foret & potentissimus: siquidem felicitatis non minima pars est, in amoribus esse alicui Monarchæ, nec minoris esse honoris pollere apud ipsum gratiâ. Verùm an majorem JEsu Christo agnoscis Monarcham? ipse declarat se amicum tuum, téque pro suo, si volueris, assumit specialiter dilecto. An tam sublimem repudies felicitatis sortem?

Sed optarem amicum, qui depositâ suâ magnificentiâ redderet se mihi familiarem, qui adhæreret mihi, quique paratus foret servire mihi in omnibus. Nonnè vides, quòd JEsus Christus depositis Majestatis suæ splendoribus, sese reddiderit tibi similem, quòd descenderit de cœlo in terras quæsitum te, quòd totum sese tuo devoverit servitio? quis amicorum unquam fecit quidquam ejusmodi?

Optarem amicum, qui amore me prosequeretur sincero & ex intimo profecto corde. An sincerior haberi possit amor eo, quo erga te afficitur JEsus? Ipse offert tibi cor suum totum apertum, ipse totus est tuus, tam vehemens amoris sui in te est sensus, ut ad liberandum te à tuis miseriis, illas omnes susceperit in se. Nonnè hoc sit verum esse amicum?

Sed optarem amicum, quem sæpiùs videre possem, cum quo familiariter mihi liceret conversari, qui audiret me loquentem, & pro consolatione mea responderet mihi. JEsus Christus plura præstat in hoc, quàm desideras; potes videre ipsum continuò, nunquam enim tibi abest; loquere ipsi familiariter sinè intermissione, nil est, quod magis exoptat; respondebit tibi semper verbis cœlesti consolatione plenis.

Optarem amicum liberalem, qui obrueret me beneficiis, & hisce copiosis. An desiderare possès majorem, quàm illam JEsu Christi in te liberalitatem? ut verum fatear, non solùm liberalis est, totus est prodigus in bonum tuum: siquidem elargitur tibi infinitos thesauros gratiarum suarum, meritorum, bonorum æternorum, nil habet, quod tuum non sit, cuncta tua solvit debita, emit & comparat tibi Regna æterna. Quid facit adhuc? seipsum dat tibi totum integrum. O JEsu perfectorum amicorum Phœnix! quomodò possibile est, omnium corda hominum non ardenter amare te?

Verum amicum optarem, qui sufferret me, measque supportaret infirmitates. Ah! quis unquam imaginari sibi potest pa-

tientiam, quæ vel à longè accedat ad illam incomparabilis hujus amici? nobis solemne est, offendere ipsum sinè intermissione, & ipse ex instituto nunquam non requirit nos: ipse non exhibet nobis unquam, nisi bonum, & nos non afficimus ipsum quasi, nisi malo. O perfectum amicum, cui nunquam fuit, & nunquam erit similis in mundo!

Optarem amicum fidelem, sibíque commissi observantem secreti, cui concredere possem omnia ac intima cordis mei arcana, omni cum fiducia, quin unquam exin mihi quidquam accideret mali. Nonnisi JEsus Christus solus est, qui inviolabili hâc gloriari possit fidelitate. Inauditum est, revelâsse ipsum unquam secretum sibi commissum; quinimò vult eos quoque quos suo substituit loco, ad recipiendum occultissima conscientiarum nostrarum arcana, perpetuum observare secretum, quod non violarent cum propriæ etiam jactura vitæ. O amicum fidelem fideliorem omnibus! omnia novit, & nihil revelat.

Admirabilis familiaritas JEsu Christi cum amicis suis.

Sed tandem optarem amicum, qui quandóque invisum me iret, domúmque accederet meam, ac omnium negotiorum meorum susciperet curam, de quo affirmare possem: Integerrimus est mihi amicus, cui concredere omnia possim mea; ipse totus est meus, & ego totus ipsius. Nonnè vides, quid fecerit JEsus Christus? non contentus invisere te sæpissimè ratione quâdam spirituali, nempè per inspirationes & consolationes internas in tuis fastidiis, per additionem roboris & animi in tuis infirmitatibus, accedit ipsemet in Persona domum tuam, quotiescúnque volueris, ingreditur usque ad intima corporis & animæ tuæ penetralia in sancta Communione, afferens tibi secum omnes suos infinitos gratiarum & meritorum thesauros, hísque omnibus te locupletat: suum connectit cor cum corde tuo, suam implectit animam cum anima tua, & pretiosum suum commiscet sanguinem cum sanguine tuo, & divinum amorem suum cum amore tuo, & ex te & ex se nonnisi rem facit unicam, sicut duæ ceræ liquefactæ & invicem commixtæ, nonnisi unicam conficiunt massam. Quære quemvis alium in mundo amicum, qui simile quid possit facere pro amico suo.

Intimus amor JEsu Christi ergà amicos suos.

O JEsu, amice amicorum omnium perfectissime! quomodò possibile est, adhærere homines posse alteri cuiquam amico, quàm tibi in terris? Tu solus, qui perfecti amici geras titulum, mereris: si amare, est velle benè, tu nobis vis, nobísque facis bona

bona infinita; si amare, est tangi commodis vel incommodis eorum, qui amantur, tu dicis, quòd, quando tangimur, tu tangeris & vulnereris in pupilla oculorum tuorum; si amare, est exponere se omnis generis laboribus, jacturis, periculis pro amicis suis, tu sacrificâsti te totum pro nobis, usque ad sævissimam & probrosissimam mortem crucis. Si amare denique est, velle se reddere infelicem, ut felices reddat amicos suos, non est miseriarum abyssus in mundo, cui te non immerseris, ad comparandam nobis beatitudinem æternam in possessione Regni tui.

Nimìs quàm felices sumus, quòd JEsum Christum habeamus amicum.

O JEsu! quàm verus, quámque perfectus es amicus! ô JEsu quàm amas nos! an digni sumus tam perfecto amore? quid fecimus, ut ad hoc obstringeremus te? quid nostri tu indiges? quid exspectare potes à nobis pro æqua tam perfecti erga nos amoris gratitudine? & post hæc omnia, misera nostra corda adhuc ignava sunt in amando te. Nulla est nobis cura, ut cognoscamus te, siquidem vix est, qui cognoscat te, qui requirat te, qui solumodò cogitet de te. O stupiditas! ô insensibilitas! ô probrum ingratitudinum nostrarum!

Ignosce, ô bone JEsu! morior præ pudore & dolore, quòd non amaverim te hucúsque ex toto corde meo. Sed ex hoc instanti protestor coram facie cœli & terræ, quòd velim amare te, amare te, & amare te unicè. Tu es & eris in æternum solus & unicus amicus meus; ego alium nolo habere in mundo amicum præter te, & eos, quos amari à me voles ex amore erga te.

ARGUMENTUM.

JEsus Christus est noster Medicus & noster Advocatus.

Articulus IV.

FRamus ægroti, & omnes filii Adæ sauciati erant lethaliter ferali illo ictu, quem receperunt in persona Proto-parentis sui à creatione mundi, ità ut totus orbis non esset nisi ingens Xenodochium, repletum ægrotis, sed ægritudine, quæ sanari non poterat ab ulla potentia humana. Ictus lethalis, quo peribant omnes, erat in ipsorum anima; sed spirituale hoc vulnus multas quoque pariebat infirmitates corporales, quibus torquebantur totâ vitâ suâ. Ecce miserandum, in quem omnes redacti eramus, statum.

Quan-

JEsus Christus est magnus Medicus, qui sanare venit infirmitates corporum & animarum nostrarum.

Quando magnus hic Medicus descenderat de cœlo, ut sanaret magnum hunc ægrotum languentem in terris, universum genus humanum, videmus ex historia Evangelica, ipsum perpetuò sanâsse infirmos, non solùm ab infirmitatibus spiritualibus, sed etiam corporalibus. Quem in finem innumera patravit miracula toto vitæ suæ mortalis cursu, continuavit idipsum cunctis sæculis, & continuat adhuc indies ejusmodi operari miracula, restituendo sanitati tum animas, tum corpora per ministerium servorum suorum. Quando enim confugimus ad intercessionem Sanctorum, ut sanemur, ipse semper est, qui operatur omnes sanationes nostras, eòquòd omnes boni servi JEsu Christi nunquam quid faciant, nisi per potentiam sibi à divino Domino suo submini-strata. Ipse igitur Omnipotens & amantissimus omnium nostrarum infirmitatum, corporalium & spiritualium est Medicus.

Lib. 1. Pædag. c. 2.

Sanctus Clemens Alexandrinus egregiè dicit, quòd sit *Pæonius Medicus, & sanctus ægrotæ animæ incantator.* Alludit ad famosum illum Medicum Pæonem, qui in Iliade Homeri sanare noverat Plutonem, Deum inferorum à lethali vulnere, quod acceperat à manu Herculis. Hæc quidem est fabula, & tamen sanctus Clemens, sanctus hic & sapiens Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyter ea uti voluit ad explanandum nobis omnipotentem virtutem cœlestis nostri Medici, qui sanare novit lethales plagas quæ æternam in inferis mortem conciliassent nobis.

Est divinus incantator sanans verbo suo.

Sed meliùs adhuc id exprimit, quando dicit, quòd sit sanctæ ægrotæ animæ incantator; sanctus incantator, divinus magus, qui facili negotio omnes sanat animarum nostrarum infirmitates. Quinam appellantur incantatores? nonnè ii, qui absque usu remediorum corporalium sanant infirmitates corporum solis verbis. Quando conspicitur, quòd sanent omnes loquendo solùm, dicitur, quòd fieri id debeat per artem Magicam. An igitur habendus sit JEsus Christus pro vero Mago? siquidem ex tot ægrotis, quos sanavit, sicut refertur in Evangelio, non videmus, ipsum adhibuisse ulli aliquod remedium, nisi cœco nato, super cujus oculos posuit lutum, quod remedium potiùs erat ad ipsum obcœcandum, si cœcus non fuisset: omnes alios sanavit, vel ipsis solùm loquendo, vel ad summum tangendo ipsos, vel permittendo ipsis, ut tangerent fimbriam vestimenti sui. O divinum Magum, qui sanare nôrat omnes vir-

virtute Verbi sui! sed Deus Pater primus Magus est, qui hoc nomine misit nobis Verbum suum in terras, ut sanaret omnes:

Psal. 106. *Misit Verbum suum, & sanavit eos.*

Collocat verba sua in os servorum suorum, ut sanent animas sicut ipse.

Omnes ii, qui didicerunt certa verba à Mago quodam, sanat sicut ipse ægrotos, eadem dicendo verba. Si dæmones hanc possident potestatem ex permissione Dei, an mirandum sit, quòd JEsus Christus ponens verba sua plena incantatione divinâ in ora Apostolorum & Prædicatorum suorum, sanaverit & sanet adhuc indies loquendo, milliones ægrotarum animarum in universo orbe? sanctus Paulus, quem tota Ecclesia per antonomasiam magnum vocat Apostolum, sanctus Paulus prodigium Prædicatorum, quid non fecit pro conversione mundi, virtute divini Verbi? sanctus Augustinus dicit, quòd sit *Seminator verborum, Messor morum*, nempè bonorum; sed semper in semine inclusa est tota virtus producens fructus, & non in manu seminantis. JEsus Christus ergò, qui Patris omnipotens est Verbum, sanat animas, quando salvantur virtute divini Verbi sui.

S. August. serm. de sectis Philosophorum.

Minorem fidem habemus in Jesum Christum, quàm Magi habeant in dæmones.

Quoties contingit, quòd non solùm infirmitates animæ, quæ sunt peccata ipsius, sed etiam peccata corporum, quæ ipsorum sunt infirmitates, sanata sint unico verbo magni hujus Medici corporum & animarum. O si haberemus fidem! an dicere audeam Verbum, quod, dum pronuntiavero, suffundet me pudore? si haberemus tantam fidem in JEsum Christum, quantam habent Magi in suos dæmones! (ignosce Domine, quòd indignam hanc instituere audeam comparationem, sed nimis quàm vera est) Dæmones pronuntiare jubent verba quædam barbara, vel impia, vel absurda servos suos, & ipsi sanant ægrotos, eòquòd confidant in dæmonem. JEsus Christus imponit ori nostro divina sua verba, omnipotentem habentia virtutem ad sanandum omnia infirmitatum genera, & maxima patrandum miracula; & hæc verba nullum effectum habent in ore nostro, eòquòd sufficientem non habeamus fidem, neque etiam fiduciam in ipsum.

Sanctus Petrus sanat claudum Nomine JEsu.

Adorandum Nomen JEsu pronuntiatum per ora Apostolorum sancti Petri & sancti Joannis, reddidit in instanti sanitatem & gressum cuidam claudo, quem jacentem inveniebant ad portam templi Jerosolymis. Erátne virtus horum duorum hominum, quæ prodigiosam hanc operabatur sanitatem? Audi, quâ ratione sanctus Petrus hâc super re suam exponit mentem Judæis, hoc prodigium admirantibus, & cum stupore aspicienti-

bus ipsos, quasi attribuere vellent ipsis facinoris hujus gloriam: Actor. 3. *Viri Israëlitæ*, inquit, *quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostrâ virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare.* Scitote, quòd omnipotens virtus Nominis JEsu dederit integram sanitatem istam: *Notum sit vobis, quia in nomine JEsu &c.*

Sed quæro, an augustum hoc Nomen, adhuc hodiè sicut olim, ejusdem sit potestatis? quæro, an hoc Verbum adorandum, quod reliquit nobis verba sua, suo plena robore ac virtute, non conservet illa semper in eadem fortitudine? undè ergò oritur, quòd adeò infirma sint in ore nostro, ut efficiant nihil? fateamur veritatem, sed morientes pudore: minus fidei, minúsque fiduciæ habemus in JEsum Christum, quàm Magi habeant in dæmones.

Nihilominùs injuriam hanc inurere nollem plurimis bonis animabus, quæ cognoscunt JEsum Christum, amántque sanctum Nomen ejus, portantes illud insculptum cordibus suis, sæpiúsque magnâ cum veneratione revolvunt animo. Sanctus Bernardus totus colliquescebat dulcedine, quando cogitabat de JEsu, vel quando de Nomine JEsu faciebat sermonem. Dicit illud esse oleum, quod saporem addat cunctis animæ nostræ dapibus. *Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur: insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas non sapit mihi, nisi legero ibi JEsum: si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi JEsus, JEsus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est & medicina. Tristatur aliquis nostrûm? veniat in cor JEsus, & indè saliat in os, & ecce ad exortum Nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando: nonnè si invocet Nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam?* Tandem quidquid mali nos poterit afficere, confugiamus ad magnum hunc Medicum; in ipso solo inveniemus remedium cunctis nostris malis.

S. Bernard. serm 15. in Cantic. Potestas admirabilis Nominis Jesu pro bonis animabus.

Quid addere huic possum, nisi quòd sit etiam noster charitativus Advocatus, qui cunctas nostras suscipiat causas, illásque efficaciter agat coram Deo Patre suo. Nemo est in mundo, qui non firmiter crederet lucraturum se causam suam, si Advocatum haberet, qui quatuor has possideat conditiones. Prima, quòd ità ametur à Judice, ut nec illi benignas possit abnuere aures, nec quidquam, quod à se petierit, denegare. Secunda, quòd ità sit prudens, ut Judex nil sciat nisi per ipsum, támque eloquens, ut omnia, quæ voluerit, persuadeat ipsi. Tertia, quòd ità

JEsus Christus est noster Advocatus apud Patrem suum.

ità sit benevolus erga clientem suum, ut ipsius agat causam, ejúsque promoveat commoda tanto cum ardore, ac si propria sua causa foret, résque ageretur sua. Et quarta, quòd potestatem habeat supplendi ea omnia, quæ deesse possent bono juri clientis sui, sicut & benignitatem ad suppeditandum è proprio suo id omne, quod necessarium foret ad obtinendam victoriam causæ ipsius. Qui haberet hæc omnia, certus esse posset de optimo causæ suæ eventu.

Jam nobis hæc optima sors est, ut ejusmodi Advocatum habeamus in Persona JEsu Christi.

Pondus causæ, quod agit pro nobis.

Nos disceptamus toto vitæ nostræ cursu pro Regno cœlorum; utque arceamus à nobis horrenda infelicis æternitatis supplicia. Hæc causa infiniti nobis est ponderis, eòquòd hic agatur de vita æterna, vel de morte æterna. Interim bonum jus non habemus à nobisipsis, & causa nostra, quæ semper incerta & ambigua manet, non judicabitur, nisi in ultimo momento vitæ nostræ: continuus nos deberet percellere timor, ne perdamus ipsam, & ne quidem de hoc cogitamus: si seriò id ponderaremus, desperandi nobis ansa foret, cùm videamus, quòd à nobis ipsis jus nullum habeamus ad vitam æternam, nec aliquod medium, quo evitemus & evadamus mortem sempiternam.

Verùm potentem habemus Advocatum, qui nostram agat causam. Nil est, quod magis nos consoletur, quòd majorem nobis adjiciat animum, quàm verba, quæ dilectus Domini nostri discipulus in prima sua epistola exarata nobis reliquit: *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, JEsum Christum justum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Ecce tibi firmum ac solidum spei nostræ fulcimentum. Vide, quomodò ipse perpendat omnes prærogativas incomparabilis hujus Advocati, quibus non solùm magna nobis concilietur spes ac fiducia, sed cujusdam quasi firmitas certitudinis, quòd nostræ reportaturi simus victoriam causæ. 1. Joan. 2. v. 1.

Magna habenda nobis est fiducia, reportaturos nos victoriam in causa nostra per Jesum Christum defensâ.

Inprimis est Advocatus pollens auctoritate & Majestate infinitâ, causam nostram agens coram Deo Patre suo: *Advocatum habemus apud Patrem;* sed Patrem, à quo infinitâ ratione amatur; Patrem, à quo nunquam non auditur, abs eo, quòd unquam desistere possit, quin intendat & aures præbeat illi quæcúnpue sibi dicenti; Patrem, qui tam perfectè consentit & annuit ei, quod vult, ut nonnisi eandem cum ipso habeat voluntatem.

Secundò est Advocatus tam prudens, ut sit tota Sapientia Dei Patris sui, qui nihil cognoscat,

nisi per ipsum, támque eloquens ut unico solo Verbo repleat intellectum divini Patris sui omnibus infinitis veritatibus, quas cognoscere potest, quin unquam extra eas possit cognoscere aliam.

Tertiò est Advocatus tam benevolus & officiosus, ut ex nostra propriam suam faciat causam. Ipse tam arctè conjungitur nobis, támque solicitè nostra curat commoda, ut videatur nihil esse separatum ipsum inter, & nos. Ipse est Caput nostrum, & nos sumus membra Corporis ipsius. Non sufficit dicere, quòd ipse tanto cum ardore curet & promoveat commoda nostra, quantò faceremus nos ipsi: nonnè enim luculentissimè vidimus, quòd curaverit illa toto vitæ suæ mortalis decursu infinitiès majori cum ardore, quàm faciamus nos; cujus rei testes sunt ipsius labores, ipsius solicitudines continuæ, ipsius afflictiones, ipsius mors, effusus ipsius pro salute nostra sanguis? jam divina ipsius erga nos charitas non minor est in cœlo, quàm fuerit in terris: sed potiùs credendum est, ipsam ratione quâdam incrementum sumpsisse in cœlis, cùm videamus, quòd omnia vulnera sua aperta portaverit in cœlum, ut illa Patris sui exponeret oculis, velut totidem ora facunda, quæ incessanter perorent pro salute nostra, quæque cessabunt nunquam potenter divinam urgere misericordiam, quoad obtineant pro nobis, quæ postulaverint.

Sed tandem sanctus Joannes, qui affirmat ipsum esse Advocatum nostrum, eodem tempore ipsum vocat *JEsum Christum justum.* An aget contra justitiam? semper verum est, nos esse peccatores, hoc diffiteri nemo potest; & velut tales meritò privamur vitâ æternâ, & ad mortem condemnamur æternam. Verum est; sed adjungit, quòd sit *propitiatio pro peccatis nostris.* Ecce tibi eximiam prærogativam potentis Advocati nostri, qui supplet ex proprio suo, quòd deest bono juri pauperum clientum suorum. Verum est, nos non mereri vitam æternam; sed ipse hanc meretur pro nobis. Verum est, æquum non esse, ut dentur nobis præmia pro iis, quæ meremur suppliciis; sed æquum est, ut ipsi nostra concedatur gratia, nobisque dentur præmia, quæ ipse est meritus pro nobis.

JEsus Christus supplet per seipsum, quod deest bono nostro juri.

O JEsu, mi amantissime Advocate! caderem causâ meâ absque te, perirem in æternum, nisi curares tu commoda mea. Sed quàm certa & secura teneo illa, dum sunt in manu tua. Tu me amas, de hoc dubitare non possum, túque vitam vis mihi æternam:

ternam: divinus Pater tuus amat te, de hoc quoque certus sum, nihil denegare is tibi potest, quidquid postulaveris ab ipso pro me. Jam tu incessanter postulas ab ipso, ut exhibeat mihi misericordiam; sacra vulnera tua loquuntur pro me; adorandum cor tuum, ipsius apertum oculis, solicitat ipsum immenso cum amore, quem ostendit mihi, dum terebrari & perforari pro me voluit in Cruce. Nonnè benè sperandi habeam ansam, quod non obstantibus meis miseriis nunquam sim periturus. Loquere Cor amabile Redemptoris mei. Et quia pro me loqueris, patere, ut cor meum uniat se tecum, ut dicat in te, per te, & tecum, quidquid dixeris in favorem meum. Mirè oblector vobis, adoranda vulnera adorandissimi Salvatoris mei; nolo amplius occupari alio, nisi dolorosâ hâc passione, quæ vos produxit. Argumentum hoc erit trium sequentium Consultationum.

CONSULTATIO XXVI.

Christianus omnem suam collocare debet Consolationem in Meditatione Passionis JEsu Christi.

Sanctus Carolus Borromæus præparat se ad mortem per meditationem Passionis JEsu Christi.

MAgnus Cardinalis sanctus Carolus Borromæus, sentiens appropinquare finem suum, è vehementissimo divini ignis, quo consumebatur cor ipsius, incendio, & novis zeli sui ardoribus, exhaurientibus residuum pretiosæ hujus vitæ, quam totam consecraverat divini amoris servitio, eo nomine vice ultimâ in suam se contulit solitudinem, seque disposuit ad magnum iter æternitatis suæ in monte Varallo, ubi sculptis imaginibus Dominicæ Passionis mysteria ad vivum repræsentantur in diversis sacellis, quorum quodlibet exponit oculis specialem patientis & morientis Salvatoris effigiem: eòquòd crederet, quòd, postquam amabilem Salvatorem suum pedetentim secutus fuerat toto decursu vitæ suæ, hanc meliùs concludere non posset, quàm implendo animum suum idæis ac imaginibus, & cor suum affectibus & desideriis sanctissimæ mortis ipsius.

Cùm aliquatenùs imitari vellemus pietatem sanctissimi hujus Præsulis, ad finiendum totum, quod arripuimus iter: adhiben-

do infirmos conatus noſtros in inquirendis & admirandis ubique excellentiis JEſu Chriſti, inviſere ſtatuimus devotiſſimam quamdam ſolitudinem, quam incolebat optimus quidam Dei ſervus, nomine Spiridion. Novimus, ipſum valedixiſſe mundo, jam ante quadraginta annos, & cognitâ ipſius vanitate, gloriæ & voluptatum ipſius vilitate, elegiſſe abjectum & abſconditum eſſe in domo Dei, ut deinceps non viveret niſi ex amaritudinibus Paſſionis Redemptoris ſui, quæ millies ſuaviores videbantur ipſi, quàm Manna, quod Deus depluerat olim de cœlo filiis Iſraël in deſerto.

Nolens igitur aliam deinceps habere occupationem, niſi illam de Paſſione & morte Salvatoris JEſu Chriſti, ſeceſſit in montem quemdam, quem ſuam nuncupavit Calvariam, ubi tria exſtruxit ſacella, in quibus non tam repræſentavit ſigillatim cuncta myſteria paſſionis, quàm affectus, quos exin volebat haurire. Hinc pergrato perculſi fuimus ſtupore viſitantes illa, eòquòd omnia alia inveneramus in illis, quàm credideramus. Nec minus admirati ſumus ipſius colloquia, ipſius cognitiones & lumina, ipſius affectus & deſideria, de quibus informationem nobis dedit, poſtquam tam longo tempore, tamque profundâ meditatione ſcrutatus fuerat hoc myſterium: nos autem noſtram, quam ſperavimus, invenimus conſolationem.

Videtur totus mundus cœcutire circa Paſſionem JEſu Chriſti.

Ipſe cùm videret, nos eo nomine ad ſe veniſſe, ut loqueremur ſecum de eo, quod tam efflictim deſiderabat, & quo ſuum ita refertum habebat animum, ut de alio loqui non poſſet, nobis illicò hoc dedit monitum. Memineritis, tenebras diſperſas fuiſſe ſuper univerſum orbem tempore Paſſionis Domini, ad inſinuandum nobis, totum mundum cœcum eſſe reſpectu magni hujus myſterii, & neminem hîc quidquam videre. Sol, qui naturalis lux eſt magni hujus mundi, ſuſpendit illam per Ecclypſin quandam univerſalem, quæ naturaliter eſt impoſſibilis, ad erudiendum nos hoc prodigio, quòd omnia lumina naturalia intellectûs humani inutilia ſint ad comprehendendum, quid ſit, quòd Deus immortalis mori voluerit pro hominibus. Et hoc dicens, permanſit immobilis brachiis expanſis, & oculis, qui duo fontes lachrymarum erant, in cœlum ſublatis.

Et paulò poſt iterùm incepit: Eheu! quòd infinita Sanctitas Dei tulerit ſupplicium, quod homines merebantur peccatores, hi terræ vermiculi, magni ipſius inimici. Totus quaſi

Pessimum est indicium, insensibilem esse ad Passionem JEsu Christi.

quasi cœcutit mundus respectu magnæ hujus veritatis, unde omnes tantum trahunt emolumenti: Nos nihil hic videmus, quod equidem benè apparet; oporteret enim omnia discindi & conteri corda sicut discissæ & contritæ sunt petræ, & quasi nemo hoc recogitat mente. Teneo evidens esse reprobationis signum in aliqua anima, quando participem se non reddit Passionis Redemptoris sui; siquidem quâ aliâ viâ suam sperare poterit salutem? Quando non tangitur beneficio Redemptionis suæ, timeo, ne Redemptio tam copiosa, quam Salvator extendere voluit ad omnes peccatores, non tangat ipsam, id est, ne ipsius non fiat particeps ex funesta insensibilitate & obduratione suâ. Et quando aspicere potest ipsa JEsum Christum in Cruce siccis oculis, velut objectum quoddam indifferens, è quo nihil trahat utilitatis, recordor verborum, quæ dixit sancto Petro in vespera cœnæ, quæq; timore ac tremore perculserunt ipsum: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Si aspectus JEsu Christi patientis ex amore erga me, non eliciat mihi lacrymas ex oculis, timeo, ne nulla sit mihi pars sanguinis, quem effudit pro me in Cruce.

Joan. 13.

Alio prorsùs est opus lumine, quàm lumine naturali, ad obtinendam intelligentiam mysteriorum passionis JEsu Christi: specialis requiritur gratia, ad concipiendos erga illam & circa illam veros affectus, vera sensa & judicia; & quia pretiosissima hæc est gratia, & principium, è quo plures dependent aliæ, hinc profundâ cum humilitate, magno cum spiritûs fervore, & diuturnâ cum perseverantia postulanda est à Deo. Qui semel obtinuit ipsam, felicissimus à me æstimatur pro tempore & æternitate; poterunt illi verba dici, quæ sancto Job dixi Deus: *Ingressus es thesauros nivis, & thesauros grandinis aspexisti; per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram.* Ingressus est ipse thesauros nivis, id est, scaturiginem inexhaustam gratiarum, quæ nigerrimas quasvis peccato dealbant animas; Aspexit ipse grandinis thesaurum, id est, armamentarium potentissimorum armorum, quibus conterit Deus inimicos salutis nostræ: Vidit ipse, per quam viam divina spargantur lumina super universam terram. Omnia Redemptoris vulnera effundunt cœli lumina haud aliter, quàm effundant è venis ipsius sanguinem, ad illuminandum & sanctificandum animas: Cognoscit ipse tandem proprio experimento suo, quomodo dividat calorem suum: impossibile enim est, com-

Job. 1. v. 12. & 24.

Felix qui intelligit & afficitur Passione JEsu Christi.

commorari in medio, quem amabiliſſimus JEſus oſtendit nobis in paſſione ſuâ, amoris incendio, citra id, quòd quis ſentiat totum cor ſuum inflammatum amore maximo erga ipſum.

Primum hoc ſolitarii noſtri alloquium induxit animo ſpem, quâ credebamus, haud in vanum veniſſe nos, optiméque laborem, quem inquirendo ipſum exantlavimus, ſolvendum fore conſolationibus, quibus ipſius demulſuri nos erant ſermones. Experiebamur in nobis ipſis maximum deſiderium aſpiciendi interiora omnium Sacellorum ipſius: ſed erant hæc ſanctuaria, quæ ſtudioſiſſimè ſervabat occluſa, velut Deo & ſibi ſoli reſervata arcana: hinc nonniſi vi precum obtinuimus, ut reſeraret nobis illorum primum. Primâ fronte, dum nos conduxit illuc, exaratum vidimus ſupra portam magnis characteribus: *Gaudium & exultationem obtinebunt.* Verba hæc, quæ parum concordare videbantur cum amaritudinibus Paſſionis JEſu Chriſti, augebant in nobis deſiderium aſpiciendi quantocyùs, quid hoc ſibi vellet myſterium: Et ecce quid oſtenſum ſit nobis.

ARGUMENTUM.

Anima Chriſtiana maximas invenit cauſas gaudii, conſiderando Paſſionem JEſu Chriſti.

Articulus I.

Gloria Dei viventis & gloria Dei morientis occurrunt & uniuntur ſibi invicem.

SUnt, qui credant, nonniſi lachrymis indulgendum eſſe & dolori, dum opera navatur conſiderandæ Paſſioni Domini & Salvatoris noſtri: ſed illicò hoc exempti ac ſoluti ſumus errore, dum aperto primo hoc ſacello non aſpeximus ubique niſi ſymbola & inſignia lætitiæ. Depingi curaverat Spiridion in medio imaginem JEſu Chriſti Crucifixi & Agonizantis; Sed imago hæc erat tota circumfuſa luce aureâ, velut ſol, cujus radii ſeſe diffundebant ubique & velut infinitis lineolis aureis contegebant omnia, quæcúnque in illo ſeſe offerebant oculis oratorio. Aſpiciebatur in excelſis imago Sanctiſſimæ Trinitatis, in qua omnes tres Divinæ Perſonæ apparebant velut abſconditæ in tanto luminis ſplendore, ut vix diſcerni poſſent, & omnes radii egredientes è Crucifixo perdebantur in immenſa illa claritatis abyſſo, ita ut diſparerent ob nimium ſplendorem facti inviſibilis. Et

Symbolum gloriæ Passionis JEsu Christi.

Et circumcirca hunc thronum Majestatis Dei videre erat legiones innumerabiles Angelorum & Beatorum, qui omnes attollebant manus versùs Crucifixum, dum interim fixis intuebantur oculis sanctissimam Trinitatem. Difficile erat diu fixos tenere oculos in gloriosam hanc imaginem quin Majestatis ipsius obtunderentur splendore: demittebamus igitur quantocyùs illos versùs parietes sacellum illud circumdantes, ubi pro eo, quòd depicta essent instrumenta passionis, cernebantur nonnisi palmæ, coronæ, texta floribus frugibúsque ornamenta, ex una parte; ex altera videre erat Choros Musicorum, plurésque numerosas catervas diversarum nationum, quæ raptæ videbantur in admirationem, è quibus nonnullæ apertos in Crucifixum tenebant oculos, & brachiis in crucis modum supra pectus collocatis; aliæ sublata tenebant illa in situ & figura, quasi plaudere voluissent manibus; & ex alia adhuc parte spectandas se præbebant plures exhibitiones diversorum triumphorum, in quibus victorioſi trahebant ingentem multitudinem devictorum monstrorum, non alia in manibus tenentes arma, quàm Cruces.

Spectaculum tam novum, támque mirabile pro nobis, qui nil minus illo exspectabamus, aliquandiu defixos nos tenuit in silentio, attentósque ad considerandum id, quod vidimus; & cùm nihil hîc nobis occurreret, quod insinuaret & statueret ob oculos opprobria & dolores Passionis JEsu Christi, conversi ad Spiridionem diximus ipsi: Estne hoc, quod nuncupas sacellum Passionis JEsu Christi Domini nostri? Ita fratres mei, respondit nobis, ecce veram idæam Passionis Salvatoris mundi. Sic cœlum aspicit illam; sic omnes Beati contemplantur illam; sicque omnes mortales considerare deberent illam, velut scaturiginem omnis gloriæ Dei extra semetipsum, & omnis veri ac solidi gaudii, qui implere potest felicitate corda Angelorum & hominum intra semetipsos. Anima, quæ benè degustare nôsset fructus Passionis Redemptoris sui, quorum hîc nonnisi tenuem quamdam aspicitis delineationem, quos autem reipsâ suis illa complectitur manibus, gloriari posset, beatam se esse jam in vita præsenti.

Solidissimum animarum gaudium oritur ex Passione JEsu Christi.

Et desuper exorsus est declarare nobis arcanum mirabilium luminum, quæ Deus ostenderat ipsi in continua consideratione, quam à tantis jam annis instituebat circa ingens hoc mysterium, quæ sanè plurimum nobis afferebant consolationis, sed relinquebant quoque plura adhuc consi-

deranda, quàm ex ipsius percipiebamus ore: siquidem videbamus probè, ipsum occultâsse & retinuisse pro se solo sublimissimas quas in intellectu suo habebat cognitiones, & nobilissimos, quos in intimo corde suo gerebat, affectus. Amplectebatur, quod docent Patres vitæ spiritualis, qui tenent, velle Deum ut anima specialibus ipsius favoribus locupletata, fidelissimum servet ipsi arcanum, & esse aliqua, quæ non vult quemquam scire, nisi immediatè à semetipso addiscat illa. Incepit igitur ità nobis loqui.

JEsus Christus in Cruce parit horrorem oculis carnis, sed delicias oculis mentis.

Nihil magis abhorrent oculi carnis, quàm cruentum & crudele spectaculum Passionis JEsu Christi; sed delectabilius nihil est oculis Dei, sanctorum Angelorum, Beatorum, & omnium bonarum animarum, quæ aspiciunt illam oculis lumine spirituali, à cœlo nobis profecto, illustratis. Hinc mox ab initio declaravi vobis, solem, qui lux est mundi, ecclypsatum fuisse tempore Passionis JEsu Christi. Relinquamus lumina naturalia, si cognoscere quidquam velimus pulchritudinum ipsius, nósque dignos reddamus, ut conferat nobis Deus parvum quemdam divinorum luminum suorum radium, mediante quo clarè videbimus, quòd omnia prodigiosa hìc existant & mirabilia: Lumina naturalia nonnisi apparentiam nobis ostendunt & speciem; divina detegunt nobis ipsam veritatem.

JEsus Christus crucifixus est principium gloriæ Dei Patris sui.

Videtis hic JEsum Christum pendentem è Cruce inter maxima tormenta, mortisque agonem. Oculi carnis non vident ipsum, nisi totum coopertum plagis, dilaniatum virgis, oneratum opprobriis, doloribus, ignominiis; & hoc plerúmque conciliat ipsis nonnisi horrorem, vel fortassis excitat in ipsis compassionem naturalem, quæ non est quid magni. Sed oculi fidei intuentur ipsum in hoc statu tantâ refulgentem gloriâ & Majestate, ut ipse sit principium omnium excellentiarum, & omnis externæ gloriæ Patris sui in instanti mortis suæ supra Crucem, sicut Deus Pater ipsius est principium omnis magnificentiæ & gloriæ suæ essentialis in instanti Nativitatis suæ æternæ, in sinu divinitatis suæ: ita ut, sicut ipse non habet gloriam aliquam internam & essentialem, nisi illam, quàm recipit à divino Patre suo, quando communicat hic ipsi esse suum & divinam vitam suam; ita Pater ipsius æternus non habeat gloriam exteriorem & accidentalem profectam ab hominibus, nisi illam, quam recipit ex magno sacrificio Passionis ipsius, quando hic se immolat supra Crucem

cem pro reparatione injuriæ infinitæ, quam recipit à peccatis hominum.

Nonnè videtis etiam, quòd radii gloriæ prodeuntes ex hoc Crucifixo, sese extendant ubíque, ad deaurandum omne id, quod est extra ipsum, quódque tandem omnes immergant se in magnum hunc gloriæ Trinitatis sanctæ Oceanum; ad insinuandum nobis ex una parte, quòd nihil acceptum sit Deo, nisi adornetur gratiis & meritis, quæ proficiscuntur è Passione Unigeniti Filii sui; quódque in omnibus hominum actionibus, qualescúnque illæ sint, Deus nihil videat magni, neque eximii, nisi quod recipiunt ex dignitate Passionis Redemptoris sui; & ex altera, quòd quidquid JEsus Christus habet excellentiarum, gratiarum & gloriæ in semetipso, & quidquid ex iis communicat hominibus, collimet ad gloriam sanctissimæ Trinitatis, quódque sit reciprocatio gloriæ pro altera gloria, quasi JEsus Christus diceret Patri suo: Tu mihi confers omnem gloriam interiorem & essentialem, quam possideo; & ego reddo tibi omnem, quam possides, gloriam exteriorem & accidentalem.

O Deus! quàm abundans debet esse gaudium animæ, quæ inauratam se videt quibusdam radiis Passionis Redemptoris sui, modò oculis carnis non aspiciat illos: siquidem hi radii profecti è Cruce, ut effundant se super nos oculis carnis sunt dolores, humiliationes, persecutiones, jacturæ bonorum, amicorum, sanitatis, infortunia, adversitates; & hoc, quod ità apparet ipsi, affligit ipsam, reddítque ipsam miseram ac infelicem. Sed oculis fidei radii ipsius sunt magnificentiæ, splendores gloriæ, merita, coronæ, támque ingentes felicitates, ut omnes mundi potestates ipsi parare non possint tantas; & anima, quæ ipsas ità aspicit, tota repletur gaudio, seque beatam æstimat, dum à cunctis hominibus carnalibus infelix æstimatur & misera. Anima spiritualis honorari se credit opprobriis JEsu Christi.

Nonnè hæc sublimis est Theologia magni Apostoli Pauli reducis è tertio cœlo, ubi clarè viderat gloriam Crucis Redemptoris sui. Prædicat, scribit, clamat ex abundantia cordis sui prorsùs dilatato præ gaudio: *Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini nostri JEsu Christi.* Et S. Bonaventura Seraphicus hic Doctor continere non potest divinarum consolationum suarum abundantiam, accuratiùs ponderans hæc magni Apostoli verba. O mi JEsu, inquit, millenæ mihi sunt causæ gloriandi in te & per te, & centies millenæ mihi sunt gaudendi ex amore, quo me prosequeris, videns ea omnia, Galat. 6.

quæ feciſti & tuliſti ex amore mei in Cruce: *Magna mihi quippe Domine gloriatio, quòd pro me cœlum, terram, ſidera, & alias inferiores creaturas feciſti; ſed multò ſinè comparatione mihi major gloriatio, quòd pro me formam ſervi accipiens, factus es ſimilis mei, me regens, me gubernans, me nutriens, me cunctis animalibus præponens & exaltans: pro me autem factus es eſuriens, ſitiens, itinerans, & laborans, tantáque incommoda patiens, ut penè univerſa mundi mala ſuſtinueris. Tu dulciſſime Domine, omnia iſta mihi non ſufficiunt, niſi ſuperaddas & vulnera tua. O bone JEſu! O chara ſpes! O dulcis amor! Nonnè è cœlo lapſus es, ut me perditum quæreres, damnatum redimeres. ut me venditum ſanguine tuo pretioſo recuperares, ut me exulem à patria tuis ſacratiſſimis vulneribus ad propria revocares! O dulcis Paſtor! O cordium exhilarator, quid retribuam tibi pro omnibus, quæ dediſti mihi?*

S. Bonavent. in ſtimulo divini amoris p. 1. c. 4.

Gaudeo ex eo, quòd omnes plasmaveris creaturas pro meo ſervitio; ſed gaudeo multò magis, quòd ipſemet creatura fieri voluerit ex amore mei: gaudeo ex eo, quòd me feceris ad imaginem tuam; ſed magis adhuc gaudeo, quòd formare te ipſum dignatus fueris ad ſimilitudinem meam: gaudeo de omnibus bonis, quibus affeciſti me; ſed gloria mea, & gaudium meum longè majus eſt de omnibus malis, quibus aggravare voluiſti temetipſum ex amore erga me. Verum eſt, magnum eſſe gaudium meum ex eo, quòd præparaveris mihi thronum gloriæ pro æternitate in Regno tuo, ſed longè majus experior gaudium, quòd è throno gloriæ tuæ deſcendere volueris ſuper terram, & exin aſcendere ſuper thronum Crucis tuæ ex amore mei. Ecce gloriam meam, ecce abundantiam gaudii mei, quòd infinitæ Majeſtatis Deus, coram quo totus terrarum orbis minor eſt atomo, usque eò me amaverit, æſtimaverit me tanti, ut agere & ſufferre voluerit hæc omnia ex amore erga me. O quàm omnis gloria, omne gaudium centies millenorum mundorum meis vileſcit oculis in comparatione illius, quod poſſideo, dum intueor Majeſtatem tantam, tam potenter mihi ſuum demonſtrare amorem! *Abſit mihi gloriari niſi in Cruce Domini noſtri JEſu Chriſti.*

Quomodò verum ſit, quòd maxima cauſa nobis gloriandi ſit Paſſio JEſu Chriſti.

Sed an non capitis, inquiebat, admonens nos illius, quod dicebat, non capitis, quòd verum gaudium, quo perfunditur anima contemplans Paſſionem JEſu Chriſti, concernat propria ipſius commoda: exempli gratiâ; eòquòd videat per illam ſe liberatam à ſervitute peccati, à tyrannide diaboli, à ſuppliciis infelicis æternitatis, & à pœnis, quibus juſtitia Dei ſæpe ſæpius caſtigat pecca-

peccatores in hac vita : Fateor, ingentem esse causam gaudii reo capitis, quando obtinuit gratiam, & mancipio, quando suis se videt solutum catenis. Æstimari potest magnitudo gaudii, quo perfusus est Agrippa, qui sex menses integros gemuerat in carcere, ingenti oneratus catenâ ferreâ, ex mandato Imperatoris Tiberii, quando post hujus mortem à successore ipsius Cajo, quantocyùs fuit exemptus ergastulo, solutus catenâ ferreâ, & aliâ ejusdem ponderis donatus aureâ, regiâ indutus stolâ, coronatus diademate & Rex proclamatus Judææ. Quàm auspicatus hic dies pro illo ! dubitari non potest, quin totus perfusus sit gaudio ; sed admiratione dignum, quòd hæc felicitatis tam inopinatæ abundantia ipsum non illicò exuerit vitâ.

Joseph. lib. 18. antiquit. c. 8.

Gaudium Agrippæ soluti è carcere, & collocati super thronum.

Et nihilominùs nihil propemodùm hoc est, respectu felicitatis animæ Christianæ, quæ repente se videt morte Redemptoris sui extractam à profunda inferorum abyssо, ubi à peccatis suis, quæ præponderant cunctis catenis, ferreis captiva fuerat detenta & condemnata ad tolerandam atrocem mortem ignis infernalis, ità, ut nulli creaturæ potestas esset sese exinde liberandi ; & in eodem instanti amictam denuò regiâ sanctificantis gratiæ purpurâ, adoptatam in Filiam Dei, & coronatam Imperii æterni Reginam. Quis diffitebitur, quòd causa gaudii Regis Agrippæ, non fuerit nisi felicitatis atomus in comparatione ipsius ? siquidem quid sit illius ergastulum respectu inferni ? quid sint sex menses respectu æternitatis ? quid sit Regnum Judææ respectu Regni cœlorum ? Verum igitur est, quòd ipsa habeat ansam gaudendi summè, considerando inæstimabilem felicitatem, quam recipit ex Passione & morte Redemptoris sui. Verùm, si non videret, nisi illud, quod propria sua concernit commoda, hoc tanti non esset.

Maximum gaudium animæ extractæ ab inferno & elevatæ in cœlum.

Vera, solida, & maxima causa gaudii ipsius est, gaudium JEsu Christi ipsius, qui in sinu Crucis suæ summo suo fruitur gaudio, sicut in sinu Patris sui æterni, summo suo fruitur gaudio increato. Quando lego magna hæc verba, quæ S. Paulus scribit ad Hebræos, loquens de JEsu Christo : *Qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contemptâ* ; quod nimirum aspiciens gaudium, advolârit in sinum Crucis, nihili faciens confusionem : videtur mihi, quòd aspiciam ipsum transeuntem à magno quodam Oceano gaudii, ad Oceanum gaudii alterum. Unus est in sinu Patris sui, ubi recipit vitam æternam, alter est in sinu Crucis, ubi recipit mortem tem-

Hebr. 12. v. 2.

JEsus Christus transit è sinu Patris sui ad sinum Crucis, velut ex uno Oceano gaudii in alterum.

poralem : unus est gaudium quoddam divinum, refulgens magnificentiis gaudii infiniti ; alter est æquè gaudium divinum (nam humanum non est) sed involutum omninò est confusionibus profundæ humiliationis. Et quando S. Paulus nobis dicit, quòd ipse ità illectus fuerit gaudio Crucis suæ, ut ipsius contempserit confusionem, insinuare nobis voluit, quòd hoc gaudium, quo perfundebatur moriendo in Cruce, fuerit tantùm, ut omnes confusiones, & opprobria Passionis ipsius, quæ videbantur horrendissima probrorum barathra, absorpta & deglutita fuerint in immensitate gaudii ipsius, sicut parvula gutta aquæ in magna quadam fornace.

Gaudebat JEsus Christus, videns gloriam Dei Patris sui reparatam.

Nihilominùs si in hoc credamus oculis corporalibus, non videmus nisi confusionem in JEsu Christo moriente supra Crucem, & non videmus gaudium ipsius ; sed econtra judicaremus, ipsum totum absorptum esse in tristitia. Ubi est ergò hoc gaudium, quod non appareat ? Respondeo, illud nimis spirituale esse, nimisque purum, quàm ut percipiatur à nostris sensibus ; insuper id nimis sublime, nimisque amplum esse, quàm ut comprehendi possit à parva intellectûs nostri naturalis capacitate. An comprehendere posses, quodnam potuerit esse gaudium Filii Dei, dum aspexit omnem infinitudinem infinitarum injuriarum, quibus cuncta peccata hominum divinum Patrem suum affecerunt, perfectè suâ reparatam morte ? An benè hoc comprehendas ? an nôsti, quid sit infinita Majestas Dei ? an nôsti, quid sit infinita injuria, quam recipit à peccatis hominum ? an nôsti, quantæ sit magnitudinis reparatio honoris, ubi Deus immortalis suam sacrificat vitam, ut pro honoraria inserviat mulcta ? Benè judicas, hoc infinitâ ratione omnem transcendere captum nostrum. Jam ecce quid constituerit causam & mensuram gaudii JEsu Christi, patientis in monte Calvariæ ; & quando bona quædam anima contemplando Passionem gaudere de gaudio JEsu Christi ipsius ; ecce, undè ipsa veras gaudii sui desumat causas.

Gaudium Jesu Christi videntis animas peccatorum salvas.

Sed, quando dices : Comprehendere hoc non possum ; an saltem non comprehendis, quæ esse potuerit ipsius abundantia gaudii, cùm videret tot millionum milliones animarum, quarum amore descenderat de cœlis, ereptarum à morte æterna, & inductarum in æternæ possessionem vitæ per mortem suam ? an non conjicis, quæ esse potuerit ipsius lætitia cordis, cùm aspiceret tot ora aperta, ad cantandum

dum in æternum laudes Dei Patris sui; quòdque sua aliquarum horarum tormenta, & sua nonnullorum momentorum mors tam speciosas producerent æternitates? nonnè benè judicas, quòd, si omnes in cœlo Angeli tanto demulcentur gaudio, ob pœnitentiam unius duntaxat peccatoris se convertentis, ipsorum gaudium velut immensum esse debuerit, quando videbant hunc Deum-Hominem, qui portando supra semetipsum omnium peccata hominum, pro illis ipse solus publicam & universalem, támque oculis divini Patris sui dolorosam egit pœnitentiam? & si gaudium Angelorum tantum est ob inæstimabilem hanc felicitatem hominum, an non credis, id incomparabiliter majus esse debuisse in corde JEsu Christi ipsius.

Gaudium animæ bonæ patientis & morientis pro gloria Dei.

Et quando dices iterum: nescio & hoc comprehendere; revolve ergò tandem mente tuâ abundantiam sensibilium & palpabilium gaudiorum, quæ visibiliter apparebant in cunctis bonis animabus, vel quando ipsæ cooperatæ sunt ad conservationem alicujus peccatoris, vel quando ipsæmet conversæ sunt per veram pœnitentiam, vel quando sese exhauserunt viribus, laborando pro gloria Dei, velut

2. Cor. 7. 4. aliquis S. Paulus: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*; vel quando constitutæ erant in mediis tormentis pro defensione fidei, velut innumeri Martyres, qui palam profitebantur, se nunquam tam splendidè, támque deliciosè epulatos esse. Et tandem omnes consolationes spirituales, quas omnes boni recipiunt homines, quando prompto bajulant animo Crucem Domini nostri, quarum iniri non potest numerus; quid sunt aliud, nisi parvæ guttulæ divini hujus gaudii, cujus totus Oceanus incluſus est in corde JEsu Christi crucifixi? siquidem quæcunque afflicta esse possit bona anima, unicus JEsu Christi crucifixi, & amore sui patientis aspectus ipsam roborat, animat & consolatur, uti quemlibet docere potest experientia; & incassùm quæreretur aliunde solida consolatio: si hæc non hauriatur è JEsu Christo crucifixo, invenietur nunquam.

Quomodò innumeræ animæ trahant felicitatem suam & gaudium suum è Passione JEsu Christi.

Hanc ob rem repræsentata hic tot insignia lætitiæ videtis; ex una quidem parte Choros Musicos, ex altera populosas catervas diversarum nationum jubilantium, manibúsque plaudentium. Ecce tibi ex una parte Mariam sororem Moysis, quæ plurimarum est Ductrix fœminarum habentium in manibus suis cytharas, fistulas, & alia instrumenta Musica, ad efficiendum concentum & Symphoniam lætitiæ, postquam transiêrunt

runt mare rubrum, & liberatæ sunt è captivitate Ægypti. Ex altera parte Nationes idololatras plenas jubilo, quòd exsolutas se videant falsorum Deorum tyrannide: hìc innumerabiles peccatorum conversorum greges, qui replentur gaudio, quòd exoneratos se videant facinorum & criminum suorum jugo, ac restitutos libertati filiorum Dei. Et omnes defixos tenent oculos in JEsum Christum crucifixum, velut in fontem, unde omnem hanc gaudiorum se demulcentium hauriunt abundantiam.

Hæc ubi dicebat, converti quoque meos illuc oculos, & adverti exaratum aliquid esse supra vulnus lateris, quod magnum erat & valdè apertum: propiùs accessi & legi ibidem
Matth. 25. hæc verba: *Intra in gaudium Domini tui.* Quid innuere hoc vult, mi Pater? non recordaris, inquit mihi, quòd JEsus Christus, loquens Apostolis suis de ardentissimo, quo ipsos prosequebatur, amore, & desiderio maximo, quo succendebatur inducendi ipsos omnes in possessionem vitæ æternæ, per mortem suam, amore plenissima hæc ipsis dixerit
Joan. 15. verba: *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit.* Optaverat nempè, ut illi haberent in corde totum illud divinum gaudium, quo abundabat ipse in suo. Sed quia gaudium jucundus effectus est cordis, non exiens à suo principio, quem non parit nisi pro seipso, voluit cor suum aperiri ferro lanceæ, ut, cùm gaudium suum proprium non posset exire & venire ad nos, nobis libertas esset intrandi in illud, ibique omnes nostras immergendi difficultates ac molestias,
Ut te in cavernam lateris recepto, ad omne consilium suum reciperet, & gaudiis admisceret. Petrus Abbas Cellensis lib. 19.

O Deus, fratres mei, dicebat nobis exin, magno cum spiritûs fervore, & lacrymantibus oculis! quantâ percutiuntur omnes hominum cœcitate! ubi quærunt consolationes suas, quibus felices reddantur & beati? ecce vobis portam prorsùs apertam, quam ipsi non intrant. O si verum est, quòd aspicere solùm à longè cor JEsu apertum in Cruce, ad effundendum in nos torrentes gratiarum, nobis afferat consolationem, sicut experiuntur omnes; quantò quis illi fit propior, tantò majori etiam perfunditur illius abundantia! sed cui obtingeret fors intrandi illuc per intimos animæ suæ affectus ibi commorandi, ibi suam figendi sedem, & nunquam ampliùs indè exeundi! hic verba nos destituunt, & etiam illis opus non est, non oportet addiscere id ab alio, oportet idipsum experiri: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.*

ARGU-

ARGUMENTUM.

Consideratio Passionis Domini emollit corda durissima, dat robur maximè infirmis, & accendit zelo plurimùm negligentes.

Articulus II.

SEd non crederem, objecit bonus noster Ecclesiasticus quòd meditarer Passionem JEsu Christi cum spiritu vere Christiano, si contemplando illam nonnisi gaudii conciperem affectus: mallem oculos madere lacrymis, & tangi cor salutari compunctione, quàm demulceri & dilatari gaudio.

Gaudium divinum benè stat cum lachrymis.

Verum est, reponit illicò Spiridion. Sed an nescis, quòd gaudium divinum, de quo loquor, incompatibile non sit cum lacrymis? Si quæstio foret de gaudio purè naturali, & de lacrymis etiam naturalibus, probè novi, illa inter se non convenire. Verùm hoc admirabile est, quòd omnes lacrymæ, quas spiritus Dei elicit ex anima, inseparabiles sint à magna quadam consolatione. Harum tria observo genera. Sunt lacrymæ gaudii, sunt lacrymæ compunctionis, sunt lacrymæ amoris. Et quia omnes dimanare possunt ex eadem scaturigine, id est, ex seriâ & devotâ consideratione Passionis JEsu Christi omnes quóque ex eadem scaturigine suum hauriunt gaudium.

Tria lachrymarum genera.

Lachrymæ gaudii.

Quandò anima considerans JEsum Christum Crucifixum videt certitudinem æternæ suæ felicitatis: Ecce igitur flammas æternas, quas promerueram, extinctas in perpetuum sanguine Redemptoris mei. Ecce igitur paradisum, qui apertus est mihi per sacratissima ipsius vulnera. Ecce igitur vitam æternam, quæ certâ est mihi per mortem ipsius; & hoc jam factum est. Erit verum in æternum, quòd Omnipotens Deus, quem adoro fecerit & tulerit hæc omnia pro me: ita ex amore mei prorsùs indigni peccatoris, & vermiculi terræ. Non major mihi est certitudo, quòd Deus sit Deus quàm certitudo mihi sit, quòd hic sanguis infiniti valoris effusus sit pro me in particulari, & acquirendâ mihi vitâ æternâ. Habebo igitur illam infallibiliter, si participem me reddam gratiarum ipsius, quarum thesauros apertos habeo coram me. Ita, mi amabilissime JEsu, tu eoúsque amas me, certus sum de hoc, ut amem te æternaliter in cœlo. Si degustet ipsa admirabilem hanc veritatem, si benè ipsam

comprehendat, haud esse potest, quin experiatur quemdam in corde jubilum, qui dulciter manare faciat ex oculis lacrymas. Et ecce tibi lacrymas gaudii.

Lachrymæ compunctionis.

Verùm, si consideret: Quid obstrinxit te, ad amandum me tanto cum excessu, ô amantissime mi Salvator? An quia promerui amorem tuum? potiùs tantis, quæ commisi, criminibus promerui odium. Imò potiùs, responderet is ipsi, tua fuere crimina satellites, quæ confixerunt me cruci; dico, te ipsum esse, qui perforâsti pedes meos & manus meas clavis, tantisque caput meum spinis, & ita dilaniâsti Corpus meum virgis ac flagellis. Et dum ita in me sævis, ego id patior amore tui, ut in æternum te reddam beatum. An agnoscere quis posset se verum Auctorem tanti criminis, quòd mereretur conteri fulminibus cœli, & nihilominùs videre amorem Redemptoris sui non aliter id ulciscì, nisi tantâ misericordiæ abundantiâ? Quis intueri posset malitiam suam ita bonitate infinitâ amabilissimi Salvatoris sui devictam, & non sentire cor suum contritum compunctione & dolore maximo, quòd ita suas pretioso ipsius sanguine rigaverit manus.

Veni, Moyses, percute petram hanc ligno, quod tuis constringis manibus, ut diffundat in abundantiâ aquas. Non invoco illum veteris Testamenti Moysen: sed Tu ipse es, ô JEsu, Tu verus es Moyses, cujus alter non erat nisi figura. Vide duritiam cordis hujus lapidei, quod in scelerato meo circumfero pectore, & percute illud salutari ligno Crucis tui, quam tuis amplecteris manibus: percute id bis, centies & toties, quoad tandem effundat aquas, abundantes lacrymas, ardenti expressas dolore, quòd te videat suffixum in Cruce. Ecce tibi lacrymas compunctionis, dimanantes ex amaritudine cordis afflicti. Sed nunquam anima veriori fruitur solatio, quàm quando ita se sentit afflictam, juxta illud Sancti Spiritûs in divinis Scripturis oraculum: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Ecce igitur adhuc inseparabile à lacrymis gaudium.

Verus Moyses elicit aquas è petra ligno Crucis suæ.

Psal. 93.

Denique sunt lacrymæ teneritudinis, sive amoris intimi quæ sunt illæ animarum innocentium, quas dulciter elicit amor ad solum & unicum intuitum Crucifixi sui JEsu. Nix longo tempore exponi non potest radiis solis, quin tota liquefiat & diffluat in aquam; nec animæ, quibus candor est nivis, subsistere possunt ad aspectum divini hujus solis, resplendentis in Cruce, in ardoribus plenæ meridiei in-

Lacrymæ amoris.

incomparabilis sui amoris, quin illicò solvantur in lacrymas, sed tam dulces & consolatorias, ut omnia terræ gaudia nonnisi tristitiæ sint & amaritudines in comparatione. Videre erat ex illis, quæ conficiebant ex his panem suum die ac nocte, degustantes in jucundo hoc convivio delicias Paradisi. Qui voluisset consolari illas, abstergendo ipsarum lacrymas, multò magis ipsas afflixisset: *Recedite à me*, dixissent, *amare flebo; nolite incumbere, ut consolemini me.* Abeste importuni consolatores, sinite laxare fœna fletibus, recedite, sinite me solam, nec obstate, quin meo fruar commodo, meæ dulcore amaritudinis; sinite opportunè plorare me super dilectum meum amore mei Crucifixum.

Isaiæ 22.

Lacrymæ S. Dominici super Passionem Domini.

Sanctus Dominicus, sicut observat S. Antoninus, qui ipsius descripsit vitam, fecit ex oculis suis duos fontes lacrymarum, qui nunquam exsiccabantur. Ad unicum intuitum Crucifixi congeminabat tantâ cum abundantiâ illas, ut madefaceret & irrigaret terram, percellens admiratione spectatores, quâ ratione tantas posset suppeditare lacrymas, tantam illarum profundere copiam; sed erant ex aquis illis cœlestibus, quæ nunquam cessârunt irrigare terram pluviis à mundi creatione.

Nôrunt omnes, quòd Seraphicus Pater Franciscus, cui aliæ non erant deliciæ in terris, nisi amaritudines Passionis Redemptoris sui, ploraverit tam abundanter, ut ex eo suos perdiderit oculos. Medicus, qui probe videbat, eum exin perstringendum cœcitate, seriò adhortabatur ipsum, ut conservaret residuum visûs sui, quem amissurus erat ocyùs, si ità pergeret plorare. Mi frater, respondit ipsi Sanctus magno cum spiritus fervore: an voles, ut ad conservandos oculos carnis nobis communes cum muscis, desinam reddere saltem aquam pro sanguine tam copioso, quem effudit Salvator meus pro me in Cruce.

S. Franciscus deplorabat amarissimè Passionem JEsu Christi.

Affligebatur anima ipsius tanto doloris sensu ex Passione JEsu Christi, ut nunquam non quasi cogeretur effundere se in querelas & lamentabiles ciere clamores, quos continere non poterat. Obstringebatur ex hoc præsentiam vitare hominum, & loca quærere solitaria, ubi omnem affectibus suis dare posset libertatem, quibus emollissent ipsas tygrides, & ipsas flexissent petras. Alloquebatur modò JEsum Christum, quasi præsentem intueretur ipsum oculis suis corporeis: Itáne, mi JEsu, tu hæreas in Cruce, & ego absque cruce maneam; tu es innocentia ipsa, & pro me pateris scelerato? an necesse hoc

erat ad expiandam meorum multitudinem criminum? an videtis mea crimina, stragem, quam feciſtis in Perſona Salvatoris mei? Eheu! nonnè meliùs fuiſſet, nunquam è nihilo prodiiſſe me? ſed an opus his omnibus erat, amabiliſſime mi JEſu, ut oſtenderes, quòd ames me? nimium hoc eſt, nimium hoc eſt; nam quòd ames me, novi nimiùm. Sed nonnè nimium ſit, mi JEſu, quòd plus me ames propriâ vitâ tuâ? Cor meum, quid inquis ad hæc? ubi invenias amorem, ut tanto reſpondeas amoris exceſſui.

Et modò ſtupeſcebat, quòd omnes creaturæ omnis expertes ſenſûs non iisdem ſecum penetrarentur affectibus, quódque omnes non effunderent lacrymas ſuper mortem Creatoris ſui. Volucres cœli non canite amplius, ſed gemite; nonniſi in lugubres veſtras voces ſolvite concentus, nonniſi threnos edite, nænias cantate. Excelſæ arbores, quæ adeò in ſublime veſtra porrigitis cacumina, demittite vos, veſtra disrumpite brachia, totas convertite vos in cruces, ad honorandum illam JEſu Chriſti. Et vos petræ diffindite vos, & ſenſibiles eſtote. Et dum loquebatur ipſis, aſpiciens parvos rivulos inter petras illas dulci cum murmure dilabentes, credebat id eſſe ipſarum gemitus, ipſarum lacrymas ſuis conformes affectibus, ſuis non abſimiles ſenſis. Ah! petræ, quantum placetis mihi! an igitur usque ad lacrymas commotæ eſtis? & fortiter intendens vocem ſuam: Ità, fratres mei, ô petræ, ploremus; egrediebatur exin Echo reſpondens ipſi: ploremus. Ingeminabat fortiùs: ploremus, ploremus; & Echo reſpondebat: ploremus, ploremus.

Et deſuper percutiebat pectus ſuum. Ah! crudelis & inſenſate Franciſce, an vides, quòd petræ, pro quibus non eſt mortuus JEſus Chriſtus, vivaciori tangantur ſenſu mortis ipſius. Et obmutuit, dum interim oculi ſuarum deducebant fontes lacrymarum. Nobilis quidam vir illic tranſiens, & lamentabiles ipſius percipiens clamores, credebat hunc miſerum eſſe hominem trucidandum ab alio, accurrit, ut ſuccurrat ipſi, & videns ipſum ſolum: Hem! inquit, quid habes mi Pater? quis ità affligit te? dic mihi, quid expetas, & mox conſolabor te: *Non pro rebus temporalibus gemo, ſed pro doloribus Domini mei*; pendo grates de bona voluntate tua, terrena cuncta pendo nihili. Vis conſolari me? ploremus ſimul ſuper doloroſam & amoroſiſſimam Paſſionem Domini noſtri.

Verùm ſi Paſſio Domini noſtri JEſu Chriſti tantæ eſt efficaciæ,

Consideratio JEsu patientis corroborat animas.

ciæ, ut durissima emolliat corda, non tamen ideò debilitat & enervat illa, sed potiùs in morem potionis cardiacæ corroborat, ipsáque reddit invincibilia. Magnus Apostolus, qui probè noverat, vitam Christianam continuam esse militiam super terram, non alia suggerebat monita fidelibus, ad roborandum illos adversùs multitudinem inimicorum, quibus cum lucta ipsis erat, quàm cogitare & recogitare seriò cruciatus Passionis JEsu Christi: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.* Memineritis discipulum non esse supra Magistrum; cùmque JEsus Christus sit Deus, quem adoratis, & Dominus, cui servitis, nimìs quàm æquum est, ut prompto ac lubenti sufferatis animo amore ipsius illa, quæ ipse tam benignâ voluntate sustinuit amore vestri. Cogitate igitur apud vosmetipsos, sed cogitate sæpius & seriò; *Recogitate.* Considerate benè, quas contradictiones, quásve persecutiones is sustinuerit à peccatoribus, & ne concidatis animo; sed potiùs confirmate vos, animate vos, vósque beatos æstimate, quando quid simile sufferetis amore ipsius.

Heb. 12.

Quid mali obtingere tibi posset, quin videas multò majora pertulisse JEsum Christum, amore tui tempore Passionis suæ? dicentur tibi convitia; ah! quot & quanta dicta sunt illi? excipiêris sputis & colaphis in facie tua; & nonnè his ipsis ille exceptus est? maximo habeberis despicatui; sed ad illos, quos tulit ipse, an tuus accedat? cunctis spoliabere bonis, & exuêris omnibus: sed an unquam tam nudus eris, uti is erat in Cruce, ubi ne quidem pellem suam habebat integram? inferentur tibi injuriæ, violentiæ, crudelitates; ad ipsam condemnaberis mortem, quantumvis innocens; sed an unquam tam innocens eris quàm ipse? & omnes injuriæ, quæ inferri tibi possunt, & ipsa mors, ad quam poteris condemnari, an tam crudeles, tam ignominiosæ erunt, sicut suæ? ubi est animus tam ignavus, ut conqueri audeat de pœnis, quas oportet tolerare, quando videt graviores multò toleratas esse à Redemptore suo? nonnè indignus, qui portet arma, foret miles, qui sequeretur Ducem suum cum repugnantia? & Christianus, an indignissimus non erit Religione, quam profitetur, si pati non velit cum JEsu Christo?

Omns nostræ afflictiones leves sunt comparatæ cum illis JEsu Christi.

Phocion ducebatur ad mortem, quò etiam contendebat generosissimè, & Tudippas, qui ad idem condemnatus erat supplicium, maximo percellebatur

Magnus nobis est honor pati cum JEsu Christo.

horrore. Itáne, ignave, contremiscis, dicebat ipsi Phocion? *An tibi non satis est cum Phocione mori?* nonne ingens tibi honor est, habere te moriendo me collegam? erat hoc maxima pro uno vanitas, & minimum pro altero solatium. Sed reipsâ solidissimum solatium est & admirabile robur pro anima Christiana, quæ patitur, quando JEsus Christus alloquitur ipsam è Cruce sua: *An non tibi satis est pro Christo pati, pro Christo mori?* nonnè maxima felicitas est, pati cum JEsu Christo, & major adhuc mori pro illo? an ignoras, quid is fecerit, quidve tulerit ex amore tui? hoc unicum sufficeret, quando aliud sperandum non foret post hanc vitam. Sed nôsti, coronas immortales ipsum tenere præparatas pro iis, qui patiuntur vel moriuntur amore illius:

Tertull ad veris. Gnost. c 8. *Hoc ipsum sufficere eis ad gloriam debeat, æquari Passionibus Domini & Magistri.*

Bona anima tenens imaginem JEsu Christi patientis non audet petere liberationem à dolore.

Labata tom. 3 Verb. Christi Passio.

Bona quædam anima, quæ acutissimos sufferebat dolores, tempore alicujus infirmitatis, nunquam non in manu gerebat Crucifixi imaginem, quam aspiciebat perpetuò; osculabatur sæpius vulnera ejus, & quandóque ad exemplum sanctæ Blandinæ dicebat, ad roborandum & animandum se in pœnis suis: Christiana sum, Christiana sum. Dicebatur illi: Eccur non obsecras Dominum nostrum, ut mitiget paulisper dolores tuos? sed quâ fronte, respondebat ipsa, petere auderem non pati, aspiciens, quòd tulerit ipse tam atrocia tormenta amore mei? Ipse asserit mihi in Evangelio, quòd amet me, sicut divinus Pater suus amavit ipsum; agat igitur mecum, accipiat & excipat me, sicut à divino Patre suo exceptus est, modò ipsi placeam, omninò sum contentissima, crucifigat me, sacrificet me juxta placitum suum. Et quid est id omne, quod pati possumus nos miseræ parvulæ creaturæ, respectu ejus, quod passus est Deus omnipotens amore nostri?

Aspicis admirabilem ipsius zelum? sed quicunque navat operam contemplandæ Passioni JEsu Christi, viva cum fide, & seria consideratione, impossibile est, quin sentiat se totum succensum sancto zelo gloriæ ipsius, & salutis animarum, pro quibus ceu pretium dedit vitam & sanguinem suum, quamvis vecordissimus mortalium foret in mundo. Magnus Apostolus scribebat ad Galatas: *quòd crucifixus esset mundo, & mundus sibi.* S. Bernardus, qui probè assecutus est sensum & affectum hujus vasis electionis, admiratur in hoc ingentem ipsius zelum, & pulchram hanc explanationem ipsius addit verbis. Sanctus Paulus erat cruci-

Galat. 6.

Quomodò S. Paulus crucifixus fuerit cum JEsu Christo,

S. Bernard. serm. 7. quadrages.

crucifixus mundo per magnum contemptum, quo mundus prosequebatur ipsum, & mundus crucifixus erat sancto Paulo, per magnam compassionem, quâ afficiebatur, videns ipsum perire. Siquidem ipsum totum immersum videns criminibus, sibique adhuc complacentem in malis suis: *Illis tam|dirè cruciatur & torquetur, ac si Cruci & patibulo affixus esset.*

Participes nos reddere debemus dolorum animæ JEsu Christi.

Participem se reddere sensibilium dolorum Passionis JEsu Christi per pœnitentias corporales, velut jejunia, disciplinas, cilicia, bonus est zelus, quo plures animæ Christianæ effervescunt. Sed affici doloribus animæ ipsius ob crudelitatem, quam paccata hominum exercent in ipsum; ecce tibi zelum magnorum Sanctorum, qui penetrantes usque in adorandum Sanctuarium animi ipsius clarè vident, afflictiones animæ suæ majores sine comparatione fuisse cunctis corporis sui suppliciis ac tormentis. Homines erant, qui torquebant corpus ipsius, sed peccata erant, quæ ipsius torquebant animam. Jam unicum peccatum, cujus malitia est infinita, crudelius est, quàm fortitudo naturalis omnium simul hominum. Pauci carnifices torquebant corpus ipsius in Passione sua, sed infinita peccata affligebant & torquebant ipsius animam. Et hoc est, quod nunquam non succendit zelum maximorum Sanctorum, ad opponendum se ex totis viribus suis, excrescentibus peccatis hominum.

Simon Metaphrastes describens vitam sancti Martyris Pionii, affirmat, quòd, cùm esset in aliquo ergastulo totus oneratus catenis, non conquestus fuerit de pœnis suis corporalibus, sed potiùs hauserit exiis solatium, probè gnarus, quòd per illas arctiùs conjungeretur JEsu Christo. Sed intelligens, quòd persecutionis rabies, quæ summa erat, terrore percelluerit multos Christianos, quódque indies nonnulli desererent fidem, tam sævos in corde suo experiebatur dolores, ut miserandum in modum exclamaret, quasi foret implexus rotæ, suisque cœlum pulsaret querelis. Adjuva Domine, ampliùs non possum, dilaceror in frusta, discerpuntur mihi viscera; novo quotidiè supplicii genere afficior, membratim namque concidor, dum candidas stellas à cauda Draconis in terram detrahi video. Nonnisi semel Martyr extitit in corpore suo, sed quoties extitit talis in anima sua per dolores, quibus à suo torquebatur zelo incomparabiliter crudeliùs, quàm ab omnibus cruciatibus corporis sui? Metaphrastes die 1. Febr.

Ecce quàm verum sit, quòd attentè considerare Passionem JEsu

JEsu Christi durissima emolliat corda, quòd illa emolliendo ipsa quoque corroboret & virtutem conferat omnia, pro Christo patiendi; quódque tandem illa in propriæ utilitatis admittens societatem, ipsa sancto animet zelo, pro gloria sua & salute animarum, quæ steterunt ipsi sanguine suo, & vitâ suâ.

ARGUMENTUM.

Passio JEsu Christi est ingens liber, in quo anima Christiana addiscere potest omnes suas obligationes.

Articulus III.

ANimus noster æquè suas patitur infirmitates ac corpus nostrum. Una ex periculosissimis est hydrops, ipsum insatiabilis sitis crucians tormento. Hydrops corporis credit, se suum invenire solatium bibendo multum; sed idipsum est, quod infirmum occidit; quando omnes exhauriret fontes, suam non extingueret sitim. Hydrops animi, quo hic urgetur ad replendum se cunctis scientiarum generibus, impelleret ipsum ad devorandos omnes, qui in mundo sunt libros; sed quantò plus suam conatur extinguere sitim, tantò ampliùs ipsam accendit.

Petrarcha lib. II. de Remed. utriusque fort. dial. 42.

Petrarcha, qui noverat quemdam amicorum suorum summè hâc infirmitate vexatum, vi cujus inhiabat omnis generis codicibus ac libris, sacris & profanis, ut illos saltem in sua coäcervaret Bibliotheca, si suo ipsos capite capere non posset, adnititur bonis suis monitis sanare ipsum. Mi amice, quid facere cogitas? qui ingrederetur domum tuam, nonnè crederet, te potiùs Librarium esse & Bibliopolam, quàm Doctorem? nonnè dubitaretur an tenearis desiderio sciendi, vel potiùs nesciendi omnia? an ignoras, quòd si paucorum, eorúmque bonorum librorum lectio plurimos ad altam evexit sapientiam, multitudo librorum sinè discretione, sinè selectu lectorum, non pauciores deduxerit ad stoliditatem. Ille, qui scire vult omnia, nihil scit, sicut ille, qui per omnis generis discurrit vias, nusquam vadit. Divagari velle absque intermissione per mundum, & cuique obvio aliquod dicere verbum, & exin suam prosequi viam, non servit ad faciendum unquam cum aliquo vel amicitiam vel familiaritatem. Sic accidit iis, quibus ardor est legendi omnis generis libros, quorum aperire unum & quasdam ex eo legere lineas, & exin ipsum claudere

Abusus eorum, qui insatiabiles sunt in habendis & legendis omnis generis libris.

dere, ac illorum capere alterum, & sic continuare; hoc nulli bono est, nisi eos vidisse omnes, abs eo, quòd perspectus aut cognitus sit vel unicus. Et post plura alia pulchra motiva ipsi proposita, suadet, ut abjectâ multitudine, quæ ipsum opprimat & confundat, bonum aliquem sibi eligat librum, illique intendat. Qui librum unum efficaciter elegisset, inutiliter multos aperit.

O quàm verum hoc est, fratres mei, dicebat nobis desuper Spiridion, quàm verum est, non opus esse Christiano, nisi unico bono libro, ut doctus evadat & sapiens! dico, sapientior cunctis hominibus, qui sunt in terris. Sed liber hic, quo indiget, non compositus est ab hominibus; conceptus is est in intellectu Dei ab æterno, & consistit nonnisi in unico solo verbo, quod includit in se omnes thesauros scientiæ & sapientiæ Dei. Impressus is est absque aliqua operatione humana, sed per donum Spiritûs Sancti, in sinu purissimæ Virginis, quæ illum velut religavit, corporalem atque visibilem reddidit oculis nostris. Qui cùm datus nobis esset adeò dives cunctis arcanis Divinitatis ab intus, impressus exindè fuit ab extra characteribus horrendis malitiæ peccati per manus peccatorum.

Hâc fermè ratione explicat S. Hieronymus textum illum Apocalypseos, ubi sanctus Joannes dicit, quòd viderit *librum scriptum intùs & foris*. JEsus Christus, dicit S. Hieronymus, sed JEsus Christus crucifixus, liber hic est scriptus intùs & foris: ipse secretus est & publicus, apertus est & clausus; visibilis est oculis nostris corporeis ab extra, invisibilis est cunctis nostris luminibus & cognitionibus naturalibus ab intra. Qui legere & comprehendere posset omne id, quod scriptum est intùs, nôsset omne id, quod Deus novit in infinita amplitudine scientiæ suæ divinæ, & qui attentè legere volet, quod scriptum est foris in innumerabili hoc numero sæviſsimorum vulnerum, quæ recepit in corpore suo tempore Passionis suæ, cognoscet ex parte infinitam malitiam peccati, quod verus est carnifex, qui ità illum accepit.

S. Hieronym. in Epist. Apoc. 5.

JEsus Christus est liber scriptus intùs & foris

Non capiebam, quod mihi dicebatur, peccatum tantam injuriam inferre Deo, ut, quantum in se est, totum destruat ipsum: credebam hoc simplicem tantùm esse imaginationem, eòquòd noverim Divinitatem esse invulnerabilem. Sed ut veritas hæc manifesta mihi & omninò fieret perspecta, sensibili vestire se voluit corpore. Ah! non ampliùs modò difficulter credo, quòd peccatum modo infinitâ ratione

Videri potest injuria, quam peccatum infert Divinitati, scripta super Humanitatem.

indigno accipiat Deum in throno Majestatis suæ, quando video, quantâ barbarie & crudelitate accipiat ipsum in throno Crucis suæ. Video, quòd oneret ipsum opprobriis; video, quòd dilaniet ipsum virgis; video, quòd perforet ipsum spinis; video, quòd cooperiat ipsum plagis, quòd ipsum torqueat, quòd ipsum crucifigat, quódque ipsi tandem cum sanguine suo eripiat vitam; & hæc infert & exhibet omnia propriæ Personæ Dei. Verum est, illud rabiem suam exercere non posse, nisi in solam Humanitatem ipsius, ad destruendum illam. Sed ex hoc cognosco genium & horrendam ipsius malitiam, & clarè video, quòd, si posset, non minus faceret propriæ ipsius Divinitati.

Deus semper ostendit odium, quo fertur in peccatum.

Nunquam non ostendit & manifestavit Deus infinitum odium, quo prosequitur peccatum, & quantum ab eo sese æstimet offensum. Ab initio mundi id attestantur milliones Angelorum præcipites acti è fastigio cœlorum in profundum inferni barathrum, ad ardendum ibi in sempiternum ob peccatum unicum, quod non consistebat nisi in unica cogitatione superbiæ. Pro unico peccato commisso à primo homine, tota natura humana tractata fuit velut rea; condemnata, ut privaretur in æternum visione Dei, & omnes homines onerarentur miseriis, infirmitatibus, paupertate, infortuniis & omnis generis calamitatibus, toto decursu vitæ suæ. Deducitur idipsum è diluviis, quæ universam submergunt terram; ex igne cœlesti, qui in cineres & favillas plures redegit civitates; è motibus terræ, qui concusserunt plures illarum, è pestilentiis, quæ depopulantur Provincias & Regna; è bellis, quæ torrentium in morem, sanguinem effundunt humanum. O Deus! quanto odio prosequeris peccatum, quod tam severè castigas!

Nunquam ediumDei erga peccatum meliùs apparuit, quàm in Passione JEsu Christi.

Verùm hoc nondum est, quod magis luculenter ostendit odium infinitum, quo fertur in peccatum; lege illud in hoc libro scripto foris, JEsuChristo Crucifixo. Ecce tibi proprium Filium Dei, quem infinitâ ratione amat; ecce tibi illum, qui tam pretiosus est ipsi, ut centies milleni milliones mundorum respectu ipsius nihili æstimentur ab ipso; melius fuisset, quòd omnia entia creata annihilata fuissent in æternum, quàm quòd tolerâsset ipse leviſſimam, quam sustinuit pœnam. Nihilominùs Deus Pater tradit ipsum morti, & morti crudelissimæ ac probrosissimæ, ad demonstrandum nobis magnitudinem odii, quo prosequitur peccatum. Impendat ipse omnia divinæ suæ sapientiæ lumina, intendat omne divini sui bra-

brachii robur, invenire non poterit medium, ad declarandum magis hominibus horrorem peccati. Videte oculi mei, injuriam, quam peccatum meum infert Majestati Dei, quem adoro; legite illam in hoc libro scripto foris characteribus sanguinis sui; auferte omnes alios mihi libros; & legamus nonnisi hunc solum, ipse semper apertus est oculis nostris; legamus, studeamus, profundissimè desuper meditemur, addiscemus ex illo, quàm fugiendum nobis sit peccatum. Et hæc obligationum nostrarum omnium præcipuarum est una, à qua plurimùm dependet salus nostra.

Et quia amor Dei, qui inseparabilis est à vero odio peccati, omnium est prima, principalis, magisque indispensabilis animarum nostrarum obligatio; legite, nunquam videre poteritis illam magis visibilibus, magisque luculentis characteribus impressam, quàm in libro hoc scripto foris:

S. Bernardus. *Vulnera hæc loquuntur pro me, quia diligo te.* Omnia ipsius vulnera sunt velut ora aperta, quæ loquuntur tibi adorandi sui sanguinis voce, tibique dicunt: Ecce magnitudinem amoris mei erga te, penetrantis usque ad intima cordis mei, quod eo nomine teneo apertum, ut demonstrem tibi illam. Aspice statum, quò redigi volui amore tui, & in omnibus meis lege vulneribus, quòd verum sit, quòd amem te plùs quàm propriam vitam meam, & agnosce, quàm obligatus sis amare me, plùs quàm omnes creaturas, & plùs quàm teipsum.

Asserebas Domine; majorem hâc dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Sed quomodò tibi credam, cùm videam, te feciſſe multò plus, pretiosam vitam & animam tuam ponendo pro inimicis? nunquam odium peccatorum erga te ascendit sublimiùs, quàm quando re ipsâ suffixerunt te in Cruce; & nunquam amor tuus erga ipsos triumphavit majori cum splendore, quàm quando reipsâ tuum effudisti sanguinem, ad delendum enorme crimen eorum, qui illum effundebant. Videte Angeli cœlorum & tabescite præ admiratione; videte astra Firmamenti, accurrite cuncta; adeste omnes mundi populi, videte pugnam amoris & odii, bonitatis infinitæ, & malitiæ infinitæ Dei omnipotentis & execrandissimi peccati, ubi bonitas Dei triumphat de malitia omnium hominum, & amor ipsius transcendit ipsorum odium: *Major fuit charitas Christi patientis, quàm malitia crucifigentium.* O Deus! quale sit cor, quod non cedat potentiæ victorioſi hujus amo-

Amor hic triumphat de odio.

D. Thom. 3. p. q. 48. a. 2.

ris, JEsu morientis pro nobis in monte Calvariæ.

Vos credere non vultis, dicebat Judæis, quòd solus Deus verus, quem adoratis, sit Pater meus: veniet aliquandò dies, quo videbitis clarè idipsum, quando tanti amoris perficiam opera, ut fassuri sitis ipsi impossibilia illa esse, nisi Deo soli infinitâ ratione bono; & hoc erit, quando configetis me Cruci: *Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.* Siquidem, cùm summè excreverit malitiæ vestræ abundantia, excrescet quoque desiderium meum & placitum meum effundendi super vos omnem bonitatis meæ & amoris mei munificentiam. Vos exaltabitis me super lignum ignominiæ, & ego exaltabo vos supra thronum gloriæ: vos mortem inferetis mihi sævam, & ego vitam vobis conferam beatam; vos separabitis animam meam à corpore meo; & ego uniam animas vestras Deo, qui vera est vita: vos occludetis oculos meos lumini Solis visibilis, & ego aperiam vestros oculos luminoso splendori æternitatis: vos expelletis me è mundo; & ego extraham vos ex inferni abysso: vos collocabitis me inter duos latrones, ut finiam ibi majori cum opprobrio vitam meam; & ego collocabo vos inter medios cœtus Angelorum, ut majori cum gloria ibi fruamini dulcore vitæ æternæ; vos perforabitis manus meas clavis, & ego utar illis, ut scribam vos in manibus meis, sicque nunquam obliviscar vestri: vos affigetis pedes meos ligno Crucis; & ego passu gigantæo curram post vos, ut lucrer animas vestras: vos transfigetis caput meum coronâ spineâ, & ego condecorabo caput vestrum coronâ gloriæ; vos irrisoriè dabitis mihi sceptrum ex arundine, & ego manus vestras communiam sceptro Regni cœlorum. Tandem, vos aperietis mihi venas, ad extrahendum totum è corpore meo sanguinem; sed vos eruere nunquam poteritis è corde meo amorem, quo feror erga vos, nec ardens, quo succendor, desiderium salutis vestræ.

Joan. 8.

Admirabilis triumphus bonitatis JEsu Christi super malitiam Judæorum.

Quando videbitis hæc omnia, cognoscetis quia ego sum: dicetis enim, impossibile esse omni alteri, quàm infinitæ bonitati Dei, sic vindicare de offensoribus, & facere, ut superabundet gratia, ubi superabundavit delictum; & super omnia, quando videbitis, quòd sufferens hæc cuncta, id facturus non sim cum tædio, sed cursurus ad Passionem meam cum ardore, velut maximo abreptus desiderio, quod experior in corde meo, tradendi vitam meam temporalem, ut vitam vobis acquiram æternam:

Passio JEsu Christi demonstrat, quòd sit Deus.

propter

Ephes. 2. *propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos.* Quâ ratione legat anima magnas hasce veritates, quæ plenô meridie videntur clariores, in magno hoc libro foris scripto, quin toto ardenti succendatur desiderio adamandi tam perfectum amorem, sed adamandi illum usque ad tolerandum omnia, & usque ad moriendum amore illius.

Sanctissimus ille Episcopus Angliæ Joannes Fischerus, cujus Hieron. Poll. Hieronymus Pollinus describit vitam, zelum & Martyrium, non adeò procul dissitum à diebus nostris; cùm acciderit sub Regno Henrici VIII. qui postquam promeruerat gloriosum titulum defensoris Ecclesiæ, infamis ejusdem evasit persecutor. Sanctissimus hic Episcopus, quia subscribere noluerat impio Regis edicto, quo agnosci voluit pro Capite Ecclesiæ, condemnatus est ad mortem, diffluens lacrymis lætitiæ, quando suam intellexit sententiam. Ah! mi JEsu, an dignus ergò sim pati & mori pro te? eamus, absque mora, nec differamus momento: vix incedebat parvo innixus baculo, magnæ suæ senectutis ergò; sed ubi à longè aspexit locum & supplicii sui instrumentum, cor ipsius majori exarsit incendio, novas resumit vires, abjicit baculum, & magnis incedit passibus: *Eja pedes, officium agite, parum itineris restat*; & exin habebimus coronam. Ne admiremini, sicut omnes fecerunt adstantes; hoc est, quòd absque intermissione legebat in magno hoc libro scripto intùs & foris; & ex hoc addidicit doctrinam perfecti amoris.

Fervor admirandus sancti Martyris Joannis Fischeri.

Quando non legeres hîc aliud, nisi horrorem peccati, & infinitum odium, quo prosequendum est; quando hîc nil addisceres, nisi magnam amoris, quo fertur in te JEsus, abundantiam, & illius, quem ipsi debes, reciprocationem, hoc abundè sat esset, ut sapientior evaderes cunctis Doctoribus mundi. Sed quæ virtus, quæ perfectio, quæ sanctitas optari potest in Christiano, cujus non legas exempla infinitâ ratione perfecta in eximio hoc libro? cupis erudiri in obedientia? vide, quid S. Paulus tibi dicat, quòd fuerit obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; erat hoc mandatum, quod receperat à Patre suo; unde incomparabiliter mavult perdere vitam, quàm non implere obedientiam. Aves institui in humilitate, & amore contemptûs, ignominiarum, opprobriorum & confusionum? Crux ipsius est cathedra, quò non videtur esse sublatus, nisi ut doceat universum orbem lectionem hanc magnam, quæ omnem confundat superbiam, omnémq; mundi

JEsus Christus in Cruce est liber docens omnes virtutes.

vanitatem. Anhelas instrui in patientia? vide, an unicum ex ore ipsius prodeat verbulum, nisi quo petat gratiam & indulgentiam pro iis, qui ipsum occidebant. Desideras addiscere paupertatem & exspoliationem omnium bonorum terrestrium? aspice, quomodò moriatur totus nudus in Cruce, vestitus duntaxat vulneribus suis & coopertus torrente sanguinis sui pretiosi, quo amiciebatur velut veste purpureâ. Unico verbo, quamcúnque perfectionem exoptare poteris, stude & assiduam nava operam eximio huic libro, & hîc invenies summum omnium virtutum fastigium. Admirabile est, doctrinam hanc, quæ tam sublimis est, scriptam esse in exteriori hujus libri, semper expositam oculis omnium mortalium & simplicissimis quibúsque intelligibilem, modò fide non careant & bonâ voluntate.

Sed quid cogitandum est de animabus spiritualibus, quæ mentis oculos satis habent illuminatos, ad legendum id, quod admirabllis hic liber complectitur intùs. O Deus! si effari possent, quod ibi contemplantur! abyssus hîc sunt in abyssis, abyssus magnitudinum in abyssis abjectionum; infinita Majestas Dei immortalis immersa profundo nihilo peccatoris castigati à severissima justitia Dei. Quale spectaculum! infinita Sapientia Dei accepta & adhibita velut stultitia! infinita pulchritudo Dei, cujus aspectu delectantur omnes Angeli cœlorum, deformata spurcitiis, quæ horrorem concilient oculis! Sanctitas infinita Dei condemnata ad tolerandum supplicium scelleratissimorum, & moriendum in societate illorum! magnus Oceanus omnium gaudiorum in æternitate, immersus in abysso tristitiæ, quâ rapitur usque ad luctam mortis! Omnipotens usque ad summam deductus infirmitatem! quale spectaculum! & ut verbo dicam, quod nunquam exprimi potest cunctis verbis mortalium, omnia conversa in nihilum, Deus moriens pro indignissima suarum creaturarum, quæ est peccator! In magnis hisce abyssis sese imergunt, seque perdunt omnes animæ contemplativæ: dico, quòd hîc se perdant, cùm nesciant ampliùs, quid sint, quídve secum fiat.

Addiscunt hîc ipsæ sapientem stultitiam Crucis, quam omnis hominum comprehendere non potest sapientia. Concipiunt hîc & hauriunt ardentia illa desideria afflictionum, contemptuum, altissimæ paupertatis, exspoliationis ab omnibus creaturis, quibus impelluntur ad prosequendum odio id omne, quod plurimùm diligit mundus, & requirendum

Animæ spirituales, penetrantes usque ad interiora JEsu Christi, legunt hîc mirabilia.

In interiori JEsu Christi addiscitur scientia Sanctorum.

rendum omne id, quod fugit is maximè : & æstimantur ipsi quandoque ceu insensati. Hîc sublimissimi quique Doctores Ecclesiæ hausérunt divina hæc lumina, quæ admiramur in ipsorum libris, quæque imbecillitas intellectûs nostri naturalis comprehendere non potest, quamvis verum sit, hæc non esse nisi parvulas scintillas, eòquòd impossibile ipsis fuerit explanare verbis, quod mens & intellectus ipsorum legere poterat in magno hoc libro scripto intùs & foris, JEsu Christo Crucifixo. Moyses recedens à familiari colloquio cum Deo in monte, obmutuit: sanctus Paulus redux à raptu suo, quo deductus fuerat usque ad tertium cœlum, affirmat sibi permissum non esse de iis, quæ viderat & audiêrat loqui; & his, dum revertuntur è profundis abyssis interiorum JEsu Christi, non licet loqui: si quidquam de iis dicunt, non est id, quod viderunt, sed id, quod intelligere nos homines possumus.

S. Bonaventura doctrinam suam Seraphicam hausit à JEsu Christo crucifixo.

Sanctus Thomas & sanctus Bonaventura erant coætanei, ambo magni Ecclesiæ Doctores, ambo magni Sancti, & ambo amici intimi. Unus nuncupatur Theologiæ Angelus, & alter illius Seraphim: ambo admirabiles tum in suis luminibus & cognitionibus, tum in suis ardoribus & affectibus. Cùm aliquandò sanctus Thomas visitationem impenderet sancto Bonaventuræ, petiit ab ipso: Rogo te, dic mihi, quinam est liber tuus particularis, unde desumis doctrinas tam sublimes, tanto plenas fervore, quas scribis. Ostendit ipsi effigiem Crucifixi, quam incessanter expositam habebat oculis: Ecce liber meus, quem lego sæpissimè, nihil scio, nihilque scribo, quod ex hoc non addiscam libro. Sanctus Paulus me id edocuit, quando ipsemet dixit: *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi JEsum Christum, & hunc Crucifixum.* 1. Cor. 2. v. 2. Auferte mihi omnes alios mundi libros, modò hunc retineam, mihi sufficit.

Sanctus quidam Religiosus moriens petebat librum suum, id est, Crucifixum suum.

Sanctus Philippus Benitius, splendidus sol Ordinis Servitarum, totâ vitâ suâ nonnisi huic studuit libro; & morti proximus, jámque spiritum redditurus Deo, oculos suos in aliquam Crucifixi imaginem, quæ stabat in mensa, tenebat defixos: exin illos aliquoties convertens in cœlum, quantocyùs revertebatur ad suum Crucifixum, & extendens manum instanter postulabat: *Date mihi librum meum.* Religiosi, qui assistebant, non intelligentes, quid vellet, porrigebant ipsi, unus talem, alter alium librum; sed ipse respuens omnes, ardentiùs postulare pergebat: Rogo vos, date mihi librum meum. Aliquis advertens, ipsum non-

nonnisi oculos defixos habere in Crucifixum suum, hunc arreptum porrigit in manus ejus; sanctus Vir recipit hunc cum gaudio, eliciente ubertim suis ex oculis lacrymas, ipsum amplexatur cum reverentia & affectu tenerrimo similiter eliciente illas ex oculis circumstantium. Imò, ecce hic liber meus; nolui quid scire, nisi ipsum, toto tempore vitæ meæ, nolo scire nisi ipsum in omnem æternitatem meam, & feliciter reddidit animam suam in amplexu Redemptoris sui.

Colloquium hoc Spiridionis oblectabat nos summè, sed videns id protrahendum longiùs, & metuens, ne deserere cogeremur primum hoc sacellum, antequam omnia illius nobis exposuisset mysteria, interpellavi ipsum, & interrogavi, quid sibi vellent isti currus triumphales, quos depictos videbam ex ista parte, ubi videre erat tot victorioſos, tótque devicta monstra. Benè judicare id poteris, respondit mihi, sed explicare id tibi fusiùs haud abnuo.

ARGUMENTUM.

Passio JEsu Christi est Armamentarium, unde desumimus omnia arma necessaria, ad superandos inimicos Salutis nostræ.

Articulus IV.

Sola Crux JEsu Christi nobis sufficit contra omnes inimicos nostros.

NOsti probè, omnem vitæ nostræ cursum non esse nisi continuam militiam & pugnam, dum agimus super terram. Nec te latet, ingentem esse numerum inimicorum, quibuscum nobis sit pugnandum, quique omnes moliantur exspoliare nos vitâ æternâ: aut vincendi sunt illi, aut pereundum nobis. Habemus mundum, carnem, diabolum. Per mundum intelligo spiritum & omnes damnandas regulas & leges sæculi. Per carnem intelligo cunctas passiones humanas, quæ se opponunt rationi & legi Dei. Per dæmonem intelligo totum infernum, qui abs intermissione contendit nobis eripere cœlum.

Nobis ex nobisipsis desunt vires resistendi vel uni horum inimicorum soli; sed auxilium venit nobis è montibus sanctis. JEsus Christus, quem sanctus Paulus nuncupat virtutem Omnipotentem Dei Patris sui: *Christum Dei virtutem*, eo nomine descendit de cœlis in terram, ut oppugnaret illos ac vinceret. Ipse primus arripuit arma, ipse docuit manus nostras ad prœlium, I. Cor. I.

lium, & digitos nostros ad bellum, & vincere nos docuit exemplo suo & virtute suâ. Sed quibus armis sperare possumus, ut ipsos vincamus, nisi iisdem, quibus ipse usus est, cruce suâ, passione suâ.

Deus reddit Constantinum Magnum Victorem per Crucem.

Quando Deus liberare voluit Ecclesiam ab oppressione, quam toleravit ultra trecentos annos, sub crudeli persecutione Imperatorum idololatrarum, in qua aspiciebat sanguinem fidelium torrentis in morem ubivis ferè effusum, in cunctis partibus mundi: quando Deus occludere voluit ingens hoc vulnus, quod effuderat velut sanguinis diluvium super terram, ad submergendum omnes falsos Deos, ac universam Gentilitatem, suamque in hoc consolari Ecclesiam, quòd habitura amplius non sit Imperatores sibi adversarios & inimicos, sed numeratura deinceps illos suos inter filios; operatus est prodigiosam conversionem Constantini Magni. Sed quamprimùm evasit is Christianus, obarmavit manus illius Deus armis Christianorum, docuitque ipsum, quâ ratione pugnandum sit, vincendum & triumphandum in militia JEsu Christi. Apparuit illi Crux in aëre, tota circumfusa lumine, per cunctipotentia hæc arma ipsi adpromittens victoriam: In hoc signo vinces; sicut refert Eusebius in vita magni hujus Principis.

Eusebius in vita Constant. lib. 1. c. 22.

Jam sic facit nobis omnibus. Adscripti sumus militiæ ipsius per sanctum Baptismum; sed eadem cæremonia coronat nos Imperatores & facit milites, nobisque impertitur arma ad vincendum, hæcque arma alia non sunt, nisi Crux sancta. Coronamur veluti Imperatores, quando baptizamur, eòquòd adoptemur in filios Dei, & hæredes Regni æterni, & gloriæ ipsius. Nonnè sit agere Imperatorem, dum recipimus unctionem sacram, & jus possidendi in æternum tale imperium? sed evadimus quoque milites, & capessimus manibus arma ad pugnandum & vincendum, eòquòd cœlum velit, ut per nostras acquiramus victorias magnum hoc imperium à bonitate Dei nobis destinatum: hinc est, quòd armemur cruce, dum baptizamur; imprimitur hoc signum nobis in fronte, in capite & super humeros, quasi Deus nobis diceret, quod magno Constantino: In hoc signo vinces: his armis evades victor de omnibus inimicis salutis tuæ.

Quare muniamur ubique signo Crucis in Baptismo nostro.

Nunquam quis benè illis usus est, qui non triumphaverit de mundo, & vanitatibus ejus, de carne & concupiscentiis ejus, de dæmonibus inferni, & cunctis malitiis eorum: omnes hi inimici æquali ratione devicti sunt per sola Crucis & Passionis Domini nostri arma. Sic vides,

quòd omnes isti Victores curribus triumphalibus insidentes, & tot devicta monstra post se trahentes, non alia in manibus suis deportent arma, nisi solas Cruces. Interroga ipsos, quâ ratione iis usi fuerint ad vincendum mundum, & dicent tibi:

Quomodò vincatur mundus per Crucem.

Quando oppugnabat me mundus suis armatus voluptatibus, suis honoribus, suis divitiis, suis vanitatibus, & cunctis suis illecebris, quæ blandiuntur sensibus, apprehendebam manibus JEsum Christum crucifixum, & interrogabam animam meam: nonnè hic Deus est, quem adoras, cuique fidelitatis fecisti juramentum? nonnè Christianus sum, id est, discipulus & imitator JEsu Christi? si sum, si imitor ipsum si fidelitatem ipsi servo, Regnum æternum promissum est mihi pro præmio; & hoc certissimum est mihi. Si tantæ sum vecordiæ, tantæque perfidiæ, ut deseram ipsum, partesque mundi amplectar, maximi ipsius adversarii, æternus me exspectat ignis in abysso inferni, de quo dubitare non possum. Aspice, anima mea, pondera benè, quid tibi agendum: an tuæ renuntiare voles professioni? an infidelis esse tuo Regi, tuo Deo, tuo Creatori, tuo Redemptori, Omnipotenti huic Domino, cui servis, qui suis constringit manibus æterna vel præmia, vel supplicia.

Et quando ità efficaciter roboravi animam meam seriâ consideratione JEsu Christi crucifixi, converto me ad mundum, ipsúmque interrogo: quid prætendis deceptor perfide? an voles, ut adorem Deum pauperem, & ego sim dives? an voles, ut humiliatum ipsum videam & contemptum, & ego gloriam aucuper & vanitates? an voles, ut intuear ipsum tolerantem amore mei tam horrendos cruciatus, & ego secter voluptates, qui solemniter spopondi, ipsum quòd velim sequi, ipsum imitari? si volueris insultare ipsi, ducendo vitam vitæ ipsius adeò oppositam, utì tenebræ opponuntur luci, apage infelix Anti-Christe, id est, jurate inimice JEsu Christi, tibi non adhæreo, tuas non amplector partes. Astutissima mundi sapientia non poterit respondere mihi ad hoc; si non assentitur mihi, saltem confunditur; oportet ipsum cedere, devictus manet, & ego contemno illum. Et hâc ratione devici mundum per Passionem JEsu Christi; ostendendo illi solùm Crucem ipsius, in fugam converto ipsum haud aliter, quàm dæmonem.

Quòmodò vincatur caro per Crucem.

Interroga ipsos, quomodò usi sint eâdem Cruce, ad superandam carnem & concupiscentias ejus, omnésque rebelles ipsius passiones. Dicent tibi, id factum esse, ponendo ipsi ob oculos horrendos cruciatus, quos JEsus Christus

Christus in toto sacratissimo perpessus est corpore, ut sanaret inordinatos appetitus carnis, humanásque passiones; & dicendo ipsi: Ecce quantis concupiscentiæ tuæ steterint tormentis & cruciatibus Redemptori tuo: an addere voles super dolorem vulnerum ejus? apprehende igitur de novo virgas, iterum flagella ipsum, effunde sanguinem ipsius abundantiùs, si velis, perge abstrahere ipsi residuum pellis. Minorem longè ipsi inferes injuriam quàm annuendo infamibus concupiscentiarum tuarum desideriis, eòquòd libenter toleraverit hæc omnia, ut ipsorum extingueret ardores & incendia. Non est tam vehemens voluptatis desiderium, quod non extinguatur aspectu dolorum atrocium, quos JEsus Christus sustinuit in Cruce, à tempore Passionis suæ.

S. August. in Manuali c. 22. Sanctus Augustinus, postquàm id expertus est, exaratum idipsum reliquit in Manuali suo, ad attestandum id cunctis fidelibus. Cùm me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi: cùm me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo: cùm diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, & recedit à me: si ardor libidinis movet membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri, Filii Dei extinguitur: in omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi: in illis dormio securus & quiesco intrepidus.

Sed caro ratione caret, cùm careat intellectu: sæpiùs propo- Curandum est
nuntur ipsi incassum efficacissi- ut caro sentiat
mæ rationes ac motiva: ipsa crucem, quæ
namque bestia est, quæ aliud non ratio ne caret
aucupatur, nisi ut effrœnatis suis appetitibus faciat satis. Verum est, sed quando hâc ratione agit bestiam, excipienda est ut bestia plagis & verberibus; & si consideratio Passionis JEsu Christi non movet ipsam, movebitur saltem actuali participatione dolorum ejus, & evadet sapiens: habeatur sicut habuit sanctus Benedictus, qui volutavit ipsam in vepribus; habeatur sicut habuit S. Paulus qui flagellavit ipsam usque ad sanguinem; habeatur, sicut habuit sanctus Franciscus, & omnes fermè Sancti, qui mactârunt illam austeritatibus: bestia, quæ non ducitur ratione, cedet saltem verberibus. Et hâc ratione per Crucem & Passionem JEsu Christi superavimus carnem & concupiscentias ejus.

Opus non est interrogare illos, quâ ratione vicerint diabolum & totum infernum ejusdem virtute Crucis; & quis ignorat, simplici Crucis signo ipsos conteri, in fugam agi? magnus Apostolus in epistola ad Colloss. 2. Colossenses, postquam ad longum descripserat victorias reportatas à Christo in Cruce, de inimicis salutis

nostræ, asserit tandem, quòd exspoliaverit Principatus & potestates, id est, dæmones inferni, uti plerúmque id exponunt sancti Patres, quódque palàm triumphaverit de illis in omnium conspectu mortalium, ut ostenderet illis stragem potentissimorum inimicorum animarum suarum. Super quod Origenes commentatus est, quód Apostolus S. Paulus repræsentare nobis voluerit Crucem JEsu Christi, velut currum ipsius triumphalem, in quem glorioſus hic Victor elevatus in loco magis sublimi, & portans supra frontem titulum Regis, captivum & catenis implexum teneat dæmonem ad pedes suos, velut devictum, qui nullam ampliùs habeat potestatem. Sunt ambo, inquit ipse, in eandem suffixi Crucem : JEsus Christus omninò visibiliter, & diabolus invisibiliter : JEsus Christus ad tempus, exhibens illam velut suarum instrumentum victoriarum; diabolus in æternum, portans illam velut sui instrumentum supplicii: JEsus Christus sacratus veluti magnes, armatus ferro ad manus & pedes, ut omnia attrahat ad se illecebris amoris sui; diabolus horribile veluti monstrum, ut fugiatur, contemnatur, probrosè vincatur à cunctis animabus, volentibus uti adversùs ipsum Cruce Domini nostri.

Quomodò vincatur diabolus per Crucem,

Origenes in cap. 8. Josue v. 29.

Diabolus confixus ad Crucem JEsu Christi.

Fraudulentus hic mendacii pater intenderat perdere omnes per lignum homines, persuadens homini primo, ut ederet de ligno & fructu vetito; sed suis ipsemet est captus cassibus, & dolo suo dolens in propriam est actus ruinam, quando sapienti consilio & infinitâ bonitate Dei, omnes homines vidit salvos, seque ipsum perditum per lignum sanctæ Crucis. Ipse superbus est Aman, qui postquàm miræ altitudinis parari fecerat patibulum, ut in illo suspenderetur Mardochæus, vidit in eo ignominiosè suspensum semetipsum. Abbas Rupertus egregiè hanc applicat historiam ruinæ dæmonis. Ecce tibi, inquit, magnum hunc inimicum totius generis humani, homicidam hunc, qui in persona primi hominis totam ipsius occidit posteritatem: *Ipsum homicidam Deus vivens in suo ipsius machinamento strangulavit*; nhil magis probrosum, nihil magis intolerabile est dæmoni, quàm dum devictum & prostratum se videt Cruce nostri Domini, quódque hominum imbecillimus in fugam agat ipsum simplici sanctæ Crucis signo.

Diabolus vicerat per lignum, & per lignum victus est.

Rupertus Abbas lib. 8. de victoria Verbi c. 3.

Verùm si signum Crucis, quæ nonnisi imago est, & quandoque imago duntaxat manu depicta in aëre, ipsi tam est formidanda; quid ergò erit vera Crux actualiter ab aliquo portata Christiano?

Vera Crux, quæ est afflictio, fortior est signo Crucis,

no? veram appello Crucem, imitationem quamdam vel participationem actualem Passionum JEsu Christi; afflictio quædam admodùm vehemens, magnus quidam contemptus, pœnitentia quædam austera, persecutio plurimùm injusta, est bona quædam portio & particula Crucis; quique portaverit hanc in se & super se, terribilis est dæmonibus, nil ita desiderantibus, quàm omnes videre homines voluptatibus immersos, nihilque abhorrentibus magis, quàm intueri illos afflictione quâdam, quâ similes reddantur JEsu Christo, aggravatos & oppressos.

Viri austeri terrori sunt dæmonibus, ipsósque illudunt.

Quis nescit omnes antiquos Eremi Patres, qui austeritatum fuerant prodigia, terrori fuisse dæmonibus? quoties catervatim se aggregârunt, ut solum oppugnarent sanctum Antonium, transformantes se in teterrimas omnis generis figuras, ut saltem terrore percellerent ipsum, si ipsi nocere non possent? & is contemptim valdè adhibebat eos, exprobrans ipsis ignaviam vecordiam & infirmitatem suam. Itáne integris cum legionibus proceditis adversùs unicum parvulum homuncionem? O quàm benè ostenditis infirmitatem vestram? non opus foret nisi unico solo, adversùs homines plurimos, si minimum haberetis robur contra servos JEsu Christi. Si virium aliquid haberetis, sufficeret unus ad prœlium. Sed nihil contra ipsos potestis, eòquòd unicus solus potentior sit toto simul inferno, quamdiu adhæret is Cruci Domini nostri.

Triumphus Sanctorum per Crucem.

Ecce, fratres mei, concluſit Spiridion, quid innuere velint omnes hi currus triumphales, quos tot victoribus videtis onustos, alia manibus non portantes arma, nisi solas Cruces: hæc sunt, quibus prostraverunt omnes salutis suæ inimicos, quos repræsentatos videtis in omnibus hisce monstris, quæ alligata & veluti devicta jacent ad pedes eorum, servitura in perpetuum ad extollendum horum Victorum gloriam, utpote qui prævalere ipsis noverant cunctipotentibus armis Passionis amabilissimi Redemptoris nostri. Abundè satis hoc erat, ad persuadendum nobis, nihil esse efficacius, nihil utilius, nihilque magis consolatorium frequenti & seriâ consideratione Passionis JEsu Christi. Perceptâ igitur tantâ consolatione ex intuitu primi hujus sacelli, instanter obsecravimus ipsum, ut eâdem nos frui permitteret inspiciendo similiter residua. Remisit nos ad diem crastinum, & vidimus in secundo, quod percipietis.

CONSULTATIO XXVII.

Executio Consiliorum æternorum DEI in Passione JEsu Christi.

COllocaverat secundum sacellum supra fastigium alicujus rupis admodùm sublimis, omni ex parte circumdatæ horrendis adeò præcipitiis, ut aspicientibus nobis incuterent terrorem; quò nonnisi unica parvula, támque arcta deducebat semita, ut vix gressum quis figere posset unicum absque periculo. Ipse, cui usitatum erat ambulare hanc viam, antecedebat nos audacter & gressu satis firmo; sed nos nonnisi trementes insequebamur ipsum, alibi nos esse exoptantes.

Assumendæ sunt cogitationes æternitatis ad contemplandam Passionem JEsu Christi.

Sed augebatur timor noster, quando sacello vicini exaratum vidimus magnis characteribus supra portam: *Ostium æternitatis.* Quò deducis nos, mi Pater, interrogavit ipsum Ecclesiasticus? Fratres mei, deduco vos in æternitatem; oblivioni hîc dandæ sunt omnes cogitationes de terra, de tempore, & omnibus rebus mundanis. Cogitate ergò, hodiernâ die intrare vos æternitatem vestram, quam cùm intraveritis, videbitis res aliâ prorsùs ratione, quàm videantur in vita præsenti. Et hoc dicens, subitò aperuit nobis portam, & primus intrans prostravit se facie in terram, sicque aliquandiu mansit in silentio; & nos quoque exemplo ipsius, totique attoniti pavore tamdiu hoc oris corporisque habitu permansimus, quamdiu & ipse.

Exin surgens, seque convertens ad nos, quin diceret nobis verbum, nisi oculis suis, qui magnam effundebant lacrymarum copiam, & manu suâ, quam in omnem vertebat partem, monstrabat nobis, quæ depicta erant in circuitu sacelli. Erant hæc omnia judicia Dei pronuntiata in Angelos, in homines, & in proprium Filium Dei. In medio ipsius videre erat tres Cruces, & tres Crucifixos; JEsum Christum in medio, & duos latrones ex utraque parte. Inter Crucem JEsu Christi, & illam mali latronis aspiciebatur hiatus in rupe, duobus vel tribus pedibus latus, sed ita profundus, ut fundum ipsius aspicere haud licuerit; & omninò in sacelli fastigio erat structura quædam, juxta opticæ

Pictura mysterioſa effectum Passionis JEsu Christi.

leges

leges repræsentans cœlum innumeris refulgens luminibus, in qua sese terminabat aspectûs acies ad parvulum quoddam foramen, datâ operâ ab ipso relictum in medio, quod paulisper & ex transcursu aspicere sinebat cœlum & astra; sed quando sol per foramen hoc suos immittebat radios, nostros obtundebat oculos, nósque cogebat demittere illos in terram.

Aliquandiu considera tis his omnibus in silentio, sentiebamus quidem animos nostros permagnis repletos idæis & imaginibus, sed adhuc nimiùm confusis ad hoc, ut satisfacerent nobis. Ipse credens, quòd solus intuitus nobis sufficeret, ad nos instruendos, nec verbulum dicebat nobis; & nos videntes ipsum profundâ quâdam contemplatione absorptum, vix ausi fuimus interpellare ipsum, aut obsecrare, ut loqueretur nobis. Nihilominùs maximum, quo ardebamus, desiderium participandi paululùm ex ipsius tum luminibus, tum bonis affectibus, impulit nos, ut peteremus ab ipso omnium harum rerum explanationem.

Ad quod ab initio non respondit nobis nisi per magnas exclamationes: O peccatum, quàm es execrandum! quàm abominandum appares coram oculis Dei! ô judicia Dei, quàm estis terribilia! ah! quàm estis inexorabilia! ô æternitates! ô æternitates! ô magnæ æternitates, quàm estis profundæ! ô quàm estis incomprehensibiles! & post hæc tacuit, & copiosissimè lacrymans perrexit. Sed hæc omnia non agebant aliud, nisi quòd summum nostrum augerent desiderium, quo ardebamus, ut explanaret nobis latiùs, quod latebat apud ipsum intùs. Hinc instanter obsecrabamus ipsum per Passionem JEsu Christi, ut nostris circa hoc responderet votis; & ecce quid & quomodò fuerit locutus nobis.

ARGUMENTUM.

Terribilis rigor justitiæ Dei erga JEsum Christum, ob peccata, quæ non commisit.

Articulus I.

AN non intuemini fratres mei infinitum odium, quo Deus prosequitur peccatum in formidabili, quod pronuntiavit, judicio, quódque sævissimè mandari fecit executioni in Persona proprii Filii sui. Quis unquam cogitâsset, quòd proprius Filius Dei tra-

tractari hâc ratione potuisset per voluntatem, per decretum æternum, per sententiam ipsam proprii Patris sui? infinitâ ratione is ipsum amat, de hoc dubitare non licet. Ah! quomodò resolvere se quisquam potest ad inferendum tam ingens malum illi, quem tam perfecto amat amore? Ipse est innocentia ipsa, & sanctitas per essentiam. Ubi est justitia, dum castigatur tanta cum severitate ille, qui esse non potest reus imperfectionis minimæ? Ipse est Majestas infinita. An ita accipiatur Monarcha supremus Monarcharum omnium? tandem, ipse est Deus vivens, qui totum hoc universum verbo produxit unico; & intueri Deum omnipotentem accusatum velut reum, condemnatum velut facinorosum, supremo supplicio affectum velut convictum plurimorum scelerum, oneratum opprobriis, dilaniatum virgis, coopertum sputis, totum perforatum plagis, confixum in Cruce duos inter insignes latrones, & mortem subire infamium. Universus orbis ex eo percellitur terrore, astra cœli suum amittunt lumen, scinduntur petræ, contremiscit terra, & infernus totus hæret attonitus, trepidat pavefactus.

Res horrenda, quòd Filius Dei judicatus & condemnatus sit.

Quis vibrare potuit in Personam proprii Filii Dei terribile hoc fulmen, quod cadere non potuit unquam in mentem ullius vel hominis, vel Angeli? Ecce, quod magis stupendum est, quódque luculenter declarat inexplicabile odium, quo Deus fertur in peccatum. Non est, quòd unquam commiserit peccatum vel minimum, hoc enim est impossibile: *qui peccatum non fecit;* sed solummodò, quia refert speciem peccatoris. Ita, ob peccata, quæ non commisit, sed quibus duntaxat onerare se voluit ex mera bonitate, & maxima charitatis suæ abundantia! Ah! quid mali fecit in hoc, quòd hâc ratione puniri mereatur? haud refert, quandoquidem obtectus est pelle peccatoris, accipietur ut peccator; experietur pro peccatoribus omnem magnitudinem infiniti odii, quo prosequor peccatum, dicit Deus; & citra hoc, quòd respiciam infinitum, quo ipsum velut Filium meum unigenitum prosequor, amorem, ut propriis suis oculis mortales videant omnes magnitudinem odii, quo in peccatum feror, in æternum verum erit, quòd Deus omnipotens fuerit percussus, prostratus, destructus, & veluti annihilatus à justitia magni Dei vivi, eòquòd portaverit solùm speciem peccati, imaginem peccatoris.

I. Petr. 2.

Sola peccatoris species sufficiebat ad hoc, ut condemnaretur Filius Dei.

Attende tibi, peccator, pondera pensiculatè, & judica tecum ipse, quid exspectandum tibi sit;

tibi,

Consideratio seria omni peccatori facienda.

tibi, qui non solùm geris speciem peccati, sed circumfers id verè in anima tua; tibi, qui non es proprius Filius Dei, sed magnus Dei inimicus; tibi, qui non es Majestas infinita, sed despicabilis vermiculus terræ, vel monstrum potiùs redditum abominabile ob enormitatem criminum tuorum. Cogita tecum ipse, an sperare possis immunitatem à severissima justitia Dei, circumferens characterem veri peccatoris, cùm immunem non reliquerit verum Filium Dei, circumferentem duntaxat illius speciem. Sed tenta benè vires tuas, & considera, an portare benè poteris totum infiniti odii pondus, quo Deus prosequitur peccatum; & memineris, magis verum non esse, quòd Deus sit Deus, quàm verum sit, quòd portaturus sis illud in omnem æternitatem, si reus inveniaris unius solummodò peccati mortalis, quando ipsius sistêris judicio.

Imago JEsu Christi in Cruce ubique exposita, sicut exponuntur facinorosi vitâ mulctati ad vias regias.

Ecce, fratres mei, dicebat nos Spiridion, magno cum spiritûs fervore, ecce veritatem æternam, quæ absorbet omnem intellectum penitiùs rimari se admitentem. Non opus foret tot discursibus & argumentis ad convertendum omnes, & maximos quosvis peccatores in mundo; abundè sat foret attentè & cum mora intueri Crucifixum. Justitia humana exponit facinorosos viis regiis, magísque à populo frequentatis, postquàm supremo affecit illos supplicio, ut omnes per hoc adhortetur, nil ejusmodi committere criminis, aliàs consimili accipiemini ratione.

Et justitia divina, postquàm cruentem & capitalem hanc exercuit & perfecit animadversionem in Persona proprii Filii Dei, vult imaginem ipsius expositam esse ubique in editioribus Ecclesiarum locis, ut incessanter admoneat cunctos mortales: ecce vobis odium, quo Deus fertur in peccatum, quâve ratione illius solummodò castigârit apparentiam in Persona proprii Filii sui; si committitis illud, cogitate, quâ ratione sitis excipiendi.

Sanctus Bonaventura, qui accuratè admodùm ponderat omnes circumstantias Passionis JEsu Christi, ad demonstrandum nobis ex illis ingens odium, quo Deus fertur in peccatum, specialiter considerat ignominiam loci, in quo passus est: *Ex loci vilitate.* Erexit Deus quasi tria theatra, supra quæ exequi voluit decretum æternum vindictæ, quam sumere voluit de peccato in Persona Filii sui unigeniti, qui ex infinitæ abundantiâ charitatis, nostras subire voluit vices, ut illam reciperet pro nobis. Primum theatrum erat Jerusalem, secundum erat mons Calvariæ, tertium erat Crux ipsa.

Tria theatra ignominiæ.

JEſus Chriſtus paſſus eſt Jeroſolymæ, quæ celebris eſt ob tres cauſas.

Jeruſalem fuerat magna admodùm civitas, quæ tunc temporis ratione quâdam haberi poterat nobiliſſima totius orbis, præcipuè tres ob cauſas. Prima, quòd ipſa fuerit caput & Metropolis totius Nationis Judaicæ; & quia hic populus ſemper fuit à Deo dilectus, & ipſius commiſſus ſingulariter providentiæ, pro quo totum univerſum repleverat prodigiis, quæ ipſius omnipotentia ſinè intermiſſione operabatur in favorem illorum; omnes alii populi in mundo reſpiciebant illam cum timore & reverentia; ſicque Metropolis illorum evaſit celebris in univerſo orbe.

Secunda cauſa, quâ reddebatur illuſtris, erat famoſum illud Salomonis templum, quod annumerabatur ubivis maximis mundi prodigiis; & ſanè deſcriptio, quam Joſeph nobis de hac reliquit, ſtupenda eſt: ſiquidem affirmat, exſtructum id fuiſſe è lapidibus candidis, tantæque, quantæ eſt marmor, ſoliditatis, habentibus ſingulis viginti cubitos in longitudine, in altitudine octo, & in latitudine duodecim, quæ magnitudinem tam prodigioſam conficiunt, ut omnes exindè raperentur in admirationem: hinc Apoſtoli admonebant aliquando divinum ſuum Magiſtrum, ut aſpiceret & obſervaret illos, velut ingens quoddam prodigium: *Aſpice quales lapides.* Joſeph adjungit, quamlibet porticum complexam fuiſſe quadraginta columnas tantæ craſſitudinis, ut tres homines vix unam illarum complexu ſuo poſſent dimetiri; illásque in tanto fuiſſe numero, ut recenſerentur usque ad centum ſexaginta duas, & omnes cum capitellis tanto artificio, tantâque curioſitate elaboratis, ut velut totidem eſſent prodigia. *Pulchræ usque ad miraculum.*

Joſeph. antiq. Judaic. lib 15. c. 14.

Magnificentia Templi Salomonis.

Sed tertium, quod maximam conferebat magnificentiam civitati Jeruſalem, eſt, quòd omnes Judæi per omnes mundi nationes diſperſi, obligati fuerint ſingulis annis comparere ibi in Paſchate; tum ad celebrandum ibi Feſtum Azymorum, tum ad manducandum Agnum Paſchalem; & univerſalis hic tot populorum concurſus, conſtituebat annuatim ipſam non ampliùs civitatem, ſed mundum.

In hoc igitur magno theatro civitatis Jeroſolymæ, voluit juſtitia Dei exhibere ſpectaculum dolorum & ignominiarum ultimi ſupplicii Salvatoris mundi, oculis omnium Nationum pro Feſto Paſchali congregatarum, quaſi propinare illi voluiſſet omnia opprobria, quæ comminatur peccatori: *Oſtendam Gentibus nuditatem tuam, & Regnis ignominiam tuam.* Et tandem, ut funeſta & infamis

Nahum 3.

Confluxus omnium nationum in Jerusalem pro Festo Paschatis.

infamis ipsius mors meliùs toti pateret mundo, & exin in universum divulgaretur orbem, affixus est in fastigio Crucis titulus, quo exprimebatur & ipsius Nomen, & causa condemnationis ipsius: *JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM*, & scriptus erat tribus præcipuis idiomatibus inter populos usitatis, Hebraico, Græco & Latino.

Cur JEsus Christus sit mortuus in conspectu omnium nationum mundi.

Venite omnes mundi populi, & estote spectatores mortis Salvatoris vestri, suum effundentis sanguinem pro salute omnium. Venite omnes terræ nationes, & adeste judicio, quod pronuntiant in ipsum mortales; erit enim aliquandò dies, quo congregabimini vos omnes, ut magno adstetis judicio, quod in mortales pronuntiabit ipse, expostulans ab omnibus rationem de morte sua. Venite omnes mundi accolæ, & estote testes injuriarum, quæ peccata vestra inferunt Majestati Dei; hæc enim carnifices sunt ipsum huic affigentes Cruci. Venite & videte, quanto odio in peccatum feratur Deus. Omnes homines id committentes tantæ non sunt capacitatis, ut omnem portent vindictam, quam sumere de eo volet justitia Dei, ad satisfaciendum sibi plenè; totum requiritur infinitum robur Omnipotentis Dei, ut totum illius portet supplicium. Ponderate hæc omnia benè, & perpendite vobiscum, quanto vos odio prosequi oporteat peccatum.

Secundum theatrum ignominiarum & dolorum amabilissimi nostri Redemptoris, magis adhuc primo erat probrosum: siquidem ultimo affectus est supplicio in monte Calvariæ, loco patibulario magnæ civitatis Jerosolymæ, quò justitia humana omnes ablegabat facinorosos, quos condemnaverat ad mortem. Non est, quem lateat, ejusmodi loca semper maximè esse infamia. Siquidem crimen tam abominabile est ex seipso, ut non solùm infamet personam id committentem, sed etiam inficiat locum ipsum, ubi afficitur supplicio, immò & carnifices ipsos, quibus inferre supplicium incumbit.

Cur JEsus Christus passus sit in monte Calvariæ.

Nihilominùs verum est, quòd omnia loca in mundo maximè infamia nil habeant, quod adæquet in hoc Calvariam. Ratio est (sicut optimè annotârunt sancti Patres) quia hic locus serviit pro pegmate ferali, ubi executioni mandata est prima mortis sententia ex ore Dei pronuntiata contra Adam omnium peccatorum primum: hîc mortuus est ipse, & velut certum habetur, ipsius caput sepultum esse in eodem loco, ubi plantata fuit Crux universalis Redemptoris omnium filiorum Adæ; hancque

ob causam, quòd caput primi hujus facinorosi decalvatum hîc fuerit, pilis & pelle suâ exspoliatum, montem hunc nuncupatum fuisse Calvariam.

Calvaria erat vindictæ locus justitiæ Dei. Quare.

Hîc igitur erat locus vindictæ, quem justitia Dei deputaverat ad sumendum supplicium de peccato hominum, hîc omnes occidebantur facinorosi, reique pœnæ capitalis; sed quando omnes mundi peccatores hîc sustinuissent mortem, nihil fuisset ad satisfaciendum illi. Exspectabat hæc illum, qui, cùm tantæ fuerit bonitatis, ut oneraret se solum omnibus peccatis hominum, erat quoque tantarum virium, ut ipse solus portaret eorum justum, quod meruerant supplicium. Exspectavit ipsa, quoad ille ascenderet hunc montem, ubi ipsa servabat omnem ac integrum thesaurum iræ Dei, omnes dolores, omnia opprobria, omnes justas ultiones, quæ debitæ erant peccato hominum, ut effunderet illum totum integrum, velut irarum torrentem in Personam ipsius, & per hoc omnia naturæ humanæ peccata punirentur tantùm, quantùm merebantur, & tandem justitia Dei, acceptâ jam plenâ satisfactione, cederet locum misericordiæ, ad extendendum sese imposterùm super omnes homines, ut Calvariæ clivus, qui hucusque fuerat locus plurimùm infamis & maledictus, locus evaderet sanctissimus & honoratissimus totius universi: Non est in toto sanctior orbe locus.

Crux JEsu Christi plantata fuit super caput Adami magno cum mysterio.

Sanctus Epiphanius circa finem primi libri adversùs hæreses trahit exin hanc sequelam plenam solatii pro cunctis miseris peccatoribus. Filius Dei ergò incipit reædificare naturam humanam destructam per peccatum, quando effundit sanguinem suum pretiosum, supra primum hujus ædificii fundamentum. Adam erat, qui primus illud concusserat, & in ruinas ejus attraxerat totam speciem, id est, omnes filios ac posteros suos in Persona sua inclusos; & directè quidem super personam ipsius suum effudit sanguinem, quod efficacissimum erat remedium omnium peccatorum primi hujus hominis, & totius posteritatis ejus. Cùm ibi Crucifixus sanguine suo reliquias primi parentis ab initio massæ humanæ respergere incepit.

Vide Sixtum Senens. Bibliothec. lib. 6. annot. 122.

S. Augustin. serm. 71. de temp.

Et S. Augustinus clarius adhuc dicit, credibilissimum esse, quòd Crux Salvatoris hominum profundè defossa & plantata fuerit in terra, ut tangeret cranium primi hominis in Calvaria sepulti: *Et verè fratres,* inquit, *non incongruè creditur, quia ibi erectus sit Medicus, ubi jacebat ægrotus. & dignum erat, ut ubi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia; &*

sanguis

sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur. O felix peccatum, dicere hâc occasione possumus cum Ecclesia, ô felix Adæ culpa, quæ tali remedio meruit reparari.

Quanta nobis felicitas, quòd totus pretiosus sanguis Jesu Christi effundatur in animas nostras.

Sed nos fratres mei, perrexit Spiridion, aspiciendo nos facie serenâ & gaudio plenâ, non consideremus nos felicitatem incomparabiliter majorem, quam possidemus; dum totus pretiosus sanguis adorandi Salvatoris nostri tactu suo honorat corpora nostra, animas nostras corporaliter, realiter, substantialiter, dúmque se effundit totum integrum usque ad intima, usque ad viscera nostra, & hoc non semel vel bis, sed indies, si velimus? quanta hæc nobis gloria, quam admirantur Angeli! O bonitas! bonitas infinita! susscipere in se voluit omnia probra & opprobria Calvariæ, & omnem illius relinquere nobis honorem & gloriam. Sed quantam habeamus confidentiam in misericordias Dei? quâ ratione dare nobis possit majorem certitudinem, quòd verè nos redemerit pretioso suo sanguine, quem verè sic effundit super nos? non dicendum est solùm super nos, sicut super cranium Adæ, sed dicendum est, usque in nos ipsos, in intima animarum nostrarum, & corporum nostrorum. Et quòd si sanctus Augustinus credidit, guttas sanguinis Salvatoris nostri, quæ ceciderant in locum, ubi erant cineres Adæ, argumentum fuisse Redemptionis ipsius; quis diffitebitur, nobis certitudinem esse multò majorem, & felicitatem longè certiorem illâ Adæ?

Quanta infamia Jesu Christo, mori in Cruce.

Tandem novissimum & omnium theatrorum maximè probrosum, ubi justitia magni Dei exequi voluit decretum æternum ultionum suarum contra peccatum in Persona Redemptoris hominum fuit Crux. Quis enim ignorat, quòd mori in Cruce fuerit id temporis, mors omnium turpissima, crudelissima & funestissima, juxta universalem sententiam omnium in mundo nationum: sivè inspiciamus Scriptores profanos: Appulejus vocavit ipsam supplicium damnatum & maledictum, *Crucem damnatam*; Seneca *infelix lignum*; Tacitus, *mortem servi & indignam homine libero*: sivè attendamus id quod exaratum est in sacris literis; Gabaonitæ in maximo furore suo contra septem filios Saul invenire non potuerunt supplicium magis probrosum, magis sævum, quàm configere ipsos in cruce; & Deus ipse maledictum declaravit illum, quicunque finierit infelicem vitam suam pendens è ligno: *Maledictus,*

Appul. lib. 1. de asino.
Seneca Epist. 10.
Tacitus lib. 4.
2. Reg. 21.
Deut. 21. v. 23.

ctus qui pendet in ligno. Terra, aër & omnia elementa infecta videbantur præsentiâ alicujus pendentis in Cruce. Et ideò summâ contendebant curâ, ut, postquàm efflavit animam, mox deponeretur & mandaretur terræ, ad removendum funestum hoc spectaculum aspectui hominum.

JEsus Christus crucifixus demonstrat horrorem peccati.

In hoc ergò ligno, quod maledictum credebatur, in hoc ignominiæ & crudelitatis theatro, infinita Dei Majestas sacrificata fuit iracundiæ Dei Patris sui, & implacabili, quo fertur in peccatum, odio. Omnia ingenia tum Angelorum, tum hominum contendant summè, ut explanent nobis horrorem peccati; omnes sacri Scriptores contexant volumina, usque dum cuncta evolvantur sæcula; ostendatur nobis infernus & omnia illius supplicia, exhibeantur nobis picturæ, qualescunque poterint exhiberi, ad demonstrandum nobis, quàm horribile in seipso sit peccatum, & quanta sit magnitudo odii, quo Deus prosequitur illud: nunquàm tam benè id conspici poterit, quàm in Persona JEsu Christi; castigati in Cruce à justitia ultrice Dei Patris sui.

Quomodò peccatum excipiat Majestatem Dei.

Quomodò possibile est, quòd ille, qui infinitâ ratione amatur à Deo Patre suo, experiatur tam horrendos infiniti ipsius odii effectus? quomodò possibile est, quòd ille, qui per essentiam est gloria infinita, ita oneretur opprobiis, totus opertus, absorptus, immersus ignominiis, totus annihilatus in profundissima maximarum despicatuum abyssо? quomodò esse potest, quòd ille, qui Deus est immortalis, immersus omnium gaudiorum in æternitate Oceanus, tam sævos sustineat dolores, tot lethalibus sancietur plagis, tormenta patiatur tam atrocia, tandémque sceleratissimorum moriatur supplicio? Ah! peccatum, peccatum execrabile hominum! manifestè intueor injurias, quas infers Majestati Dei, nonnisi tu solum ita tractare potes ipsum; tam probè nunquam videram, quàm tua abominabilis sit malitia. Non mihi ampliùs fiat sermo de inferno, nec de omnibus suppliciis, quibus Deus castigat peccata hominum: si aspicere velim abominationem peccati, meliùs descriptam ipsam video in Persona Redemptoris mei, characteribus pretiosi sui sanguinis.

Et posthæc adhuc ausim committere peccatum? Ah! væ mihi! quòd non potiùs tumulatus in æternum manserim in nihili abyssо! & posthæc non vindicem in meipso tot peccata, quæ contra infinitam Dei, quem adoro, commisi Majestatem, quæque fuêre carnifices, è quibus est actus in Crucem? væ mihi! quòd non

Consideratio circa odium, quo prosequendum nobis est peccatum.

non potiùs suffocatus manserim mei undâ Baptismatis ! & posthæc non contabescam horrore ad minimam de peccato cogitationem, velut ad aspectum serpentis ? an non circumferam in corde meo dolorem vehementissimum de illo commisso, qui nunquam non me interiùs affligit & cruciat ? an non saltem constans in corde meo foveam propositum millenas potiùs tolerandi mortes, quàm offendere unquam tam amabilem Redemptorem meum ?

Hi affectus Spiridionis videbantur nobis tam æqui, ut adniteremur conficere illos, uti conceperat ipse ; & voluissemus nunquam habere alios, quàm illos maximi erga peccatum odii, quod inseparabile est ab amore Dei. Verùm desiderabamus adhuc, ut explanaret nobis mysterium aliorum symbolorum, quæ in hoc sacello repræsentata videbamus : quarè JEsus Christus noluerit solus pati, sed in societate duorum latronum ?

ARGUMENTUM.

JEsus Christus crucifixus in medio latronum est Judex sublatus in thronum suum, ubi pronuntiat sententias æternas, salutis in hos, & damnationis in alios.

Articulus II.

Quare JEsus Christus mori voluerit inter duos latrones.

QUando dicitur : *à momento dependet æternitas ;* intelligo hoc de pretioso momento, quo Filius Dei exspiravit in Cruce pro salute omnium peccatorum : in hoc momento divisit ipse ambas æternitates, felicem & infelicem, & ideò moritur in medio, unius prædestinati & alterius reprobi. Et non est absque mysterio, quòd ambo fuerint latrones, eòquòd ambo, dum ipse thesauros suos divinos profundebat in favorem hominum, suffurati sint, unus quidem paradisum, & alter infernum.

Bonus latro furatur Paradisum.

Ille, qui furatur, accipit id, quod non pertinet ad se, & accipit occultè, haud ignarus, actionem suam condemnandam fore, si foret manifesta. Quis unquam, si intellexisset, quòd aliquis sceleratus, postquàm suam in latrociniis exegit vitam, comprehensus tandem à justitia, & ad ultimum condemnatus supplicium, in ipso actu, quo hanc subiret sententiam, dum sibi persuasum habebat mundus, ipsum infelicitatis suæ supremum attigisse culmen : quis unquam cogitâsset, inductum ipsum esse in possess-

possessionem felicitatis æternæ, asseverante idipsum proprio ore Dei: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. 23. Bonum hoc erat, quod non pertinebat ad ipsum, sed quia invenit thesauros Dei omninò apertos auspicatissimo eventu suffuratus est illud.

Et quis unquam credidisset, quòd alter, qui ejusdem erat cum ipso farinæ, quique eâdem potiebatur occasione, latro, cui usitatum erat, abripere bonum, ubicunque inveniebat illud, videns eosdem thesauros coram se apertos, aspiciens exemplum commilitonis sui, rapientis ad se possessionem Paradisi: quis credidisset, quòd subripere mallet infernum? & in hoc verè extitit latro malus usque in finem. Infernus non pertinebat ad ipsum, siquidem hic factus non est pro hominibus: JEsus Christus ipsemet asseverat nobis in Evangelio, quòd *paratus sit diabolo & angelis ejus.* Matth. 15. Verùm fur hic & latro erat, assuetus abripere semper, quod non erat suum.

Malus latro furatur infernum.

Ecce tamen veram imaginem prædestinatorum & reproborum: omnes in medio sunt thesaurorum, id est, gratiarum universalis Redemptoris, quos aperit is omnibus. Omnes affixi sunt in Cruce, hujus vitæ tempore: siquidem tam boni, quàm mali suas habent afflictiones, & in hoc statu boni suffurantur Paradisum, & peccatores protervi suffurantur infernum. Dico, quòd boni furentur Paradisum; siquidem hoc faciunt quasi in occulto; oportet, ut abscondant se oculis mundi, à quibus plerumque crudelem patiuntur persecutionem, incedere volentes per viam cœli; oportet, ut meliorem partem bonorum suorum operum subtrahant cognitioni hominum, ad evitandum ipsorum censuram. Ah! opus est, ut abscondant se sibimetipsis, quantùm potuerint, ne vanitas vel complacentia pretiosum hunc ipsis subtrahat thesaurum. Et hoc salubre consilium est, quod Salvator noster suggerit nobis in Evangelio: *nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Matth. 6. Hâc ratione boni furantur Paradisum, abs eo, quòd mundus id videat, vel advertat.

Quâ ratione boni cogantur furari Paradisum.

Dico, quòd reprobi similiter suffurentur infernum. Quamvis enim plures illuc currant omninò palàm erecto capite, nihilominùs sceleratissimi quique coguntur abscondere mundo maximam criminum suorum partem. Et quantos invenire est, qui maximâ cavent industriâ, ne quidquam suorum appareat delictorum, cùm noverint, delicta trahere post se despicatum in auctores suos. Quot numerantur hypocritæ, pietatis obtecti specie, viam cœli se ambulare simulantes,

Quomodò reprobi infeliciter furentur infernum.

lantes, dum à criminibus, quibus scatent interiùs, præcipitantur occultissimè in profundum barathrum æternæ damnationis? nonnè affirmari potest hos omnes, quibus heu nimiùm abundat mundus, furari infernum?

Verùm mi Pater, inquit bonus noster Ecclesiasticus Spiridioni; inconveniens mihi videtur, quòd JEsus Christus, qui Sapientia est infinita, agnoscens perfectissimè ab æterno confirmatam reproborum malitiam, pati voluerit & mori pro illis, æquè ac pro prædestinatis? si homo, postquàm accumulaverat plurimas summo cum labore divitias, voluntariè & liberrimâ sponte illarum partem projiceret in abyssum maris, an æstimaretur sapiens? Jam videtur hìc aliquid longè deterius: mare namque saltem indignum non est ejusmodi munificentiâ, nec redderet huic homini malum pro bono accepto. Sed prodigere pretiosos thesauros sanguinis & meritorum Salvatoris in favorem reproborum, hoc non solùm est illos perdere, velut qui projecisset bona sua in mare; sed est profanare illos, cùm dentur indignis, reddituris nonnisi injurias & blasphemias æternas, in grati exhibitionem animi. Compone mihi hæc cum infinita JEsu Christi sapientia.

Stupendum videtur, quòd JEsus Christus mori voluerit pro reprobis.

An non vides, respondit Spiridion, hoc esse, in quo mirificè effulgeat bonitas & sapientia infinita Salvatoris mundi? quia mortuus est pro peccatoribus, nonnisi passus & mortuus est pro indignis; & hic triumphus est bonitatum & divinarum miserationum ejus. Sed in hoc triumphavit maximè Sapientia ipsius infinita, quòd excluserit neminem à magno hoc beneficio, nec bonum, nec malum, id est, nec reprobum, nec prædestinatum, ut mors ipsius æqualiter esset & Paradisus horum, & infernus illorum. Maximum beatorum gaudium est, frui vitâ æternâ acquisitâ sibi per mortem amabilissimi Redemptoris sui; & maximum damnatorum tormentum est, proficere noluisse è fructibus infini[illegible] mortis hujus, quam æquè pr[illegible]sis ac pro aliis est perpessus.

JEsus Christus mortuus est pro reprobis ex consilio divinæ suæ sapientiæ.

Absque hoc videtur, maximum inferni sui rigorem ipsis fore adimendum. Siquidem nonnè incredibile foret solatium animæ damnatæ, si dicere posset: non est culpa mea; est, quòd gratia defuerit mihi, quòd facta non fuerim consors Redemptionis universalis hominum; ita relicta sum puræ infirmitati meæ naturali, cum qua nec evitare potui omnia peccata, nec servare omnia præcepta Dei: reprehensione proin digna non sum, eò-

Esset solatio damnatis, si JEsus Christus non fuisset pro ipsis mortuus.

quòd impossibile mihi fuerit meam evitare damnationem.

Et quia creditur, quòd infantes, qui moriuntur ante Baptismum, suffocati in sinu matrum suarum, quamvis priventur visione Dei, totum tamen non patiantur tormentum pœnæ damni, quod maximum inferorum est supplicium, eòquòd dicere possint: natura mihi defuit, quòd non receperim gratiam mihi in Sacramento præparatam, non est culpa mea; nunquam me mea reprehendet conscientia, quòd facere potuerim pro salute mea plus, quàm fecerim. Similiter si anima adulta dicere posset cum veritate: Gratia mihi defuit, cùm nulla mihi pars fuerit in Redemptione Salvatoris; gratiam non habui, sinè qua impossibile mihi erat meam evitare perditionem. Quis non videt atrocissimum inferni tormentum, quod remorsus est conscientiæ, ipsi fore adimendum? quis enim reprehendi vel dolere potest ex eo, quòd non fecerit, quod sibi factu erat impossibile?

Quantum tormentum sit damnatis, quòd nil profecerint ex morte JEsu Christi pro ipsis perpessa.

Sed quando videt, quòd ex propria sua malitia perdiderit id, quod acquisierat sibi Salvator tantâ bonitate; quòd gratia non defuerit sibi, sed grætiæ defuerit ipse; quòd potuerit, & non voluerit: quando clarè videt, quod modò nos credimus velut articulum fidei, quòd JEsus Christus pro se sit mortuus, quódque verè suam voluerit salutem: quando videt, quòd habuerit media tam efficacia, tam facilia, tam copiosa, quibus munire se potuisset à malis, quæ patitur, æternis; quòd tam facilè comparare sibi potuisset possessionem infinitorum bonorum in cœlo, quæ nunquam habebit; quódque ex pura sua perditus & damnatus sit culpâ; ecce id, quo exstimulatur implacabilis contra seipsum rabies, quod maximum ipsius constituit tormentum in omnem æternitatem. Non igitur ulteriùs quæras, ubi sit sapientia JEsu Christi, quòd passus fuerit pro reprobis, quibus nihil profuturum erat? ecce triumphum infinitæ sapientiæ Filii Dei de stoliditate damnatorum!

Pulchra probatio, quòd JEsus Christus mortuus sit pro peccatis reproborum.

Hoc argumentum sanè videbatur optimum; sed addere eidem volui aliud, quod mihi videtur tam luculentum, támque constringens, ut impossibile credam, id rejici à quapiam posse, qui vel parum habebat rationis. Observo, duo esse mala in peccato: unum, quod est injuria Dei, & alterum, quod est ruina peccatoris. Salvator mundi venerat, ut remedium afferret utrique huic malo per passionem & mortem suam; sed præcipuè & principaliter ad reparandum injuriam Majestati Dei factam. Jam quæro imprimis: nonnè verum

verum est, quòd omnia peccata hominum, quicúnque sint, tam reproborum, quàm prædestinatorum, infinitam injuriam inferant Deo? de hoc dubitare non licet. Nonnè ergò fuerat opus ad faciendam plenam & integram reparationem honoris Majestati Dei offensæ, ut moreretur Salvator pro omnibus peccatis universaliter tam reproborum, quàm prædestinatorum? an dicere quis audeat, quòd mulctam honorariam non fecerit Deo Patri suo, nisi pro parte tantùm, quódque nonnisi pro reparatione injuriarum à prædestinatis factarum moriens, reliquerit in æternum omnia reproborum crimina absque reparatione injuriæ Deo ab ipsis factæ? & quis non videt, ita loqui, fore blasphemiam, cùm hoc esset Salvatorem spoliare infinito amore, quo succenditur pro gloria Dei Patris sui? & ex hoc fateri oportet omnes, quòd mortuus sit & satisfecerit pro omnibus peccatis reproborum non minùs, quàm pro illis prædestinatorum.

Quòd JEsus Christus mortuus sit pro persona reproborum.

Jam ex primo hoc fine, quem Salvator præstituit sibi in Passione sua, de reparanda universaliter omni injuria, Deo ab omnibus peccatis illata, moriendo pro omnibus peccatis, judicare possumus & debemus de secundo, scilicet, de reparanda ruina & jactura, quam cunctis peccatoribus intulit peccatum. Quare enim limites ponantur bonitati illius potiùs pro una, quàm pro altera parte? sicut probrosum foret amori infinito, quo exardescit pro gloria Dei Patris sui, dicere, quòd reparare illam noluerit nisi ex parte tantùm, cùm posset reparare ipsam ex integro; ita probrosum quoque esset infinitæ magnitudini misericordiarum ejus, & fervoris ac zeli, quo fertur in salutem animarum, cogitare, quòd nonnisi unam reparare voluerit partem, cùm reparare posset omnes, & mori pro peccatoribus cunctis, sicut mortuus est pro omnibus peccatis.

Cur non omnes salventur, cùm Deus velit omnes salvari.

Interrogatis: Cur igitur non omnes peccatores salvantur, cùm voluerit salutem omnium voluntate tam seriâ, támque efficaci, ut conciliaverit illi mortem? capere non possumus, quòd Deus velle aliquid possit efficacius & ardentius, quàm si impendat se totum integrum, eoúsque, ut propriam suam sacrificet vitam. Fatendum est, quòd hoc sit velle aliquid tam vehementer, quàm velle quis potest; & si reparationem omnium peccatorum voluit omni cum robore potentis hujus voluntatis, resistere quis potest voluntati Dei? nonnè facit illa omnia, quæ vult voluntate efficaci? *Omnia quæcunque voluit, fecit.* Psal. 113.

Nos impedimus voluntatem Dei; quomodò.

Respondeo ad hoc, quòd omnia, quæ non dependent nisi à voluntate Dei, ipse semper faciat efficaciter, quando verè vult illa; sed quando res non dependent à sola voluntate Dei, sed requirunt concursum voluntatis hominum, sæpissimè voluntas Dei non adimpletur, quamvis verum sit, ipsum res velle voluntate vehementissimâ, eòquòd ingratus & rebellis homo ipsi deneget suæ concursum voluntatis; & hoc est, quod omnia peccata facit in mundo. Nonnè Deus vult, ut omnia sua serventur præcepta à cunctis hominibus? sed plerique homines id nolunt, & hæc oppositio, quâ voluntas illorum adversatur voluntati Dei, facit, ut divina hæc voluntas non adimpleatur. Similiter vult, ut omnes salventur homines, juxta exploratum hoc effatum Apostoli: *Vult omnes homines salvos fieri*; sed plerique homines id nolunt; & hic solus defectus, dum non concurrit voluntas ipsorum cum voluntate Dei, est causa damnationis eorum. Nonnè videmus, quâ ratione conqueratur ipsemet de hoc in Evangelio: *Quoties volui, & noluisti?* Interrogas, quis resistere possit voluntati Dei? tu, quoties peccas.

1. Tim. 2. 4.

Matth. 13.

Quid dicis, ingrata creatura, quòd noluerit JEsus Christus salutem tuam? quid ampliùs potuit is facere, ad declarandum tibi, quòd illam velit efficaciter ex parte sua. Verùm agnosce, te esse, qui illam nolis: quid enim agis ad cooperandum consilio bonitatis super te? ne dicas, quòd gratia ipsius tibi desit; nôsti enim optimè, quàm potentibus & frequentibus inspirationibus ipse te exstimulet interiùs. Sed agnosce te esse, qui desis ipsius gratiæ. Nonnè enim verum est, te non obtemperare minimæ parti inspirationum, quibus te prævenit? an intolerabili arrogantiâ justificare teipsum audeas & conjicere jacturam salutis tuæ in Deum, dicendò: Non stetit per me, non ego peccavi, nec reus sum; sed Deus non fecit ex parte sua, quod requirebatur ad salutem meam. Stupidè, ingrate, & insensate homo! ipse plus fecit pro te solo, quàm opus foret ad salvandum omnes damnatos simul; & tam parum tu agis, ad cooperandum saluti tuæ, quasi anima tua nihil esset, túque nihil exindè traheres commodi; & tamen, qui creavit te sinè te, non salvabit te sinè te.

Gratia nobis non deest, sed nos desumus gratiæ.

Quid cogitari potest, quando videtur, è duobus peccatoribus, qui socii JEsu Christi in Passione fuerant, qui tam conformes exstiterant ipsi in suis suppliciis, coram quibus ipse moriebatur, & pro quibus effundebat sanguinem suum, perire unum in medio

JEsus Christus distribuit æternitates sirpra Thronum Crucis.

medio totius diluvii gratiarum ejus, & salvari alterum in mediis tormentis suis: JEsum Christum conduxisse unum ad cœlos, & alterum detrusisse in barathrum inferni? quid dicatur ad hoc? nisi quòd JEsus Christus non solùm egerit partes Redemptoris in monte Calvariæ, sed jam inceperit exercere absolutam hanc potentiam Judicis vivorum ac mortuorum, quorum novissimum exercebit actum ad finem sæculorum, decidendo formidabile punctum magnarum duarum æternitatum, juxta quod hi voluerint, & alii noluerint participes se reddere fructuum Crucis suæ. Nil est, quo melius hoc nobis declaretur, nisi horum duorum latronum exemplo; quod monstrabo vobis.

ARGUMENTUM.

Bonus usus, & malus usus Crucis Domini nostri in exemplo boni & mali latronis.

Articulus III.

Ab uno solo momento dependet æternitas; quomodò.

QUamvis æternitas respondeat æternitati, æternitas creaturæ æternitati Dei; nihilominùs tamen notabilis in hoc est differentia, quòd æternitas Dei non minùs sit ipsi necessaria, quàm esse suum, pro eo, quòd æternitas creaturæ tam parùm, quàm esse suum, sit necessaria ipsi. Verùm Deus in decretis liberis divinæ suæ sapientiæ, duas fecit æternitates pro creatura, unam felicem & alteram infelicem; & voluit dependere utramq; à solo & unico momento; & momentum hoc est illud mortis Salvatoris mundi. Et ut demonstraret nobis, quòd utraque dependeat à Cruce Domini nostri, pati voluit mortem inter aliquem prædestinatum secum crucifixum, quique immediatè à Cruce sua transiret in æternitatem beatam, & alterum reprobum similiter Cruci suffixum, quique à Cruce sua transiret illicò in æternitatem calamitosam.

Probè ex hoc intelligo, quòd Crux & æternitas sint inseparabiles, sicut porta inseparabilis est à domo, cujus est porta. Verùm nôsse, an Crux creaturæ introductura sit ipsam in bonam vel malam æternitatem, problema est, & problema hoc non decidi-tur, nisi per Crucem Salvatoris nostri. Siquidem sunt, qui fabricantur Crucem JEsu Christi; sunt alii, qui portant Crucem JEsu Christi. Primi crucifigunt JEsum Christum, & alii sunt crucifixi per JEsum Christum. Illi

blasphemant JEsum Christum, illúmque maledicunt usque ad Crucem; alii ipsum benedicunt, ipsum adorant, ipsum agnoscunt & amant usque ad horrorem Crucis suæ. Et ecce eventum prorsùs contrarium boni & mali latronis, id est, omnium prædestinatorum & omnium reproborum, decisum per Crucem Salvatoris mundi. Non advertitis, quòd ambo æqualiter fuerint crucifixi, quódque ambo fuerint passi in præsentia JEsu Christi; sed uterque exercebat ministerium summè inter se contrarium. Siquidem latro malus crucifigebat JEsum Christum, adjiciens quantùm poterat, doloribus ipsius, opprobriis ipsius; & bonus latro crucifixus erat per JEsum Christum, quia recipiebat crucem suam à manu Dei, ipsúmque benedicebat. Et hinc est, quòd unus è Cruce sua ingressus fuerit æternitatem beatam, & alter miserè ceciderit è Cruce sua in æternitatem calamitosam: ambobus Crux fuit porta æternitatis.

Quomodò sors bonorum & malorum decidatur per Crucem JEsu Christi.

Omnes reprehendunt & condemnant malitiam ac duritiem invincibilem mali latronis. Res stupenda, quòd infelix hic in universali tremore omnium creaturarum doloribus Creatoris sui compatientium, manserit inconcussus in perversa voluntate sua; quódque, dum videbat ipsos, qui ipsum crucifixerant, carnifices, exteriùs commotos dolore, quo stimulante sua percutiebant pectora, ipse cunctis crudelior carnificibus, crucifigeret ipsum usque in cor ipsius, afferens ipsi dolorem, dum videre debuit animam, quam salvare voluerat, perire in æternum, non obstante omni contentione, quam adhibebat, ut ab hac perditione custodiret illam. Affirmari potest, quòd omnes dolores, quos exteriùs in suo tolerabat corpore, nihil fuerint respectu cruciatuum, quos sufferebat in corde suo ob jacturam unicæ hujus animæ.

Quàm reprehensibilis sit malus latro.

Siquidem amabat illam plùs, quàm propriam vitam suam, eò-quòd hanc promptissimè dederit pro ipsa. Jam dolor est in separatione hujus, quod amatur; & quantò fortius est vinculum amoris, tantò atrocior est dolor, quando disrumpi id debet. Nunquàm amor tam fuit fortis, sicut amor JEsu Christi ergà peccatores, pro quibus suum effudit sanguinem. Quis ergò imaginari sibi poterit, quàm horrendum fuerit tormentum animæ ipsius, quando peccatum per impœnitentiam finalem confirmatum, avulsit hos ipsi è medio cordis sui, ut in æternum separarentur, & separati manerent ab ipso. Illi patiuntur infernum, quando sunt ab ipso separati; sed

Quantùm JEsus Christus patiatur, dum membra corporis sui mystici avelluntur ipsi ab inferno.

post-

postquàm specie quâdam inferni cruciarunt ipsum in actuali sui separatione. Est æqualitatis quædam species in pœnis, quæ ratione quâdam infinitæ sunt utrinque, sed diversimodè: siquidem in damnatis ipsæ infinitæ sunt in executione & duratione, & non in violentia, eòquòd illæ hujus capaces non sint; & in JEsu Christo ipsæ ratione quâdam infinitæ fuerunt supra Crucem, in vehementia & intensione, non in duratione. Postquàm enim omnia hæc tam chara membra avulsa fuêre è corde ipsius, nihil ampliùs passus est ex ipsis, non plùs, quàm patereris tu abscisâ manu, post dolorem, quem senseras in actuali separatione.

Omnes reprobi imitantur malum latronem,

Verum igitur est, quòd malus latro crudelior fuerit omnibus carnificibus crucifigentibus JEsum Christum, & omnes condemnant ipsum. Et nihilominùs certum est, quòd omnes reprobi, qui pergunt crucifigere illum sicut ipse, usque ad supremum vitæ suæ halitum, adæquent, si non superent ipsum crudelitate suâ. Imò, hoc verum est secundùm litteram: quicunque committit peccatum mortale, crucifigit iterùm JEsum Christum in semetipso; & quanto tempore conservat hoc peccatum in conscientia sua, crucifigere ipsum semper actualiter pergit; & quando obdurationem suam in peccato protrahit, usque ad ultimum vitæ suæ momentum, quo separari debet in æternum à JEsu Christo, tractat illum eâdem crudelitate, quâ tractatus fuerat à malo latrone.

Haud me latet, quòd mundus stupidus & totus carnalis, nonnisi per sensus assuetus judicare de rebus, inducat animo, hanc meram esse imaginationem: verùm hæc positiva est veritas, quam fides nos docet, quam S. Paulus luculentis exaravit verbis pro instructione posteritatis & admiratione cunctorum sæculorum: *Rursum crucifigentes in semetipsis Filium Dei.* Quando committis peccatum mortale, crucifigis iterùm JEsum Christum in temetipso. Benè novi, hoc non fieri exteriùs, nec manibus corporeis, modum autem illius non novi; novi, rem veram esse, eò quòd Scriptura sancta tam expressis id asserat verbis; adeóque accenseo idipsum meæ articulis fidei, & non magis credo, ipsum crucifixum esse per manus Judæorum in monte Calvariæ, quàm credam, quòd ipsum iterum crucifigas in temetipso committens peccatum mortale. Non attendas, quòd oculi tui nihil ejusmodi videant, neque quòd ratio tua comprehendere id non possit; sed considera, quòd fides, quæ infinitâ ratione certior est, quàm vel sensus tui, vel ratio tua,

Heb. 6.

Quomodò verum sit, quòd peccator crucifigat iterum JEsum Christum in semetipso.

tua, hanc tibi declaret veritatem. O si permitteret Deus, ut peccator hanc caperet veritatem, illáque in animo ipsius produceret effectum, quem producere deberet, nonne sufficeret, ut exueret ipsum vitâ, præ horrore, dolore, & abominatione suiipsius.

Sed deterius est, quando conservas in anima tua peccatum, quod semel commisisti; tunc enim crudelitas tua contra JEsum Christum summum obtinuit fastigium. Tu hoc non comprehendis; sed considera, quòd cùm peccatum mortale sit carnifex ipsum crucifigens, quamdiu subsistit hic carnifex actualiter, tamdiu ipsius subsistat crucifixio, & semper perduret. Hoc igitur est, semper tenere manibus virgas ad ipsum flagellandum; hoc est, semper clavos & malleum stringere dexterâ, ad perforandum illi manus & pedes; hoc igitur est, semper coronam spineam ipsius imprimere fronti, ad ipsum vulnerandum; hoc igitur est, semper habere lanceam lateri ipsius admotam, ad transfigendum cor illius, quasi si furore ac rabie quis percitus, non contentus suum jugulâsse inimicum, actualiter semper teneat pugionem in sinu ejus, per diem, per mensem, per annum omninò integrum, quin rabies ipsius sedari aut satiari possit tam longo tempore? hæc furoris tam desperati continuatio, nonnè horrore percelleret totam naturam, nonnè ipsâ morte foret crudelior?

Crudelitas, quam ille, qui perseverat in peccato, exercet in JEsum Christum.

Sic omninò peccator agit cum JEsu Christo. Quando committit peccatum, infligit ipsi ictum lethalem, eòquòd iterum crucifigat ipsum in semetipso, juxtà S. Paulum, & malum, quod ipsi infert, sit lethale. Sed quando conservat & retinet hoc ipsum peccatum occisor hic Filii Dei in corde suo, dies, hebdomades, annos integros, ita, ut non revertatur in se, & suum non detestetur crimen, sed firmiter perseverat in sua mala voluntate, nonnè hoc sit, quasi semper pugionem tenere velle in jugulo Redemptoris sui, ex malitia & impietate, quæ longè transcendat illam Judæorum, ipsum in monte Calvariæ crucifigentium? postquàm enim suo illi satisfecerant furori, quamprimùm doluerunt de eo, & reversi percutiebant pectora sua: & tu magis durus, magisque obfirmatus in injuriando Deum, quàm Deicidæ illi, non tangeris dolore; sed oblectaris adhuc abominandâ, quam commisisti, actione; circumfers in corde tuo crimen tuum, quod tui Salvatoris est carnifex, quin displiceat tibi; tu id approbas, idque confirmas totum fixum ac vivum in voluntate tua, quasi tripudiare velles de morte ipsius, & illudere ipsum

Qui permanet in peccato suo pejor est Judæis.

sum adhuc de injuriis à te ipsi factis.

Et hinc est, quod S. Paulus adjunxerit: *& ostentui habentes.* Postquàm dixit, quòd crucifigas iterùm Filium Dei in temetipso, quoties peccatum committis: *Rursùm crucifigentes in semetipsis Filium Dei;* mox addit: *& ostentui habentes.* Postquàm occidisti ipsum peccando actualiter, illudis ipsum ac irrides persistendo in maledicta tua voluntate, quasi approbares & ratum haberes illud, quod fecisti, & quasi insolenter tripudiare velles de tam indigno, quo ipsum accepisti, modo. Et quod malum summè accumulat, est, quòd Christianus, qui adorare se illum fingit, crucifigat ipsum in seipso, sicut Judæus in Golgothæo vertice, ipsum non agnoscens, nullam ipsius habens cognitionem; est, quòd videns ipsum Cruci confixum, velut malus latro in suis ignominiis blasphemat ipsum, absque ullo conscientiæ suæ remorsu; nihil credat ex omnibus, quæ sibi dicuntur, nihili ipsa pendat, credatque hæc omnia, nonnisi imaginationes esse & figmenta, ad omnia manens absque sensu. Tuam attestor conscientiam, qui hæc legis; nonnè verum est, quòd veritas verborum, in quibus S. Paulus dicit, peccatorem *rursùs crucifigere JEsum Christum in seipso*, & exin *ostentui ipsum habere,* nunquam tuum penetraverint animum, nec ullam in ipso fecerint hucúsque commotionem!

Heb. 6.

Qui peccatores irrideant JEsum Christum, postquàm ipsum crucifixerunt.

ad Hebr. 6. v. 6.

An fabulæ ergò sint, quæ tibi affirmat Spiritus sanctus? si hæc non credas, eccur credis, quòd mortuus sit in monte Calvariæ? nonnè omnia sacræ Scripturæ verba æquali ratione sunt vera? & si absque horrore auscultare non potes illud, quod attestantur tibi de injuriis, quibus proscideruntipsum Judæi, & de blasphemiis, quas evomuit in ipsum malus latro in Golgothæo vertice; quomodò non tangeris horrore tui ipsius, cùm eadem Scriptura tibi dicat, quòd & tu simili ratione accipias ipsum? Ità, eâdem ratione ipsum accipis, quando peccas, & præsertim, quando voluntariè in tuo perseveras peccato. Obcœcate munde, munde insensate, qui falsò tibi persuades, te esse Christianum, eòquòd illius circumferas nomen; quid tibi prodest, te Christiani phantasma esse, & Christianum imaginarium, cùm non magis movearis emolumentis JEsu Christi, quàm si fores Atheus?

Consideratio viva cum fide facienda.

Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei. Saltem, vos fratres mei, dicebat nobis sanctus hic solitarius tenerrimi sui cordis affectu; saltem vos moveamini malis, quæ cunctipeccatores amabilissimo vestro in-

Job. 19.

Omnes bonæ animæ moveri debent in juriis, quas JEsus Christus suffert à peccatoribus.

ferunt Redemptori; vos, qui amatis illum; vos, quibus viva est fides, vestræ imprimens animæ profundam ergà augustam Majestatem ipsius reverentiam; vos, qui amore intimo prosequimini infinitam ipsius bonitatem. Vos alloquitur, vósque sollicitat, ut suis compati velitis injuriis, quibus vestri ipsum afficiunt fratres. Ah! deplorate ipsorum cœcitatem, deplorate ipsorum perditionem; sed deplorate cumprimis & abundantiùs omnes cruciatus, qui renovantur indies & horis singulis in universo mundo à peccatoribus in Persona Jesu Christi.

JEsus Christus crucifigit bonos secum,

Et itáne, mi Pater, inquit ipsi bonus noster Ecclesiasticus; si omnes peccatores crucifigunt Jesum Christum, an subire oportet omnes inauspicatam Judæorum & mali latronis sortem? non, respondit, sunt ex illis, quos felici crucifigit eventu JEsus Christus, secúmque pati facit, velut bonum latronem, ut & colligant secum fructus Crucis suæ. Dixi vobis, duas Cruces boni & mali latronis, insinuare nobis, quòd omnes homines, sive boni sive mali, sive prædestinati sive reprobi, suas habeant Cruces; sed reproborum cruces ipsorum sunt vitia, quæ cruciant Jesum Christum, ipsúmque occidunt; & cruces prædestinatorum, ipsorum sunt virtutes, ipsorum mortificationes, ipsorum pœnitentiæ, in quibus JEsus Christus ipsos secum pati facit, ut tandem dicat illis, quod bono latroni: *Hodiè mecum eris in Paradiso.*

Felicitas boni latronis.

Inæstimabilis hæc bono latroni fuit gratia, pati in præsentia, & in societate Domini nostri: siquidem, cùm merita Redemptionis dimanarent velut torrens misericordiarum è vulneribus Salvatoris, ad inundandum universum orbem, ipse proximus fuit fonti & scaturigini, ut reciperet indè profusiones primas, quibus propemodùm sanctificatus est in instanti. Fatendum est, hanc felicitatem fuisse pro ipso, cui non inveniatur æqualis; sed verum quóq; est, ipsum ex parte sua magnæ huic gratiæ correspondisse fidelitate incomparabili.

Hic homo, qui nullam acceperat informationem, sicut Apostoli per tres annos in schola JEsu Christi, qui non aspexerat ipsius miracula, qui formatus non erat, sicut ipsi, ad virtutem vitæ ipsius exemplis, quíque totus ex adverso non didicerat nisi mala, nec exercuerat eoúsque nisi latrocinia; ubi primùm recipit gratiam, mox cooperatur illi tantâ cum fidelitate, tanto cum fervore, ut plus ostenderet fidei, plus spei, plus amoris Dei, plus doloris de peccatis suis, & unico verbo, plus perfectionis, quàm

omnes

omnes Apostoli. Et Deus, qui amator est fidelitatis, donavit ipsum prærogativâ, ut ante omnes Apostolos ingrederetur Paradisum.

Omnes Apostoli reliquerunt ipsum tempore Passionis suæ: *Relicto eo omnes fugerunt*; quamvis probè nôssent, ac toties etiam essent confessi, ipsum esse verè Filium Dei. Et hic, qui eousque nunquam cognoverat ipsum, videns supremo ipsum condemnatum supplicio, & morientem velut capitalis reum criminis, credit ipsum Deum esse immortalem. Quàm prodigiosa debuerat esse virtus ac potentia fidei ipsius? videbat illum maximâ oppressum humiliatione, quâ affici poterat infelicissimus mortalium, cujusmodi est, finire per manum carnificis vitam; & exspectat ab ipso Regnum æternum. Quanta esse debuit firmitas spei ipsius? videbat ipsum horrori esse toti Nationi Judaicæ, omnésque velut abominandum maledicere ipsum, & is in hoc statu amore summo amat ipsum, velut verum Deum suum. Quàm inæstimabilis debuit esse ardor charitatis ipsius. Et nonnè judicare possumus, ipsum eâdem ratione omnes alias exercuisse virtutes, patientiam, humilitatem, obedientiam, resignationem in voluntatem Dei, cæterásque perfecti Christiani virtutes in excellentia sua?

Marci 14. v. 5.

Virtus heroica boni latronis.

Tandem homo iste, qui lethales in corpore suo tolerabat dolores, qui sufferebat in anima sua terrores mortis vicinæ, qui habebat ob oculos opprobrium suum, inquietudines, angustias, agonias supremi supplicii, obliviscitur horum omnium, ut crucifigat semetipsum in corde suo per dolorem magis vehementem, quàm erant illi omnes corporis sui & animæ suæ, qui proficiscebatur ex dolore, quòd tantùm offenderit Deum suum. Quàm stupenda contritio! proprias suas non attendit pœnas, ut non aspiciat nisi pœnas & mortem Redemptoris sui, ad consecrandum cor suum, & omnes cogitationes suas Deo soli. O generositatem absque exemplo! ô fidem! ô spem! ô amorem! ô admirabilem fidelitatem & obedientiam exhibitam gratiæ Salvatoris sui! nonnè æquissimum tibi videtur, ut suavissimum hoc perciperet verbum ex proprio Jesu Christi ore: hodiè mecum eris in Paradiso? non reperire est Sanctum in tota Ecclesia, cujus canonizatio magis sit authentica, magísque certa, quàm latronis hujus. Quamvis enim plerumque ab omnibus credatur, multos Sanctos esse majores ipso, alios tamen non novimus, de quibus ipsemet Jesus Christus affirmaverit, quòd verè sint in Paradiso.

Certi sumus, bonum latronem esse Sanctum.

Admiror igitur, dicebam ipsi, quòd non major festivitas celebretur de eo in Ecclesia, & non tanta, quanta celebratur de Apostolis vel Joanne Baptistâ. Respondit mihi admodùm sapienter, quòd Ecclesiæ intentio sit, quando celebrat festa Sanctorum, proponere nobis exempla, juxta quæ nostram possimus efformare vitam imitando ipsos. Jam videtur, hunc esse minùs imitabilem ex omnibus Sanctis: quamvis enim dici possit, quòd exempla virtutum heroicarum, quas exercuit in Cruce, ipsius tam viva fides, ipsius tam firma spes, ipsius tam ardens amor, ipsius tam perfecta contritio, ipsius tam prompta conversio, in ipso, quo illuminatus est, instanti, & denique omnes aliæ virtutes, quas in gradu exercuit perfecto, antequam quasi degustaret illas, exstimulare possint vecordissimos quosque ad imitandum: nihilominùs fatendum est, illarum imitationem nulli esse possibilem, eòquòd res non sint ampliùs, nec unquàm ampliùs futuræ sint in eodem statu, quo tunc fuerunt. Non videbitur renasci eadem dies, eadem Passio, eadem præsentia Salvatoris morientis in Cruce; privilegium hoc est pro ipso solo; & hæc gratiarum, quas recepit, tam stupendarum abundantia, affixa erat pretioso huic Redemptionis actualis mundi momento, quod ampliùs non revertetur.

Cur non celebretur Festum de bono latrone.

Eheu! quàm periculosum foret, ipsum proponere sibi pro exemplari, ipsúmque imitari velle! nonnè videmus, quòd innumeri inveterati peccatores, sinè intermissione allegantes exemplum boni latronis, temerariâ exspectârint præsumptione, quòd, postquàm suam exegissent vitam, sicut ipse, in criminibus, possent etiam, sicut ipse, evadere in Sanctos in ultimo vitæ suæ momento, quando præsentem habuerint, sicut ipse, JEsum Christum suæ morti, saltem in imagine sua, dicturi ad ipsum, sicut ille: *Domine memento mei* modò, dum es in Regno tuo, & illius mihi largire possessionem; quando dicturi, quòd credant, quòd sperent, quòd ament, quòd doleant de ipsius offensa, quamvis hæc omnia nonnisi extimis dicant labiis, & præsumentes se esse imitatores boni latronis, sese inveniant socios ac comites latronis mali in abyssо inferni.

Multi pereunt, proponentes sibi exemplum boni latronis.

Nescio, an bonus hic Sanctus multis extiterit hominibus causa salutis, nisi potenti intercessione sua; sed timendum potiùs, ne occasio fuerit, quantumvis innocens, damnationis plurimis animabus: siquidem nimis quàm multi assimilari vellent ipsi vivendô pessimè, & moriendô optimè: & non considerant, ipsum

Bonus latro fuit occasio licèt innoxia perditionis multarum animarum.

ipsum solum esse à creatione mundi è tot millionum millionibus hominum, qui vixerunt in terris: ita, ita ipse solus est, qui totam vitam suam exegerit in malo, de quo nobis ex sacris litteris constat, quòd finierit sanctè. Nonnisi ipsum solum novimus à creatione mundi, & certitudinem non habemus, an futuri sint adhuc similes alii, ex nunc usque ad consummationem sæculi. Pondera, quàm cœca illius foret temeritas, qui auderet prætendere, quòd, postquàm sicut ipse vixerat, moriturus quoque sit, sicut ipse. Hoc exemplum non est, quod proponitur ad imitandum, sed est speciale prodigium misericordiarum Dei, quod potiùs est admirandum.

ARGUMENTUM.

Ambæ æternitates, felix & infelix, id est, omnes damnati, & omnes Salvati aspiciunt JEsum Christum in Cruce, sed modo valdè diverso.

Articulus IV.

Symbolum duarum æternitatum, felicis & infelicis

DIxi vobis, fratres mei, perrexit Spiridion, quòd introducens vos in hoc sacellum, introducam vos in æternitatem, cujus hìc aspicitis Symbola: attollite in altum oculos, ubi vester sese perdit aspectus in cœlo, splendore ac lumine mirificè referto, desinente in vastam planitiem, nullis circumscriptam limitibus, & hoc repræsentat vobis æternitatem beatam. Dejicite exin oculos vestros in magnam abyssum, quam aspicitis apertam inter Crucem JEsu Christi, & illam mali latronis, cujus totam attingere non poteritis profunditatem, nihilque ibi vestri videbunt oculi, nisi horrendam quamdam caliginem, quæ est terrori. Et hæc tenuis imago est infelicis & calamitosæ æternitatis. Crux Salvatoris figit pedem super harum æternitatum unam, & caput attollit versùs alteram. An hujus benè comprehendis mysterium?

Hoc est, quòd decreta, quæ fecit Deus ab æternitate sua super omnes creaturas rationales, pronuntiata sint è Cruce, velut unico throno justitiæ magni Dei. Aspicio tria judicia summè formidanda, quæ tria sunt barathra nostræ cognitioni impenetrabilia. Primum est judicium Dei supra Deum ipsum, per quod condemnatus est ad tolerandam mortem Crucis. Secundum est judicium malo-

Tria judicia affixa Cruci illud JEsu Christi, illud Angelorum, & illud hominum.

rum Angelorum, per quod condemnati sunt ad habendum nunquam partem è fructibus Crucis Salvatoris mundi. Et tertium est judicium hominum, per quod condemnati sunt, ad reddendum exactissimam rationum de passione & morte Redemptoris sui. Qui reddent bonam rationem de ea; ecce felicem æternitatem præparatam, quæ ipsos recipiat. Et qui non reddent; ecce infelicem æternitatem reseratam, quæ ipsos deglutiat. Et ideò dixi, quòd utraque æternitas aspiciat Passionem & mortem JEsu Christi, sed diversimodè.

Verum est, JEsum Christum, qui proprius est Filius Dei, sublatum esse in Crucem, velut reum judicatum & condemnatum per sententiam æternam Dei Patris sui; sed postquàm hanc subiit sententiam, hic dolorum & ignominiarum ipsius thronus, factus est thronus gloriæ & magnificentiæ ejus; *Patibulum damnati, factum est tribunal judicantis.* Et hîc commoratur velut Judex supremus, cum tota judiciarii muneris potentia, quam Pater ipsius æternus suis consignavit manibus:

Joan. 5. v. 22. *Omne judicium dedit Filio;* & ipse decernit æternitates creaturis suis, & decernit illas è Cruce sua, & virtutem Crucis suæ, & ob causam Crucis suæ.

Vos Angeli rebelles, vos nunquam venietis in partem fructuum Crucis meæ, & peribitis in æternum, absque ulla gratia. Ah! cur ita Domine? an passio tua sufficiens non est ad salvandos Angelos peccatores, sicut ad salvandos peccatores homines? est ipsa plùs quàm sufficiens; sed misericordiam exhibebo hominibus peccatoribus, sed non peccatoribus Angelis. Eccur tam inusitatum in eos rigorem, quem non exerces in homines? non commiserunt ipsi nisi unicum peccatum, & homines committent eorum millionum millia: non commiserunt ipsi, nisi peccatum mente; & homines committent ea mente ac corpore: sunt ipsi creaturarum tuarum nobilissimæ, & homines non sunt, nisi vermiculi terræ in comparatione; non indigent ipsi, nisi unâ solâ gratiâ, cum qua, si semel sunt conversi, nunquam amplius pervertentur, & homines nonnisi tuis abutentur gratiis; oportebit illarum prodigere plurimas pro eis, per quas postquàm conversi fuerint, non facient, nisi quòd continuò & absque intermissione se denuò sint perversuri.

Angeli condemnati, ut non habeant partem è fructibus Crucis.

Eccur ergò Domine, terribilem adeò rigorem justitiæ tuæ in eos? Itáne talem in creaturas tam speciosas? Itáne pro unico peccato cogitationis; & peccato, quod non duravit nisi momento unico Angelico, abnuere ipsis

Quàm severè puniti sint Angeli pro unico peccato.

ipsis voles gratiam, quam in tuis tenes manibus, & ex qua ipsorum dependet æternitas. Et non voles, ut aliquam habeant partem ex meritis passionis tuæ? sed condemnabis ipsos absque misericordia? & ad quid condemnabis ipsos? non solùm, ut exulent in æternum è cœlo, & nunquam videant faciem tuam; sed condemnas ipsos, ut ardeant in igne æterno: *in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Itáne pro momento hoc inobedientiæ, quâ tuæ restiterunt voluntati, pati in æternum, in æternum, in æternum, in singula momenta ignem inferni? & judicium hoc pronuntiatum est, & hæc in eos sententia mandatur actualiter executioni, & mandabitur actualiter in omnem æternitatem. O judicia Dei, quàm estis terribilia! O judicia Dei, quàm estis profunda barathra!

Matth. 25.

Confideratio circa terribile judicium Angelorum.

Quid possumus ex hoc deducere, nisi quòd Deus admodùm luculenter ostendere nobis voluerit odium infinitum, quo prosequitur peccatum, eòquòd tam severè in nobilissimis suis id puniat creaturis? O homo, parve homuncio terræ, fige oculos tuos, & considera atteutè profundam hanc abyssum judiciorum Dei! an tam firmus, tam constans tibi sit animus, quin ex eo concutiaris? an unica tibi sit gutta sanguinis, quæ in tuis non congeletur venis? quis es tu respectu Angeli? & si pro unico solo cogitationis peccato is ita acceptus est ab implacabili justitia Dei, quid exspectandum erit tibi, qui tam ingenti, scates enormium peccatorum numero? exploratum tibi est probè tuum periculum, vel potiùs inevitabilis tua perditio in exemplo damnationis æternæ rebellis Angeli.

Quantò majores favores acceperimus quàm Angeli.

Sed JEsus Christus ostendens tibi illam, agnoscere te vult magnam misericordiarum suarum in te abundantiam. Quid mererēris à teipso, tu, qui minor es Angelo ex natura, magis odio dignus, quàm malorum Angelorum pessimus, ob multitudinem & magnitudinem criminum tuorum? & nihilominùs, quod abnuit Angelo, concedit tibi, ipsum repellit, & tui miseretur. Quid obstringit ipsum ad hoc? O bonitas infinita! Itáne nos sic amas? nec unicam sanguinis tui guttam donare voles, nec pro omnibus, nec pro Angelorum peccantium unico; & illum effundere anhelas totum ac integrum, tum pro omnibus, tum pro quolibet peccatorum hominum. O si forent tam ingrati, ut non amarent te ex toto corde suo, & ex totis viribus animæ suæ, nonnè atrociorem mererentur infernum eo, qui præparatus est supplicium Angelorum.

lorum rebellium? procul dubio; siquidem, cùm majores acceperint favores, magis se culpæ reddent obnoxios, si fuerint ingrati.

Mira ingratitudo hominum,

Nihilominùs res stupenda, aspicere insensibilitatem & prodigiosam cœcitatem hominum! pro ipsis omnibus, proprius Dei Filius omnem suum voluit effundere sanguinem, & eorum plurimi æstimant ipsum flocci, redigentes semetipsos ad infelicem diabolorum, qui illo privantur, conditionem. Omnes infideles, quorum numerus longè transcendit illum Christianorum, huic accensentur cœtui; & inter fideles, qui magnum hoc beneficium se agnoscere profitentur, Christianorum amplexi institutum, quantos reperire est, qui illum contemnunt, & ex eo sibi fabricantur majorem suæ condemnationis ansam! siquidem non solùm respondendum ipsis erit de peccatis à se commissis, sicut rebellibus Angelis, sed etiam reddenda erit ratio de passione & morte Redemptoris sui, quod Angelis rebellibus non incumbet, utpote nunquam de hoc interrogandis. Quis non fatebitur conditionem ipsorum incomparabiliter fore deteriorem, quàm illam diabolorum?

Erit aliquando dies, quo ea, quæ modò nostris abscondunt oculis, manifesta erunt oculis tum omnium Angelorum, tum omnium simul hominum, antè tribunal JEsu Christi, ex quo publicabit & palam enuntiabit sententias, quas pronuntiaverat eoúsque clam & in occulto. Ex Cruce ipsius, in qua proprium suum judicium erat affixum, procedent omnes sententiæ in creaturas ab ipso pronuntiandæ: habebit tunc à dextris suis oves, & à sinistris suis hœdos; faciet id, quod jam factum est, quando potestatis suæ judiciariæ primum exercens actum in Cruce, ex una parte habebat reprobum, & ex altera prædestinatum, & cuilibet suam ordinavit æternitatem, juxta quod meruerat vel usu bono, vel despicatu Crucis suæ. Parvum hoc erat illius compendium, quod aliquando in sua amplitudine orbis videbit universus.

JEsus Christus faciet in judicio finali, quod fecit in Cruce sua.

Aderit tandem illa dies, qua comparendum ibi nobis erit, ad percipiendum ex proprio ore JEsu Christi, irrevocabile æternitatis nostræ decretum, ubi suam subducere præsentiam, nulli erit liberum. At pono, liberum tibi fore, ut compareas ibi in qualitate, quæ tibi placuerit, quam eligas tibi ipse, an comparere voles velut diabolus? hæc propositio percellit te horrore, efformas illicò signum Crucis, & respondes: custodiat me Deus, homo sum; jus mihi est ad beneficium Redemptionis hominum,

Conditio hominis peccatoris deterior erit in die judicii, quàm illa diaboli.

num, in qua diaboli nullam habent, nec habebunt partem. Sed felix fortassis fores, si compareres ibi velut diabolus, & non velut homo? siquidem respondendum tibi non foret, nisi de unico solo peccato, nec reddenda tibi ratio de adorando sanguine Salvatoris mundi, si ex Angelorum rebellium esses numero; sed homo cùm sis, respondendum tibi erit de peccatis plurimis, & ratio reddenda de inæstimabili beneficio Redemptionis, quam impendere Salvator noster voluit nobis. Haud refert, comparere nolo coram JEsu Christo, velut diabolus, quem excluſit à suæ passionis beneficio; comparebo ibi velut homo, pro quo mortuus est in Cruce.

Conditio malorum Christianorum erit pejor in judicio finali, quàm illa infidelium.

Verùm reperire est homines diversarum omninò conditionum: ingens est valdè numerus infidelium, qui nunquam cognoverunt JEsum Christum, qui ignorârunt, ipsum esse pro se mortuum, quique sui non fuerant illuminati luce Evangelii, & minor numerus fidelium, qui cognoverunt ipsum, qui ipsum adorârunt, quique publice sunt professi, se esse Christianos. Elige è duabus conditionibus illam, quæ magis tibi videbitur proficua. An comparere voles coram JEsu Christo velut infidelis, qui non cognovit ipsum? non, respondes, tam infelix non sum, quòd fuerim infidelis: Christianus sum, baptizatus sum, auspicata me sors beavit, ut in suum me adoptaverit filium, ut in sancti Evangelii sui juraverim legem. Sed fortassis meliùs foret pro te, ut compareres ibi velut infidelis, & non velut Christianus; saltem enim aliquod excusationis prætendere genus possès, nempè ignorantiam tuam, quæ quidem tuæ non obstaret condemnationi, sed tamen tuum imminuere posset supplicium: siquidem scriptum est, quòd *servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

Omnes Christiani sunt Religiosi Crucis.

Ergò Christianus es, & in hac conditione apparebis coram tribunali JEsu Christi. Tu cognoscis omnes voluntates ejus, & exploratas habes omnes obligationes tuas. O quàm magnæ sunt illæ! eòquòd, dum Christianus es, Religiosus sis Crucis. Antiquitùs omnes Christiani nuncupabantur *Religiosi Crucis.* Inprimis Religiosus es: verum enim est, feciſſe te professionem in Baptismo tuo, magnæ hujus & unicæ veræ Religionis, quæ est in mundo, habentis pro Institutore suo, & superiore suo generali JesumChristum ipsum, & professio tua impressa est usque in essen-

tiam animæ tuæ, charactere, qui delebitur nunquam. Secundò Religiosus es Crucis: siquidem publicam facis professionem, reddendi te, quantum poteris, conformem JEsu Christo in Crucem suffixo, & hic instituti tui præstitutus est finis.

Horrendum spectaculum videre Christianum coram judicio Dei.

O quid erit aspicere Christianum coram tribunali JEsu Christi! aspicite Angeli boni & mali, attendite nationes infideles, & considerate. Ecce vobis Christianum, ecce vobis Religiosum, & Religiosum Crucis, qui rationem reddet JEsu Christo de omnibus obligationibus suis. Si fuisset Angelus rebellis, respondendum ipsi non esset nisi de unico solo peccato; si fuisset infidelis, respondendum non foret, nisi de peccatis commissis contra legem naturalem suæ insculptam conscientiæ, & de infidelitate sua, quæ infeliciter privaverat ipsum suæ beneficio Redemptionis. Sed Christianus est, Religiosus est Crucis, majoribus locupletatus est à Deo favoribus quàm Angeli, plura accepit ab ipso, quàm omnes nationes infideles. Ipse igitur ex omnibus hominibus majores habet, quibus stringatur obligationes: Jam quæstio est, an ritè adimpleverit suæ partes professionis.

Venite, Christiani, venite, Religiosi Crucis, ubi vestra est regula? Ecce vobis illam; sanctum ipsa est Evangelium. An probè nôstis illud? omnis enim Religiosus sub pœna peccati mortalis obligatus est suam nôsse regulam. An nôstis vos vestram? an nôstis, quænam sit doctrina, quænam sint præcepta, quænam sint consilia, quænam sint effata & placita, quisnam verus sit Spiritus sancti Evangelii, quod tua est Regula? non, credidi hoc mei muneris non esse, curandum hoc reliqui Pastoribus & Doctoribus Ecclesiæ, quibus incumbit scire hæc omnia; quantum ad me, abundè sat mihi fuit apprimè peritum & præstantem me reddere in speciali meo instituto, artificis, mercatoris, Jurisconsulti, nobilis, cætera illorum curæ duxi relinquenda, quorum interest ea scire & docere alios. Ah! infelix, magis nocens ac reus cunctis dæmonibus, magis sceleratus, magisque perversus cunctis infidelibus, quibus nulla sancti Evangelii fuerat notitia; lumen cœli habebas ob oculos, & hos aperire non es dignatus, ut aspiceres illud. Quanta abominatio! quanta cœcitas, quòd minimus opifex magnâ contentione studeat expertum se reddere in arte sua, quódque nihil sit, quàm ingens hoc Christianæ professionis, à qua dependet æternitas, institutum, quod negligatur ita, ut quasi nemo sit, qui præcipuum

Quæretur ex Christiano, an benè sciverit, & observaverit suam regulam.

suum

suum huc conferat studium, ut eximius in hoc & præstans evadat. Verùm vos hujus non tangit cura.

Dæmones surgent contra Christianum in die judicii.

Sanctus Augustinus in egregio illo sermone, quem dixit ad ad Catechumenos jamjam dispositos ad amplectendam Religionis Christianæ professionem, ob oculos ipsis ponit magnitudinem obligationum suarum, & exactam rationem, quam reddere aliquandò debebunt coram tribunali JEsu Christi: *præstò erit adversarius diabolus, recitabuntur verba professionis nostræ.* Quandò ibi eritis, fratres mei, aderit & diabolus, ut sit accusator & adversarius vester; proferentur ibi in medium & recensebuntur palàm verba, quæ effati estis in professione vestra, quarum virtute obligati eratis conformes vos reddere JEsu Christo crucifixo; & convincemini, fugisse vos potiùs, quàm esse sectatos hanc conformitatem. Accusabit ille vos, quòd, cùm acceperitis infinitâ ratione majores, quàm ipse, à Deo favores, vos magis fueritis ingrati; quódque, cùm ipse ex justitia Dei privatus fuerit gratiâ Redemptionis, vos illâ privaveritis vosmetipsos ex injustitia & iniquitate vestra; quódque ex homine fragili, pro quo mortuus est JEsus Christus, vos reddere volueritis protervum & pertinacem diabolum, pro quo ipse habere nil voluit misericordiæ. Ex quo deducet tandem, æquum non esse, quòd, cùm ipse damnatus sit, ob unicum duntaxat peccatum, abs eo, quòd ullam acceperit unquam gratiam, vi cujus dolere & pœnitere poterat, vos damnati non sitis post tanta commissa peccata tantasque profanatas gratias. Quid respondebitis ad hoc?

S. August. in serm. ad Catechum.

Hoc totum non erit, quòd dæmones habeatis obsistentes vobis. Sed omnes infideles nationes, juxta Evangelium, *surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.* Eheu! quid profuit nobis habuisse jus legitimum ad Redemptionem Salvatoris, velut omnes reliqui homines peccatores, pro quibus effudit is sanguinem suum, cùm non cognoverimus ipsum? & nihilominùs de magno hoc beneficio reddenda nobis est ratio, & in nostra perimus ignorantia. Sed, vos, Christiani, quibus copia & facultas erat possidendi infinitos thesauros passionis Salvatoris vestri; vos, quibus affulgebat lumen fidei, ad ipsum cognoscendum; vos, quibus erat Evangelium, ad demonstrandum vobis obligationes vestras; vos, qui emisistis professionem sequendi & imitandi ipsum; vos adorabatis Deum contemptum, & amabatis vanitates; vos adorabatis Deum pauperem, & aucupa-

Matth. 12.

Nationes infideles surgent in judicio contra Christianos.

cupabamini divitias; vos adorabatis Deum afflictum, & insatiabiles inhiabatis voluptatibus; vos obligati eratis vi professionis vestræ, ut essetis Sancti, sicut JEsus exemplar vestrum est
1. Pet. 1. Sanctus Sanctorum: *Scriptum enim est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum;* vos id benè noveratis, vos id benè poteratis, & vos id noluistis. In quo discrepatis à nationibus infidelibus, nisi solummodò in nomine? & augustum hoc, quod geritis, Christiani nomen, in vestram est condemnationem. Si nos promeruimus infernum, dicent nationes infideles, tu Christiane ingrate, quot promereberis!

Quid dicitis ad hæc fratres mei? Ecce, quòd Passio & Crux Salvatoris mundi malis omninò denegata sit Angelis. Ecce, quòd collata quidem sit, sed ignorata ab infidelibus. Ecce, quòd collata quidem sit & cognita ab omnibus Christianis, sed contempta fuerit & despicatui habita à plurimis illorum. Et super hos omnes exibunt è Cruce Salvatoris formidanda decreta, quibus ad infelicem condemnabuntur æternitatem. O quàm eorum, quibus largietur ipsa infinitæ felicitatis æternitatem beatam, exiguus in comparatione erit numerus! quinam sunt hi? an potiemur hâc sorte, ut accenseamur illis?

Erunt, qui verè fuerint Religiosi Crucis, qui omnem moverint lapidem, qui omnem impenderint curam, ut suam instituerent vitam ceu veri Religiosi, & non velut mundani; sed velut Religiosi Crucis, qui vi professionis suæ obligatos se agnoscant, ad reddendum se in omnibus conformes, quantum poterunt, JEsu Christo crucifixo. Hi erunt, qui assiduum impenderint studium suæ regulæ, sancto scilicet Evangelio, ad addiscendum ex eo doctrinam salutis, & verum JEsu Christi Spiritum: doctrinam, quam totam in epitomen coactam aspicere poterunt in tribus his verbis. Primum, fugere vanos honores, amare contemptus. Secundum mori amori divitiarum, amare paupertatem. Tertium odisse voluptates, amare afflictiones. Probè nosse sublimem hanc doctrinam, est nôsse benè totum Evangelium; illam exercere in vitâ suâ, est verè esse Christianum, Religiosum Crucis: & pro his solùm æternitas erit beata. Felicitas bonorum Christianorum in die judicii,

Ibit homo in domum æternitatis suæ. Ite Angeli boni & mali; ite homines prædestinati & reprobi; ite omnes in domum æternitatis vestræ. Ex hac aspicietis omnes Crucem & Pasionem Redemptoris. Verùm hoc erit oculis & affectibus plurimùm inter se diversis. Ah! cogitate hoc benè. Quàm cogitatio hæc erit utilis saluti vestræ! Eccl. 12. Cogita benè hanc conclusionem de æternitate.

CON-

CONSULTATIO XXVIII.

De Summo Excessu Amoris & Misericordiæ, quem JEsus Christus ostendit nobis, patiendo & moriendo pro nobis in Cruce.

INvisendum restabat nobis tertium Spiridionis Oratorium, quod collocaverat omninò in vertice montis sui, velut præcipuum, & illud, quod maxima complectebatur mysteria, & in quo majori ex parte suam perficiebat orationem. Non opus erat multis ipsum urgere precibus, ut permitteret nobis illuc introitum, sed ipsemet nos invitavit, ut eousque ascenderemus, ad conspiciendum id ibi, quòd consolationi nostræ imponeret Colophonem.

Thabor & Calvaria sibi correspondent.

Appropinquans exaratum videbam magnis characteribus supra portam unicum hoc verbum: Excessus. Quid sibi vult hic titulus, mi Pater? Intrate, inquiebat, mox illud videbitis. Sanè, quamprimùm intravimus, depictum conspeximus ex una parte montem Thaboræum, & ex opposito montem Calvariæ. Supra Thaborem videre erat Salvatorem transfiguratum, & ex utroque ipsius latere Moysen ac Eliam, loquentes cum ipso. Supra Calvariam conspiciebatur idem Salvator totus deformatus & moriens in Cruce. Haud difficile nobis erat capere mysterium per verba Evangelii dicentis nobis, quòd, cùm in Thaboræo vertice Moyses & Elias essent cum Christo JEsu, locuti fuerint de excessu, quem completurus erat in Jerusalem: siquidem noveramus, quòd juxta opinionem sanctorum Patrum; hic excessus erat ille Passionis suæ. Luc. 9.

Omnia profectò hîc excessus sunt. Hîc enim virium suarum exhausit residuum, hîc totum suum effudit sanguinem, & tradidit vitam suam, omni adnitens contentione, ut efficax afferret remedium cunctis malis, quæ causaverat peccatum toti naturæ humanæ. Hinc cùm absorptam ipsam viderat in horrendis tribus abyssis iniquitatum, per concupiscentiarum suarum excessum, maximum bonitatum & misericordiarum suarum ipse impendit excessum, ut ex iis re-

JEsus Christus in Passione sua in tres prolapsus est excessus: humiliationum, dolorum & amoris. Quare.

traheret ipsam. Et quia videbat, per tres perire nos excessus, superbiæ, voluptatis, & amoris propriæ utilitatis nostræ, ipse quoque in Passione sua in tres prolapsus est excessus, præfatis prorsùs contrarios, ut ab infelici hoc salvaret nos naufragio. Hi excessus fuêre opprobria, dolores & amor: excessus opprobriorum, ignominiarum & humiliationum contra excessum nostræ superbiæ: excessus sævissimorum dolorum, contra excessum illicitarum nostrarum voluptatum: excessus amoris & bonitatis, contra excessum amoris nostri proprii, & prosecutionem propriæ nostræ utilitatis. Hoc erat, quod statim diximus ab initio per synopsin Spiridioni ad intuitum sui Thaboris, suæque Calvariæ; & ipse approbavit, ratamque habuit sententiam nostram, suæ omninò conformem; quandoquidem verò ipse frequentibus & seriis considerationibus has ponderavit veritates, voluit illas explanare nobis ad longum. Et hoc argumentum fuit Consultationis nostræ, quæ haud leviter nostros commovit animos.

ARGUMENTUM.

Excessus opprobriorum & humiliationum in Passione JEsu Christi.

Articulus I.

VErum dicimus, fratres mei, quando dicimus, quòd peccatum fecerit injuriam infinitam Deo; sed quod dicimus, non comprehendimus: siquidem hæc injuria non consistit nisi in contemptu Dei, & impossibile est intellectui creaturæ, qui finitus est, comprehendere, quid sit contemptus Dei, cùm hic infinitum quoddam sit in alio infinito, id est, infinita quædam magnificentia redacta ad infinitam quamdam abjectionem, Deus postpositus nihilo peccati. Ad comprehendendum hoc, scire oporteret, quid sit Deus, & quid sit peccatum, & quanta distantia inter utrumque; & intellectus creaturæ qui limitatus est, nullam ad hoc assequendum habet capacitatem. Ecce quare non videamus horrorem peccati, quem si videremus, suâ nos mactâret deformitate. Dicimus quidem, illud esse injuriam infinitam Majestati Dei factam, sed nescimus, quid dicamus; & scrutemur circa hoc, quantum voluerimus, id nunquam comprehendemus.

Impossibile nobis est comprehendere injuriam, quam peccatum infert Deo.

Sed

Contemptus, quem peccatum facit Deo, reparatus est per alium contemptum Dei.

Sed magis adhuc incomprehensibile est, quòd infinitus hic Dei contemptus reparari debeat per alium infinitum contemptum Dei ipsius, apparentis nostris oculis sub forma peccatoris, Quis attollere posset mentem suam eousque, ut videret infinitam magnitudinem Verbi Dei, quod à sancto Paulo nuncupatur splendor gloriæ Dei Patris sui. Verbum hoc adorandum, quod exhaurit totum intellectum & totam substantiam Patris, qui totum dat, ut æquè magnum ac se producat ipsum ; abyssum hanc prodigiorum pulchritudinis, gloriæ magnificentiæ & Majestatis, quæ totum cœlum æterno raptu tenet defixum, dum intuetur splendores faciei ejus ? aspicere, quòd descendat in Persona ex hoc throno infinitæ magnitudinis suæ, ut voluntariè immergat se in profundissimam nihili nostri abyssum, factus homo mortalis & fragilis, sicut nos omnes ; hoc est, quod deficere præ admiratione fecit sanctum Paulum, ipsique expressit stupenda hæc verba : *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Infinita hæc majestas annihilavit semetipsam, formam assumens servi, seque induens habitu peccatoris.

Philipp. 2.

Videte, unde egrediatur, & quò tendat, attendite. Egreditur è vertice cœlorum, sicut dicit Scriptura, & currit velut gigas, ad inquirendum contemptus, humiliationes, annihilationes. Sequamur hunc gigantem fratres mei, & admiremur saltem, si comprehendere non possumus gressus ipsius. Primus est, quòd factus sit homo, qui requireret plùs quàm sæculum, ad considerandum, quâ ratione possibile sit, quòd immensitas Dei constringatur parvitate corporis infantilis, Omnipotentia infirmetur, æternitas arctetur duratione unius diei, immortalitas subdatur morti, & unico verbo, omnes Dei magnificentiæ involvantur & abscondantur sub vilitatibus & abjectionibus humanis. Quàm profundæ annihilationes, quæ nobis sunt incomprehensibiles!

JEsus Christus descendit è vertice cœlorum, ut inquireret contemptum in terris

Verùm si homo est, ergò saltem erit primus, præcipuus, potentissimus & honoratissimus hominum : quis enim in controversiam vocare illi poterit hunc primatum ? ex omni genere justitiæ congrueret hic illi ; sed ipse humiliationes sectatur & contemptus, vult esse omnium novissimus, contemptissimus, & hominum miserrimus : *novissimum virorum.* Et ecce tibi abyssum despectuum injuriarum & opprobriorum, cui immersus est, descendens semper è profundo in magis profundum.

Vult esse novissimus hominum.

Isa. 53.

1. Ipse est sanctitas infinita, cùm personaliter sit Deus ; & tra-

Tractatur velut sceleratus.

tractatur velut sceleratus, accusatur, comprehenditur à justitia velut reus, trahitur cum fune ad collum per plateas Jerusalem, ubi velut Rex acceptus fuerat quatuor ante dies, despectus, irrisus, maledictus à numerosa hac plebe, quæ ipsum aliàs prosecuta fuerat tantis laudibus, applausibus, acclamationibus. An injuriarum & despicatuum sit satis pro augusta hac Majestate, dum quem adorant Angeli in cœlo, parvi homunciones onerant opprobriis in terra? & nihilominùs nonnisi præludia hæc sunt, tendit ulteriùs, & sufferre exoptat majores longè contemptus.

Accipit alapam à servo.

2. Deducitur hoc instructus apparatu in domum Pontificis, ubi divina prorsùs cum sapientia interrogationibus sibi propositis respondenti insolens verna dedit alapam in præsentia magnæ coronæ Principum Jerusalem. Ambitio humana adesdum ut dicas mihi, quid sentias. Nonnè credis alapam, nunquam non magnam esse injuriam, quando etiam non fieret, nisi abjectæ conditionis homini? sed alapam inflictam nobili, inquis esse maculam, quæ abstergi non possit nisi sanguine? sed pro alapa facta Principi, quæ digna fieri aut inveniri possit reparatio honoris? sed alapa data Regi, Imperatori, & data à quodam famulo, nonnè horrore & tremore percelleret universum Regnum? Ah! quid est Rex terræ respectu Majestatis infinitæ Dei, excipientis alapam è manu despicabilis servi? ô infininita magnificentia! ô Majestas superadoranda, ad quantum annihilationis excessum redigis temetipsam? cur non permittis, totum ut cœlum se abjiciat ad pedes tuos, ad faciendam saltem aliqualem honoris reparationem?

3. Verùm nec unicus Præsulum vel Principum horum erat, cui objurgandi insolentem hunc famulum foret animus; sed potiùs universus cœtus velut huic applaudens actioni, auxerunt injuriam, defœdantes sputis ipsius faciem: *Cœperunt in faciem ejus* Matth. 26. *spuere.* Quando parum duntaxat salivæ ceciderat supra vestimentum alicujus Judæi, censebatur totâ illâ die immundus. Sed videre hîc adorandam JEsu Christi faciem fœdissimis prorsùs obtectam sputis, quæ carnifices illi senes ex intimi pectoris sui attraxerant fundo, ut inserent hæc fronti, oculis, ac ori ipsius; & ipsum ligatis stare manibus, & qui hæc abstergat, adesse neminem! Pater cœlestis, *respice in faciem Christi tui*; aspice tui faciem Filii, & vide, quali sit instructa ornatu. Estne hic, qui tuæ splendor est gloriæ? Angeli cœli, aspicite hanc faciem, quæ

Conspuitur in facie.

suâ

suâ vos rapit pulchritudine, an hoc in statu agnoscitis illam? sed, videte oculi mei, quantis vestra arrogantia steterit opprobriis Salvatori vestro. Nonnè suffundat vos pudor, quòd nec minimum tolerare positis contemptum amore ipsius, dum gressu gigantæo sectatur ipse despicatus maximos amore vestri? sequamur ipsum oculis, & abhinc quò vadat, videamus.

4. Omnibus his contumeliis affectus est ab inimicis suis, & quamvis admodùm enormes hæ fuerint, nihil tamen sunt respectu illarum, quas tolerat ab amicis suis. O quàm intolerabiles sunt injuriæ, quas inferunt nobis familiares nostri, amici nostri intimi! quantum probrum JEsu Christo, quòd Apostoli sui dereliquerint ipsum, velut hominem profligatum; quódque Petrus omnium præcipuus & ferventissimus, quem summâ honoraverat Ecclesiæ suæ dignitate, instituens ipsum suum in terris Vicarium, qui agnoverat & confessus fuerat illum velut verum Dei vivi Filium, neget jam & eat inficias, hominem hunc sibi esse aut fuisse Magistrum. Erubescit confiteri, quòd ipsum vel viderit, vel frequentaverit unquam, & insuper jurat, nullam sibi ipsius esse notitiam, eòquòd metueret, ne crimini se redderet obnoxium, si se hominis istius profiteretur discipulum. Omnes persecutiones, quas toleravit Dominus noster ab inimicis suis, non tantùm concitare & exasperare in ipsum poterant animos, quantùm hæc sola abnegatio Petri; dici enim poterat: isti sunt homines suo in ipsum exstimulati odio, suâ obcœcati passione. Sed quid judicari possit de homine, quem amici sui intimi, quibus melior ipsius est notitia, relinquunt ac deserunt?

Derelinquitur ab Apostolis & negatur à Petro.

5. Sed satìs non est, quòd relictus, desertus ac negatus fuerit à suis Apostolis; longè adhuc atrociora, magisque indigna exspectant ipsum. Traditor Judas, unus ex duodecim, tractat ipsum velut mancipium, velut quasi bestiam, quam exponit mercatui. Sed ut meliùs ostendat, quàm parvi ipsum faciat, vendet ipsum vilissimo, quod sponte sibi fuerit oblatum, pretio: *Quid vultis mihi dare?* date mihi, quidquid placuerit vobis, & ipsum vestris consignabo manibus. Infelix, si tuâ exstimularis avaritiâ ad vendendum divinum Magistrum tuum; poteras exinde lucrari magnam pecuniæ summam; exploratum enim est tibi ingens desiderium, quo exæstuant habendi ipsum in manibus suis; tu ipsemet æstimâsti unguentum Magdalenæ trecen-

Venditur vili pretio à Juda.

tis denariis; jam finè comparatione majoris is est: postulare igitur benè poteras pro ipso denarios ter millenos. Sed oportebat traditioni tuæ conjunctum esse despicatum maximum húncque avaritiâ tuâ apparere majorem: tu vendis ipsum triginta denariis, vendidisses libentiùs unico solo, cùm nihil in æstimatione tua contemptibilius sit ipso: *Solus in comparatione omnium vilescit Deus.* Salvianus.

Nondùm igitur inquis, Domine: *Saturatus sum opprobriis?* non, adhuc illorum tenet me sitis, restant mihi profundiores adhuc injuriarum & humiliationum abyssus; descendam illuc, illúcque gigantæo gradum accelerabo passu. O nos beatos, si nobis foret animus non insculpendi solummodò menti magnas ipsius humiliationes, sed etiam paulisper participandi ex illis.

6. Aspexistis ipsum contemptum coram Pontificibus, percussum alapâ à servo, defœdatum sputis à magno conventu, negatum à S. Petro, vili pretio venditum à Juda. Videte post hæc omnia, quàm parvi ipsum æstimet universus populus; hic populus, qui excepêre auribus stupendas ipsius Conciones, qui hausêre oculis ingentia ipsius miracula, millenis obruti ab ipso beneficiis, quibus devinctos habebat sibi ipsos. Dicitur, omnes comparationes esse odiosas, sed reperire ex illis est, quæ infinitâ ratione sunt intolerabiles. Quis imaginari sibi posset aliquam magis horrendam, quàm videre Deum Israëlis, Messiam promissum, exspectatum, tam ardenter desideratum ab hoc populo, qui tam manifestè suam ipsis probaverat Divinitatem, videre ipsum in comparationem, parallelum & collationem adductum cum Barabba hominum sceleratissimo, quem Evangelium appellat *Vinctum insignem*, homicidam, seditiosum, pestem populi. Quæritur, quis è duobus magis indignus sit vitâ, magisque dignus morte; necessariò ipsorum uni pereundum est. Populo Israël, tua requiritur sententia, tu nôsti utrumque, tibi constat, quid in ipsorum aspexeris tum agendi tum vivendi ratione, quomodò ab uno & altero fueris acceptus: quem æstimas pluris? cui indulgere vis vitam? ne præceps ruito in sententiam; pondera benè, perpende exactè valorem utriusque; an vis liberari Barabbam? an vis liberari JEsum? *Non hunc, sed Barbabam.* Dimitte Barabbam, & occide JEsum. Barabbas dubio procul est malus, sed pejor adhuc est JEsus. Postponitur à populo Barabbæ.

7. Ecce igitur tandem redactum te, ô amabilissime JEsu, in pro-

profundissimam despicatûs abyssum, eòquòd adductus in comparationem postpositus fueris sceleratissimo & facinorosissimo hominum, qui sunt in terris. Nondùm, responderet tibi, attigi illam; versantur mihi adhuc ob oculos magis profundæ contemptuum abyssus, quò descendendum est mihi: non loqueris de iis, quos absconditos servavêre intra mentis suæ penetralia persecutores mei, vel quos obtectos tenuit caligo noctis. Si aspexisses sensa, quæ recondita latebant in corde Sacerdotum, Pontificum, & Pharisæorum clandestinis suis consiliis cruentam hanc ludentium tragœdiam: siquidem voluissent ipsi, ut postponerer damnatorum novissimo in inferno: si vidisses irrisiones & ignominias, quibus obruerunt me totâ nocte milites, quorum traditus fueram custodiæ, probrosâ circumdantes me chlamyde, inserentes manibus meis arundinem in formam sceptri, imponentes capiti meo coronam è spinis, salutantes exin me flexo poplite per contemptum, infligente mihi quolibet eorum pro homagio colaphum, certantibus, quis infligeret fortiorem; & tandem obvelantes mihi oculos, & in capite percutientes me, mihique ridiculè dicentes: prophetiza, novimus enim te Prophetam esse, prophetiza, quis est, qui te percusit: si conspexisses indecoras omnes ipsorum actiones, si auscultâsses cuncta insolentia ipsorum verba, fatendum tibi omninò foret, neminem unquam majoribus prosciissum fuisse contemptibus, despicatibus, insultibus: erant hi tam horribiles, ut opus fuerit caligine noctis, quæ subtraheret illos cognitioni hominum: nam animosissimi quique exin fuissent convulsi tremore.

Ignominiæ, quas perpessus est à militibus tota nocte.

8. Nihilominùs satis non erat, me ita occultis prosciissum fuisse contumeliis: oportebat omnes meas ignominias, omnia mea probra patere oculis omnium. Deducebar manè de tribunali ad tribunal, & ubique judicabant me vitâ indignum. O iniquam hominum justitiam, ubi innocentia purissima, ubi sanctitas Filii Dei condemnatur ad mortem! an igitur quidquam magis injuriosum, magisque contumelioſum, quod patiaris, sit superstes, mi Domine! Immò: siquidem exin deductus fui ad Herodem, qui magna me patrare audiêrat prodigia; proin me velut mimum ac histrionem accipiens, petiit à me, ut ad sui oblectationem coram se aliquod patrare vellem miraculum. Sed æquum non erat, ut abuterer Omnipotentiâ Dei Patris mei, ad satisfaciendum curiositati sceIerati alicujus viri; adeóque cùm

Condemnatus in omnibus tribunalibus.

Habitus ut fatuus abHerode & exercitu ejus,

id abnuerem, indutus sum velut fatuus veste albâ, & in hoc apparatu expositus risui, insultibus & sarcasmis totius exercitûs Herodis : *Sprevit eum Herodes cum exercitu suo.* Ah ! Domine, nimium hoc est, nimius hic est contemptus, quem pateris pro me. Non tuum est, mi amabilissime JEsu, sed meum est pati contemptum ; tibi omnis debetur gloria, mihi velut criminis reo omnis confusio. Accipe, quod tuum est, & relinque mihi, quod meum est.

Luc. 23.

Verum est, quòd audientes hæc exponi à Spiridione, omninò fuerimus consternati, magno suffusi pudore, & vehementi dolore afflicti, nec minore convulsi terrore. Hinc videns, nos quasi linqui animo ; non est tempus, ajebat, fratres mei, hærere hîc attonitos, quia nihil adhuc vidistis ; non est totus adhuc hic magnus ille opprobriorum & ignominiarum Oceanus, quo amabilis noster absorptus & submersus est Redemptor. Sed audite, quid dicturus sim, omnésque illuc contendite animi nervos, ut, si possibile vobis est, idipsum capiatis.

9. Vix non diffringitur dolore cor meum, dum ipsummet in Scripturis conquerentem percipio : *Operuit confusio faciem meam.* Et quando hoc fuit ? fuit, dum oneratum se vidit infinitâ confusione, quæ debita erat cunctis peccatis hominum. Omne peccatum trahit post se probrum suum, confusionem suam ; duo peccata sunt duo probra, decem peccata sunt decem probra, centum peccata sunt centum probra, centies millena peccata sunt centies millena probra, & infinita peccata sunt infinita probra. Quis comprehendere igitur posset illam confusionum abyssum, quando oneratum se vidit infinitâ multitudine omnium peccatorum hominum, quasi hæc omnia ipsemet commisisset ? *Posuit in eo iniquitates omnium nostrûm ;* ita ut omnes spurcitiæ impudicitiarum turpissimarum, omnia furta magis abominanda, omnia homicidia magis atrocia, omnes proditiones magis perfidæ, omnes blasphemiæ magis impiæ, omnes malitiæ magis infames, & unico verbo, omnia crimina magis execranda, quæ unquam commissa sunt à cunctis hominibus, quibus oneratus is erat, quasi in Persona ipsemet commisisset illa, conficerent ipsi vestem ex meris confusionibus & probris ad operiendum ipsum.

Psal. 68.

Portavit prolam brum omnium nostrorum peccatorum.

Isa. 53. v. 6.

Concipite animo confusionem lethalem alicujus personæ, quæ nunquam non irreprehensibilis, & magnâ pietate insignis passim à cunctis fuerat æstimata, si deprehendatur in facto quopiam, quod committi possit, nefan-

Quantæ confusioni ipsi fuerint nostra peccata.

fandissimo & turpissimo, ipsiúsque infamia in instanti fiat publica. O Deus! nonnè vellet, ut aperiret se terra, seque in ipso deglutiret instanti, sicque à tormento se eximeret magis sævo ipsâ morte? adjunge huic centena alia ejusmodi probra, & iterùm alia paris turpitudinis centies millena, hísque eandem onera & aggrava personam: quid fiet cum illa? & considera, quòd JEsus Christus, qui Sanctitas est infinita, se viderit tanquam deprehensum in facto, & verè oneratum omnibus hominum peccatis, quasi ipsorum esset reus: *Peccata nostra ipse portavit.* Nam quamvis impossibile sit, ipsum unquam vel unicum committere peccatum, nihilominùs omnia susscepit in seipsum quasi sua propria, ut ipsorum portaret pœnam, probrum, confusionem, supplicium. Quantos putatis fuisse clamores omnium harum abominationum? *Dicunt omnes, crucifigatur.* Moriatur hic sceleratus, moriatur, in crucem agatur innumeris vicibus dignus est morte.

Confusio ipsius coram oculis Dei Patris sui, dum insonuit: Ecce Homo.

Videre se expositum in probroso hoc apparatu in conspectu cœli & terræ, Creatoris & creaturarum, quando productus fuit coram omnibus, affirmante ipsis Pilato: *Ecce Homo.* Hoc non est dicere: Ecce homo quispiam particularis, sed, ecce homo quidam universalis, id est, omnes homines in unico hoc homine conjuncti, omnes, peccatores, omnes scelerati, omnes inimici Dei in epitomen redacti. conflati & collecti in hoc homine. An Pater cœlestis agnoscis illum? estne hic unicus, qui est splendor gloriæ tuæ, & divinæ tuæ objectum complacentiæ? an benigno ipsum intueris oculo ita innumeris oneratum criminibus & abominationibus, quæ tibi sunt horrori? non, ipse hoc in statu, & hâc sub ratione, non complacentiæ, sed tuæ objectum est iracundiæ; & in sacro codice dicentem te audio: *Plagâ crudeli percussi eum.*

Angeli cœli alloquor vos, vobísque dico: *Ecce homo:* ecce Homo Deus, quem adorâstis in instanti creationis vestræ; ecce pulchritudo infinita, quæ vestros oblectat oculos; ecce Sol justitiæ, qui illustrat vos sanctitatis splendore; an agnoscitis ipsum ita innumeris oneratum criminibus execrandis? Audio Prophetam mihi dicentem: *Angeli Pacis amarè flebant.* Isaiæ 33.

Itáne ergò à nemine in hoc statu agnoscatur? vos saltem, ô animæ virtutibus addictæ, quibus statutum est non aliud, quàm ipsum amare, non occupari alio, quàm ipso; vos, quibus solemne est imitari Angelos beatos, qui incessanter ipsius contemplantur

faciem, suam sicut vos in hoc collocantes felicitatem, quòd considerent ipsum, quod cogitent de ipso: ecce Homo; aspicite, ecce vobis illum: an agnoscitis ipsum modo, innumeris obvolutum criminibus, quæ efficiunt illum cunctis creaturis magis horridum aspectu? si videre ampliùs non possitis vestrum Deum; videte igitur ipsius locò abominandum horrorem criminum, quæ annihilârunt quasi vestrum Deum: si lacrymæ vobis obtundunt oculos, paulisper extergite illos, & propiùs aspicite, ut propria hîc vestra, quæ ipsum gravant, ipsúmque pudore suffundunt, agnoscatis peccata. Ita, ecce vobis illa, hoc & hoc crimen, quod commisistis: nonnè videtis, quomodò portet ipsorum probra pro vobis, & quomodò hæc repleant ipsum confusione? O mi JEsu! an semper ergò insensibilis ero petra? nonnè moriendum mihi foret præ dolore intuendo ejusmodi spectaculum? occludite vos, oculi mei, & ne ampliùs videatis hoc objectum, vestra extinguite lumina in aquis lacrymarum.

Quo spiritu aspiciendus sit JEsus Christus, propositus ut *Ecce Homo*.

10. Adhæc, quomodò videre possetis, quod astra cœli videre non potuerunt, quin obcœcarentur; quod sentire non potuerunt petræ, quin scinderentur præ dolore; quod sustinere non potuit terra, quin contremisceret præ horrore; volo dicere, profundissimam confusionum & ignominiarum abyssum, cui tandem est ipse immersus. Quæ conclusio exspectanda erat ex ejusmodi præmissis? nisi quòd tandem condemnatus fuerit, ac si solus foret obnoxius cunctis criminibus hominum, & ad supremum condemnatus supplicium; sed suppliciorum omnium probrosissimum, quod erat suffigi in crucem, quæ pro ligno habebatur maledicto, & ignominiosissimâ omnium morte. O Salvator mundi! an igitur usque eò descendere voluisti amore nostri? O malitia infinita peccati hominum! an igitur usque eò redigis Deum Omnipotentem, qui fecit cœlum & terram?

Ultima confusionis abyssus in Cruce ipsius.

Si moriendum fuerat, mori poterat morte minùs infami. Sed Judæi, qui condemnabant ipsum ad crucem, non solùm intendebant ipsum exuere vitâ, sicut observat S. Chrysostomus, sed volebant cumprimis ipsum omni spoliare honore, & per hoc memoriam ipsius reddere tam execrandam, ut si non sufficeret mors, mortis tamen sufficeret genus, ad adimendum omnibus, ipsismet etiam suis, animum, loquendi de ipso: *Ut, si nemo propterea ab eo abstineret, quòd occisus est; abstineret tamen vel ideò, quòd hoc*

S. Chrysost. in Epist. ad Philipp.

hoc pacto occisus est. Nam quis ausus fuisset evulgare & proponere hominum judicio ceu Deum immortalem, hominem in Cruce mortuum, condemnatum à sententia justitiæ, ultimo affectum supplicio à manibus carnificum, in loco patibulario inter latrones?

Ecce fratres mei, concluſit Spiridion, id, quod attonitus reddit omnes animos, & cunctas facit obmutescere linguas. Exhaustus sum, nec quidquam ampliùs vobis dicere possem: nôsse autem percuperem cordium vestrorum hac super re affectus & sensa.

ARGUMENTUM.

Quales affectus conciliare in nobis debeant Excessus humiliationum Filii Dei in Passione sua.

Articulus II.

FAteor, inquit pius noster & eruditus Ecclesiasticus, nonnisi confusionem sentire me in intellectu meo, qui duo hæc extrema conjungere simul non potest, magnitudinem Dei, & ipsius humiliationes. An gloria infinita dissipare non debeat omnia ignominiarum genera, sicut sol dissipat tenebras, quæ subsistere non possunt præsente ipso? & opprobria infinita an extinguere non debeant omne genus gloriæ, velut nox profunda omne expellit & fugat lumen? & tamen videre hæc duo extrema conjungi in Persona JEsu Christi, quàm incomprehensibile hoc prodigium!

Ex hac confusione intellectûs mei, plures enascuntur affectus in corde meo. Modò cogito mecum ipse, affirmandum omninò esse quòd superbia magna sit injuria Deo, & crimen prorsùs enorme, eòquòd tali opus fuerit remedio ad sanandum ejusmodi malum. Ex magnitudine reparationis intueor magnitudinem injuriæ, & ex virtute remedii colligo malitiam morbi. Sed cumprimis video ipsam, quando considero, quòd nondum sanata sit ab omnipotenti hoc remedio, quódque non obstantibus cunctis tam profundis humiliationibus Majestatis Dei, ambitio & superbia adhuc ubivis insolenter imperent, insuper & videatur, idipsum parùm æstimari. O superbia! ô vanitas mentis humanæ, quàm malum es incurabile! Eheu! non cognoscitur tua malitia; unde oritur, quòd non majori sis horrori, quàm sint homicidia, furta, impudi-

Humiliationes JEsu Christi ostendunt, quàm injuriosa sit Deo superbia nostra.

pudicitiæ, cùm certum sit, te magis Deo esse injuriosam?

Christianus superbus est pejor Lucifero.

Tu peccatum es diabolorum, quod æstimatum fuit indignum misericordiâ; sed magis adhuc horrendum, magisque indignum es veniâ in hominibus, qui nonnisi vermiculi sunt terræ comparati cum Angelis; sed præcipuè, postquàm proprius Filius Dei sese humiliavit, seque probris & confusioni exposuit amore hominum, & ut veram doceret ipsos humilitatem: si superbi adhuc sunt, longè deteriores sunt dæmonibus; certum enim est, quòd si Filius Dei vel minimam illarum humiliationum tolerâsset pro Lucifero, quamvis dæmonum sit maximus & Rex superbiæ, in ipso instanti evaderet humillimus omnes inter creaturas. O quàm superbia hominum indigna est misericordiâ!

Modò accenditur in me desiderium, accendendi jam cor meum desiderio, quod ardebat in Lucifero, dum dixit: *Similis ero Altissimo.* Crimen fuerat ipsi, similem esse voluisse Deo in Majestate gloriæ suæ; sed maxima mea foret felicitas, si similis jam essem Altissimo in profundissima ipsius humiliatione. O quanta hæc mihi prærogativa, quòd liceat aspirare mihi ad similitudinem Dei! nemo disceptabit mecum de prætensionibus ambitionis hujus sanctæ; possi-

Isa. 14. v. 14.

Licet nobis aspirare ad similitudinem Dei in statu, quem ipsemet amplexus est.

deo in me ipso omnem illuc aspirandi materiam; Deus mihi offert quotidiè omnia illuc pertingendi media; & quando hanc ambulo viam, meæ invenio pacem animæ: & quantò magis sincero animo & absque dolo in meum descendero nihilum, plus invenio hîc pacis, magisque me consolatum. Ah! invenio hîc amabilem meum JEsum totum annihilatum, qui porrigit mihi brachia, mihique congratulatur de felicitate, quæ similem aliquantisper me reddat ipsi in despicatibus, opprobriis & annihilationibus suis; & ego dico ipsi cum S. Bernardo: *Tantò mihi charior, quantò pro me vilior es* ô mi JEsu. Verùm summâ perfundor delectatione, dum audio, ipsum eadem mihi remittere verba; & tu Christiane: *Tantò mihi es charior, quantò pro me vilior.*

S. Bern.

Quanto magis se JEsus Christus humiliavit, tantò Deus Pater ipsum magis exaltavit.

Modò perpendo mecum justitiam, quam Deus Pater exhibuit ac reddidit ipsi, dum, quantum is humiliavit se, tantum ille exaltavit ipsum ad supremum culmen honoris & gloriæ, eousque, ut ad simplicem Nominis sui pronuntiationem, omne genu flectatur ad adorandum ipsum in cœlo & in inferno. Et videtur mihi omnes homines, & præsertim Christianos, absque intermissione adniti debere, ut eandem ipsi reddant justitiam,

& in

& in omni occaſione ſtudeant exhibere ipſi reparationem honoris, pro tantis ignominiis, quibus exhibere immeritus ſe amore noſtri voluntariè. Quis diffitebitur hanc noſtram eſſe obligationem?

Chriſtiani adhuc afficiunt JEſum Chriſtum iisdem injuriis, quibus affectus eſt in Paſſione ſua.

Et nihilominùs dolens video, non ſinè lethali tædio, quòd Chriſtianorum plurimi, imitantes inſolentiam & perfidiam Judaici populi, iisdem proſcindere pergant ipſum, & ratione aliquâ majoribus deſpicatibus, quam omnibus iis, quos perpeſſus eſt tempore Paſſionis ſuæ. Judæus contempſit ipſum, videns ipſum ſuffixum Cruci; & tu Chriſtiane, contemnis illum, haud ignarus, regnare ipſum in gloria ad dexteram Dei Patris ſui. Tu quæris, in quo contemnas ipſum; vide, an unicam ſolam, tempore Paſſionis ſuæ ipſe toleraverit ignominiam, quam hodiedum non inferas ipſi. Unus Apoſtolorum negavit ipſum tertio; & quanti Chriſtiani plùs quàm tercenties ipſum negant? alius vendidit ipſum triginta denariis; & quanti vendunt ipſum multò minoris, ipſóque ſe privant pro brutali voluptate, detractione famæ, parvo & iniquo lucro! dictum eſt illi Ave flexis in terra poplitibus per contemptum; & quanti Chriſticolæ falſi acceduntEcclefias ſub obtentu adorandi illum, ibique curvatis adſunt genibus, interim animo vagantes, & forſan oculis impudicos aucupantes aſpectus, quasi eo venirent illuc nomine, ut afficerent ipſum injuriâ, etiam in templo, in domo ſua.

Poſtpoſitus eſt Barabbæ, & quot Chriſtiani mali poſtponunt ipſum infami creaturæ, quam magis amant ipſo? & quod horrendum eſt dictu, quot ipſimet poſtponunt ipſum diabolo, cui ſervire malunt quàm ipſi? Ipſe ſpretus & illuſus fuit à toto Herodis exercitu; & nonnè videmus innumeram Libertinorum multitudinem, quibus ludibrio eſt devotio, quique ſannis excipiunt ſanctiſſima Religionis myſteria? Ipſe reus judicatus eſt mortis, in cunctis, quibus oblatus eſt, tribunalibus; & Judæi ſuſtinuerunt, habere ſe legem, per quam debeat mori, eòquòd ſeſe fecerit Filium Dei. Et nonnè tractatur ita quotidiè à cunctis hominibus? ipſe ſuam perdit cauſam in omnibus conventibus mundanorum.

Lex mundi antefertur Evangelio.

Mundus habet legem, juxta quam JEſus Chriſtus debet mori, proſcribi, proſcindi contemptu maximo. Ipſius lex jubet, ut amentur afflictiones & agatur pœnitentia; illa mundi præcipit, ut amentur voluptates & quærantur oblectamenta. Ipſius lex prohibet, ne bonis terrenis apponatur animus; illa mundi

ordinat, ut summo studio inhietur illis. Ipsius lex præscribit modestam decentiam, decentemque modestiam in vestibus; illa mundi vult, ut harum teneatur luxus, stringatur & diligatur vanitas. Ipsius lex invitat ad silentium & solitudinem; illa mundi ad colloquiorum facetias, animi relaxationes. Ipsius lex hortatur ad patientiam, mandatque condonationem injuriarum; illa mundi exstimulat ad vindictam & injuriarum ultionem. Unico verbo, ipsius lex præcipit virtutes, & illa mundi cuncta vitia.

Jam interrogo quemlibet ratione præditum, qui videat id, quid agatur in mundo, an non verum sit, quòd nunquam non infinitus Christianorum numerus alleget legem mundi, ut se excuset & eximat ab exercitio pietatis. Eccur non imitaris JEsum Christum in sua humilitate, in sua patientia, in suo silentio, in sua solitudine? qua ratione, cùm vivendum mihi sit in mundo? eccur non perficis bona opera? eccur non agis pœnitentiam? eccur non servas majorem in vestimentis modestiam? vellem id quidem, sed quomodò in mundo? nemo diffiteri potest, quòd ita agat, seque habeat Christianorum pars maxima. Sed revera hoc est dicere, quod dicebant olim Judæi tempore patientis Salvatoris: *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori.* Nobis lex est in mundo, juxta quam vivere volumus, & juxta quam mori debet spiritus JEsu Christi, & pedibus conteri ipsius Evangelium, & sancta illius effata despicatu maximo.

Joan. 19.

Et posthæc dicas, verum non esse, quòd sustineat adhuc hodie JesusChristus eadem opprobria à plerisque Christianis, quæ sustinuit in Passione sua à Judæis. O quantos reperire est Christianos imaginarios, sicut ipsos appellat Tertullianus, persuadentes sibi, quòd Christiani sint, eòquòd illorum circumferant nomen, cùm tamen procul absint, ut navent operam imitationi JEsu Christi, sed potiùs, quantùm possunt, fugiant ipsam! ô quot Christiani sunt, quos nuncupare possem Christiano-Judæos! Christianos, eòquòd speciem præseferant, quòd agnoscant JEsum Christum, ipsumque adorent; sed Judæos reipsâ, eòquòd illudant ipsi & legi ejus, & exemplis, quæ dedit nobis, pergántque non minore proscindere ipsum contemptu, quàm prosciissus fuerit à Judæis. Quis absque dolore intueri hæc potest?

Multi Christiani afficiunt opprobriis Jesum Christum.

Domine, dicebam ipsi, plures adhuc reperire est bonas animas, non contemnentes JEsum Christum in contemptu suo. Videmus Spiritum sanctæ Ecclesiæ velle, ut filii sui exhibeant summos

Omnes Christiani reparationem honoris faciunt JEsu Christo, die Veneris sancto.

mos ipsi honores, pro maximis, quas in Passione sua amore nostri sustinuit ; ignominiis. Et ideò præcipit illis, ut singulis diebus parasceves sese prosternant ad pedes ejus, ut exosculentur illos, ipsúmque adorent, sicque mulctam ipsi pendant honorariam publicam & universalem in tota Ecclesia. Nil video movendis animis ita idoneum, si fieret cum spiritu humilitatis, fidei, & compunctionis, sicut fieri deberet, quàm videre die illo, quo humiliationes profundissimas sustinuit Filius Dei, universum mundum Christianum ad illius pedes provolutum, ut ipsum venerentur, ipsique exhibeant homagia ; omnes Ecclesiasticas potestates à summo Pontifice usque ad Clericum novissimum, omnésque Magistratus sæculares, à Regibus & Imperatoribus usque ad lixam è vulgo minimum.

Quâ ratione perfici deberet magna hæc actio.

Omnes Christiani eo die faciunt, quod faciendum illis incumberet omnibus diebus vitæ suæ, honorariam nimirùm mulctam humiliationibus Redemptoris sui, debitam. Sed non obiter exhibenda foret & ex consuetudine tantùm sancta hæc actio : non igitur portanda ad osculandum Crux foret aut his aut aliis, usque ad subsellia eorum, citra id, quòd laborem sibi sumant, faciendi unicum duntaxat gressum ad quærendum JEsum Christum, quasi non essent ipsi, qui facerent reparationem honoris, sed ipse foret, qui quæreret illos, ad exhibendum ipsis honorem. Oporteret igitur, ut quilibet de longè adreperet super terram, totus humiliatus & totus confusus, vultúmque pudore ac verecundiâ obtectus ; & ratio quoque exigeret, ut accederent omnes cum fune in collum implexo.

Novi optimè, plerósque hanc obire actionem, ex se tam sanctam, tamque excellentem absque ullo devotionis affectu, quin etiam absque ulla consideratione ; sed ubi recedunt, non amplius cogitare de ea. Nihilominùs plures adhuc reperire est animas bonas, quæ perficiant eam cum spiritu verè Christiano ; quæque ipsius sensum impressum retinentes animo, nunquam non illius in particulari continuant exercitium ; ita ut nullum præterlabi permittant diem, quin adorent JEsum Christum Cruci affixum, exhibentes ipsi corde optimo sacrificium omnium parvarum humiliationum, quæ sibi poterunt accidere, quásque sibi immittere placuerit ipsi in reparationem honoris omnium magnarum humiliationum, quas perpessus est amore nostri.

Paucos sanè numerare est Christianos, qui impietatis sibi notam

velint inuri; dicunt omnes, sequi se velle JEsum Christum: Joan. 12. *Mundus totus post ipsum abit.* Sed plerique id faciunt ratione admodùm diversâ. Aliqui sequuntur ipsum ut habeant panem; plurimi se consecraut pauperi JEsu Christo, ut ab eo ditentur beneficiis, proventibus Ecclesiasticis. Alii sequuntur ipsum, ut obtineant honores, sacros primatus, Præsulum gradus, Antistitum dignitates; non pauci, qui imitari volunt splendidis ipsius vitam functionibus, docendo, instruendo, prædicando Evangelium magno eloquentiæ apparatu, & Apostolicum quemdam demonstrando zelum, ita ut de ipsis dici possit, quod de illo: nunquam locutus est sic homo. Nonnulli sequuntur ipsum, ut aucupentur voluptates ac delicias, eòquòd audierint, elargiri ipsum animabus devotis miras omninò & superabundantes consolationes, experti sæpiùs primâ fronte magnos dolores in exercitiis pietatis; hi sequuntur ipsum, quamdiu habent sibi blandientem; ubi primùm se pauliſper monstraverit severum, terga vertunt, ipsúmque derelinquunt. Hi omnes velle videntur sequi JEsum Christum, sed profectò non quærunt ipsum, sed seipsos.

Non omnes Christiani sequuntur Christum eâdem ratione.

Reperire adhuc est alios, qui sequantur & verè quærant ipsum, qui imitari velint vitam ejus, quantocunque sibi steterit labore, quibusvis impensis. Nonnulli, qui vident ipsum solitarium, orantem ac totum contemplationi rerum divinarum intentum, devovent se maximæ ac altissimæ solitudini, seque totos impendunt rationi: hi acceptissimi sunt ipsi. Aliqui, qui intuentur ipsum pauperem, universis mundi rebus exspoliatum, capessunt animum sequendi in hoc ipsum, facientes professionem altissimæ paupertis, ita ut alium thesaurum habere nolint in mundo, nisi ipsum solum, & hi adhuc magis placent ipsi. Alii, dum cernunt ipsum oneratum plagis, laniatum virgis, perforatum spinis, totúmque absorptum tormentis, hisce ipsius cruciatibus exstimulati, sanctóque succensi zelo admodùm austeram amplectuntur vitam. Et hi quoque mirè arrident oculis ipsius. Verùm aliud quoddam adhuc in ipso est vitæ genus, quod pauciſſimi vel volunt, vel adnituntur imitari; & est status humiliationum & contemptuum ipsius, qui profectò omnium ipsius statuum, mirabiliſſimus est & sublimiſſimus; sed in hoc maximè desertus est, pauciſſimósque sui numerat sequaces. O quàm pauci suam in hoc collocant devotionem, ut opprobria JEsu Christi propriis suis honorare velint humiliationibus!

Quâ ratione boni Christiani sequantur JEsum Christum.

Perfectiores sepuuntur ipsum in suis opprobriis.

Et hæ

Omnes Apostoli, & præsertim S. Paulus gaudebant in contemptu pro JEsu Christo.

Et hæ sunt animæ electæ, amatæ & dilectæ à Domino nostro super cœteras omnes, quæ ipsum non derelinquunt nec contemnunt in contemptu suo. Unica sola anima hunc amplexa statum, majorem ipsi impendit gloriam, quàm plures aliæ. Nihil magis ipsius extollit gloriam, quàm videre Apostolos, qui deseruerant ipsum in Passione suâ, nonnisi ducti adhuc & docti spiritu suo naturali, tantâ cupiditate contemptuum succensos, postquàm impleti sunt spiritu sancto, ut reverterentur gaudentes à conspectu Concilii, quia digni fuerant pro nomine JEsu contumeliam pati; sed præcipuè S. Paulum, qui cumprimis ideò nuncupari meretur magnus Apostolus per antonomasiam. Non agnoscebat aliam ipse gloriam, quàm illam in Cruce Redemptoris sui; nunquam non & ubique se jactans de illatis & jactis in se opprobriis, injuriis, contumeliis, habitus & acceptus velut mundi peripsema, lapidatus, in carcerem missus, ter colaphis cæsus magna cum ignominia. Et ecce vobis gloriam, quâ adornat seipsum, quámque incomparabiliter majoris æstimat, quàm omnes mundi honores.

O Deus! quàm suave ac jucundum palato animæ est manna, contemptus pro JEsu Christo perpessus, si ipsa vel paululùm perfecti ac veri ipsius possideat amoris, Sed ad hoc ut pertingatur, maxima sanè amoris requiritur puritas, ad quam acquirendam, necesse est mori amori suo proprio, qui super omnia fugit & odit contemptum. Omnes propemodùm homines referti sunt amore proprio; unde & videtur, ipsos cunctis viribus fugere & odisse contemptum. Magnum profectum fecisse quis creditur, si patienter acceptet & sufferat ipsum. Verùm si eoúsque pertingat anima, ut ipsum amet, & in eo suas inveniat delicias, affirmare potest, phœnicem hanc esse inter animas devotas. Eheu! digni non sumus contemptu, nimiùm sublimis est pro nobis, nec ipsius meremur agnoscere valorem; est res nimis quàm pretiosa; unicus duntaxat contemptûs atomus majoris est, ingenti monte bonorum operum: siquidem in his amor proprius invenit sæpiùs, unde se alat; sed in contemptu nihil prorsùs est pro ipso.

Quàm pretiosus sit contemptus toleratus pro Deo.

Ah! exsolvamus saltem hoc homagii ignominiis JEsu Christi; mulctam hanc honorariam pendamus ipsi, humiliemus nos profundissimè coram ipso velut reos, portantes è collo funem, & funale in pugno. Adoranda Majestas JEsu, ecce prostratos nos ante thronum ignominiarum tuarum, ubi tuas adoramus

Mulcta honoraria JEsu Christo exhibenda.

magnificentias, & sincero agnoscimus corde, reos nos esse, ac dignos, qui omnibus obruamur injuriis, omnia toleremus opprobria, quæ ex tuæ abundantia pietatis in Persona tua voluisti tolerare.

Nos velut scelerati habendi sumus, nam sumus reipsâ; nos ignominiosè rapiendi per plateas cum fune ad collum, colaphizandi à servis, conspuendi in facie, postponendi flagitiosissimis, excipiendi flagris, illudendi sarcasmis, contemnendi & exponendi velut fabula populis: nos demum judicandi & ad supremum condemnandi sumus supplicium; nos enim id promeruimus, quin & insuper digni sumus, ut sustineamus in æternum cuncta tormenta, cuncta opprobria inferni.

O adorandissime JEsu! O verè infinitæ Majestatis Deus; quidquid toleras, non tuum est, sed nostrum est: relinque nobis partem nostram & sume tuam; nobis solis omnis contemptus & omnis humiliatio, tibi soli debetur omnis honor, omnis laus, & omnis gloria: nostram nunquam aucupabimur inanem gloriam, sed tua unicè nobis cordi erit vera gloria. Incipiemus modò in terris, quod prosequi desideramus in cœlis, te glorificare, te benedicere, tuas cantare laudes in æternum. *Et laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.*

ARGUMENTUM.

Excessus dolorum, quos JEsus Christus pro nobis sustinuit in Passione sua.

Articulus III.

CRederetis, fratres mei, resumit hîc Spiridion, quòd nil dici aut cogitari possit stupendum magis, quàm summus humiliationum JEsu Christi excessus, quam nostræ opposuit excessui arrogantiæ. Sed alium adhuc videbitis excessum horribilium dolorum ac cruciatuum, quos toleravit pro excessu illicitarum nostrarum voluptatum, quem invenietis forsan magis stupendum: saltem conciliabit vobis plus horroris, eòquòd magis pateat & illucescat oculis.

JEsus Christus toleravit in Passione duplicis generis pœnas, spirituales & corporales.

Sustinuit ipse duo dolorum genera in Passione suâ; alios spirituales, & corporales alios. Optimè novi, atrociores fuisse spirituales, eòquòd pertineant ad partem sui ipsius magis robustam, magisque idoneam ad portandum onus tormentorum; sed quoniam hi nostrum excedunt

dunt captum, utpote qui toti materiales sumus, insistere magis volo corporalibus, qui licèt minores sint, magis tamen sunt manifesti. Sed ex minoribus his concludere benè possumus, quanti sint alii longè minores.

Qui comprehendere vult aliquid ex magnitudine pœnarum corporalium, quas Omnipotens hic mundi Redemptor pertulit in Passione sua; supponere debet, adorandum ipsius corpus magis idoneum fuisse ad sufferendos excessivos hos dolores, quàm cœtera corpora humana. Ob triplicem rationem.

Corpus JEsu Christi differebat à nostris in tribus.

Prima est, quòd licèt ipse assumpserit humanam carnem ejusdem naturæ cum nostra, hæc tamen non fuerit ex integro ejusdem conditionis: siquidem nos nos habemus carnem totam depravatam & denudatam, totam terrestrem & velut stupidam ex peccato Proto parentis nostri. Sed adoranda ipsius caro possidebat eundem perfectionis statum, in quo posita fuerat à Deo ante peccatum, adeóque constitutionis erat magis accuratæ ac subtilis, facultates habebat magis puras, magisque robustas, quibus reddebatur idonea ad perfectiorem exercendam sensationem.

Pro secunda ratione dico, quòd sanctissima ipsius Humanitas non fuerit opus naturæ, sed opus supernaturale Omnipotentiæ Dei, formata in momento per operationem Spiritûs sancti, in Virginali utero divinæ Matris suæ. Jam universalis est regula, quòd effectus miraculosi semper longè perfectiores sint naturalibus, eòquòd magis immediatè procedant ab Omnipotenti manu Dei. Sic vinum productum per miraculum in nuptiis Canæ melius inventum est omni vino alio, juxta observationem S. Chrysostomi. Vide D. Thom. 3. p. q. 46.

Sed tertia ratio rem magis deducit. Siquidem considerandum est, quòd Corpus Salvatoris non aspiciendum sit velut corpus particularis cujusdam hominis. JEsus Christus erat homo generalis & universalis totius naturæ humanæ, eòquòd fuerit fidejussor & Vates universalis omnium hominum, & sanctissima ipsius Humanitas destinata erat, ut ipsa sola solveret & exhiberet justitiæ Dei plenam, integram & rigorosam satisfactionem, quam exigere pro peccatis cunctorum hominum poterat illa. Et ideò sanctus Paulus dicit, quòd mortuus sit pro omnibus, id est, quòd loco omnium & pro salute omnium; & ideò etiam necesse fuit personaliter uniri ipsam Divinitati, ut à supposito divino, quod Omnipotens est, sustentaretur. Verùm sustentaculum hoc, & fulcrum non serviebat illi, ad imminuendum suos dolores, vel ad exi-

Corpus JEsu Christi erat velut corpus universale totius naturæ humanæ.

ad eximendum ipsam à patiendo; sed potiùs reddebat ipsam idoneam ad patiendum cum tanto excessu, ut transcendat omne, quod cogitari potest.

Non judicandum est de doloribus JEsu Christi secundùm externam apparentiam.

Qui non judicarent de rebus, nisi ex simplici apparentiâ, crederent plures Martyres sustinuisse multò plura JEsu Christo, aliquem sanctum Laurentium candentibus prunis adustum, aliquem sanctum Bartholomæum vivum omninò excoriatum, tantósque alios, quorum tormenta tam diuturna, támque atrocia erant, ut cogitari non possint absque horrore. Sed reverà cuncta Martyrum in particulari supplicia non fuerant nisi guttæ, quarum congregatio ingens composuit mare cruciatuum Salvatoris omnium Martyrum; Ita loquitur de eo sanctus Augustinus: *Multi Martyres talia passi sunt, sed nihil elucet sicut caput Martyrum.* Ratio est, quòd JEsus Christus non fuerit passus, velut homo quidam particularis, sed velut homo universalis omnium hominum, si ita loqui licet, quódque ipse solus in sua persona recipere debuerit omnes pœnas, quas promeruerant omnes ac singuli in particulari.

S. Augustinus in Psal. 63.

Quid inquis, mi Pater, interpellat ipsum Ecclesiasticus? hoc videtur mihi impossibile: is enim nonnisi unum habuerat corpus, in quo pati poterat; dein non poterat pati nisi certam dolorum mensuram, juxta suarum mensuram virium; adhæc nonnisi unicâ mori poterat morte; & hæc omnia eò pertingere non possunt, uti affirmas. Verùm tu loqueris juxta ordinarium & usitatum cursum naturæ, respondit ipsi Spiridion; & ego loquor penes decreta divinæ justitiæ, & juxta munus, quod exercebat, Redemptoris universalis omnium peccatorum. Siquidem justitia Dei exigebat ab ipso magnitudinem pœnarum, quæ velut infinitâ ratione transcenderent vires naturæ humanæ, hinc opus erat, ut suppeditaret ipsi media solvendi has sibi, adeóque redderet ipsum idoneum ad patiendum plura, quàm posset quivis alius; & ut hanc illi conferret capacitatem, necesse fuit, ut augeret in ipso per miraculum potentiam passivam, quantùm opus erat, ut esset in statu patiendi tantùm, quantùm debebat.

Deus augere potest potentiam activam & passivam corporum, quantum voluerit.

Exploratum tibi est, nos omnes naturaliter habere potentiam quamdam activam, & potentiam quamdam passivam, sive facultatem agendi, & facultatem patiendi. Sed augere vel minuere utrámque Deus potest, quantùm voluerit. Quando destinaverat Samsonem, ut solus ipse vinceret totum exercitum Philistinorum, rectè judicatis, opus fuisse, ut augeret in ipso potentiam acti-

activam per miraculum; & eoúsque augere ipsam poterat, ut sat robustus is fuerit, qui transcenderet solus residuos simul homines. Quis dicere audeat, hoc impossibile fuisse Deo? Pari omninò ratione augere potest potentiam passivam alicujus corporis humani, eoúsque, ut reddat ipsum idoneum, ut tantùm id solum patiatur, quantùm pati posset tota legio aliorum: sicut creditur, facturum ipsum esse in judicio finali, ubi animæ, quæ pati adhuc deberent longo tempore in purgatorio, patientur tantum in una sola, quantum passæ fuissent pluribus annis, eòquòd Deus auctus sit illis potentiam passivam, & geminaturus juxta proportionem ipsarum pœnas, quoad solverint sua ex integro debita, cessare tunc faciens purgatorium, ut nonnisi duas magnas relinquat æternitates, felicem ac infelicem, beatam & calamitosam.

Jam si Deus augere potest potentiam passivam in homine, eòusque, ut reddat ipsum capacem, ad patiendum tantum, quantum centeni, quantum milleni, quantum centies milleni, & quantum denique omnes simul homines: fateberis utique mihi, hoc impossibile non esse Deo in Homine Deo.

Assentior quidem, reponit Ecclesiasticus, Deum efficere id posse, cùm sit Omnipotens; sed an reipsâ fecit? an dicere voles, quòd Deus auxerit potentiam passivam in JEsu Christo eoúsque, ut tantum sufferret ipse solus, quantum sufferre debebant omnes simul peccatores? hæc propositio, si penitiùs consideretur, terribilis est, nec est in mundo animus, cui non incutiat horrorem, quemque non rapiat extra seipsum.

Deus auxit potentiam passivam in JEsu Christo, ut solus sufferret ipse omnes pœnas debitas cunctis peccatoribus.

Verùm est, reposuit Spiridion, hæc omnia nimiam videri nobis exaggerationem; sed id non oritur, nisi ex parvitate mentium nostrarum, quæ nonnisi sunt culices respectu magnificentiarum Dei. O quàm timendum non est, exaggerare nos posse, aut dicere quidquam ultra id, quod est in veritate, quando loquimur de magnificentiis Dei, quando fit sermo de ipsius bonitate, de ipsius misericordia, de ipsius justitia, de ipsius patientia, de odio, quo fertur in peccatum, de desiderio nostræ salutis, de eo, quod sustinuit, ad reparandum injuriam Dei, & salvandum animas nostras! hæc omnia transcendunt id omne, quod cogitare de his possumus.

Quando video, quâ ratione Scriptura de hoc loquatur: *Plagâ crudeli percussi eum*, verbum hoc horrendum mihi videtur. Crudelitas est vitium tyranni, committentis excessum in severitate: Jerm. 30.

& Deus an capax est vitii? procul dubio, non; sed voluit enuntiatione hâc rei impossibilis, ostendere nobis quandam rei cujusdam incomprehensibilis idæam, quòd nimirùm dolores, quibus unigenitum suum in Passione sua percussit Filium, transcendant omnem captum & cogitationem hominum.

Horrore æquè ac tu percellor, dum mecum revolvo, JEsum Christum solum omnia sustinuisse tormenta, quæ cunctis simul erant debita peccatoribus; sed intueor, quòd sanctus Thomas, qui tam benè de ipso scripsit, ut meruerit illius approbationem, eâdem ferè loquatur ratione. Siquidem loquens de doloribus Passionis Salvatoris nostri dicit: *Non solùm attendit, quantam virtutem dolor ejus haberet ex Divinitate unita, sed etiam, quantum dolor ejus sufficeret secundùm naturam humanam ad tantam satisfactionem.* Affirmat, quòd Filius Dei redimere volens omnes peccatores mundi secundùm rigorem justitiæ, non attenderit solùm ad dignitatem, quam corporis sui dolores recipiebant à personali unione cum Divinitate (sic enim sufficiens fuisset illorum minimus, utpote dignitatis infinitæ) sed quòd accumulare voluerit sanctam hanc Humanitatem tot tantísque pœnis, quantæ requirebantur ad satisfaciendum plenè justitiæ DEI pro crimibus omnium peccatorum.

S. Thomas probat magnitudinem dolorum JEsu Christi. D. Th. 3. p. q. 46. art. 6. ad 6.

Hoc intelligitur, interpellat ipsum Ecclesiasticus, quantum humano modo sufferre poterat; non, respondit Spiridion. Pondera benè hoc sancti Thomæ verbum: *secundùm humanam naturam.* Hoc non solùm intelligitur secundùm vires naturales Humanitatis sanctæ Domini nostri: siquidem Scriptura sancta non diceret, quòd ipse solverit pœnas inferni: *solutis doloribus inferni*; & sancti Patres non affirmarent, quòd dolores Salvatoris mundi in Passione sua, comparari possint cruciatibus inferni, non in qualitate suâ, sed in sua magnitudine; & ipsemet aspiciendo illos solummodò in horto olivarum, non ita fuisset exterrefactus, quamvis fuerit Sanctus Sanctorum, generosissimus & constantissimus, immò ipsemet Deus, ut ex iis sudaverit aquam & sanguinem per totum corpus suum, & contristatus ex iis fuerit usque ad mortem. Hoc benè demonstrat, quòd non solùm tolerandum id illi fuerit, quantum humano modo sufferre poterat, quódque pœnæ ipsius aliæ omninò fuerint, quàm possimus nos cogitare.

Actor. 2.

Christus sustinuit plura, quàm sustinere potuerit humano modo.

Sed quando sanctus Thomas dicit, *secundùm humanam naturam*, hoc significat, secùndum singulos homines. Ecce tibi hominem,

nem, qui tantas meretur pœnas, juxta magnitudinem criminum suorum; satisfaciam pro ipso, dicit JEsus Christus, quia sum Redemptor ipsius. Ecce tibi eorum alterum, qui tantas illarum debet justitiæ Dei; volo etiam sufferre illas. Et ecce tertium & quartum, & decimum qui sufferre merentur tantas, accipio & illas in me, ut ab iis liberem eos. Sed ecce tibi centesimum, & centesimum millesimum; onero me peccatis eorum, & illorum sufferre volo pœnam. Sed ecce meipsum tibi Domine totum oneratum criminibus, & omnium peccatorum maximum: an tolerabis adhuc omnes, quas tam justè promerui, pœnas? Ita, accipio hæc omnia in me; siquidem pati volo pro omnibus, mori volo pro omnibus: *Et pro omnibus mortuus est Christus.* O Deus! hoc dicitur quidem & est veritas, sed non comprehenditur. Si quisquam mente seriâ hanc consideraret veritatem, quid fieret cum illo?

JEsus Christus suscepit in se pœnas cujuslibet Personæ in particulari.

Hoc posito, judicatis optimè, omnia hæc, quæ dicuntur de doloribus patientis JEsu Christi, esse propemodùm nihil, si comparentur cum iis, quæ reipsâ sustinuit: *Arenam maris, & pluviæ guttas, & dies sæculi quis dinumerabit!* numera mihi, dicit Spiritus sanctus in Scriptura, omnia arenæ grana, quæ sunt ad ripas maris, ad litora cunctorum æquorum, hoc est impossibile. Numera ergò mihi omnes aquarum guttas, quæ delapsæ sunt è cœlo in terram, à mundi creatione; non possem, excedit id omne genus numeri: numera mihi ergò, si potes, omnia momenta sæculorum, & omnia instantia temporum; id conficere non possum, sunt enim innumerabilia; nihilominùs citiùs hæc omnia conficeres, quàm numerares speciatim omnes dolores patientis Salvatoris tui; siquidem sigillatim recenseri deberent omnes pœnæ, quas omnes meruerant peccatores pro omnibus peccatis suis, & pro quolibet peccatorum suorum in particulari.

Eccles. 1.

Dolores Passionis JEsu Christi sunt innumerabiles.

Jeremias putavit, se exhibere nobis bonam Passionis Domini idæam, quando nuncupavit illam mare amaritudinis: *Magna sicut mare contritio tua.* Et sanè illius est tenuis quædam effigies. Omnes simul homines digerere non possent amaritudinem omnium aquarum maris; & JEsus Christus potavit illam prorsùs integram. Nunquam aliquis hominum totam aspexit extensionem & amplitudinem maris, cùm ipsius limites oculis humanis sint inaccessibiles; & nunquam animæ plurimùm illustratæ & insigniter contemplativæ omnem cognoverunt magnitudinem, dolorúmque immensitatem patientis

Thren. 2. 13.

Mare est imago amaritudinis Passionis JEsu Christi.

tientis JEsu Christi: ipse solus cognoscit eam, utpote totam à se portatam in Persona sua. Quando conspici etiam potuisset tota superficies maris, nunquam tamen aliquis homo videre potest omnem abyssuum, quas in sinu tuo abscondit, profunditatem. Et quando cognosci potuisset totum id, quod externum est in Passione JEsu Christi, nunquam tamen penetrare quisquam potuerit in abyssos amaritudinis animæ ipsius: nonnisi oculis Dei licet contemplari illas: *Qui intueris abyssos.* Immittamus nos, anima mea, & submergamus nos in magno hoc mari. Felix, si tota hîc fueris absorpta, nec amplius tibi indè licuerit exire! O profunditatem Passionis Redemptoris mei! cùm capere te non possim, tu cape me.

D. Thom. q. 46. Sanctus Thomas redigere voluit in parvam epitomen dolores magnæ hujus Passionis, quos quidem non comprehendit omnes (siquidem hoc foret, quasi quis in quinque vel sex lineis proponeret universa capita magni cujusdam voluminis? quæ tamen admodùm stupenda est, & copiosa suggerit considerationis argumenta. Siquidem explanat ipsam juxta methodum suam scholasticam per quatuor causas; efficientem, finalem, materialem & formalem. Et dicit: si consideres.

JEsus Christus passus est à cunctis hominibus, nullo excepto.

Primò, causam efficientem Passionis Salvatoris, videbis ipsum passum fuisse ab omnibus ferè creaturis: cœlum & terra contribuerunt ad ipsum torquendum. Cœlum monstravit se totum ex ære fusum, ipsique suarum subtrahens dulcorem consolationum, traxit amaram hanc ex ore ipsius querimoniam: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Terra videbatur tota rebellis in ipsum: Gentiles & Judæi suas laverunt manus in sanguine ipsius; cruciatus fuit & afflictus à Sacerdotibus, à Pontificibus, à Pharisæis, à servis, à populo, & quod toleratu magis est horrendum, ab Apostolis suis; sed dicamus magis universaliter; nec unicus fuit ex omnibus hominibus ab Adam usque ad novissimum, qui nascetur in mundo, à quo perpessus non fuerit dolores lethales, eòquòd omnia ipsorum peccata fuerint carnifices, à quibus est actus in Crucem. Nos omnes cruentæ hujus tragœdiæ extitimus actores, & nec unicus ex nobis lavando manus suas, dicere potest: ego innocens sum à sanguine justi hujus. O væ mihi! væ criminibus meis, quæ tam sævis doloribus excruciârunt Redemptorem meum!

Christus passus est in omnibus tribus bonorum generibus,

Secundò, si consideres, quæ fuerit causa materialis Passionis ipsius, videbis ipsum passum fuisse in omnibus tribus bonorum ge-

generibus, corporis, animæ & fortunæ. Eheu! ex omnibus fortunæ bonis non habuit nisi vilia vestimenta, exspoliatus est illis, divisa sunt & per lusum missa in sortem, quis haberet è carnificibus ad radicem Crucis; & ut magis adhuc denudaretur, exutus est quoque non modicâ parte pellis suæ. Quantùm ad bona animæ, quæ sunt gaudium & honor, jam vidistis, quâ ratione ipsum suo exspoliaverint honore, immergentes eam profundissimo opprobriorum & ignominiarum barathro; & Evangelium recensetnobis, quòd omne ipsius gaudium immutatum sit in tristitiam adeò amaram, ut redactus ab ea fuerit usque in agoniam.

JEsus Christus passus est in corpore suo.

Et tandem, quoad bona corporis. Quænam pars sacratissimi ipsius corporis immunis fuit à tormento suo? an caput? sed hoc totum perforatum fuit spinis. An os? sed repletum hoc fuit amaritudine fellis. An ipsius aures, sed percussæ sunt hæ blasphemiis, maledictionibus & insultibus inimicorum suorum. An ipsius oculi? sed cruciati hi sunt martyrio, quo torquebatur ad pedem Crucis amantissima Mater sua. An saltem fuerunt ipsius pedes, ipsiúsque manus? sed sævissimè à clavis hæ sunt transfixæ. An tandem ergò aliqua pars totius ipsius pretiosi corporis? sed dilaniatum fuit ex toto incrudeli & cruenta flagellatione sua. Eheu! si non sustinuisset nisi hunc unicum dolorem, tam immanis is est, ut requireret plures lacrymas ad ipsum deplorandum, quàm verba ad ipsum recensendum.

Cur Pilatus flagellari jussit JEsum Christum.

Pilatus præcipiens, ut flagelaretur, non habuit intentionem ipsum persequendi, uti observat sanctus Augustinus; sed inquirens modum, ut servaret ipsi vitam, emollire volebat cor rebellis & obdurati hujus populi, ad mortem postulantis ipsum; & ut flecteret ipsos, jussit ita tractari ipsum, ut obstinatissimi & immitissimi quique aspicientes eum tangerentur commiseratione, & postulare cessarent, ut ageretur in crucem: carnifices solerter suas egerunt partes; sed quod quærebat, non obtinebat Pilatus. Usitata illis erant tria flagellationum genera; sed prohibitum erat non nisi unum ex iis infligere reo, neque permittebat lex, ut plures infligerentur ipsi ictus, nisi ad summum quadraginta. Sed nulla nec mensura, nec lex observata fuit circa amabilem Redemptorem nostrum; omnia devolvuntur ad excessum, & cuncta sunt hîc absque limitibus.

Sanctus Vincentius Ferrerius, qui sanctâ curiositate inquirere studuit omnes veritates magis spe-

Stupenda crudelitas flagellationis JEsu Christi.

Sermon. de Passione.

speciales, circa Passionem JEsu Christi, recenset ex Eusebio & sancto Chrysostomo, cui sanctus Apostolus Paulus dictâsse creditur omnia, quæ scripsit, quòd JEsus Christus flagellatus fuerit tertiâ vice, & tribus flagellorum generibus. Prima flagellatio fuit crudelis, secunda crudelior, tertia omnem excedit crudelitatem: dura fuit, quia chordis nodatis; durior fuit, quia virgis & spinis; durissima, quia catenis ferreis Christus fuit cæsus. Prima, quæ flagellavit ipsum chordis nodatis, reddidit corpus ipsius totum nigrum ac lividum: secunda, quæ flagellavit ipsum virgis ac spinis, perforavit eum in mille locis, velut cribrum, imbremq; sanguineum expressit ex ipso: sed tertia, quæ summum ipsi conciliavit tormentum, percutiendo illum catenis ferreis, abstrahebat à lumbis carnem ejus, denudans hâc ipsum usque ad ossa; sicut sanctissima Virgo revelavit sanctæ Birgittæ: *Vidi Filium meum verberatum usque ad costas.* Ah Evangelium! cur desuper nil loqueris? nonnisi duo circa hoc enuntias verba, ac cætera omnia abscondis silentio: an igitur metuis, ne sacras paginas commacules tantæ crudelitatis enarratione?

Revelavit Dominus noster sanctæ Gertrudi, quòd recepe-

rit quinquies millenos quadringintos ictus in flagellatione sua. Hoc citò dicitur; sed quàm longum & durum est id sufferre! nonnè abundè hoc satis erat ad extorquendam ipsi animam? dubio procul exspirâsset inter ipsorum manus; si non eo fine suam reservâsset vitam, ut majora amore nostri sufferret supplicia. Quid est hoc, anima mea? an probè vides, quid accidat in prætorio Pilati? an benè cognoscis illum, quem ità cernis dilaniatum, semi excoriatum, totum sanguine conspersum? an hos inter horrores non nôsti ipsum? an ergò hîc tuâ nil interest? an ergò nihili pendas illum, & ille te pendat nihili? Ira, cognosco illum, tu es, ô mi JEsu! tu ipse es, ô amabilis mi Redemptor! & amore mei pateris hæc omnia! Ah! quantum amas me! sed an dicere possim, quòd amem te, cùm infelix cor meum non sentiat dolores tuos, nec sentiendo illos conteratur præ dolore, potissimùm cùm illud sit tui causa supplicii.

Consideratio efficax circa flagellationem JEsu Christi.

Venite, animæ Christianæ, quæ diligitis JEsum Christum, venite & videte, quo apparatu instruxerit ipsum amor vestri. An tantùm amatis illum, quantùm is amat vos? veni, Virgo sanctissima, veni & vide Filium tuum unigenitum, & attende, quem in statum redegerit ipsum perfidia Judæo-

Judæorum. Aspicis hunc sanguinem, quem profundit torrentis in morem, quoque totum aspersum est pavimentum: an sanguinem hunc agnoscis? estne hic sanguis tuus? estne lac illud, quod è virgineis tuis suxit uberibus? an portâsti ipsum in sinu tuo? an aluisti illum tanta cum reverentia, ut acciperetur ita ab infamium carnificum dextera? O afflictissima matrum, quid dicebas, quid agebas, dum coram aderas cruentæ huic tragœdiæ, illámque propriis tuis spectabas oculis? Ah! quòd non habeam vel pauxillum compassionis tuæ! fac me participem dolorum tuorum: *Fac me Virgo, tecum flere.* Immoremur hic, fratres mei, dicit nobis, summissa omninò voce Spiridion, totus exhaustus viribus & languens, loqui amplius non possum.

ARGUMENTUM.

Quos affectus trahere debeamus è doloribus, quos JEsus Christus pertulit pro nobis in Passione sua.

Articulus IV.

Dolores JEsu Christi persuadent nobis amorem afflictionum.

VErum etiam est, inquiebam ipsi, mi Pater, non amplius posthæc opus esse verbis, sed factis. Unicum hoc exemplum JEsu Christi efficacius est ad nos instruendum, nósque convincendum cunctis verbis hominum. Siquidem hunc in finem, uti nobis affirmat Princeps Apostolorum, sustinere voluit tam acerbos dolores amore nostri, ut nobis exemplum monstraret, quid amore sui sufferre debeamus: *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Monstravit nobis viam, ut exstimularet nos ad sequendum se, & iisdem secum ambulandum passibus.

1. Pet. 2.

Quâ fronte audeamus nuncupare nos Christianos, id est, imitatores ejus, si videntes totum ipsius adorandum corpus refertum vulneribus, nihil in nostris perferre velimus corporibus? nonnè erubescendum vobis præ pudore, quòd, cùm membra nos esse profiteamur Capitis coronati spinis, tam velimus esse molles, ut & minimam fugiamus crucem. Quomodò sperabimus, participes nos futuros fructuum Crucis ipsius, si eam nec tangere velimus, nec quòd ipsa nos tangat? quod signum gerimus, è suis nos esse, nisi tesserariis ipsius induamur stolis, portantes semper mortificationem ejus in cordibus nostris? nonnè legimus

Qui Crucis non est particeps, non erit particeps gratiæ.

mus in sacra pagina, quòd ii, *qui sunt JEsu Christi, crucifixerint carnem suam cum vitiis & concupiscentiis suis.* Qui ergò blandiuntur carni suæ, qui sensuum aucupantur delicias, fugiunt laborem pœnitentiæ, qui nolunt crucifigere nec concupiscentias suas, nec vitia sua, non sunt illius. Galas. 5.

Maximum animæ peccatum est superbia; maximum peccatum corporis impudicitia.

Est nobis corpus & anima, quæ ambo inclinationes habent prorsùs contrarias JEsu Christo: mens est ambitiosa, & caro est voluptuosa; maximum peccatum mentis est superbia, & maximum peccatum corporis est impudicitia, & sæpissimè unum non est absque altero. Ad oppugnandum excessum nostræ superbiæ voluit JEsus Christus immergi summis opprobriorum & ignominiarum excessibus; & ad oppugnandum excessum sensualium nostrarum voluptatum obrui voluit sævissimorum dolorum excessu in Passione sua. Verùm absolutè impossibile est pertingere ad salutem, nisi renuntiemus vanitatibus mundi, ut sequamur ipsum per viam humilitatis; impossibile quoque est illuc pertingere, nisi fugiamus voluptates sensuum, ad sequendum ipsum per viam afflictionum, & portando crucem pœnitentiæ. Nec dicendum est, inveniri voluptates insontes & innocuas pro Christiano, nisi illas, quas capit, patiendo ad exemplum JEsu Christi.

Quàm abominanda sit impudicitia in Christiano.

Sed quanta abominatio, si rapi se sinat usque ad turpissimas concupiscentiæ carnalis immoderationes, quæ pudore suffundunt non solùm infideles, sed diabolos ipsos, cùm verum sit, juxta sententiam quorundam Patrum, quòd præcipui infernalium harum turbarum dedignentur tentare homines circa infames has spurcitias, idque muneris abjectissimis inter se relinquant. Verum est, impudicitiam crimen esse in cunctis hominibus; sed in Christiano species est quædam sacrilegii. Ex quo novit, quòd caro humana Divinitate imbuta sit in Persona Salvatoris mundi; ex quo caro sua consecrata est Deo per unctiones sancti Baptismi, & corporis ipsius mystici evasit membrum; ex quo auspicatâ beatur sorte, ut miscere sibi liceat carnem suam & sanguinem suum cum adoranda carne & pretioso sanguine JEsu Christi per sanctam Communionem, quæ inæstimabilis est gloria, quâ digni non fuêre sublimissimi cœlorum Seraphini: si post hæc omnia non abhorret sese immergere spurcitiis turpissimorum peccatorum carnalium; quantum sacrilegium? quanta profanatio! quàm turpis apostasia! quàm abominanda desertio conditionis suæ Christianæ!

Quid

Supplicia, quibus Deus castigavit peccatum carnis.

Quid ipsi dicendum est, ut sui concipiat horrorem criminis? vide, vide, fumantem adhuc incinerationem Sodomæ & Gomorrhæ, aliarúmque civitatum, quas Dei vindicta ob suam percussit incontinentiam. Vide reliquias universalis illius diluvii, quod omnes carnales suffocavit homines in funestis illis fluctibus iræ Dei. Aspice torrentes effusi sanguinis, inundationes infinitorum malorum, quibus infame hoc vitium est percussum, conquassatum, attritum per cuncta præterita sæcula ab ultrice manu Dei: & memineris, omnes hosce populos Christianos non fuisse adeóque peccatum illorum non tantæ extitisse malitiæ sicut in te.

Et si his omnibus non moveare, an obsurdesces ad horrendam magni Apostoli sancti Pauli vocem, quæ ubivis terrarum insonuit, quæ perrupit cunctorum tempora sæculorum, ut tuis illaberetur auribus, quæque tantâ fortitudine clamat ad te: Nolite decipi, nihil pro impudicis residuum est salutis: *Nolite errare, neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores Regnum Dei possidebunt.* Nolite dicere, hanc non esse nisi fragilitatem, nec vanâ decipite vos fiduciâ: siquidem est Verbum Dei, quod manebit in æternum.

1. Cor. 6. v. 9.

S Paulus asseverat omnes impudicos damnari.

Potiùs Deus cessabit esse Deus, potiùs Paradisus evadet infernus, & infernus evadet Paradisus, potiùs diaboli ibunt in cœlum occupaturi locum Angelorum, quàm intraturus sit unquam ullus impurus in sanctam Civitatem. Hoc prodigium est fidei, contra quod allegare non oportet rationem. Exspectandum aliud non est, quàm cremari perpetuò in flammis inferorum, pro unica sola impudicitia, quæ nonnisi unico duravit momento, nisi seriâ expietur pœnitentiâ; & miraculum est, si ex maximo impudicorum numero, unicus solus secum statuat veram operari pœnitentiam, eòquòd toti in bruta degenerent, ipsorúmque caro voluptatibus assueta nil velit tolerare. Sed eheu! quid tolerandum ipsi erit æternaliter in inferno.

Novi, reponit Spiridion, quòd juxta opinionem sancti Thomæ non sit vitium, quod pervertet rationem, & transformat hominem in bestiam, sicut gula & impudicitia, adeóque quòd magis inhabilem ipsum reddat ad recipiendum gratias Dei, quæ totæ spirituales sunt; & consequenter, quòd magis directè se opponat mediis conversionis & salutis suæ. Sic plerique eorum, qui indies per centurias præcipitantur in infernum, ut ardeant ibi absque meta, ex impudicorum

D. Thom. 2. 2. q. 53. art. 6.

Difficile est impudicis operari veram pœnitentiam.

D. Thom. ibid.

sunt contubernio. Novi, sanctum Thomam etiam affirmare, quòd infame hoc vitium trahat post se innumera mala plurimùm nociva animæ, quam tandem inducat in ultimam salutis desperationem.

Mala, quæ causat peccatum carnis in anima.

Siquidem imprimis obcœcat ipsam, ut amplius non videat nec confusionem suam, nec manifestum damnationis suæ periculum. Secundò rapit ipsam velut bestiam furore ac æstu percitam, ut præcipitanter & inconsideratè currat eò, quò à brutali sua trahitur cupiditate, nulli intenta alteri, nisi ut suæ indulgeat voluptati. Tertiò levem illam reddit ac inconstantem, ita ut ullum capere non possit consilium aut animi propositum, aut perseverare in eo suscepto. Quartò reddit illam idololatram sui ipsius, voluptatúmque suarum, & amor quo fertur in seipsam, rapit eam sensim & cum tempore usque in odium Dei, utpote prohibentis sibi voluptates brutales, quas amat præ cæteris omnibus. Et tandem, quòd miseriæ ipsius colophonem imponit, est, quòd in hoc summam suam collocet voluptatem; quòd respiciat mundum & vitam præsentem suum velut Paradisum, unde nunquam exire vellet; econtra nonnisi cum horrore cogitans de vita futura, cùm suum velut infernum aspiciat illam. Nemo est, qui diffiteatur, animam in hoc statu jam esse quasi semi-damnatam, & profectò parum supereſſe spei salutis ipsius: nihilominùs desperandum non est, potest adhuc reverti ad Deum.

Meditari sæpè & viva cum fide flagellationem JEsu Christi est bonum remedium contra peccatum carnis.

Quâ ratione id faceret? quid consilii suppeditare velles illi? vellem, respondit mihi, suadere ipsi, ut sæpè & seriò consideraret Passionem JEsu Christi, præsertim atrocem ac sævam ipsius flagellationem. Vellem ut haberet ante oculos suos imaginem, quæ ad vivum repræsentaret ipsam, utque aspiciens ipsam viva cum fide veritatis, cujus intueretur imaginem, diceret sibi ipsi: (benè faceret, dicendo id sibi etiam verbis externis & perceptibilibus) Aspice, quàm horrendis tormentis affeceris Redemptorem tuum! Ita, tu ipsa es; ecce opus tuum; ad reparandum injuriam, quam impudicitiis tuis intulisti Deo, is patitur hæc omnia. Nondùm ergò sat passus est, ad evellendum impudicas è corde tuo concupiscentias?

Si nondùm est satis, ipsamet ergò spineas apprehende virgas, & ferreas catenas manibus tuis, & de novo per vulnera magis profunda, magisque sæva ipsius effunde sanguinem. Renova omnes dolores ipsius, de novo avelle circa lumbos pellem ejus; abundantiùs quàm unquam pretioso

tioso illius sanguine riga pavimentum, modò id faciendo facias satis impudicis desideriis cordis tui, esto certa, ipsum fore contentum teq; obtenturam ab ipso veniam. Nam quia vidimus, quòd minus abhorreat tormenta Passionis suæ, quàm peccata hominum, quódque ingentes pati voluerit dolores flagellationis suæ, ut extingueret flammas lubricitatis sui diluvio sanguinis; certum est, quòd se magis offensum æstimet ab eo, qui impudicitiam dominari adhuc permittit in anima sua, quàm si iterùm afficeret ipsum cunctis cruciatibus Passionis suæ. Deducat hoc in opus, & perseveret aliquamdiu in illo, credo impossibile esse, quin tangatur compunctione, suumque relinquat vitium, quamvis tenacissimo ipsi adhæserit affectu.

Applicare sibi actualiter dolores flagellationis JEsu Christi, est remedium efficacius.

Sed an credis, dicebam ipsi, quòd ita sanari is possit malum corporis solo spiritu? nonne remedium applicandum est parti, quæ ægrotat? assentior quidem, Passionem JEsu Christi efficacem esse medicinam, præsertim crudelem ipsius flagellationem, medicamentum esse efficacissimum, quod præparat nobis contra peccata carnis; verùm quid prodest remedium ad sanandum malum, si non applicetur? non sufficit sola consideratio mentis, cùm mens sola non sit, quæ ægrotat; oportet venire ad imitationem, & applicare suo corpori cruentam flagellationem JEsu Christi, si quis velit, ut sanetur ab ipsa caro impudica: siquidem caro est bestia, quæ non regitur ratione, accipienda igitur sicut bestia est, ac stimulanda ad obediendum percussione flagellorum.

Impossibile est vivere corpus in voluptatibus, quin mortua sit anima Deo: castitas non conservatur inter delicias; ipsa est lilium, quod amat circumdari spinis, quòd nemo videre possit cum libertate, multò minus illuc protendere manum. Omnes Sancti ita usi sunt illâ. Legite ipsorum vitam, & videbitis, nec unicum duntaxat fuisse, qui non amputaverit absolutè omnes delicias carnis, ut reduceret ipsam ad id, quod purè est necessarium, plerósque hoc non contentos rigidissimè accepisse & adhibuisse ipsam. Sanctus Paulus, quamvis fuerit vas electionis, plenus gratiâ, & magnus per antonomasiam Apostolus, nonne ipsemet dicit: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cùm aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Si tantus homo credidit, necessarium sibi esse, ut apprehenderet flagellum, arriperet disciplinam, ne à corpore suo raperetur in infernum, quis assecurare se

Qui non mortificat suum corpus, non potest esse castus.

possit, quòd suam poterit promovere salutem, abs eo, quòd unquam illius obeat exercitium, idipsum redigat in opus.

Habito quodam sermone à sancto Vincentio Ferrerio, magno hoc temporum nostorum Apostolo, in quo admodùm luculenter depinxerat dolores patientis JEsu Christi, omnes tam sancto succensi fuêre zelo ac desiderio, veniendi in partem dolorum ipsius, maximè illorum crudelissimæ suæ flagellationis, ut afferri oportuerit ingentem numerum flagellorum, ad distribuendum illa copiosæ multitudini talia desiderantium, nec in tanta invenire hæc poterant copiâ, illorum ut copia fieri posset omnibus. Eheu! ubi tempore hoc invenire sit quidquam ejusmodi fervoris? incassùm nos dicimus Christianos, nunquam tales erimus reipsâ; nisi per imitationem dolorum JEsu Christi.

ARGUMENTUM.

Excessus amoris, quem JEsus Christus ostendit nobis in Passione sua.

Articulus V.

Excessus amoris JEsu Christi in Cruce, fuit omnium maximus excessus.

PRobè aspexi, fratres mei, resumpsit hîc Spiridion, haud leviter commotos vos esse considerando ingentes hos duos excessus opprobriorum ac dolorum, quos JEsus Christus tolerare voluit in Passione sua, ut opponeret hos duobus aliis excessibus, superbiæ animorum nostrorum, & voluptatum nostrorum corporum. Sed quid hæc sint respectu tertii & summi excessûs, quem ostendit nobis in Cruce sua, qui est ille incomparabilis sui amoris. Duo alii excessus, quamvis fuerint maximi, non tamen exspoliaverunt ipsum vitâ; sed hic animam ipsi tollet, vitam ipsius exhauriet & sanguinem, hic mactabit & sacrificabit ipsam. Ita, amoris hic excessus est benignissimi Dei erga creaturam suam, qui fortior est Omnipotente, & triumphat de Deo ipso. *O amoris vim! quid violentius? de Deo triumphat amor.* S. Bernard.

Aspicite exspirantem ipsum in Cruce; amor est, fratres mei, ita amor est, quo fertur in nos; hic sustulit ipsum in Crucem, hunc in statum adduxit is ipsum: cui enim alteri, quàm ipsi soli attribunenda sit mors ipsius & omnia Passionis suæ tormenta?

Quis fuerit verus Auctor excessuum Passionis JEsu Christi.

Vos estis milites Romani, qui egistis ipsum in Crucem; vos estis carnifices, qui vestras lavistis manus in sanguine ipsius. Ah!

Non sunt carnifices,

Ah! barbari, an igitur vos estis deicidæ? Respondebunt tibi: nos non sumus, qui condemnavimus ipsum ad mortem; Pilatus judicavit, Pilatus condemnavit ipsum; nos aliud non fecimus, nisi quòd simus executi sententiam judicis.

Non est Pilatus,

Pilate, infelix Judex, ut quid tam iniquam pronuntias sententiam in Filium Dei; cùm probè cognoveris, & palam evulgaveris, quòd non invenias causam in eo, quòd innocentem reperias ipsum? tu igitur mortis ipsius causa es, cùm condemnaveris ipsum ad mortem Crucis? sed ego nolebam, diceret is vobis: Judæi tradiderunt mihi eum velut reum, videbam quidem, quòd talis non esset; sed ipsi coëgerunt me importunis suis clamoribus, ut traderem illum voluntati eorum; & tantò magis, quòd minas intentarent mihi potentiâ Cæsaris. Benè adverti, malè me facere, sed de eo lavi manus meas coram omnibus; & illi semetipsos onerârunt sanguine illius: sanguis ejus super nos, & super filios nostros.

Non est populus Judaicus.

Iráne Judæi, olim populè electè Dei? Ah! populè ingrate & infidelis, quo perciti vestro consignare voluistis morti auctorem vitæ. Quis vobis tam acres addidit stimulos ad urgendum hunc judicem, ut ageret in Crucem illum, qui tot ac tantis accumulaverat vos beneficiis? nos non sumus, diceret vobis populus Judaïcus, nos nec minima unquam pulsaverat de hoc cogitatio, sed potiùs reverebamur ipsum, aspicientes mira ipsius prodigia, turmatim, quocúnque se conferebat, sequebamur eum, auscultantes cum gaudio mirificas ipsius Conciones. Sed nostri Doctores legis, Sacerdotes, Pontifices nostri, & ipsemet Caiphas dixerunt nobis, quòd expediat hominem talem mori pro populo, ne Judæorum tota gens pereat; nos credidimus, & ipsi sunt, qui urserunt nos, ut ipsius postularemus mortem.

Non sunt Pontifices & Sacerdotes.

Ergò vos estis, quibus imputatur hoc malum, Principes populi, Doctores legis, Pharisæi, Presbyteri, Pontifices: ergò auctores vos estis mortis Salvatoris mundi? vos primos esse oportuerat, qui reciperetis illum velut verum Messiam; primos, qui vestra impenderetis ipsi homagia, adhortantes exin populum, ut agnoscerent ipsum ceu verum Israëlis Redemptorem, vestris promissum Patribus: & vos infelices, vestris obcœcati Passionibus, addixistis ipsum morti velut sceleratum, & morti probrosæ Crucis. Nos, responderent vobis, quid magni commisimus mali? nos aliud non egimus, nisi quòd executi

simus decreta & consilia Patris sui æterni; siquidem legimus in Prophetis, quòd destinaverit ipsum velut agnum ad sacrificium: *Tanquam agnus ad occisionem ductus est.* Mors ipsius statuta fuit ab æternis decretis Dei.

Non est Pater æternus.

Itáne ergò, Pater æterne? Tu primus es auctor mortis ipsius? Tu fons es & principium vitæ ipsius divinæ in æternitate; Tu genuisti ipsum è substantia tua in sinu tuo: Tu igitur similiter es, qui ipsum tradis morti in monte Calvariæ. Ego quidem sum, qui morti trado ipsum, diceret nobis Pater cœlestis, sed motivum ad hoc non desumo ex me; peccata sunt hominum, quæ è meis avulsère manibus decretum hoc justitiæ infinito modo severæ, quam in proprium meum exerceo Filium: *propter scelus populi mei percussi eum.* Quis ignorat, ipsum mortuum esse ob peccata hominum?

Isai. 53. v. 8.

Non sunt peccata hominum.

O peccata mea, execranda peccata! ergò tandem vos estis prima & præcipua causa mortis Redemptoris mei? væ vobis, peccata abominanda! maledicta, quâ vos commisi hora. O quòd habere non possim in corde meo lethale odium erga hosce carnifices, adorandi Salvatoris mei occisores! quis dabit oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem die ac nocte, & præ dolore moriar, quòd dederim vitam his monstris, quæ causa extitère mortis meæ?

Sed peccata hominum excusabunt se etiam, & dicent: nos causa non sumus mortis ipsius: haud enim necesse fuit ipsum mori, ut nostris medium afferret malis, poterat id agere, abs eo, quód moreretur; & positò etiam, quòd debuisset mori, opus haud erat, ut occumberet morte tam probrosâ, tam infami; nos causa non extitimus omnium horum excessuum. Ah! quis igitur? inquiro ubivis hanc causam; non sunt carnifices, quamvis hi egerint ipsum in Crucem; non est Pilatus, non est populus Judaicus, non sunt Pontifices, non est Pater æternus, non sunt tandem peccata hominum. Et quis est ergò? est amor, responderent tibi omnes, quo abreptus est in omnes hos excessus; est amor, qui ipsum velut cœcum sinè ulla consideratione, sic egit præcipitem; est amor, qui in toto ipsius corpore immanem hanc confecit stragem.

Ita, ita, dicit amor sacer, ego ipse sum, aliam proinde hujus non inquirite causam. Cumprimis ego sum auctor, architectus & executor horum omnium: *propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos.* Amor divine, tu ergò ipse es, qui redegisti illum in statum adeò miserandum. O amor magni Dei viventis erga pau-

Ephes. 2.

Amore excessivo nos JEsus amavit, qui causavit omnes excessus Passionis suæ.

pauperculos homines, quàm es immodicus, profusus & effusus! quàm es ardens & succensus! sed quàm sævus es & acerbus! Ah! quàm benè dicitur: O amor! quàm es cœcus! quid fecisti? an ita accipiendus fuerat Deus immortalis pro bono tam vilium creaturarum? nonnè meliùs fuisset omnes annihilari creaturas, quàm pati Deum harum pœnarum levissimam?

Quàm scelerati simus, nisi amemus JEsum Christum,

Id novi, respondit mihi amor; sed ostendere volui hominibus, quàm ardenter ipsos amem, ipsisque id demonstrare tam luculenter, ut nemini liceret de hoc dubitare; & per hoc obstringere tam fortiter ipsos volui ad me amandum, ut, si ingrati essent, idq; intermitterent, perpetuò forent inexcusabiles; & post hæc omnia, quæ feci, post omnia quæ pertuli pro eis, obtinere adhuc ab iis non possum ut me ament ex debitæ gratitudinis affectu. Respondete ad hæc fratres mei, dicebat nobis Spiridion, dejicens oculos & inclinans caput versùs terram: nam, quantùm ad me, hærent mihi verba: suffundor pudore, & morior horrore, impotens, qui vel meam animo comprehendam insensibilitatem, vel meam mihi indulgeam ingratitudinem. Nemo audebat desuper effari verbum, sed omnes percutiebant pectus & solvebantur in lacrymas: quam enim excusationem afferre quis posset, quòd non amet Deum, qui tanta nobis exhibet amoris indicia.

JEsus Christus tantum nobis exhibuit amorem, ac & exhibere illum debuisset Patri suo.

Quid ergò vultis, ut faciam, dicit nobis JEsus Christus è Cruce sua, ut existimulem vos ad amandum me? non est animus adeò vecors, qui renuat amare illum, à quo prævenitur amore vehementi. Quando mihi demonstrandus fuisset amor infinitus, quo prosequor Deum Patrem meum, quid ampliùs facere potuissem, quàm quod feci, ad demonstrandum vobis illum, quo erga vos afficior? & quando (per impossibile) redimere debuissem unam è tribus divinis Personis, quid dare potuissem pretiosius, quàm quod do pro anima vestra; & vos parvi hanc æstimatis, ut perdatis ipsam pro nihilo? probè vidi hæc omnia, exploratæ mihi erant futuræ vestræ ingratitudines; nec me latebat, quòd invito me vestras perditurі essetis animas; & omnibus hisce non obstantibus, non cessavi amare vos magis, quàm propriam vitam meam, & mori pro salute vestra.

Admirabilis triumphus amoris JEsu Christi in Cruce.

O amor incomprehensibilis JEsu patientis & morientis! nonnisi tuum est triumphare de malitia & ingratitudine hominum. Exhibere favores maximos, hósque profundere in manus ingratorum, victoria profectò est amoris maximi; sed hos pro-

profundere, ipsósque exhibere, reluctantibus vecordissimis quibusvis ingratitudinibus; quis amor alius, quàm tu solus, ô JEsu, de his posset triumphare? Tu moreris ex amore omnium peccatorum, pro infinito numero infidelium, qui nunquam cognoscent te, de hoc ipsi nil scient, nec ob hoc tibi unquam reddere poterunt grates. Tu moreris pro hæreticis, qui exindè dicendi desument ansam: vivamus jucundè, nec quidquam patiamur, JEsus Christus jam passus est pro nobis. Tu pateris pro plurimis malis Christianis, qui nullo unquam ex hoc tangentur gratitudinis affectu; quâ ratione amare potes eoúsque hos omnes, ut mori velis pro eis? O amor invincibilis! ô amor triumphans! quàm es admirabilis!

Debemus cedere amori JEsu,

Sed quia tam potens es, ô amor Redemptoris mei, flecte igitur rebelles nostras voluntates, absolutum tibi accipe in illas imperium, compellens ipsas, ut renuntient ex nunc, & semper deinceps amori mundi & amori proprio, nec obtemperent nisi tibi soli. Tu conspexisti adhuc grati memoriam animi in frequenti multitudine fidelium animarum, quæ amárunt te usque ad rotas,, usque ad rogos ardentes, usque ad ungues ferocium bestiarum, uti videre erat in tot tantísque Martyribus. Et adhuc visa, est, & videtur ingens mortalium frequentia, qui, ut sequantur te, reliquerunt omnia, contempserunt omnia, & mundum, & honores, & voluptates, & divitias, & consanguineos, & seipsos, ut non amarent nisi te, ut non adhærerent, nisi tibi soli. Quando ergò erit hoc? nonnè tempus est, ô sacrate amor JEsu! ut glorioſam hanc reportes victoriam de obfirmatâ duritiâ cordium nostrorum? an nunquam non futura hæc erunt mundi & amoris proprii mancipia?

E Cruce sua JEsus omnia trahit ad se.

Ecce splendorem maximum victoriarum tuarum, triumphorúmque tuorum, ô amor omnipotens! cùm prævaleas ipsi Deo, tibi resistendi cui erit potestas? aspicio te velut magnetem sacrum, armatum ferro ad pedes manúsque: ecce te in tota fortitudine tua: cùm ergò dixeris, te, cùm elevatus fueris à terra, omnia tracturum ad te, imple promissiones tuas, trahe nos, abstrahe & erue nos à creaturis, & à nobismetipsis, ut non adhæreamus, nisi tibi soli. Amor armatus est arcu suo & sagittis suis. Quando aspicio te brachiis in Cruce expansis & colligatis; ecce tibi arcum amoris; sed ubi sagitta est? video illam in medio tui; est cor tuum totum accensum flammis sacris, ô JEsu! & video totam jam expeditam

Brachia JEsu sunt arcus, & cor ipsius est sagitta,

ad

ad abeundum ab arcu amorosam hanc sagittam, apertum ad hoc jam foramen est in pectore tuo. Emitte illam, Domine, ex omni fortitudine tua, collima & fige tibi scopum, infelix cor meum, feri illud aliquando desiderabili hoc ictu, quo vulneratum moriatur sibi ipsi, ut non vivat ampliùs nisi tibi soli. Ita, mi amabilissime Salvator, id desidero ex toto corde meo: si minima pars cordis mei deflectere velit à te, & non tota dicata & devota sit soli amori tuo, erue illam Domine, & destrue ipsam; renuntio ipsi, & nolo ampliùs, ut mea sit, quando tua ampliùs non erit.

Considerandum, in qua corporis habitudine JEsus Christus apparuerit nobis in Cruce.

Vellem vobis hîc dicere, fratres mei, quod sanctus Bernardus olim dixit totus amore succensus erga JEsum crucifixum. Considerate benè figuram ejus, & observate habitudinem corporis, quam refert vobis in hac Cruce. Demittit caput, seque inclinat ergà vos, ad dandum vobis osculum pacis; brachiis manet expansis, vobisque apertis, ad amplexandum vos, vósque recipiendum ad misericordiam: manus gerit perforatas; hîc gratiarum thesauri sunt, quos reseratos omninò tenet, ut effundat omnes super vos. Videtis apertum latus ejus & cor transfixum. Ah! chari fratres mei, non intelligitis, loqui hoc cor cordi vestro, vobisque declarare, quantùm vos amet; amabile hoc cor invitat vestrum, & incitat illud, ad intrandum in se, ibique commorandum, ut arctissimâ simul jungantur amicitiâ, nec unquam ab invicem separentur: pedes tenet clavis affixos Cruci; ut assecuret vos, se non recessurum à vobis, vósque hîc semper inventuros ipsum, si hîc ipsum volueritis inquirere. Et tandem totum corpus ipsius extensum apparet vobis in hac Cruce, ad insinuandum vobis, quòd suas ubique extendat misericordias, etiam maximos super peccatores, quódque se totum tradat pro salute vestra.

Quid deducendum ex hoc, nisi egregium hoc effatum, & efficax sancti Bernardi desiderium: *Totus nobis figatur in corde, qui pro nobis totus fixus est in Cruce.* S. Bern. Finem imponere volebamus Consultationi eximio hoc effato & affectu, sed bonus noster Ecclesiasticus consultò & prudenter nos monuit: an ergò relinquamus JEsum Christum, qui amabilis est Pater noster, morientem in Cruce, quin videamus exspirantem ipsum, postulantes ab eo benedictionem, & aliquam testamenti sui partem? Æquissimum est, ut per hoc finiamus.

ARGUMENTUM.

De Testamento & Morte JEsu Christi.

Articulus VI.

DOlores vehementes non possunt durare diu : quos patiebatur JEsus Christus in Cruce tam vehementes erant, ut intra tres horas ipsius consummaverint vitam. Nihilominùs, ô potentia admirabilis ! ô triumphus incomparabilis amoris sui erga homines! inter actuales dolores ac tormenta, oblivisciturfui, seque totum integrum, & studiosiùs quàm unquam, magno impendit & devovet operi salutis nostræ.

Septem verba JEsu Christi in Cruce.

Prima ipsius cura est, petere à Deo Patre suo veniam pro inimicis suis, exspoliantibus se vitâ: *Pater dimitte illis.* Meminit exin amicorum suorum, & promittit Paradisum, illo adhuc die possidendum bono latroni : *Hodie mecum eris in Paradiso.* Posthæc suorum memor consanguineorum, assignat sanctissimæ Matri suæ, dilectum discipulum suum Joannem ceu Filium & consolatorem : *Mulier, ecce Filius tuus.* Quartò convertit se ad Deum Patrem suum, & amicabiliter de sua conquerendo derelictione, resignat se divinæ voluntati, immolari paratus ad ipsius gloriam: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Porrò nos alloquitur, nobisque ardentem, quâ torquebatur, exponit sitim, id est, succensum salutis nostræ desiderium, quo trahebatur ad mortem: *Sitio.* Dein revolvens animo æterna misericordiæ suæ decreta pro redemptione humana, & eorum, quem fecerat executionem, benedicit Deum Patrem suum pro eo, quòd omnia sua adimpleta sint consilia, & ait : *Consummatum est.* Tandem suam remittit animam in manus divini Patris sui, à quo acceperat illam: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Et sic cessavit vivere, & incepit mori, ut non moreretur amplius in omnem æternitatem.

Verùm estne ergò hoc totum, quod fecit, Testamentum? Audio loquentem ipsum nobis in Scriptura, velut è Cruce sua, jamjam accinctum ad moriendum : *Disposui Testamentum electis meis* ; feci testamentum meum, & distribui moriens electis meis omnia bona mea. Venite omnes electi ipsius, venite omnes ipsius filii, venite omnes, qui agnoscitis JEsum Christum ceu amabilem Patrem vestrum; venite, tempus est; ecce jam ipsum in strato mortis mox exspiraturum; adeste, ut in partem veniatis testamenti ipsius ; postulate ab eo,

Psalm. 88.

Omnes Filii JEsu Christi debent petere partem ex testamento ipsius.

ab eo, quidquid volueritis; eam bonorum suorum elargietur vobis portionem, quam petieritis. Mi Pater divine, da mihi honores. Sed tales non habeo, mi fili; namque absorptum me cernis summis opprobriorum & ignominiarum procellis. Da mihi ergò divitias. Sed vides, me & ipsis carere, méque mori exspoliatum omnibus. Largire ergò mihi voluptates. Sed obrutum me spectas omni dolorum genere, nullâque fruentem voluptate aliâ, nisi illâ, quòd me videam totum immolatum pro gloria Dei Patris mei, & pro salute tua. Sed tandem, quam è testamento tuo mihi conferes portionem, cùm fruar honore, quòd tuus sim filius?

Quid per testamentum relinquat filiis & amicis suis.

Relinquo per testamentum meum omnibus meis electis, omnibus meis filiis, omnibus meis amicis, quod pretiosissimum mihi est in mundo, meam crucem, meas spinas, meos dolores, meam paupertatem, meas humiliationes, meas persecutiones, & tandem omnes afflictiones meas. Ecce hoc totum, quod donare ipsis possum in hac vita: siquidem Pater relinquere non potest per testamentum, nisi id, quod poslidet moriturus. Qui non venerit in partem testamenti mei, non veniet in partem hæreditatis meæ. Sed quando videris, haud deesse tibi cruces, quas portes; opprobria, quæ sorbeas; persecutiones, quas toleres; paupertatem, quam sufferas; dolores, quos sentias; & tandem, quando fueris quasi totus crucifixus, totúsque afflictionibus obrutus: lætare, & esto memor, hanc optimam esse portionem, quam conferam tibi ex testamento meo, esse notam, te ex charioribus meis esse filiis, adeóque magis securum esse te posse, quòd optimam habiturus sis partem ex hæreditate mea. O quantum solatii magna hæc veritas, si benè ponderetur, Personis affert afflictis!

Ecce igitur adorandam hanc victimam, quæ consumitur in flammis amoris sui supra pyram Crucis, omninò jam expeditam, ut suum emittat spiritum. Dirigit ipsa ad nos omnes verba hæc amore plena: *Dicite dilecto meo, quia amore langueo.* O anima, quam formavi ad imaginem meam, pro qua descendi de cœlo in terram, cui præparavi Paradisum, quam dabo tibi: aspice languentem me in hac Cruce, quòdque moriar amore tui. Memineris moriturum me non fuisse, nisi amâssem te plùs quàm propria vita mea.

Ultima verba, quæ JEsus Christus ad nos dirigit moriens.

Cant. 2. v. 5.

O Deus amoris! Deus bonitatis! nonnè dicamus cum Apostolo illo: *Eamus & nos, & moriamur cum eo;* & amore illius, sicut is mortuus est amore nostri.

Moriendum nobis est cum JEsu Christo.

Joan. 11. v. 16

Moriamur mundo, moriamur peccatis nostris, moriamur nobismetipsis. Divina ipsius charitas, quæ urget nos, quando tanto cum splendore nostris objicitur oculis, an tantum non habeat roboris, ut nostra lucretur corda, nobisque efficaciter persuadeat, vivendum nobis amplius non esse, nec mundo, nec nobis ipsis, sed illi soli, qui mortuus est pro nobis? Ita, mi JEsu, moriens amore mei, morior hodiè amore tui huic vitio, huic perversæ inclinationi, cui heu nimis diu vixi; morior hîc illi ad pedes tuos, ipsique in æternum renuntio.

Ecce igitur tandem horam tamdiu exspectatam, in quam cunctorum sæculorum collimârunt oculi; ecce momentum hoc, quod omnes creaturas summâ defigit attentione, timore, reverentiâ: ecce momenti & ponderis maximi momentum, in quo Deus moritur immortalis, ut nobis omnibus morte suâ comparet vitam æternam. An non videtis, totum universum susque deque verti, tremere terram, diffindi petras, obscurari solem, totámque naturam induere se luctu? Attendite, exspirat, ecce illum reddentem ultimum suo Patri spiritum: *Emisit spiritum.* Factum est, emisit spiritum, sic sacrum nobis affirmat Evangelium. Quò autem emisit illum? in animas, quæ mortuæ sunt spiritui mundi, ut nonnisi de suo vivant deinceps spiritu. Qui divinum ipsius recipere vult spiritum, aperiat cor suum Deo ad illum recipiendum. Quis igitur amabilem hunc & adorandum in corde suo recepit spiritum? ille, qui deinceps nonnisi vivet de spiritu Christi JEsu. Eja nimiùm felix anima! si divinum hunc recepisti spiritum, fac igitur vivere in te JEsum Christum, postquàm mortuus est pro te in Cruce. Conserva studiosè amabilem hunc spiritum, & cura, ut animeris illo, & ipse sit, quo imposterum in cunctis tuis dirigare operibus.

JEsus Christus exspirans suum in nos mittit spiritum.

Verùm adorandum ipsius corpus permanet adhuc conclavatum Cruci: expostulat à te sepulchrum; an id concedere non voles ipsi? ne inquiras aliquod procul à te, haudquaquam invenies, quid acceptius sit illi, quàm proprium cor tuum, ut regnet in eo, qui mortuus est; nec meliùs poteris ipsius satisfacere votis, nisi faciendo, ut quiescat in illo, postquàm est mortuus. Si igitur clausisti jam cor tuum, ut reciperes in eo divinum ipsius spiritum, resera id denuò, ut pretiosum illius recipias in ipso corpus. Scriptum est: *Et erit sepulchrum ejus gloriosum.* Verum est, quòd illud, in quo illatus est depositus de Cruce, ita mox honora-

Cor nostrum sit sepulchrum JEsu Christi.

Isai. 11. v. 10.

noratum fuerit, ut circumseptum fuerit custodibus velut thronus regius: exin innumerabilis mortalium accessit multitudo, ut venerarentur illud ab extremis terræ; & Turcarum Imperator inter alios honorum titulos, quibus esse se jactat Regem Regum, gloriatur præcipuè, custodem se esse sepulchri Dei Christianorum.

Omnia hæc nihilominùs parva sunt respectu gloriæ & felicitatis, quam recipies, si consignas illi, ceu sepulchrum, cor tuum. Conserva sollicitè pretiosum hoc depositum, ubique circumfer illud, numera sacratas ipsius plagas, illarúmque unam adora post alteram, unge illud pretiosis unguentis millenorum sanctorum affectuum: cor tuum honorari merebitur ab ipsis Angelis; & ut ipsius memoriam tibi semper reddas præsentem, semperque consolatoriam, insculpere poteris Epitaphium hoc cordi tuo:

Hìc jacet JEsus, hâc die mortis.
Ostendens, quàm sit amor fortis.

CONSULTATIO XXIX.

De Triumphali Resurrectione JEsu Christi.

ECce igitur tandem consolatam te, ô natio Judaica, eòquòd JEsus Nazarenus, in quem tum invidiâ tuâ, tum implacabili debachabaris odio, jamjam occubuerit, & clausus teneatur modò in sepulchro. Præcipuus quidam Vatum tuorum aspexerat à longè Scribas tuos, Pharisæos tuos, tuósque Pontifices sua instituere conciliabula, ad deliberandum de modis & mediis perdendi ipsum, & exterminandi à facie terræ. *Venite, mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium.* Jerem. 11. v. 19.

Iste homo tam sublimem per miracula sua comparavit sibi existimationem, per conciones suas, per vivendi methodum, ut totus mundus post ipsum abeat, nec faciat verba nisi de ipso; & videtur, nos intuitu ipsius nullius ampliùs esse æstimationis: exspoliavit nos ipse cunctis honoribus nostris, & illicò nostris nos exuet dignitatibus, nostris muneribus, nostris proventibus, è medio tollendus est, quanticúnque stet nobis: occidamus ipsum infami crucis ligno; quando morietur ita, omnes ipsius morien- Judæi occidere unt JEsum Christum ex invidia.

tur cum eo honores; & non miscebitur de ipso ulteriùs sermo, nisi velut de hominum infelicissimo, & memoria illius in perpetuum horrori erit & odio cunctis omninò sæculis. *Quando morietur, & peribit nomen ejus?* Psal. 40.

Ecce adimpleta desideria vestra, omnia consilia vestra felicem sunt nacta eventum, vestris conformem votis; occidistis ipsum per supplicium ex omnibus probrosissimum, & tandem occlusus jam latet in tumulo: ecce vobis totum, quod facere poteratis. Sed videtur, quantumvis mortuus sit, ipsum timeri adhuc à vobis. Quid sibi volunt hi milites, quos collocâstis custodes ad ostium monumenti ipsius? ideò, quòd seductor hic, dum fruebatur adhuc vitâ, palàm divulgaverit, resurrecturum se die tertio; & hâc ratione, ne dilabatur inde, obstabimus. Quare Judæi collocaverint milites ad custodiendum sepulchrum JEsu Christi.

Verùm si putatis, ipsum seductorem esse, & falsum Vatem, qui sparserit in vulgus nonnisi mendacia, nihil metuendum est vobis; & si creditis ipsum dixisse verum, tantóque præditum esse robore, ut eruere se possit è faucibus mortis, tam formidanda hæc est potentia, ut cunctorum sternat & conterat potentiam mortalium, vestri armati milites non impedient ipsum. Haud refert, accidere posset, ut discipuli ejus de nocte suffurantes ipsum, universo annuntiarent populo, resurrexisse ipsum à mortuis; & hoc magno foret scandalo, nobísque probro, qui mactari curavimus ipsum.

Sed ubi tua est politica, stulta ac fatua mundi sapientia? si resurgat, uti times, facilius erit persuadere mundo, quòd fuerit sublatus furto, eòquòd adfuerit nemo, qui suos, ne furarentur ipsum, impediret; & collocatis huc custodibus, ampliùs dici non poterit, quòd fuerit ablatus. Et vos adhibetis hîc testes resurrectionis suæ, qui vestram confundent malitiam. Si hoc accidat, nos providebimus; nos interim dormiemus majori cum quiete, si adfuerint hîc vigiliæ. Dormite ergo in pace; id poteritis per integras duas noctes.

Tertio die valdè manè, accelerato gradu adsunt milites. Illustres Domini, inusitata afferimus nuntia; nemo est, qui propiùs accesserit sepulchrum; die enim Sabbathi omnes manent in quiete; & hoc diluculo ad ortum solis motum percepimus terræ, & descendentem vidimus Angelum de cœlo, cujus vestimenta erant alba velut nix, ejúsque oculi velut fulgur evibrabant lucem; ejus præsentiâ prostrati in solum, credidimus, præ pavore nos morituros. Reversi ad nos, invenimus magnum illum Milites fuerunt testes resurrectionis JEsu Christi. Matth. 28.

lum lapidem, quem omni moto lapide advolvi jussistis ad occludendum introitum monumenti, dimotum ac revolutum, apertum fuerat sepulchrum, linteamina, quibus involvebatur, seorsim illic posita, sed amplius videre non erat corpus. O Deus! quanta consternatio! quantum exorietur scandalum! quidve dicent evulgato rumore hoc turbæ ac populi? Tacete milites, eamus in cœtum, consultemus, deliberemus, quid factu sit opus in fastidioso hoc opere.

Exploratum est, ipsum mortuum esse in Cruce, totus spectavit id mundus; constat, ipsum positum & illatum esse sepulchro, de hoc nemini ullus est locus dubii; nec latet, lapide ingenti occlusum esse ostium monumenti, & obfirmatum id quidem appositione sigilli, præsentibus insuper justitiæ administris; perspectum est quoque plures armatos milites obiisse illic custodias, & propius illuc accessisse neminem: & tamen corpus ipsius non est hîc amplius. Quis ergò id abstulit? oportet igitur, exiisse id indè à semetipso, ipsúmque tanto valuisse robore, ut erueret semetipsum ex unguibus mortis. Verùm si res ceu vera divulgetur, quanta exin illi gloria, & quanta nobis confusio? haudquaquam concedendum id nobis est.

Judæi abscondere conantur resurrectionem Domini nostri.

Milites, estote nobis fideles, ecce pecuniam; (cujus tantum habebitis, quantum voletis) asserite tantùm, infideles vos fuisse in custodiendo hoc mortuo, & dicite, dormientibus vobis, illius venisse discipulos, ipsúmque abstulisse. Sed dormientibus quis credet testibus, ceu verum id affirmantibus, quod non viderunt? nulla interest, nos divulgabimus ceu consentaneum veritati rumorem hunc; & modò id dicere velitis, ecce vobis pecuniam.

Sed exponemus nos periculo, ne puniamur pro crimine, quod non commisimus; siquidem vigilandum nobis fuerat, sicut & fecimus, & dicendo, quod dormitaverimus, nos reddimus culpæ obnoxios. Haud refert, nolite timere, suadebimus nos Præsidi, & securos vos faciemus; interim habetote pecuniam, quam lucrari potestis. Sed tandem quid lucrabimini, dum ipsius abscondere voletis resurrectionem, si semetipsum is manifestaverit, & pluribus se exhibuerit conspiciendum, qui attestabuntur, se ipsum conspexisse vivum? nonnè potiùs credetur illis, quàm testibus, qui loquuntur de eo, quod accidit, cùm ipsi dormirent?

Magna perfidia Judæorum contra JEsum Christum.

O perfidi Judæi! non sufficit ergò vobis obcœcâsse pecunniâ Apostolorum quemdam, ementes ab ipso vili pretio adoran-

dum

dum sanguinem Messiæ, qui redimere debebat universum mundum pretio tam magno? non sufficit ergò vobis, occidisse ipsum, eòquòd demonstraverit se Filium Dei, pro eo, quòd adorare ipsum debebatis ex unica hac ratione? an exspoliare ipsum adhuc vultis vitâ hâc gloriosâ & immortali, quam traxit è tumulo suo in resurrectione sua? pecuniâ induxistis Judam proditorem, ut traderet ipsum vobis; nummis cumulâstis carnifices, ut supremo ipsum afficerent supplicio; & ad inopiam redigere vos vultis, solvendo milites, ut mentiantur & attestentur prætensum corporis mortui furtum, quod non viderunt cùm fateantur occlusos sibi fuisse oculos somno, & compellitis ipsos, ut negent veritatem glorioſæ resurrectionis, cujus oculati sunt testes.

Quid proficit tibi malitiosa fraus tua, ò infidelis Judæe! JEsus Christus invito te recuperavit vitam, & tu tuam perdidisti pecuniam; denuò indutus est ipse gloriâ immortali, & oppressus tu manes opprobrio sempiterno. Vade, persevera in tua protervia, accumula mendacium mendacio, impone silentium militi, claude os, quantùm potueris, omnibus illis nationis tuæ, quibus constat veritas resurrectionis hujus glorioſæ: sednon claudes id Angelis è cœlo, nec devotis mulieribus, nec sanctis Apostolis, nec Prophetis, nec Scripturis, nec rationi, nec experientiæ, nec voci cunctorum sæculorum publicæ. Auscultа, quid ab his dicatur tibi.

ARGUMENTUM.

Angeli è cœlo annuntiant primi mulieribus devotis resurrectionem JEsu Christi.

Articulus I.

Ad quid impulerit amor JEsu Christi devotas fœminas.

FAtendum est, devotas mulieres magnam supra viros reportâsse in hoc mysterio prærogativam; siquidem ipsæ primæ fuerunt, quæ quæsitum iêrunt Dominum in monumento suo. Non fuerunt ipsæ desidioſæ, concesserunt namque illuc primo mox diluculo: *valde manè.* Non fuerunt ipsæ avaræ, attulerunt enim secum magnam pretioſorum aromatum copiam, ut ungerent corpus ejus. Non fuerunt ipsæ nec imbelles nec timidæ, siquidem armatos non timebant milites, quos inventuros se credebant, agentes ad monumentum custodias. Quis contulit hanc

Marc. 16.

hanc illis audaciam? Amor ardens, quo flagrabant ergà divinum Magistrum & Dominum suum.

Devotio fœminarum excedit sæpè illam virorum.

Tribuenda illis hæc laus est, quam ex æquo merentur, eòquòd verè animatæ fuerint spiritu Dei, & generosum ceperint consilium consecrandi se unicè pietati, habent ipsæ, nescio quem ardorem, erga opera devotionis, in quo virorum excellunt zelum: hinc etiam primæ fuerunt, quibus acciderat beata sors, ut addiscerent veritatem resurrectionis Domini nostri. O Deus! quantum gaudium, quantus jubilus pro amantibus, nôsse, quòd dilectus suus, quem credebant mortuum, sit vivus! examinandum vobis relinquo, an fuerint reversæ, omnésque sui fecerint participes gaudii: nunquam viri omnes tam velociter, támque feliciter benè auspicata hæc divulgâssent nuntia: oportebat has esse fœminas.

Descriptio sancti sepulchri.

Sed quis dixit illis, ipsum resurrexisse. Verum est, quòd fuerint ad monumentum, quódque invenerint illud tale, quale id posteà S. Remigius descripsit. Erat id spelunca excavata in aliqua rupe, figura ipsius erat rotunda, & amplitudo ejus tam spatiosa, ut commodè caperet decem aut duodecim Personas; altitudo tanta, ut non solùm ibi stare quis posset erectus; sed ut manu vix posset attingere fornicem; ingressus ipsius erat versùs Orientem. In intima parte hujus speluncæ à latere dextro erat sepulchrum, quod sublatum à terra cernebatur circiter duos pedes, & incisum in medio petræ, ita ut ipsius aditus non esset in sublimi, sicut sunt hodiè ordinaria nostra sepulchra, sed à latere velut spatium quoddam, quod servire poterat ad deponendum aliquod corpus humanum in pariete, utì antiquis mos erat, & hodiè adhuc videtur Romæ in Catacumbis, quæ sunt cœmeteria subterranea, ubi sanctorum Martyrum sepeliebantur corpora.

Devotæ fœminæ non ampliùs invenerunt corpus JEsu Christi in sepulchro.

Erat ipsis omninò liberum illuc intrare; verisimiliter enim ibi milites non ampliùs aderant, eòquòd concesserint Sacerdotibus & Pontificibus nova allatum nuntia; invenerunt adhæc magnum lapidem, qui ipsius occludebat aditum, revolutum ab Angelo. Intrate, eja devotæ fœminæ, & videte pretiosum hoc corpus, possidete divitem hunc thesaurum, quem iviſtis indagatum. Sed, eheu! non invenitis illum ampliùs; ecce quidem linteamina, quo fuerat involutus. Sed quò devenit ipsius corpus? an custodes subripuerunt illud? an quispiam id sustulit furto? sed cui bono id serviet illi? inspicite iteratò sepulchrum, quærite benè ubique, ne fidatis oculis ve-

ſtris ſolùm, porrigite & illuc manus: incaſſùm hoc eſt, non enim eſt ibi ampliùs.

Quid faciant ad hæc? uſitatum afflictarum fœminarum refugium ſunt lacrymæ. Magdalena magìs amans, magísque ſollicita omnium, hæret immobilis, & ſemimortua præ dolore; interim dum ex oculis ſuis duos facit torrentes, apparent ipſi duo Angeli, utì refert S. Joannes, unus ad caput, unus ad pedes monumenti: Mulier quid ploras? Tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum. Hæc cùm dixiſſet, converſa eſt retrorſum, & vidit quempiam, quem credebat eſſe hortulanum (erat namque in horto monumentum) Domine, ſitu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, & ego eum tollam. O Magdalena, quàm benè demonſtras, alienatam te eſſe à te-ipsâ, téque neſcire quid facias, aut quid dicas!

Joan. 20.

JEſus Chriſtus apparet Magdalenæ velut hortulanus.

Itáne duo Angeli è cœlo, loquantur tecum, & tu faciem avertas ab eis? Intueris quemdam opificem, & vocas ipſum Dominum, tu, quæ illuſtris es fœmina? quæris ex eo, an ſuſtulerit ipſum, quin illi dicas, de quo loquaris? proponis tibi tollere corpus mortuum viri magni, quaſi non eſſet, niſi flos horti, tu, quæ imbellis es mulier? an igitur perdidiſti rationem, dum ita agis dum ita loqueris? reſponderet ipſa tibi illis S. Bernardi verbis: *O amor præceps, vehemens & flagrans, qui præter te aliud cogitare non ſinis.* Quid vultis? amor ardens & accenſus non cogitat niſi de eo, quod amat. Non ſunt Angeli, quos quæro, eſt Deus Angelorum; non aſpicio, ſicut appello, eum, qui dare mihi poteſt nova de dilecto meo, quando eſſet nonniſi noviſſimus hominum, appellarem ipſum Dominum meum, modò informaret me, ubi ſit theſaurus meus; non eſt opus ipſi dicere, de quo loquar; nonnè enim omnes nôrunt, quodnam ſit meum deſiderium? ſed tandem, modò dicatur mihi, ubi ſit, tollam eum, plus mihi eſt virium, quàm indigeam; collocabo ipſum velut faſciculum myrrhæ inter ubera mea, & volabo præ gaudio, certa, me in portando ipſo nihil habituram difficultatis.

S. Bernard. ſerm 79. in Cantic.

Mirabilis amoris æſtus in Magdalena.

Ecce tibi amorem in Magdalena profectò ardentem quidem; ſed cœcus eſt; fruitur actualiter amato, ſed neſcit; privata veluti manet poſſeſſione ejus, quod poſſidet; habet dilectum ſuum coram, & ipſum non videt (nam exiſtimatus ille hortulanus, quem vocat Dominum, eſt ipſemet JEſus Chriſtus) loquitur is ipſi, ſed ipſa illum non intelligit, demonſtrat ſe ipſi viventem, ſed ipſa non cognoſcit illum, quia credit, quòd ſit mortuus, quoad audire

Amor Magdalenæ poſſidens non poſſidebat.

audire illam faciat eandem vocem, quâ toties demulserat ipsam; quoad eodem loquatur accentu, quo divinè ipsius fascinaverat animam ab auspicato momento conversionis suæ, quoad ipsam proprio compellet nomine, Maria. Ah! satis hoc erat, illustrata mox fuit & tota accensa, projecit se ad pedes ejus: *Rabboni.* Ah! divine mi Magister, tu ipsemet es, agnosco te, sufficit, relinquo dolores meos omnes ad pedes tuos, confers mihi vitam, dum video, te esse in vita.

Deus quandoque ostendit & abscondit se animabus bonis,

O Deus! quàm mirabilia sunt sancti amoris artificia, sed quàm incomprehensibilia ipsius sunt consilia! abscondit se frequenter, quando ostendit se alicui animæ; vult quæri, quando est præsens, vult desiderari ardentiùs, quando possidetur. Et quamvis illa reipsâ sit beata quando tota impletur Deo, nihilominùs gemit & plangit, seque credit infelicem, eòquòd Deus ipsi tribuat, ipsíque abscondat eodem tempore perfectam felcitatem suam. Eccur, mi Deus, affligis eam, dum ipsam consolaris? cur ipsam privas tui possessione, dum possessione tui fruitur? est tibi præsentissima, sed ipsa non videt, eòquòd privata sit lumine; audit vocem tuam, sed illam non cognoscit, eòquòd nullo perfundatur sapore in omnibus verbis tuis; quærit ex te ipso, ubi sis, & credit, quòd amiserit te, & tu videre ipsam in sævis hisce afflicti amoris sui tormentis complaces tibi.

Quid possit momentum unicum possessionis Dei.

Sed quando post multas inquisitiones, sollicitationes & plures effusas lacrymas cum ardenti inveniendi te desiderio, unico verbo amicabili dignaris ipsam, proprio eam compellans nomine, demonstrans ipsi unicum parvulum radium faciei tuæ, & auscultare faciens ipsam sonum vocis tuæ, quâ loqueris animabus, quibus blandiris, quod unicum votum erat sponsæ in sacro Epithalamio: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis;* O Deus bone? satis est, ut repleatur gaudio, in momento, anni, quibus spoliata existebat, compensantur centuplo. Quid ergò erit, quando videbimus omnes splendores tuos in splendoribus æternitatis, certi, nos illos ampliùs haud amissuros, nec dimissuros ex aspectu? breve momentum tribulationum vitæ præsentis, nonnè sufficientem recipiat remunerationem? Cant. 2. v. 14.

Nihilominùs Magdalena tam amans, támque amata, non sola fuit, quæ certitudinem accepit de resurrectione Domini nostri: omnes aliæ devotæ fœminæ, quæ comitabantur ipsam haud aliter ac ipsa, illius è cœlo accipiebant informationem. Siquidem

S. Matthæus scribit, quòd idem Angelus, cujus præsentia tota Majestate refulgens pavefecerat & in fugam egerat milites, dixerit ipsis: *Nolite timere vos, scio enim, quod JEsum, qui crucifixus est, quæritis. Non est hîc; surrexit enim, sicut dixit; venite & videte locum, ubi positus erat Dominus: & citò euntes dicite discipulis ejus, quia surrexit; & ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis.* An majorem recipere poterant certitudinem de resurrectione Domini nostri? acceperunt illam ex ore Angeli, aspiciebant monumentum vacuum meminerant prophetiæ & promissionis ejus, & videbant hanc adimpletam.

Matth. 28.

Angelus annuntiat fœminis devotis resurrectionem JEsu Christi.

An fidendum sit revelationibus fœminarum.

Dicitis mihi, sunt fœminæ, quæ sua retulerunt ipsis somnia, an multum æstimandæ sint ipsarum visiones & revelationes imaginariæ? quis nescit, ipsas facilè seduci posse, & in hoc seduci indies? unde est, quòd nonnisi quasi fœminæ, & cumprimis illæ, quæ sunt vel videri volunt devotæ, frequentes habeant visiones, revelationes, prophetias &, & inusitatas cum Deo familiaritates, quas semper effectus esse credunt Spiritûs Dei? & quare nonnisi rarissimè hoc conspicitur in viris? unde hoc est, nisi è forti imaginatione & debilitate intellectûs, quâ afficiuntur fœminæ? magnus quidam Dei famulus nostri sæculi & insignis director animarum asserebat, sæpiùs diabolum ludere cum spiritu devotarum mulierum, sicut ventus versatilibus cum pinnulis supra verticem tectorum.

Ita, sed respectu falsarum devotarum, quæ inusitatas ambulare ambiunt vias. Nihil frequentiùs est, quàm videre ipsas deceptas, imò & illos, qui ipsas dirigunt, si decipi se sinant, si nimis facilem ipsis præbeant auditum, & adhibeant fidem. Et nihilominùs tam facile discerni non potest, quænam sint veræ, & quænam sint falsæ devotæ. Illæ, quæ characterem gerunt devotarum harum fœminarum, quarum laus est in Evangelio, quæque primæ acceperunt nuntia de resurrectione Domini nostri, nunquam decipi possunt, nec decipere quemquam. Videte, quomodò ipsæ se gerant; observabitis sex conditiones veræ alicujus devotæ.

Sex signa, quibus discernuntur veræ à falsis devotis.

Primò ipsæ fuerunt ferventes & diligentes; siquidem summo surrexerunt diluculo: *valdè manè.* Primum principium & velut essentiale requisitum ad constituendum aliquam veram devotam, est devotio ipsa, quam S. Thomas consistere vult, non in raptibus, non in extasibus, non in luminibus, non in gustibus spiritualibus, sed in pomptitudine & in gaudio voluntatis ad perfi-

Marc. 16.

1. Fervor internus & ardor voluntatis.

perficiendum opera pietatis. Devotio expellit ab anima desidiam, negligentiam, teporem, vecordiam; devotio non patitur hanc procrastinationem, nec longas has deliberationes, quando agitur de bono opere: devotio non urgetur nec cogitur cum difficultate ad servitium Dei, sed illuc volat cum voluptate; devotio, quæ non animatur fervore spiritûs, est corpus sinè anima.

2. Obedientia non sequens voluntatem suam propriam, sed illam Dei.

Secundò ipsæ non faciunt propriam suam voluntatem; si secutæ fuissent sui ardorem zeli, remansissent ad monumentum divini Magistri sui, ex die, quo positus fuerat illuc, & sequenti; sed hic erat dies Sabbathi, & ipsæ noverant, prohibuisse Deum in lege sua aliquo labore violare illum: erat devotio ipsarum benè ordinata, magis obediendo voluntati Dei, quàm propriæ suæ inclinationi. Innumeros reperire est, quæ devotionem sectari vellent, modò devotionem sibi fabricari ad suum liceret libitum & facere, quidquid sua sibi suaderet agendi libido. Sed quando renuntiandum est sibi ipsi, & propria frangenda voluntas, ut in opus redigatur voluntas Dei, in quo ipsæ sentiunt difficultatem ac repugnantiam; hîc est, ubi nihil habent, nec sentiunt devotionis. Nihilominùs inviolabilis est regula, nullam veram devotionem esse, nisi illam, quæ purè conjuncta est cum voluntate Dei.

3 Non amare se ipsas, nec propria commoda sua.

Tertiò non inficiuntur ipsæ amore proprio, nec propriis suis student comodis; non sunt solicitæ, ut vel suo indulgeant genio, vel ut vano se comant ornatu; sed potiùs negligentes sunt & avaræ pro seipsis, curiosæ & liberales pro Deo: siquidem non parcunt pecuniæ in emenda magnâ copiâ unguentorum & pretiosorum aromatum, ad inungendum adorandum hoc corpus, quod inquirebant. Nihil stat nimiò pro eo, quod amatur; vera devotio docet spernere semetipsum, seque exspoliare rebus omnibus; profundere autem omnia largiter pro Deo, sivè in personas pauperum, sivè ad servitia Altarium; & ad procurandum in omnibus gloriam Dei, abs eo, quòd in aliquo gloria quæratur propria. O quàm paucas reperire est devotiones, quæ propriis non studeant nec inhient commodis!

4. Esse generosas & infatigabiles in studio virtutum.

Quartò ipsæ generoso sunt animo, non metuentes vel labores vel pericula. Optimè norant, plures adesse milites, qui custodiant sepulchrum, omnesque arceant à propiore accessu: norant ingentem lapidem advolutum esse ad ostium monumenti, nec satis sibi esse virium ad revolvendum illum; sed ve-

rus amor nihil intuetur difficultatis in executione ejus, quod desiderat, omnia videntur ipsi superatu facillima. Reipsâ non viderunt amplius milites inveneruut revolutum lapidem ab ostio monumenti, & omnia obstacula, quæ videbantur invincibilia, reperêre sublata. O quàm probè novit Deus conferre facilitatem exequendis bonis consiliis, quæ inspirat nobis! absterrere non debent difficultates apparentes.

Difficultates virtutum non sunt nisi apparentes.

Qui metuisset leones collocatos ad gradus superbi throni Salomonici, nunquam ausus fuisset conscendere illuc, erant enim aspectu terribiles. Verùm qui accedebat propiùs, inveniebat, ipsos esse leones aureos, qui pro eo, quòd impedirent, potiùs adminiculo erant ad conscendendum thronum. Eheu! quot timidæ animæ nunquam conscendent thronum veri Salomonis, id est, nunquam pertingent ad unionem cum Deo, quamvis maximos erga devotionem sentiant stimulos, eòquòd retineantur ab imaginariis difficultatibus, quas conspiciunt in exercitio magnarum virtutum, quas nihilominùs invenirent facillimas, si credere solùm possent, illas sibi esse possibiles!

Quintò ipsæ erant valdè prudentes in sua agendi ratione. Siquidem cùm irent valdè manè, & antè diluculum quasi ad sacrum sepulchrum, benè noverant, congruum esse, ut plures irent simul. Haud decorum est, nec convenit alicui devotæ, ambulare solam in tenebris & in locis semotis, quando etiam id foret ad mandanda executioni consilia optima, & cum intentione subtrahendi ex humilitate bona sua opera cognitioni hominum. Bonum est, perficere in publico omnes actiones obligatorias, pro bono exemplo proximi; bonum est etiam, perficere in occulto omnes actiones supererogatorias, ne videatur quis singularis, nec exponatur tentationi vanæ gloriæ. Sed vera prudentia Christiana nos obstringit, ne demus unquam ulli ansam judicandi malè de nostra vivendi ratione.

5. Esse valde prudentes in ratione agendi.

Tandem fœminæ istæ optimam sibi præfixam habebant intentionem; siquidem non quærebant nisi Deum, & insuper Deum humiliatum, Deum mortuum, & omninò quasi annihilatum; non exspectabant, inventuras se Deum vivum & indutum gloriâ, quem haberent sibi loquentem, sibi blandientem; non sperabant, visuras se Angelos, non aliam aucupabantur consolationem, nisi quòd suprema exhibere vellent obsequia corpori Redemptoris sui, quod adhuc reperturas se ctedebant vitâ

6. Habere intentionem purissimam, non collimantem nisi in Deum solum.

vitâ exutum & sensu; volebant solummodò illud suis irrigare lacrymis, inungere aromatibus; ast dum nullam inquirebant consolationem sensibilem, omnimoda se refertas cernebant felicitate. Ecce quales sint characteres, qualesque notæ fideles veram aliquam devotam enuntiantes, ex quibus colligere possitis, an credendum sit ejusmodi alicui devotæ, si dixerit, vidisse se Angelos, eosque auscultâsse sibi loquentes, aut revelationes habuisse divinas; siquidem possibile non est, illas vel decipere vel decipi.

Sed nihilominùs dices, ipsas non esse nisi fœminas, & solo fœminarum testimonio non stabilire Ecclesiam ullum fidei suæ articulum. Sit verum hoc? sed non solùm devotarum fœminarum innixa relationi credit Ecclesia Mysterium Resurrectionis Domini nostri; manifestatum id est luculenter Apostolis, & per has toti Ecclesiæ, uti videbitis.

ARGUMENTUM.

Omnes Apostoli oculati fuerunt testes Resurrectionis JEsu Christi.

ARTICULUS II.

MAxima omnium Apostolorum fuit consternatio, dum divinum Magistrum suum exspirâsse conspexerunt supra Crucem in monte Calvariæ, & quando jam tumulo ipsum viderunt illatum, ablatam sibi crediderunt omnem spem, amissa omnia, triumphantibus interim & jubilantibus potestatibus inferni. Eximia sunt hac super re Regii Vatis verba Psalmo 103. *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestia sylvæ: catuli leonum, rugientes, ut rapiant, & quærant à Deo escam sibi. Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Explanatio Castiodori, quam desuper affert, peracri suo est digna ingenio. Ecce vobis illam.

Psal. 103.

Bestiæ feroces audaces sunt de nocte.

Quando JEsus Christus passus est & mortuus in Cruce circa plenum meridiem, diffuderunt se tenebræ universales super omnem terram, quasi tota natura indueret luctum ex morte Creatoris sui: stante profundâ hâc nocte, dæmones velut bestiæ feroces prodierunt ex antris inferni, & liberè per omnem vagabantur terram: Jamjam credebant se mundi Dominos, intuentes universalem hanc omnium creaturarum turbationem, tenebras has passim diffusas, hanc

Dæmones circumcursitabant in terris, dum tenebræ erant in morte JEsu Christi.

hanc ſtragem aſtrorum, hunc terræ tremorem, has petrarum ſciſſuras, univerſalem hanc omnium hominum adversùs proprium Dei Filium conjurationem, omnes Apoſtolos actos in fugam, & ipſum derelictum, etiam à divino Patre ſuo, ſicut deſuper conquerebatur. Judicabant ergò, ultimum imminere jam mundo finem, hócque crimen deicidii ab hominibus commiſi, conferre ſibi jus ipſos omnes rapiendi in infernum; unde & rugientes hi leones ſibi magna pollicebantur ſpolia. Jam rapuerant unum ex ipſius Apoſtolis, jam ceperant alterum ex comitibus ſui ſupplicii; & jamjam canebant victoriam, dum funeſta hæc nox occupaverat terram.

Ad reſurrectionem JEſu Chriſti omnes dæmones reverſi ſunt in infernum.

Sed quid accidit? *Ortus eſt Sol & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur.* Sol quantocyùs ſe iterum præbuit conſpiciendum. JEſus Chriſtus tertiâ reſurrexit die, totus refulgens Majeſtate, prodiens è ſepulchro ſuo velut Sol oriens in diebus æſtivis è ſinu auroræ, totus propriæ gloriæ ſuæ circumfuſus ſplendore: & maledicti hi ſpiritus, aves hæ nocturnæ, quibus nonniſi ad intuendas tenebras ſunt oculi, toti obtuſi, toti confuſi, toti deluſi ac terrore concuſſi, in antra ſua remeârunt, ſuis ſe tumulantes barathris: *Tunc autem, quando ortus eſt, Sol, id eſt, quando reſurrectio ſancta declarata eſt, majeſtatem ejus minimè ſuſtinentes, in ſuis ſe trepidi cubilibus abdiderunt.* Et omues diſperſi Apoſtoli, ac omnes conſternati diſcipuli, inceperunt denuò animari, ad primum exortum luminis divini hujus ſolis, oculos ſuos percellentis, id eſt, ad primum, quem perceperunt nuntium de reſurrectione divini Magiſtri ſui. Caſſiodorus.

Ite quamprimùm, dicit Angelus mulieribus devotis, dicite diſcipulis ejus & Petro, quia ſurrexit; & ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis. An obſervatis, quomodò hîc Legatus cœli, poſtquàm divina arcana his manifeſtavit mulieribus, non velit hæc publicari ab ipſis in univerſo mundo? ſed mittit ipſos ad Apoſtolos, ut hi velut judices eſſent in approbandis illis, & ſpeciatim ad S. Petrum, quia is caput erat viſibile Eccleſiæ in abſentia JEſu Chriſti, ad informandum nos, quòd revelationes, quas recipiunt perſonæ particulares, quamvis à Deo ſint, non habeant auctoritatem niſi recipiantur & approbentur à ſancta Eccleſia, uti fuerunt illæ ſanctæ Birgittæ & quarumdam aliarum. Matt. 28. v. 7. Marc. 16. v. 7. Angelus miſit fœminas, ut annuntiarent revelationem ſuam Apoſtolis, ad examinandum illam.

O bonitas ineffabilis JEſu Chriſti! omnes Apoſtoli reliquerant ipſum tempore Paſſionis ſuæ, & turpiùs cæteris omnibus

ſanctus

Mira JEsu Christi bonitas ergà Apostolos.

sanctus Petrus, qui ter negaverat ipsum; & tamen consolari mox vult illos gratissimo resurrectionis suæ nuntio, exhibitæ sibi oblitus infidelitatis. Sed nominat specialiter sanctum Petrum, ne, uti affirmat sanctus Gregorius, sui pudore criminis absterritus aggregare se ampliùs non auderet Apostolorum collegio, neque de indulta sibi venia hæreret dubius : *Vocatur Petrus ex nomine, ne desperaret ex negatione.*

S. Greg. hom. in Evangel.

JEsus Christus apparuit sexies in ipso die Resurrectionis suæ.

Verùm si tam accepto prævenire & consolari vult ipsos nuntio, cur diutiùs exoptatæ suæ præsentiæ illis subtrahit felicitatem ? nuntiari jubet illis, quòd visuri sint ipsum in Galilæa; quare non in Judæa, ubi præsentes aderant, ubi adimpletum fuerat mysterium passionis & resurrectionis suæ ? cur transmigrare vult ipsos in Galilæam, quæ alia erat Regio ? non est, uti asserit S. Hieronymus, quòd se illis non monstraverit in Judæa, sed factum hoc est velut in occulto, & aspectu tantùm brevi & transeunter : nam in ipso resurrectionis suæ die sexies omninò visendum se præbuit. Primò sanctissimæ Matri suæ, quamvis Evangelista nullam de hoc faciat mentionem. Sed sanctus Ambrosius, sanctus Anselmus, sanctus Bonaventura, Rupertus Abbas, & plerique sancti Patres Ecclesiæ id asseverant. Et æquitati omninò congruebat, ut, quæ afflictissima erat in morte ipsius, prima omnium ex resurrectione ipsius acciperet consolationem. Secundò apparuit sanctæ Magdalenæ ad ipsum sepulchrum, uti refert sanctus Marcus. Tertiò eidem Magdalenæ, & aliis mulieribus devotis simul, quando revertebantur à sancto sepulchro in JErusalem, uti recensetur à sancto Matthæo. Quartò sancto Petro soli, uti traditur à sancto Luca. Quintò duobus discipulis euntibus in Emaus, cujus historiæ idem S. Lucas texit narrationem. Et sextò, cùm serò esset, omnibus discipulis congregatis, id est aliis decem; eòquòd S. Thomas præsens non fuerit, & traditor Judas funestâ desperatione sibi jamjam ademerat vitam, postquàm vendiderat & tradiderat divinum Magistrum suum, suorum manibus inimicorum. Sic accelerabat reddere illis gaudium & vitam eodem die, quo hanc resumpserat, quantumvis hæ nonnisi transeuntes fuerint apparitiones.

Marc. 16. Matth. 28. v. 9. Luc. 14. v. 34. Ibid.

S. Ambros. lib. de Virgin. S. Anselmus lib. de Excellent. Virg. S. Bonavent. c. 87. vitæ Christi. Rupertus lib. de divin. offic.

Sed innixis promissis sibi factis, quòd visuri ipsum essent in Galilæa, credibile est, illos sequenti die omnes dedisse se viæ : siquidem sanctus Joannes scribit, post dies octo (quod tempus esse poterat itineris à se exantlati) JEsum Christum apparuisse omnibus

Joan. 20. JEsus Christus apparet omnibus Apostolis suis in Galilæa, & præbet illis argumenta manifesta resurrectionis suæ.

nibus simul, id est, illis undecim: siquidem sanctus Thomas se iterum conjunxerat ipsis. Et hîc incepit præbere illis argumenta magis manifesta circa veritatem resurrectionis suæ. Primum fuit quòd intraverit locum, ubi omnes fuerant, quin opus esset reserari sibi portam, ad ostendendum ipsis, corpus suum gaudere prærogntivis corporis glorioſi, cui more spirituum penetrare muros est facultas. Secundò, quòd prolixum miscuerit cum ipsis sermonem, assecurans illos, quòd nihil haberent sibi timendum, quódque ipsemet is esset, suam illis apportans pacem, velut vera columba, quæ finito diluvio ramum olivæ detulerat in arcam.

Mirabilis favor, quem Jesus Christus concessit sancto Thomæ Apostolo.

Tertium fuit adhuc magìs luculentum. Siquidem cùm sanctus Thomas credere adhuc non posset, nec quod omnes Apostoli dixerant sibi, quòd viderint eum in Galilæa, nec quod ipsemet jamjam videbat propriis suis non fidens oculis, semperque timens, ne aliqua interveniret imaginatio & illusio, JEsus Christus ex magna bonitatis suæ abundantia permittere voluit ipsi, sua ut tangeret vulnera, suósque mitteret digitos in loca clavorum manus suas transverberantium, quasi ad demonstrandum ipsi, quòd paratus esset iterum crucifigi pro ipso solo, sicut crucifixus fuerat pro omnibus peccatoribus in monte Calvariæ: permisit adhæc, ut suam inferret manum in vulnus lateris sui, usque in cor suum, quasi in hujus possessionem inducturus illum, ac manifestis experimentis convicturus ipsum, hoc verum corpus suum esse, & non phantasma; veritatem hanc esse, & non illusionem; & denique ut tardissimus Apostolorum ad credendum mysterium resurrectionis fieret de eo certissimus, ardentissimus, & omnium primus, in annuntiando illo per universum orbem, ostendendo digitum illum, qui ex pietate & obedientia renovaverat in corpore divini Magistri sui eadem vulnera, quæ inflixerant ipsi Judæi in Golgathæo vertice; sicque digitus ipsius fieret orbis universi Doctor & Magister, sicut loquitur sanctus Chrysologus: *Digitus Thomæ factus est Magister mundi.* S. Chrysolo. serm. 84.

Aliâ vice manifestavit se discipulis suis juxtà mare Galilææ, inter quos erant Petrus & Joannes, & hic velut testis oculatus id in suo annotavit Evangelio. Joan. 21.

Iterum suprà montem quemdam Galilææ conspiciendum se exhibuit pluribus, quàm quingentis fidelibus in unum congregatis, uti refert S. Matthæus, & posteà exaratum reliquit Corinthiis sanctus Paulus. Matth. 28. 1. Cor. 15.

Denuò apparuit sancto Jacobo omninò soli, uti videre

Diversæ & frequentes apparitiones JEsu Christi.

videre est in eodem loco. Et ne diutiùs immorer enarrando sigillatim ingentem numerum apparitionum, quibus consolatus est sæpè suos Apostolos & Discipulos per quadraginta illos dies, quibus permanere voluit in terris post resurrectionem usque ad ascensionem suam, quàsque S. Lucas nonnisi generaliter annotavit in Actibus per hæc verba: *Apparens eis, & loquens de Regno Dei*; ultima omnium, & observatu dignissima apparitio fuit in monte Olivarum, unde, postquàm dederat ipsis mandatum prædicandi Evangelium in universo orbe, in præsentia sanctissimæ Matris suæ, omnium Apostolorum suorum, & omnium discipulorum ac fœminarum devotarum, ipsi, dum in vivis agebat, adhærentium, omniúmque fidelium jamjam conversorum, quibus benedicebat, reversus est in cœlum ad Deum Patrem suum, à quo missus fuerat in mundum: *Vado ad eum, qui misit me.*

Actor. 1.

Marci ult.

Incassùm igitur contenderunt Judæi abscondere mundo veritatem resurrectionis JEsu Christi. Difficile est abscondere solem in pleno meridie. Non obstantibus ipsorum curis ac dolis illicò universus orbis illustrabitur divino hoc lumine. Hegesippus referens nobis, quod legerat in actibus Pilati, affirmat, quòd hic informationem dederit Imperatori Tiberio de omnibus, quæ acciderant in Persona JEsu Christi; de invidia, quâ Judæorum præcipui ferebantur in eum, videntes ipsius miracula, & magnam, quam sibi comparaverat, existimationem in animis omnium populorum; de malitiis & fraudibus, quas moliebantur, ad obstringendum se, ut condemnaret ipsum ad mortem; quòd coactus id fecerit & invitus non inveniens in eo mortis causam; quòd occiderint ipsum in Cruce, ipsóque in monumentum posito, unde metuentes, ne exiret, petierint à se milites ad custodiendum illum; sed quòd in ipsorum præsentia resurrexerit tertio die à mortuis, hícque id sibi asseveraverint, quamvis inducti à Judæis magnâ pecuniæ oblatâ quantitate, ut rem servarent in occulto.

Hegesippus in Anacephal.

Veritas resurrectionis JEsu Christi fuit delata Romam ad Imperatorem Tiberium & Senatum.

Tertullianus confirmat idipsum in suo Apologetico, & Eusebius in sua historia. Hi adjungunt, quòd Imperator Tiberius recensuerit hæc omnia Senatui, volens aggregare JEsum Christum numero Deorum. Sed quòd, cùm Senatus se opposuerit, non intermiserit condere edictum, quo minitabatur mortem cuicúnque accusanti aliquem Christianum, ostendens plurimi se facere Personam JEsu Christi. Hic Imperator crediderat, se maximo honore prosecutu-

Tertul. Apolog. c. 5.

Euseb. l. 2. c. 2

Tiberius volvens JEsum Christum annumerare Diis.

cuturum ipsum, referendo illum in album falsorum Deorum; sed reverà maxima hæc omnium, quâ afficere ipsum poterat, fuisset injuria.

Cur JEsus Christus noluerit Diis annumerari.

JEsus Christus venerat in hunc mundum, ut falsos omnes extirparet Deos, & non ut ipsorum aggregaretur cœtui; non recipiebat Divinitatem suam ab hominibus, sed homines credentes in se reddere volebat participes magnificentiarum Deitatis suæ; non opus sibi erat potestatibus sæculi, nec Senatûs Romani, nec Imperatorum, ut ostenderet se solum verum Deum in universo orbe, sed potiùs volebat omnes humanas contra se exstimulari potestates, ut sibi hanc disceptarent gloriam. Franget is omnes ipsarum adnisus, hosque omnes unicâ suâ evincet Cruce; & tandem comparabit is solus sibimet ipsi magnificum triumphum de mundo & inferno, de morte & peccato, & de omnibus gloriæ suæ inimicis, per glorioſam resurrectionem suam. O quàm solidum solatium! quanta gaudii abundantia pro omnibus animabus amantibus JEsum Christum, aspicere ipsum in hoc statu.

ARGUMENTUM.

Resurrectio JEsu Christi est eximia reparatio honoris omnium ignominiarum, quas perpessus est in monte Calvariæ.

Articulus III.

NOn immeritò in admirationem rapit omnes, manifesta inhibitio facta à JEsu Christo omnibus Apostolis suis, ne dicerent cuiquam se esse Messiam; annotata est hæc verbis expressis in decimo sexto capite Evangelii S. Matthæi: *Præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent, quia esset Christus.* Et quod magis stuporem ciet, est, quòd illicò declaret illis dolores & ignominias passionis suæ, quòd eundum sibi sit in Jerusalem, ad tolerandum ibi crudeles persecutiones à Scribis & Pontificibus, quódque tandem occidendus sit, & tertio die resurrecturus à mortuis. Quid sibi innuit hæc inhibitio, ne suam evulgent gloriam, hæcque informatio de cruciatibus passionis suæ, eodem illis facta tempore? ut quid silentium injungit Apostolis suis circa ea, quæ suam concernunt Personam? nonnè eo venerat fine, ut manifestum se faceret mundo? nonnè eo nomine suos elegerat Apostolos,

Matth. 16.

JEsus Christus prohibet publicari suam Divinitatem, & publicat suas ignominias.

stolos, ut nominis sui gloriam per universum annuntiarent orbem? quare ergò præcipiebat, ut nemini id dicerent, quoad ipsorum animum opprobriorum & ignominiarum suarum repleverat idæis?

Origenes tract. 1. in Matth.

Origenes respondet ad hoc, quòd non oportuerit separare gloriam Divinitatis suæ ab ignominiis suæ mortis, eòquòd agnosci voluerit ab hominibus eodem tempore tum pro Deo, tum pro Redemptore suo; sicut non oportebat etiam separare publicationem mortis suæ, ab illa suæ Divinitatis, eòquòd agnosci noluerit ab hominibus pro Redemptore suo, abs eo, quòd agnosceretur ab ipsis quoque pro Deo suo. *Inutile est enim ipsum quidem prædicare Deum, Crucem autem ejus tollere.* Sed quid proderat Apostolis publicare ignominias mortis ejus, quibus despicabilis reddebatur, nisi quantocyùs declararent quóque resurrectionis ipsius gloriam, quâ reddebatur dignus adoratione? excellentia fidei Christianæ non est, credere, quòd JEsus Christus sit mortuus; sed credere, quòd sit resuscitatus. Siquidem Judæus benè novit, ipsum esse mortuum, eòquòd laverit manus suas in sanguine ipsius, & tempore passionis ejus clamaverit: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Voluit maledictionem, & non elongabitur ab eo: ad hunc enim usque diem odium adversùs JEsum Christum tam ingens est in corde omnium Judæorum, filiorúmque suorum, ut pronuntiato solùm ipsius nomine, disrumpat corda eorum.

Non oportet publicare mortem JEsu Christi, abs eo, quòd publicetur ipsius resurrectio.

Paganus probè novit, JEsum Christum esse mortuum, & objicit nobis velut crimen, vel arguit nos velut de stultitia, quòd adoremus velut Deum immortalem, hominem suffixum in Cruce. Quæ igitur est gloria Christiani, quâ defendatur contra animadversiones Paganorum, & quæ excellentia ipsius fidei, quâ confundantur Judæi? est credere, quòd JEsus Christus resuscitatus sit à mortuis, & sperare resuscitari tandem ad vitam æternam & beatam per potentiam JEsu Christi. Ne glorieris amplius Judæe, quòd occideris ipsum, sed confundere, quòd ipse resumpserit vitam. Ne contemnas nos ultrà ô Paganè, quòd adoremus Deum mortuum, sed invide felicitati nostræ, quòd Deum habeamus immortalem, qui traxerit semetipsum Cunctipotentiâ suâ è manibus mortis. Ecce tibi, quid triumphare faciat gloriam fidei Christianæ in orbe universo.

Excellentia fidei Christianæ non est credere mortem, sed credere resurrectionem JEsu Christi.

Sanctus Athanasius, describens admirabilem vitam magni sancti Antonii, qui solitudinis censetur prodigium, refert disceptatio-

cap. 46.

Pulchra disputatio sancti Antonii Eremitæ contra Philosophos paganos,

nem, quamdam, quam aliquando habuit cum quibusdam Philosophis paganis, qui venerant in desertum, ut confunderent ipsum, sed quos ipse totos remittebat confusos. Nonnè pudet te, dicebant hi ipsi, pauper & simplex homo, quòd adores velut Deum, hominem, quem universus orbis novit esse mortuum infami supplicio crucis? & ipse deplorans in corde suo eorum, qui se tam prudentes, tamque illuminatos credebant, cœcitatem, respondit illis: quid dicendum vobis occurrit, quòd innocentia JEsu Christi passa fuerit persecutionem, quódque patienter is toleraverit illatam vi quâdam sibi injustitiam? an pudor est, pati persecutiones, eásque sufferre usque ad mortem pro defensione veritatis? nonnè ipsimet affirmatis, quòd gloria virtutis plurimùm heroicæ sit contemnere mortem, quæ terrore percellit generosissimos quósque, seque cunctis suppliciis demonstrare superiorem? nonnè in hoc potiùs vos collocatis magnanimitatem heroum vestrorum? & nonnè dicitis, hanc esse fortitudinem, quæ laudes mereatur ac venerationem cunctorum hominum? cur ergò me pudeat, quòd velut Deum adorem illum, qui divinam hanc ostendit virtutem, præcipue cùm credam, ipsum mortuum esse amore mei!

Sed vos nonnè suffundi oporteret pudore, quòd adoretis Deos, qui vitam duxerunt infamem, quique aliâ non sunt celebres gloriâ, nisi suorum magnitudine criminum? aliquem Jovem adulterum & incestuosum, aliquem Mercurium furem & mendacem, aliquem Martem sanguinarium & crudelem, aliquam Venerem omnium spurcitiarum & turpitudinum generibus prostitutam? Itáne, puniretis ejusmodi crimina in hominibus, si ea committerent, & adoratis illa in Diis vestris? ubi est igitur illa, quam arrogatis vobis, sapientia, ô Philosophi? vel potiùs, quanta est igitur vestræ enormitas stoliditatis!

Efficax discursus contra Paganos.

Verùm confundam vos aliâ adhuc ratione per crucem ipsam, & ignominiosam mortem Dei quem adoro. Dicite mihi, an creditis omnia illa, quæ exarata sunt in libris Christianorum, esse vera? vel an an creditis, omnia illa, quæ continent, esse falsa, nihilque contineri in iis, nisi fabulas? si putatis nihil ibi verum esse, eccur creditis, quòd extiterit aliquandò JEsus Christus? quare loquimini de cruce & opprobriis mortis ejus? creditote hæc omnia ergò esse somnia. Vel si putatis ipsam esse historiam veram, eccur non adhibetis illi fidem, quando recensetvobis, hunc hominem duxisse vitam

vitam tam sanctam, ut maximos suos provocaverit inimicos, quatenùs de minimo sese arguerent peccato; quòd tradiderit doctrinam tam puram, támque sublimem, condiderit legem adeò perfectam, manifestaverit arcana cœli tam profunda, ut in admirationem rapiant maxima quæque ingenia illorum consideratione occupata?

Eccur non observatis in historia vitæ ipsius, quòd sanaverit leprosos, illuminaverit cœcos, erexerit claudos; liberaverit à dæmonibus obsessos, dederit vitam tot mortuis in conspectu inimicorum suorum, qui rigorisissimo adhibito examine annullare haud potuerunt tantorum veritatem miraculorum. Et si veritas passionis & mortis ejus vos offendit, quamvis mortuus sit pro defensione veritatis & justitiæ, & ipsemet judex, qui condemnavit eum, clarâ attestetur voce, se nonnisi innocentiam invenire in illo: eccur non afficit nec allicit vos Majestas Omnipotentiæ ejus, dum in eodem loco legitis, quòd resuscitaverit semetipsum propriâ virtute die tertio? si stultitia est adorare ejusmodi Deum, meâ glorior stultitiâ, & publicè profiteor, præferre me illam omni sapientiæ mundanæ.

Eodem argumento sancta Margarita, illustris hæc Virgo Antiochena obfirmavit os Præsidi Olybrio, quando interrogavit eam ipsam de professione sua. Christiana sum, dicit illi, magno animi fervore. Vah! exprobravit hic illi totus exasperatus responso ejus: non pudet te dicere, quòd Christiana sis? an adhuc tam stolida es, ut Deum reputes hominem, quem justitia condemnavit ad mortem crucis duos inter latrones, velut insignem quemdam facinorosum? sancta Virgo respondit ipsi divina cum sapientia: unde nôsti, quòd JEsus Christus, quem adoro ceu Deum meum, affixus fuerit in cruce? novi id, dicit ille, ex propriis libris vestris, legi illud in ipsa doctrina Christianorum.

Sancta Margarita confundit Tyrannum Olybrium veritate resurrectionis JEsu Christi.

Verum est, respondit ipsa; sed debebas etiam legisse in iisdem libris, quòd resurrexerit tertio die à mortuis, quódque post exactam vitam prorsùs divinam in terris, post ostensam tum per exempla, tum per verba sua hominibus viam in cœlum, post exantlatam vitam suam & effusum sanguinem suum, ut illis acquireret vitam æternam, & tandem post repletam magno miraculorum suorum rumore universam Judæam, visibiliter ascenderit in cœlos, ubi refulgens gloriâ regnat ad dexteram Patris sui; iidem libri, è quibus didicisti historiam mortis ejus, docent te quoque resurrectionis ipsius gloriam, omniúmque prodigio-

digiorum magnificentiam, quæ reddiderunt mortem ipsius adorandam, Magna hæc est vobis confusio, quòd nonnisi videritis ignominias, non percipientes splendorem gloriæ ejus, quæ prorsùs absorbet illas; maneat ergò superstes vobis confusio, dum ego admiror, dum adoro, dum amo gloriam JEsu Christi, Dei mei, Salvatoris mei. Ipse solus possidet cor meum, pro ipso centies millies, si mihi essent, darem vitas.

Psal. 74. Sanctus Augustinus exponens verba illa Psalmi septuagesimi quarti: *Ego confirmavi columnas ejus;* affirmat, hunc, qui loquitur esse JEsum Christum; & quærit, quænam sint hæ columnæ, quas confirmârit. Et respondet has esse Apostolos, quos confirmârit, ut essent columnæ fundamentales Ecclesiæ suæ; esse discipulos, esse primos Christianos, qui sustentare debebant fidem adhuc nascentem contra omnes mundi & inferni potestates, quæ subvertere ipsam nitebantur. Confirmavi has columnas, dicit JEsus Christus, convulseram illas paulisper morte meâ, & tormentis, quæ sustinueram in passione mea; sed meâ confirmavi illas resurrectione: ostendo illis, mortem non ampliùs esse metuendam, eòquòd superaverim illam: ostendi, me illos posse resuscitare, eòquòd resuscitare potuerim memetipsum: ostendi, extrahere me posse omnia membra corporis mei mystici è tumbis suis, eòquòd extraxerim inde omnia membra corporis mei naturalis, quæ tradideram morti pro corpore meo mystico: sic confirmavi illos certitudine, quòd mors non occidat corpora justorum, sed meliori illa collocet in statu, quòd nonnisi commutet ipsorum infirmitatem in robur, ipsorum ignominiam in gloriam, ipsorúmque dolores in gaudium & felicitatem.

Resurrectio JEsu Christi confirmavit Apostolos.

Si infideles objiciant nobis infame supplicium JEsu Christi, confundamus illos, ostendendo ipsis gloriam triumphalis resurrectionis ejus. Si recenseant persecutiones & contemptus, quos toleravit; opponamus eis gloriam æternam, & honores summos, quibus coronatus est à Deo Patre suo. Si minitentur nobis, qnòd habere nos velint, sicut ipse habitus est, id est, inferre nobis mortem sævam & probrosam, ut nos convellant, nutare nos faciant, ponamus nobis ob oculos veritatem resurrectionis ejus, & certitudinem nostræ, ad nos confirmandum: *Ego confirmavi columnas ejus, resurrexi, ostendi mortem non esse metuendam.* Et quis concutere possit animum Christiani viventis in firma fide resurrectionis amabilis Redemptoris sui, seq; consolantis certissimâ spe resurrectionis suæ propriæ? AR-

Augustinus ubi supra.

ARGUMENTUM.

Firma fides Resurrectionis robur addit animo contra omnes molestias vitæ humanæ.

Articulus IV.

Fides resurrectionis omnes mitigat amaritudines.

TOlle fidem Resurrectionis JEsu Christi, vana est Religio nostra Christiana: tolle nobis spem resurrectionis nostræ finalis, miseriæ humanæ omninò sunt intolerabiles, & mors, quæ finire has debet, rerum omnium terribilium est terribilissima. Verùm in tuto colloca firmam hanc fidem, & certam hanc spem, nec adversitates vitæ præsentis amplius amaræ sunt, nec mors, quæ ab illis liberare nos debet, amplius est formidanda.

Quid triumphare fecit Jobum de diluvio hoc calamitatum, quæ totum constituere videbantur exercitum, ad illum vel subvertendum suâ vehementiâ, vel ad illum obruendum suâ multitudine, vel ad illum consumendum suâ duratione? quis conservavit ipsum in sterquilinio suo, totum vivum devoratum à vermibus, nutrientibus se putredine corporis sui? unde est, quòd firmus & erectus ipse permanserit, velut victor sublatus in thronum suum, ut cunctis esset admirandum spectaculum sæculis? quis contulit ipsi hoc robur, nisi fides resurrectionis Redemptoris sui, & spes resurrectionis suæ propriæ. Quis percipere non aveat, quid dicat de majestate magni hujus mysterii? Auscultate, quid & quomodò loquatur.

Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? quis fidelem mihi det Commentariensem, qui omnia mea annotet verba, illaque consignet posteritati, ut à cunctis audiri & auscultari possint sæculis. *Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, aut plumbi laminâ, vel celte sculpantur in silice?* quis mihi id præstet obsequii, ut alicui imprimantur volumini, aut scalpello ferreo in plumbeis cælentur laminis, vel potiùs characteribus aureis, insculpantur æri vel marmori, ut nullo unquam deleantur tempore? nonnè advertis, quâ majestate suum exordiatur sermonem? & nonnè persuasum habes, quòd verbis tam magnificis, quibus utitur, res magnas moliatur effari nobis, quódque ingenti exæstuet desiderio, ut profundè imprimantur cunctis mentibus mortalium? sed quænam ergò hæ res sunt magnæ, quas ita ardenter desiderat nostris indelebiliter insculpi cordibus, consignari memoriæ? Kkkkkk Ad-

Job. 19.

Job scribit magnificè de resurrectione JEsu Christi.

Quo tempore Job scripserit, an antiquior sit Moyse.

Admirabile arcanum est, quod ipse primus omnium revelavit mundo: siquidem ipsius liber vix non omnium antiquissimus est, quos sacra novit Scriptura. Nonnulli credunt, quòd vixerit ante tempora ipsius Moysis, & alii communiùs sequuntur opinionem Origenis, qui credit, ipsum saltem fuisse Moysis contemporaneum, vel parùm ipso antiquiorem. Sanctus Hieronymus in libro quæstionum Hebraicarum, ubi studiosam navat operam inquirendis & eruendis antiquitatibus, dicit, magnum hunc virum non fuisse ex filiis Esau, nepotibus Abrahæ, uti plures crediderunt, sed ex familia Nachor, Abrahæ fratris, qui ex uxore sua Melcha habuit filium natu majorem, quem appellavit Hus, ex quo Hebræi tenent, quòd descenderit ille, cujus liber incipit ab his verbis: *Vir erat in terra Hus.* Quidquid de hoc sit, semper certum est, hunc virum sanctum & admirabilem, sicut ipsum nominat sanctus Augustinus in Civitate Dei, unum fuisse ex antiquissimis, eloquentissimis, & illustrissimis Scriptoribus sacris.

Origen. hom. 4. in Ezech.

S. Hieron.

Lib. 18. c. 47.

Job primus locutus est de resurrectione.

Ipse igitur ante omnes alios manifestavit nobis efficacissimum hoc arcanum, quod unicum abundè sat esset ad reddendum omnes homines omni solatio & felicitate refertos, non obstante miseriarum torrente, quibus vita obruitur humana. Et ecce, in quo idipsum consistat: *Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursùm circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Scio, dicit nobis, Redemptorem meum esse vivum. Ita, id scio & certus sum, quòd, postquàm est mortuus pro me in Cruce, ut me redimeret pretiosi sui sanguinis effusione, resuscitandus sit die tertio, ex propria virtute sua resumens vitam, non ampliùs amissurus ipsam. Tam certè id scio, ut dubitare de hoc non possim. *Scio.*

Job asseverat, carnem suam sibi fore reddendam.

Sed ulteriùs adhuc scio, me-metipsum, qui modò putrefieri me video totum vivum, postquam consumptus fuero à vermibus, redactus in pulverem, tumulatus in sinu terræ, in novissimo die resurrecturum è sepulchro meo, vitâque induendum me denuò. Scio me eâdem iterum amiciendum pelle, quæ modò operit & contegit ossa mea, meq; vivum in eadem hac carne, quam modò teneo, conspecturum Deum meum, Salvatorem meum.

Confirmat efficaciter, visurum se Deum in eadem carne sua.

Quid inquis sanctissime Job? non erit hæc eadem caro, quæ tolerare modò nos facit tam sævos dolores; hæc enim corrumpitur, destruitur, comeditur à vermibus, & tandem tota annihila-

hilabitur; sed locò illius recipies aliam, quæ longè perfectior erit; sic non ampliùs eris tu ipse, sed aliam omninò indues personam. Non, inquit, ego ipse ero, non alius. Videte, quàm egregiè hanc confirmet veritatem: *Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Ego ipse videbo ipsum; ego ipse in persona ero, & non alius; iidem hi oculi, quibus modò intueor funestum calamitatum mearum objectum, speciosissimam Redemptoris mei conspecturi sunt faciem. O verba omni plena solatio pro afflictis! O fides admirabilis, quæ imbecillimos quósque confirmat! O spes beata, quæ dejectissimos quósque relevat & corroborat animos!

Posità fide resurrectionis facilè contemnimus omnes miserias humanas.

Siquidem quid mali inferre nobis poterunt omnes miseriæ humanæ, cùm tot, tantásque exspectemus felicitates divinas? quam ruinam conciliare nobis poterit mors ipsa, cum toto funesto apparatu, quem trahit post se, cùm certi simus de beata immortalitate? & tandem quid damni accidere potest nobis, quando corpus hoc nostrum, quod deserit terrenum hunc carcerem, captivantem animam nostram, destruetur, cùm promissionem teneamus Dei, quòd idem hoc corpus, eadem hæc anima, totum hoc esse, quod accepimus ab ipso in Creatione, reddendum in resurrectione sit nobis, abs eo, quin vel minimus è capitibus nostris pereat capillus? *Et capillus de capite vestro non peribit.* Quanta consolatio, certum esse, quòd hæc omnia in statu multò perfectiori reddenda sint nobis, exempta à cunctis miseriis temporum, in possessione totius felicitatis æternæ, ubi iidem hi oculi, qui effundunt modò lacrymas tristitiæ, perfundentur gaudiò, aspicientes sacratissimam Redemptoris sui Humanitatem, dum interim anima nostra clarè ipsius intuebitur Divinitatem? Luc. 21.

Unde Job dicerit scientiam de resurrectione.

Verùm dic nobis sanctissime & sapientissime Vir, unde nôsti hæc omnia? quis sublimem hanc te edocuit Philosophiam, antequam lex fuerit scripta? siquidem tempore legis nesciebant id Sadducæi, uti observat Evangelium: *Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem.* In qua Academia id edoctus es, siquidem illa Athenienium, quæ habebatur pro florentissima totius mundi, id ignoraverit, uti expertus est sanctus Paulus, quando prædicavit illis in Areopago? in qua schola desuper accepisti informationem, siquidem tota Philosophia humana non solùm non docet divinam hanc veritatem, sed oppugnat ipsam velut falsam, ipsámque credit impossibilem, ceu infallibile tenens effatum,

quod *à privatione ad habitum non detur regressus.*

Deus solus revelare potuit Jobo veritatem de resurrectione.

Responderet tibi : non didici ab hominibus illam, cùm naturalis non sit; nec meis illam cognovi sensibus, cùm non sit corporalis; nec ratio mea humana excogitavit illam, cùm prorsùs illius excedat captum. Est radius descendens à Patre luminum in animam meam; est fides, quæ me sic docet; est revelatio primæ veritatis; est arcanum, quod habeo à Deo solo; & ecce id, quod me demulcet gaudio, quod invincibilem mihi confert fortitudinem, quâ conservor in magno hoc malorum diluvio, quæ in meo me obruunt sterquilinio.

Pulchrum spectaculum, videre Jobum triumphantem de malis per fidem resurrectionis.

Venite & videte, ô mortales, accurrite omnes mundi nationes, congregate vos cuncta sæcula; venite & videte rem, quæ omnium vestrûm meretur admirationem; venite & videte hominem, quem illustris prosapia inter Maximos recensuit Orientis: *Magnus inter omnes Orientales*; quem longa conspexêre tempora in abundantia divitiarum, voluptatum, honorum, numerosâ & florente stipatum familiâ, servorum circumseptum gregibus, magnâ pollentem auctoritate, plurimis præpotentem amicis, & ut verbo dicam, omni circumfusum prosperitatum genere? ecce illum totum redactum ad incitas, omnes ipsius greges vel à furibus abreptos, vel ab igne cœli consumptos, omnes ipsius famulos mancipatos vel carceri vel servituti, domus ipsius tempestate subversas, & omnes ipsius filios propriis suis contritos ruinis; & quasi omnia hæc nihil forent, consignatum potestati diaboli, ut percuteretur ab eo ulcere pessimo à planta usque ad verticem, sævis afflictum doloribus, carne eòúsque putrefactum, ut non esset nisi vermium nidus & ingens cumulus. In extrema hac necessitate ab omnibus derelictus amicis, à propria conjuge persecutionem passus, tandem abjectus est in sterquilinium velut putidior & fœtidior sterquilinio ipso, nihil aliud habens suppellectilis, quàm fragmen testæ ad radendum saniem ex ulceribus torrentis more profluentem. Quanta calamitatum inundatio!

Venite & videte admirandum hunc hominem, qui inter hæc omnia vivit consolatus, benedicens Deum, & triumphans in patientia sua de omnibus iis, quæ conterere & in desperationem adigere possent innumeros homines, citrà id, quòd protulerit unquam vel unicum verbum, quod adversaretur reverentiæ & submissioni Deo debitæ. O animam invincibilem! ô prodigium fortitudinis! ô miraculum patien-

patientiæ! dicat is vobis, unde proficiscatur in ipsum virtus hæc animi, hæcque firmitas inconcussa magnis basibus mundi. Indè est, quia scio, quòd Redemptor meus vivit, non obstantibus omnibus passionis & mortis suæ tormentis, quódq; aliquandò erit dies, quo ad exemplum & per virtutem ipsius recipiam iterùm vitâ, circumdandus denuò eâdem pelle meâ, & in propria carne mea visurus Deum meum, Salvatorem meum. Ecce exspectatio mea, & spes mea, quæ consolatur me.

Job tenebat suum remedium in sinu suo.

Verùm hoc procul abest à te, & è vicino tua te torquent mala, remedium tuum non est nisi imaginarium, & mala tua reipsâ & verè te vexant, affligúntque plurimùm. Non, remedium meum magis præsens est mihi malo meo; siquidem mala mea non nisi exteriùs circumdant me, & remedium meum in penetralibus est animæ meæ, in sinu meo absconditum circumfero illud: *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Conservo vivam hanc fidem, circumfero firmam hanc spem in arcano cordis mei; & hæc interiori me replet gaudio, dum nonnisi exteriùs calamitates me obruunt, conterunt afflictiones. Ecce igitur mirum & arcanum artificium, quo vivere quis possit semper consolatus, semper beatus, quamvis tantis, quantis Job obrutus miseriis.

Quid inquis ad hæc, vecors & infidelis anima, quæ mox dejiceris, cedísque dolori, sæpiùs erumpens in querimonias, & nonnunquam etiam exasperaris impatientiâ ob minimas, quæ invadunt te, vitæ humanæ adversitates? an omnia sunt perdita, si quidquam pateris, si bono quodam spoliaris caduco, si morbo quodam affligeris vel dolore, si amicus tibi moritur vel proximus, si mori contingit teipsum & privari vitâ corporis? an omnia propterea sunt perdita in perpetuum? Illi, qui nec vivam habent fidem resurrectionis JEsu Christi, nec firmam propriæ resurrectionis suæ spem, teneant, omnia esse perdita, seque affligant propterea; cùm non levem ad hoc habeant ansam. Sed vos fratres mei, inquit nobis magnus Apostolus S. Paulus, qui circumfertis solidam hanc spem firmiter insculptam cordibus vestris, æstimare debetis nihili omnes res vitæ præsentis, nec ipsarum moveri jacturâ; nonnisi momentaneum hoc est: tandem enim reddentur vobis omnia modo magis perfecto, quàm habeatis modò & in præsenti, adjectâ insuper securitate, non perdendi illa amplius in æternum.

Immeritò afligimur ob mala vitæ præsentis, cùm credamus resurrectionem.

Dum vivimus, quid exspectemus aliud, quàm pati, cùm vita nostra aliud non sit, quàm molestum exilium & vallis lacryma-

rum, nihilominùs consolari nos ipsos debemus interea spe dulci, quòd indè aliquando liberati in patriam nostram cœlestem simus intraturi. Non recordaris, quòd fueris in principio parvulus captivus naturæ, inclusus in ventre matris tuæ, sanguinem inter & spurcitias, velut in fœtido quodam & obscuro carcere, cujus habitatio tibi fuisset intolerabilis, si recordari tuarum potuisses incommoditatum? unicum desiderium, quo tunc urgebaris, erat exeundi indè, ut videres lumen diei, & liberiori fruereris aurâ.

Sumus in hoc mundo velut in carcere.

Imaginare tibi, mundum hunc inferiorem, in quem nascendo dilapsus es, esse velut secundum quemdam carcerem paulò ampliorem primo, verùm non minùs incommodum, eòquòd innumeris hic obruaris calamitatibus ac miseriis; eòquòd non magis videas hîc, quàm in primo refulgens lumen magnæ diei æternitatis; eòquòd non respires hîc jucundam auram vitæ æternæ, pro qua creatus es; eòquòd tua hîc non satientur desideria, nec gustare possis supremas, quæ te exspectant, felicitates, quásque intrare non valeas, nisi per secundam quamdam nativitatem.

Mors justorum est ipsorum nativitas.

Noñe vides, quòd id, quod nuncupamus nos mortem justorum, Ecclesia melius nobis instructa (utpote directa à Spiritu sancto) nuncupet ipsorum nativitatem? *Natalis sanctorum Martyrum.* An ignoramus, quòd mater parvulorum Machabæorum, quæ genuerat filios suos ex utero suo primâ vice cum dolore, viderit illos nasci secundâ vice cum gaudio è sinu hujus mundi, quando eruentum ferrum persequentis Antiochi discidit ipsorum corpora, ad carneum demoliendum carcerem, quo retinebantur in terris.

Quàm pulchrum spectaculum, intueri septem hos fratres, relinquere vitam mortalem superfusos gaudio, pro eo, quòd plorantes intraverint illam? quantum solatium nobis, aspicere eos omnes tam securos, tàmque consolatos, ut illa, quæ sufferebant in illo transitu, non essent nisi dolores secundæ cujusdam nativitatis, ad intrandum in beatam quamdam æternitatem. Unus dicebat Tyranno: Tu amputas mihi linguam, tu mihi præscindis manus & pedes, sed certus sum, redditurum hæc omnia, quæ à me tollis, mihi Deum. Alius eadem primi tolerans supplicia, suffert ea cum gaudio, certus de resurrectione sua, & audacter suum provocans persecutorem, dicebat ipsi: *Tu quidem scelestissime in præsenti vitæ nos perdis; sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* Alius postulatus linguam, citò protulit ferro rese- 2. Macch. 7. Machabæi contemnunt tormenta, certi de resurrectione sua.

resecandam, & cum fiducia ait: E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. Alter, quem crudeliùs adhuc torquebant, cùm jam esset ad mortem, sic ait: *Potius est ab hominibus morti datos, spem exspectare à Deo, iterum ab ipso resuscitandos.*

Exemplum puerorum Macchabæorum pudore suffundit Christianos.

Et omnes alii pulchro hoc fratrum suorum exemplo exstimulati, eâdem animati fide, eâdem confirmati spe, ardere videbantur desiderio immolandi se totidem suppliciis, quot habebant membra corporis, festinantes nasci illicò eidem vitæ beatæ, quâ alii jamjam fruebantur. Verùm an possibile sit, ipsos habuisse tantum luminis in mediis umbris Testamenti veteris? quantum hoc nobis probrum, quòd in plenoEvangelicæ veritatis die ostendamus nos ipsis habere minus? quantâ sumus digni animadversione, si profitentes Religionem, quæ gloriatur adorare se Deum mortuum & resuscitatum, adeò vecordes sumus & desides, ac si nihil crederemus ex eo? & si dicendo, quòd firmiter credamus resurrectionem nostram finalem, pati nolumus vel minimum malum, concussi tremore ad simplicem mortis intuitum, sinè qua tamen resuscitari nobis est impossibile; quanto id nobis dedecori!

O quàm luculenter ostendimus, profundas esse nostras tenebras, nósque haud aliam agnoscere vitam, quàm illam corporum, nobis cum bestiis communem! in hoc non absimiles carnali illi fœminæ Brixiensi, cujus tumulo inscripta sunt duo hæc verba pro Epitaphio: *Vixi, & ultrà vitam nihil credidi.* Nonnè videtur tibi, nos credere velut ipsam, quòd nihil sit præter vitam præsentem, quódque hâc perditâ perdamus omnia? nam si persuasi essemus, vitam aliam infinitâ ratione meliorem nos exspectare, hancque nos non intraturos, nisi priùs deseramus aliam, quam modò tenemus, eodem agitaremur desiderio quam primùm exeundi indè, quo agitatur infelix captivus catenis oneratus in carcere, è suo exeundi ergastulo, suámque obtinendi libertatem. O si verè crederemus veritatem alterius vitæ!

Ostendimus, quòd non credamus verè resurrectionem.

Quando videremus imminere nobis jacturas bonorum, amicorum, sanitatis, diceremus: tantò meliùs, ecce catenæ, quæ me stringunt, disrumpuntur. Quando obruerent nos morbi, qui mortis sunt prodromi, nostrum debilitantes corpus, nostrúmque accelerantes finem, gauderemus & cantaremus præ lætitia. Vir quidam nobilis, occupatus venatione in sylvis, præter mentem à suis deflectens, invenit se solum

Vide Rodriquez. 1. part. tract. 8. c. 21.

lum in profunda quadam solitudine, & cùm nescíret, quò se verteret, subsistit paulisper, auscultaturus, an quidquam illorum perciperet; sed pro eo, ut audiret clamores aut sonitum cornu venatorii, tam suavem, támque jucundam percepit harmoniam, ut summè fuerit ex ea oblectatus. Unde allabitur hæc vox, dicebat intra seipsum, in loco tam solitario? sítne hic quispiam Angelus? an vox hæc alicujus sit hominis? & postquàm aliquamdiu admirabundus ipsi avidas præbuerat aures, suum illuc urgebat equum, unde ipsa allabebatur.

Pulchrum exemplum hominis firmiter credentis resurrectionem, & cantantis præ gaudio in miseriis suis.

Hæsit attonitus, quando conspexit pauperem quemdam leprosum tantæ deformitatis, ut cieret horrorem aspicienti, stringentem manu suâ frustum carnis suæ, quæ per frusta, tota dilabebatur putrida. Sed cùm sibi imaginari non posset, è corpore tam fœtido proficisci vocem tam suavem, interrogavit ipsum: an ignoras, quisnam tam suave concinat melos in loco hoc deserto? Ego ipse, illustrissime Domine, respondit ipsi leprosus, ita cano, ac memetipsum ita solus oblecto, mihi ipsi solus id tribuo solatii. Quomodò tu, reponit ipsi totus attonitus vir nobilis? itáne in statu tam miserando, in tanto miseriarum, quibus obrueris, cumulo cantes & jubiles, pro eo, quòd plorandum & ingemiscendum tibi sit potiùs?

Nihilominùs ego sum, mi Domine, confirmat leprosus, & non miraberis, si meæ tibi pandam causam lætitiæ. Considero, Deum inter & me aliud non esse medium, nisi parietem hunc luteum, nempe miserabile corpus meum: hoc solum mihi obstat, ne liceat videre ipsum & satiare succensa animæ meæ ipsum possidendi desideria. Hinc juxta mensuram, quâ destruitur hic paries, & ex putredine per frusta dilabitur, perfundor gaudio, conspiciens, appropinquare libertatem meam; & abscondere non possum gaudium cordis mei, quin erumpat per mei carminis dulcedinem. Quis diffitebitur, affectus nobilis hujus cordis, longè adhuc suaviores fuisse voce ipsius? Eheu! cur similibus caremus, nisi quòd fide sat vivâ non concipiamus resurrectionem Domini nostri, nec illam, quam promisit nobis?

ARGU-

ARGUMENTUM.

Contemplari sæpè veritatem Resurrectionis est fons divinarum consolationum, & ingens stimulus ad omnis generis virtutes.

Articulus V.

Quanti nostra referat, firmam habere fidem resurrectionis.

NOn est veritas in tota Religione Christiana, quæ vaciùs nostris imprimenda foret mentibus, quàm illa resurrectionis, utpote, quæ aliquandò tum nostrum corpus, tum nostram inducet animam in possessionem immortalitatis beatæ; firma hæc fides cuncta vitæ præsentis lenit fastidia. Omnes austeritatum mitigat rigores, omnes nostras purificat intentiones, ad omnes exstimulat virtutes, & cuncta nostra coronat merita.

S. Chrysologus serm. 118.

Sanctus Chrysologus, qui nunquàm eloquentior est, quàm quando loquitur de speciosо hoc argumento, invenit, illud tanti esse ponderis ad replendum animos nostros, recordatione resurrectionis finalis, ut semper nostræ obversari deberet memoriæ, semper nostros collocari ob oculos; de hac incessanter foret cogitandum, sinè intermissione de hac loqnendum, cùm sufficeret ipsa sola ad addendum nobis alas, quibus volaremus cum gaudio per viam Dei. *Fratres*, (inquit ipse) *semper de resurrectione libet dicere, jugiter de resurrectione delectat audire; unde resurrectionem mente, ore, oculis, spectet, cantet, cogitet Christianus, ut totam mortis possit despicere & calcare fortitudinem.* Quid prodesset nobis vivere per momentum in terris, nisi spes foret nobis vivendi perpetuò in cœlis? quid nobis foret animi, onerandi nos laboribus, pœnitentiis, austeritatibus in Christianæ vitæ instituto, nisi speraremus, quòd leve hoc & momentaneum tribulationis nostræ, æternæ gloriæ pondus sit operaturum in nobis? nonnè infelicissimi essemus mortalium, uti affirmat S. Paulus?

Cogitandum & loquendum incessanter est de resurrectione.

Excitatio Christiani ex aspectu resurrectionis, quam omnes creaturæ ipsi ostendunt.

Sed agedum, ô Christiane! non ingemisces semper in hac lacrymarum valle, terra non est patria tua, & spinæ, quibus ipsa tota inhorrescit, non sunt portio nec hæreditas tua: Resurrectio, vita divina, immortalitas beata exspectant te: JEsus Cristus, amabilissimus Salvator tuus acquisivit tibi illam laboribus suis, sudoribus suis, & sanguine suo, qui vult, ut firmâ hâc spe consoleris te, exilii tui tempore. Nonnè vides, contentum non fuisse ipsum, de hoc assecurâsse te per fidem, quamvis sufficere id potuisset?

tuisset? sed voluisse, ut tota natura prædicaret tibi illam, eámque tam universaliter, támque continuò tibi exhiberet, ut quasi semper ipsam tuis expositam haberes oculis. Nonne enim ipsemet observas, quòd omnes propemodùm creaturæ aliud non faciant, quàm mori & resurgere perpetuò? dies nascitur manè, duratio ipsius non est longa, nam moritur vesperi, sed resurget manè sequenti. Tam usitatum tibi est videre hoc, ut id non advertas; est is quidem in amoribus, & mori ipsum vides absque lacrymis, quia tam certus es de resurrectione, quàm de morte illius.

Mundus moritur & resuscitatur annis singulis.

Considera universaliter magis totam naturam: nonne cernis, quomodò moriatur & resurgat ipsa in singulos annos? Mundum, qui est velut in nativitate sua tempore veris; in pulchritudine & robore ætatis suæ tempore æstivo; in maturitate sua circa principium & medium autumni; nonnè vides ita senuisse, quando appropinquat hyemi, ut quasi capillis appareat canis, quando operire sese incipit nivibus. Habet is tunc faciem totam rugosam per strias & liras findente vomere sibi impressas; amisit tunc visum per catharros, quibus nubes & nebulæ binos ipsius aggravârunt oculos, qui sunt sol & luna, non permittentes, nisi dimidiâ ex parte videre ipsum. Evasit is surdus adeò, ut oporteat illi cœlum loqui voce tonitrui. Et quia conversatio senum accepta non est, omnes fugiunt ab ipso, magisque exoptant societatem ignis & foci, quàm illam tetrici & fastidiosi hujus senis. Factus est is tam imbellis, piger & deses, ut nihil ampliùs faciat operis; non solùm non affert ampliùs nec flores, nec fructus hominibus, quos potiùs permitteret mori fame, quàm communicaret illis aliquid ejusmodi; sed nec produceret unicum solum pro bestiis herbæ ramusculum. Ad tantam redactus est debilitatem, ut vivere quasi ampliùs non possit nisi ex opsoniis glaciatis. Diceres habere ipsum sanguinem congelatum in venis, quando conspiciuntur flumina & rivi continere & sistere cursum suum: unico verbo, conspiciendum se præbet habitu oris & corporis tam mœsto, tristi ac funesto, ut benè affirmari possit, ipsum esse mortuum. Insuper non alius percipitur cantus avium, nisi ille bubonum & noctuarum, quarum sonus lugubris adornare videtur ipsius funeralia.

Pulchritudo mundi, quando resuscitatur tempore verno.

Et nihilominùs magnus iste mortuus, qui omnes creaturas induit veste lugubri, non intermittit unquam resuscitari in annos singulos: quamprimùm ingre-

ingredimur amœnam veris temperiem, resumit & ipse vigorem ac vires primæ ætatis suæ incipit se denuò vestire nascente quodam virore, nostros oblectante oculos, coronat se floribus, faciem nobis monstrat jucundam ac serenam, recreat seipsum & nos gratissimâ luscinarum & carduelium harmoniâ, cui ut majorem conciliet suavitatem, avibus cunctis deperditam restituit vocem; utque ostendat nobis, divitias novæ vitæ suæ esse inexhaustas, fœcunditatem confert cunctis animantibus, quæ suis in fœtibus reproducunt semetipsa: & tandem universale conspicitur gaudium ob hanc mundi resurrectionem.

Resurrectio magni mundi nos certificat de resurrectione nostra.

Quando igitur vides singulis annis, quòd supremus Creator novam conferat vitam mundo magno post mortem suam, aliud non agendo, nisi quòd faciat aliquantulùm magis appropinquare ipsi solem: an dubitare potes, quin redditurus sit saltem semel vitam, parvo mundo, qui est homo, postquàm perdiderit illam per mortem? si Deo non credis id tibi affirmanti, crede saltem toti universo annuntianti idipsum tibi. Quâ ratione tot ac tantæ resurrectiones, quæ indies coram tuis fiunt oculis in creaturis vilissimis, tibi exploratam non reddant resurrectionem tuam; cùm probè noveris, te magis amari à Deo, cæteris creaturis omnibus?

Verùm nonnè vides, quòd Deus ostendat tibi quotidiè speciem tum mortis tum resurrectionis tuæ? nonnè ratione quâdam moreris omni vespere, ut resurgas omni manè? quem tenes statum, dum dormis de nocte, nisi statum mortis? non est ultrà mundus pro te, valedicis ipsi ad tempus, disparet tibi, & tu quoque dispares illi, amittis usum sensuum & rationis, dimittis cuncta negotia, exspolias te omnibus, & remanes velut sepultus, linteisque involutus funeralibus, lectus tuus est tumulus unde nisi exspectareris resurrecturus manè, diceretur te esse mortuum. Jam postquàm subiêris tanta mortis tuæ & resurrectionis tuæ specimina, quantos exegeris dies ac noctes toto vitæ tuæ decursu, obruet te aliquando nox magis longa, & dormies diutiùs; sed hoc erit, ut resurgas perfectiùs, & resusciteris, ne moriaris ampliùs, quoad durabit magnus ille dies æternitatis.

Magna dementia est hoc hominem nolle credere, quod desiderat sibi evenire. S. Chrysologus ser. 74.

Subimus indies specimen mortis nostræ & resurrectionis nostræ in nobismet ipsis.

Ut quid hæremus sic attoniti, dum moriendum est, cùm id tam usitatum sit nobis, ut deberemus toti huic esse assueti? siquidem quid est mors, nisi nox paulò longior aliis? & quare certissimi non simus nos experrecturos post hanc noctem, & revisuros lucem sequentis diei, post tanta,

Pulchra consideratio, ne terreamur adventu mortis.

quæ habuimus experimenta, quòd expergefiamus, postquàm aliquanto dormivimus tempore? siquidem quid est resurrectio, nisi expergefactio mortuorum, sicut expergefactio est resurrectio viventium? Insculpe benè veritatem hanc animò, crede tam certò támque firmiter resurrectionem tuam, ut nihil de illa dubites; non majori tibi curæ erit claudere oculos ad dormiendum in tuo tumulo, quàm claudere illos omni vespere ad dormiendum in tuo lecto.

Quòd majori cum solatio concedendum nobis sit ad mortem, quàm ad somnum.

Eheu! quid dico, quòd non majori cum fastidio quis moreretur, quàm si vesperi concederet cubitum, iret dormitum? O quàm longè hoc est aliud! quam enim spem habere possum, quando expergefiam cras manè, nisi quòd visurus sim res easdem, quas cunctis videram diebus elapsis, nunquam non miserias humanas, & forsitan adhuc majores? cuilibet enim diei sua non deest specialis malitia. Sed colloca tibi ob oculos statum illius, qui indormierit in vigilia magni cujusdam Festi, alicujus diei, qui auspicatissimus sibi debeat esse totius vitæ suæ, quo inducendus sit in possessionem alicujus regni, vel recepturus gloriam & magnificentiam cujusdam triumphi: an afficiatur is tædio, an conficiatur dolore, si videat finiri diem vigiliæ? an cubitum eat cum tristitia, ad exigendum noctem, à qua consignetur diei pro se tam auspicatæ? O amantissime Deus! si considaremus pulchritudines magnæ diei æternitatis, quâ somnus mortis aperiet nobis oculos, an cum fastidio clauderemus illos cunctis rebus terrenis?

O tu, exclamat sanctus Augustinus totus attonitus admiratione, & totus abreptus desiderio possessionis illius; ô tu vita, quam præparavit Deus his, qui diligunt eum, vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiæ, vita sinè labe, sinè dolore, sinè anxietate, sinè corruptione, sinè perturbatione, sinè varietate & mutatione, vita totius elegantiæ & dignitatis plenissima, ubi non est adversarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus & timor nullus, ubi dies æternus, & unus omnium spiritus, ubi Deus facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo mens sinè defectu satiatur. Meditat. c. 22. Ardentis desideria videndi splendidum diem æternitatis,

Libet me tuæ intendere claritati, delectant me bona tua avido corde, quantò plus valeo mecum considerare, tantò plus amore langueo, tuo vehementi desiderio, tuâque dulci memoriâ admodùm delector. Libet itaque, libet cordis in te oculos attollere Quàm dulce sit cogitare de vita æternâ.

tollere, statum mentis erigere, affectum animi conformare. Libet sanè de te loqui, de te audire, de te scribere, de te conferre, de tua beatitudine & gloria quotidiè legere, & lecta sæpiùs sub corde revolvere, ut vel sic possim ab hujus mortalis perituræque vitæ ardoribus, periculis & sudoribus, sub tuæ vitalis auræ dulci refrigerio transire, & transiens in sinu tuo fessum caput dormiturus vel paululùm reclinare. Hujus rei gratiâ Scripturarum sanctarum amœna prata ingredior, viridissimas sententiarum herbas exarando cæpo, legendo comedo, frequentando rumino, atque congregando tandem in alta memoriæ sede repono, ut tali modo tuâ dulcedine degustatâ, minùs istius miserrimæ vitæ amaritudines sentiam. O tu vita felicissima, ô regnum verè beatum, carens morte, vacans fine, cui nulla tempora succedunt per ævum, ubi continuus sinè nocte dies, nescit habere tempus. O splendide dies, qui cares nocte quando ergò videbo te? si mihi dicitur, quòd evigilare non possim, ut videam lumen tuum, nisi dormierim; quódque transeundum sit per mortem, antequam introcatur ad vitam. *Eja moriar, ut te videam.*

Nonnè verum est, quòd quando amabilis hæc veritas benè insculpitur animæ, omne ex illa procul pellatur fastidium? ô quàm leviter tribulationis percipitur momentum, si exspectetur totius æternitatis felicitas? quàmque portatu crux est facilis, dum ponderatur, producendum ab ipsa nobis fructum jucunditatis! quàm parum generat fastidii, dum diffluere conspicitur parva stillula vitæ mortalis, quando attenditur, ab hac, dum finitur, nos deportandos in magnum Oceanum omnium vitarum? quod affligit omnes alios, quando se vident nudatos exspoliatos, debilitatos, quando advertunt suam imminui sanitatem, suos augeri & excrescere annos, sua paulatim destrui & deficere corpora, id est, quòd hanc consolatur, lætitiâ replet & gaudio. Nonnè igitur affirmavi meritò, quòd sæpiùs contemplari amabilem resurrectionis & vitæ futuræ veritatem, fons & scaturigo sit divinarum consolationum?

Crux facilè portatur, quando aspicitur æternitas.

Quotidiè inculpantur Christiani, quod ipsis sit probro, metuere finem vitæ hujus mortalis, pro eo, quòd ardentissimè desiderare illum deberent, eòquòd se credere profiteantur resurrectionem, per quam reddendi sint immortales. Respondent, desiderium ineffabilis hujus felicitatis, imminui timore, eòquòd metuant, ne illa non inveniantur digni, eòquòd non gnaviter

Cur Christiani timeant adhuc mortem, cùm credant resurrectionem.

nec fideliter navaverint operam exercitio & studio virtutum. Verùm unde oritur illis ignava hæc & vecors infidelitas, nisi ex oblivione resurrectionis finalis, & exigua consideratione inæstimabilium bonorum, quæ præparata nobis sunt post hanc vitam? quis est, qui illa ponens ob oculos illa ardenter desiderans & sperans possessurum se illa in æternum, æstimare posset bona vel mala vitæ præsentis, ut vel adhæreat illis vel metuat hæc & pertimescat?

Habeo, quod pudore suffundat plerósque Christianos, quando lego in Laërtio id, quod refert de Philosopho Anaxagora. Fuit is evocatus, ad defendendum juris viâ spectabile quoddam, quod possidebat, bonum, quod alius ipsi subripere moliebatur; sed respondit, duos terræ palmos non mereri, de quibus disceptetur, quódque si contendere vellet, id foret pro re majoris momenti. Tota ipsius cognatio arguebat eum ex hoc fortiter ipsum relinquere id immeritò, quòd alii omnes tantâ quærerent & aucuparentur solicitudine, quibus admirabile prorsùs dedit responsum siquidem sublatis in cœlum oculis, idque demonstrans digito, ait: Illa, illa patria mea est, illa hæreditas mea, illam ergò curo, non ea, quæ super terram. Ecce vobis, inquit ipsis, omnes meas divitias; non est terra mea patria, non est ipsa mea hæreditas, hæc in cœlis est, ibi thesaurus meus est, ibi omnia bona mea, de cæteris omnibus non est mihi cura. Christiani, an probè percipitis, quid dicat vobis hic idololatra infelix? nonnè hæc verba & sensa perfectum Christianum monstrant, dum interim Christiani gerunt in ore verba, in corde sensa, quæ veros monstrent idololatras? nonnè enim tales dicantur, dum audiuntur, quòd nihil prætendant è cœlo, nec alia æstiment bona, quàm illa terræ?

Laërtius.

Pulchrum exemplum Philosophi Gentilis contemnentis mundum, & æstimantis cœlum.

An omnia nos stringant & detineant hîc in terris? ex una parte minimum bonum suas habet illecebras, quibus ipsius vinciamur amore, quin consideremus, in cœlo alia bona esse infinitâ ratione majora, pro quibus creati sumus, quæque nos exspectant. Ex altera parte difficultates virtutis nos absterrent, fugimus crucem, succumbimus minimæ difficultati, quasi bona ineffabilia, quæ speramus post hanc vitam, non forent digna, ut inferamus nobis omnem possibilem vim, ad acquirendam illorum possessionem. Quid æstimandus sit labor tam brevis, qualis est ille vitæ præsentis, cùm certi simus, quòd remunerandus sit mercede tam longâ, qualis est illa æternitatis?

Bona & mala præsentis vitæ nihil sunt, respectu illorum vitæ futuræ.

Nonnè

Nonne dicendum nobis foret
1. Cor. 4. cum magno Apostolo : *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.* In omni occasione oppressum me invenio pluribus afflictionibus, sed non amitto exin meæ pacem animæ ; fatigor laboribus, sed tolero illos patienter ; patior persecutionem, sed non patior dejici ex ea mentem ; gravor oneribus, sed iis non obruor ; dies noctésque mortificationem JEsu Christi in meo portans corpore, non indè afficior tædio. Magna hæc anima omnes provocat difficultates, omnes afflictiones, omnes dolores, & mortem ipsam ; & videns omnes quasi potestates mundi, illásque inferni sibi adversantes, ad demolienda consilia & molimina Apostolatûs sui, perseverat immobilis, manet invincibilis. Interroga ipsum, quis induerit eum mirâ hâc fortitudine & animi robore insuperabili ? dicet tibi, id oriri ex certitudine, quam habeat de sua re-
Fortitudo invincibilis sancti Pauli oriebatur ex firma fide resurrectionis. surrectione finali : *Scientes, quoniam, qui suscitavit JEsum, & nos cum illo suscitabit.* Est, quia novi, eandem potentiam, quæ suscitavit JEsum Christum, me suscitaturum quoque cum ipso ; & quia video, horribilem hanc passionis suæ tempestatem dissipatam omninò esse, gloriosâ ipsius resurrectione, confido omnes meas ruinas facilè fore reparandas, eòquòd nihil quasi sint comparatæ cum suis. Ecce cur parvi pendam omnia mala, quæ accidere mihi possunt in terra : quid enim sunt hæc omnia, respectu æternorum bonorum, quæ exspectant me in cœlo ?

O beata anima, quæ parvi æ- Felicitas animæ, verè aspirantis ad vitam æternam. stimat miserabilem hanc vitam aliquandò amittendam, quæque summo habet loco vitam alteram beatam in resurrectione sibi conferendam, nec amittendam ampliùs in æternum ! Beata anima, quæ haud aliter se aspicit in hoc mundo, quàm quasi in lugubri exilio, quæque incessanter aspirat ad dilectam suam patriam ! Beata nimis anima, cujus conversatio plerúmque in cœlis est, quæque jam ibi moratur per sua desideria, ubi per possessionem commorandum sibi erit in omnem æternitatem.

O quantum solatium pro ipsa, quando amorosa hæc suspiria ex corde evibrat ad Deum cum Psalte Regio : *Educ de custodia animam meam, ad confitendum Nomini tuo.* Psal. 141.

O Deus bone ! unicum desiderium meum, unica spes mea, libera animam meam ex hoc ergastulo, ubi gemit, & libertatem da illi, ut cantet laudes tuas, benedicat sanctum Nomen tuum, videat faciem tuam, admiretur te, & amet te perfectè in jucundo habitaculo æternitatis tuæ.

tuæ. Quoúsque relinques me in funesto hoc morientium exilio? an diu adhuc spoliabor aspectu tuo?

Quanta oblectatio inter tædia, quibus tota scatet præsens hæc vita, quando bona anima. quæ circumfert in corde suo spem firmam resurrectionis, suspirare potest in cœlum, uti sanctus Augustinus in suis meditationibus amore omninò succensis! Mater Hierusalem, civitas sancta DEI, charissima sponsa Christi, te amat cor meum, pulchritudinem tuam nimiùm desiderat mens mea. O quàm pulchra & glorioſa, quàm generosa tu es. Felix anima mea, sempérque felix in sæcula, si intueri meruero gloriam tuam, beatitudinem tuam, pulchritudinem tuam, portas & muros tuos, & plateas tuas, & mansiones tuas multas, nobilissimos cives tuos, & fortissimum Regem tuum, Dominum nostrum in decore suo. Aperi mihi portas tuas, recipe me in sinu tuo, vivere ampliùs non possum, nisi summo cum tædio in terris; tabescit & deficit anima mea ardenti desiderio videndi JEsum suum, quem tu jam possides in tabernaculis tuis. Eamus & consideremus tandem, quâ ratione deseruerit terram, ut conscenderet cœlum in admirabili Ascensione sua.

S. Augustinus Meditat. c. 25.

Amorosa suspiria sancti Augustini ergà cœlum.

CONSULTATIO XXX.

De admirabili Ascensione JESU CHRISTI in Cœlos.

ECce igitur tandem gressum ultimum, qui faciendus nobis restat in sequela JESU Christi. Optarem hîc mihi sensa & felicem exitum devoti illius peregrini, cujus exemplum nobis proponit sanctus Franciscus Salesius in suo Theotimo: Amor JEsu Christi traxerat illum è patria sua, ad invisendum loca sacra, quæ ipse divina sua honoraverat præsentiâ.

Incepit

Rarum exemplum alicujus peregrini ex amore mortui in monte Oliveti desiderantis sequi JEsum Christum in Ascensione suâ.

Incepit à paupere stabulo, per quod intrare voluit in mundum; fugit cum ipso in Ægyptum; mansit penes ipsum in Nazareth, ubi commoratus est toto vitæ suæ absconditæ spatio; cuncta invisit loca, ubi jejunaverat, oraverat, prædicaverat, præcipua sua patrârat miracula; perlustravit locum Cœnaculi, ubi Sanctissimum instituerat Sacramentum, suisque valedixerat Apostolis; adiit hortum olivarum, ubi toleravit longam istam agoniam tempore orationis suæ trihorariæ, postquàm captus est à Judæis & ligatus velut capitis reus; secutus est ipsum per plateas Jerusalem; penetravit in Prætorium Pilati; & omnia illa loca, ubi perpessus est præcipua Passionis suæ tormenta; exin conscendit montem Calvariæ, qui fuit Altare, in quo obtulit magnum hoc vitæ suæ sacrificium Deo Patri suo, pro reconciliatione mundi; inde ad sanctum se contulit sepulchrum, ubi mortuum ipsius Corpus fuerat inclusum, & unde prodiêrat vivum ac immortale per resurrectionem suam. Tandem prosecutus est ipsum úsque ad montem Oliveti, ubi deseruit terram, ut ex illa rediret in cœlum in die Ascensionis suæ.

Cùm huc perveniisset, gerens mentem refertam luminibus, cor totum ardens amoribus, animam totam imbutam sanctis affectibus, quos velut totidem flores collegerat è coronario sponsi cœlestis horto, in omnibus sanctis locis, quæ tantâ inviserat cum pietate: O mi amabilissime Salvator, inquit, prosecutus te sum hic in terris, & ubique, quoad potui, quid facere jam possum, ut sequar te usque in finem, nisi & post te conscendam in cœlum? O bone JEsu, absolve hic feliciter peregrinationem meam, nec relinque me sinè te & post te in terris: siquidem dixisti, velle te, ut, ubi es, & sit minister tuus. Trahe me ergò ad te, ut nunquam amplius separatus sim à te. Tu nôsti desideria cordis mei, quia illa dedisti mihi; Tu vides, quòd consument me, & crudeliter me affligant, nisi illa exsaties modò, liberando animam meam, ex hoc Corporis sui ergastulo, ut introducas illam in pretiosam possessionem Tui.

O miraculum fervoris in felici hoc peregrino! sed majus miraculum ineffabilis bonitatis in JEsu Christo! unus millenos adhibebat conatus, ut suam evibraret in cœlum animam, & alter adhuc potentiùs attrahebat ipsam ad se, ut abstraheret ipsam è terris: Unus desiderabat ardentissimè, & alter amabat magis perfectè; & amor, qui separat & unit, separavit sanctam

hanc animam à corpore suo, & cum amabili Salvatore suo uniit ipsam perpetuò; diffissum est cor ipsius in duas partes, & ipsius anima in instanti evolavit in sinum Dei.

Desideremus perficere nostram peregrinationem sicut JEsus Christus.

O quis det nobis, ut postquàm secuti sumus JEsum Christum in terris per totum vitæ suæ curriculum, à nativitate ipsius usque ad Mysterium Ascensionis suæ; postquàm nostros replevimus animos tot sublimibus, quas nos edocuit, cognitionibus; postquàm nostras consolatus est animas tot sanctis affectibus, quos trahere & haurire potuerunt è verbis & exemplis ipsius; postquàm ardens sui desiderium in nostris accendit cordibus, per magnum illum amoris æstum, quem ostendit nobis usque ad ultimum vitæ suæ momentum; Quis, inquam, det nobis alas, ut sequamur ipsum úsque in cœlum, nostrámque finiamus peregrinationem, uti finiit is suam, relinquendo terram, ut revertamur cum ipso in sinum divini Patris sui?

Quid nobis prodesset, quæsiisse ipsum tamdiu in terris, nisi tandem inveniamus ipsum in cœlis? Quid nobis conduceret, cognovisse vel amâsse ipsum ad tempus, nisi & auspicata nobis contingat sors cognoscendi ipsum clarè & amandi perfectè in omnem æternitatem? Quid consolari cor possit, quod factum est pro Deo, quódque privatum se videt ipsius possessione, nisi desiderium & spes possidendi illum? Ecce bonum unicum, quod superstes est nobis, ad consolandum nos in medio miseriarum vitæ humanæ. JEsus Christus deserendo nos secundùm præsentiam suam visibilem in die Ascensionis suæ, locò sui non reliquit nobis aliud, nisi spem & desiderium sequendi ipsum in cœlum: quod etiam pretiosè, solicitè ac studiosè à nobis vult conservari ac indies augeri, id insuper esse suavissimum conversationis nostræ argumentum, solatium jucundissimum, & amorosissimum animarum nostrarum in hac vita sensum & affectum. Hic fructus est, quem colligere possumus ex ultima sua hâc consultatione.

Ascensio JEsu Christi repræsentata in forma triumphi.

Ut fiat nobis tam jucunda, quàm proficua, instituo triumphum ex Ascensione JEsu Christi, ubi postquàm literaliter exposui, quando & quomodò adimpletum sit hoc mysterium, resonare faciat tubas, acclamationes, carmina lætitiæ, præcedentia triumphum: Exin apparebit gloria & Majestas Triumphatoris; posthæc sequentur spoliati & devicti, in triumpho deducti. Denique magnificus ipsius in regnum Dei Patris sui introitus faciet totam conclusionem, & solidam nostram consolationem. AR-

ARGUMENTUM.

Quando & quomodò JEsus Christus ascenderit in cœlum.

Articulus. I.

Quare JEsus Christus manserit pluribus adhuc diebus in terris post resurrectionem suam.

RESurrectionem JEsu Christi prodeuntis è monumento suo poterat immediatè sequi ipsius glorificatio intrantis in cœlum: nihilominùs ex arcano divinæ sapientiæ suæ consilio, & immensâ infinitæ bonitatis suæ abundantiâ, plures adhuc dies commorari voluit in terris ad consolationem omnium eorum, qui crediderunt in ipsum, & præcipuè Sanctissimæ Matris suæ; ad confirmandum fortiùs Apostolos suos in fide omnium mysteriorum suorum & principaliter in illo Resurrectionis suæ; & ad instituendum illos circa plures magnas veritates, quæ exaratæ non sunt in Evangelio, quásque nonnisi per traditionem habemus. Hinc est, quòd apparuerit illis sæpiùs, quòd manducaverit cum ipsis, quòd locutus fuerit cum ipsis de regno Dei, uti scribit sanctus Lucas in Actis:

Act. 1. *Apparens eis & loquens de regno Dei.*

JEsus Christus mittit suos Apostolos.

Postquàm replevit ipsos totos cognitione suâ, dedit ipsis Spiritum Sanctum suum, cum quo misit ipsos in omnem terram prædicare doctrinam suam, publicare ignominias Passionis suæ & Resurrectionjs suæ gloriam, dicens illis: sicut misit me Pater, & ego mitto vos; Accipite Spiritum Sanctum, prædicate Evangelium omni Creaturæ; Nam data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ. Ite in Nomine meo & ex auctoritate meâ, docete omnes gentes, & Baptizate eas in Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, docentes eas servare omnia, quæcúnque mandavi vobis.

Qui præsentes fuerint Ascensioni JEsu Christi.

Elapsis quadraginta diebus à resurrectione suâ congregavit totam Ecclesiam suam supra montem Olivarum, id est, omnes fideles credentes in ipsum. Sanctus Paulus affirmat nobis, quòd visendum se priùs præbuerit plusquàm quingentis in unum congregatis: *Visus est plusquàm quingentis fratribus simul.* Credibile est, omnes fuisse præsentes, & fortâssis etiam multos alios, jucundo huic spectaculo, quod ultimum fuerat, quo consolari volebat oculos ipsorum corporales; & hìc fecit illis admirandum quemdam sermonem, qui fuit ultimum quasi ipsius vale. Sanctus Lucas, qui historiam Actuum describit, non refert illum ad longum, sed

solùm annotat illius materiam & argumentum, & puncta solummodò attingit ejusdem præcipua. Refert nobis, quòd mandaverit ipsis, ut manerent in solitudine, sicque præpararent se ad recipiendum suas, quas illis conferre volebat, gratias; quòd promiserit ipsis, missurum se illis Spiritum Sanctum, ut esset ipsorum Consolator in absentia sua, eòquòd tempus esset, ut reverteretur ad Deum Patrem suum, qui miserat illum.

Ultimus sermo JEsu Christi ad suos, seu ultimum vale.

Et quia videbat illos totos timore perculsos, lacrymisque perfusos ex vehementi dolore, quòd privari deberent optatissimâ suâ præsentiâ, consolatus est illos, ipsisque animum addidit, promittens, quòd induendi forent virtute ex alto, & evasuri ex ea prorsùs intrepidi. Exin amicè & affectuosè illos reprehendens; dicebat ipsis: si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem meum, qui est principium gloriæ meæ, & perpetuæ meæ centrum felicitatis. Expedit etiam vobis ut ego vadam; nam si non abiero, Spiritus Sanctus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam vobis illum. Dum abeo in cœlum, vado parare vobis locum. Et si paravero, venio iterum ad vos, & accipiam vos ad meipsum.

Et cùm multa alia dixisset ipsis, quibus replebantur gaudio & rapiebantur extra seipsos, extendit manus suas super illos benedixitque eis; & exin lentè ac sensim attollebatur à terra, propria sua virtute ascendens in altum, non abreptus subitò, velut Elias in curru igneo, non subtractus, velut Enoch clam mundo; sed permittens frui cum otio oculos universæ hujus multitudinis acceptabili spectaculo suæ Ascensionis. Dum elongabat se ab illis & approximabat paulatim cœlo, purissima & splendidissima nubes involvebat ipsius corpus, idque sensim subducebat Apostolorum oculis, qui non cessabant aspicere semper cœlum, eò sublati & abrepti corde, ubi suum habebant thesaurum.

JEsus Christus sensim ascendit in cœlum præsentibus Apostolis.

Verisimile non est, quòd credidit Abulensis, hanc nubem, quâ involvebatur Corpus JEsu Christi Ascendentis in cœlum, serviisse ipsi velut amictum, ad obtegendam ipsius nuditatem, cùm credibile non sit ipsius effatum, quòd nempè, cùm reliquerit linteamina in monumento, semper permanserit nudus post resurrectionem suam, absque alio, quàm propriæ suæ gloriæ vestimento. Siquidem si apparuisset totus refulgens magnâ hâc gloriâ, quæ propria erat statui resurrectionis suæ, quâ ratione præsentia ipsius supportari potuisset ab oculis mortalium? Et si demonstrâsset se totum nudum

Abulensis paradox. 5. c. 43.

An JEsus Christus manserit nudus, an apparuerit vestitus post resurrectionem suam.

dum, more alterius Corporis humani, nonnè tibi videtur, comissum hic aliquid fore adversarium decentiæ ? Quandò apparuit Magdalenæ in horto, credidit hæc ipsum esse hortulanum. Quare hoc? nisi quia indutum ipsum videbat vestimento, ejusmodi conditionis hominibus proprio? Et quando se junxit in via duobus Discipulis euntibus in Emaus, hi peregrinum existimabant ipsum. Ex qua autem ratione? nisi quòd indutum viderint ipsum velut peregrinum?

Quale vestimenti genus habuerit JEsus Christus post Resurrectionem suam.

Et quotiescúnque se reddebat visibilem, vel uni, vel pluribus suorum post resurrectionem suam, verisimillimum est, & quasi dubitari non potest, quin semper id fuerit cum vestimentis, sivè hæc fuerint confecta ex vero quodam panno, qualia erant illa, quæ portabat in vitâ; sivè composita fuerint è materia quâdam aërea, uti sunt corpora, quæ sibimetipsis efformant Angeli, quando se nostris sistere volunt oculis sub figurâ Corporis humani. Est igitur quasi indubitatum, quòd obtectus apparuerit vestimento ascensurus in cœlum; & verisimiliter id fuerit coloris albi, cùm hic color symbolum sit gloriæ, magisque conveniens Majestati grandis hujus mysterii.

Verùm si tam lentè ascendit in cœlum, quando tandem pervenit ad sublimissimum in cœlo Empyreo thronum? siquidem distantia terræ à cœlo tam stupenda est, ut juxta supputationem Alpharabii, qui accensetur illustrissimis Astrologis inter Arabes, vix homo pertingere solùm posset usque ad firmamentum, quod cœlum stellarum est, intra annos octies millenos, etiamsi quotidiè citatissimis inveheretur veredis. Alii Astrologi volunt, quòd firmamentum contineat plus quàm viginti quinque milliones leucarum in densitate & crassitie. Quæ est igitur illa noni, decimi, & præcipuè illa cœli Empyrei, quod Beatorum est habitaculum? Quàm in comprehensibilis distantia à terra est usque illuc? Et quandò JEsus Christus tam lentè ascendens in cœlum, illuc tam citò perveniisset?

Quanta distantia è terra usque in cœlum.

Vide Cornel. à Lap. in c. 1. Act.

Theologorum celeberrimi respondent ad hoc, quòd quidem nonnisi admodùm lentè sese elevaverit à terra, quamdiu videri poterat ab oculis Apostolorum, eòquòd tam citò subtrahere illis nollet consolationem, quam ex suo hauriebant aspectu; quòd autem, ubi primum obvolutus erat nube & ipsorum subductus aspectui, in ictu oculi, & majori cum celeritate, quàm sit illa fulguris, trajecerit totum hoc immensum spatium, mediante dono agilitatis, quod ado-

Suarez. Disp. 52. Sect. 2.

Postquàm Apostoli perdiderunt JEsum Christum ex aspectu, in ictu oculi conscendit verticem cœlorum.

randum ipsius corpus in omni possidebat excellentiâ, seque tam citò stiterit ad dexteram Dei Patris sui, quàm se subduxerit oculis Apostolorum.

Quàm ineffabile nobis solatium, quòd animæ sanctæ eâdem celeritate sese evibrent in sinum beatæ suæ æternitatis! Ita in instanti, quo liberantur è carcere Corporis sui mortalis, pondus amoris, quo trahuntur, tam potens est, ut attollat illas in momento usque in cœlum Empyreum. Eheu! quòd miserabilium nostrorum Corporum pondus nos ita deprimat ad terram, animámque nostram tam reddat pigram, ignavam & gravem, ut movere se quasi nesciat, quando elevare, se debet ad Deum? Nonne ingemiscendum nobis sit cum magno Apostolo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Nonnè horrori nobis sit gravis hæc moles, nobisque reddat stimulum, ut ardenter desideremus quantocyùs ab illa liberari?

Quantâ celeritate animæ beatæ cœlos conscendant.

ad Rom. 7. v. 24.

ARGUMENTUM.

Quid præcesserit JEsum Christum in triumpho Ascensionis suæ?

Articulus II.

SAnctus Rex David unus ex Avis JEsu Christi secundùm carnem, postquàm maximo cum gaudio de longè aspexit Majestatem triumphi ipsius in die Ascensionis suæ, haud continere se potuit, quin caneret in Psalmo quadragesimo sexto: *Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ.* Non est triumphus, quem non præcedat confusus acclamantium rumor populorum, qui repleant aërem carminibus lætitiæ: triumphus est nullus, qui non præmittat ante se tubas plures, suam annuntiantes magnificentiam; sed nunquam aliquis fuit, qui ita resplenduit sicut triumphus JEsu Christi, quando desertâ terrâ ascendit in cœlum; milliones enim vocum cuncta per sæcula illius annuntiârunt gloriam.

Psal. 46.

Omnes triumphos præcedit magnus rumor.

Inaudio primam valde à longinquo, ab initio mundi & sub lege naturæ. Aliquis Enoch, postquàm exegerat trecentos sexaginta & quinque annos in continua contemplatione excellentiarum Dei, abreptus fuit, citra id, quòd moreretur, à mortalibus, & collocatus, ubi Deus scit, ut esset tuba prima, quæ publicaret ex tunc triumphum Ascensionis Domini nostri.

Prima tuba annuntians triumphum JEsu Christi, Enoch.

Ali-

Aliquis Elias in lege scriptâ, vir totus igneus, Seraphim in amore, Cherubim in cognitione, Angelus in puritate, Propheta totus accensus Zelo gloriæ Dei sui, postquàm fuerat imago viva Salvatoris mundi, exercens ratione quâdam, sicut ipse, Omnipotentiam quamdam in cœlo & in terra, fuit raptus sicut Enoch, à mortalibus in curru igneo, ut exhiberet nobis magnificentiam Ascensionis suæ.

Secunda Elias.

Aliquis Moyses, primus in mundo Scriptor, mirificè repræsentavit nobis illum sub idæâ aquilæ, quæ regina est ætheris & nobilissima avium, tam sublimiter se attollens in cœlum, ut ex aspectu amittat illam terra, quæ contemplatur solem è vicino, oculo firmo ac imperterrito, in splendidissima radiorum suorum majestate, quæ provocat exemplo suo & voce suâ, omnes pullos suos, ad imitandum generositatem suam, suique volatus sublimitatem, & per hoc nobis innuit, quòd ita Salvator mundi trahere nos debeat post se in cœlum per triumphum Ascensionis suæ: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos.*

Tertia Moyses.

Deut. 32.

Aliquis Propheta Michæas, concordans vocem suam cum illa Moysis, quasi ad componendum harmoniam Musicam, quæ annuntiaret tot ante sæcula gloriam triumphi illius, eximium hoc modulatur Carmen: *Ascendet, pandens iter ante eos, & transibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.*

Quarta Michæas.

Mich. 2.

Regius Vates conjungit se illis, & totus abreptus gaudio aspiciens à longè magnificum JEsu Christi triumphum, exclamat Psalmo centesimo tertio: O mi Deus, quàm es magnificus! circumfusus appares totus splendore, decore indutus, & amictus lumine sicut vestimento tuam perficis Ascensionem in nube, & super alas ventorum ingrederis: *Qui ponis nubem ascensum tuum, & ambulas super pennas ventorum.* Sed contentus non est, nisi excitet omnes terræ nationes ad plaudendum manibus, ad replendum universum aërem suis clamoribus, jubilis, lætitiæ canticis, seque demonstrandum totas abreptas gaudio. *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis*; & addit causam, *Ascendit Deus in jubilo.*

Quinta Rex David.

Psal. 103.

Psal. 46.

Sanctus Augustinus semper sublimis in cogitationibus suis, semperque accensus fervore affectuum suorum, transgreditur seipsum, velut ebrius Enthusiasmo prorsùs cœlesti, quando describit præcursores insignis hujus triumphi, sermone centesimo septuagesimo octavo. Sanctificatur tota amplitudo aëris transeunte Sancto Sanctorum, & beato comitatu ejus; pavet omne

S. Augustin. serm. 178. de temper.

Describitur magnificentia triumphi JEsu Christi Ascendentis in cœlos.

omne cœlum, mutantur astra, concurrit confestim fulmineus ille militiæ cœlestis exercitus. Vident Regem suum vivæ carnis manubias reportare, atque hoste debellato hominem in superna conscendere, agnoscunt in cicatricibus signa bellorum, adorant in carne vulnera jam sanata, admirantur ibi pulchritudinem tam puram, quam minima macula peccati non attigerat, cùm nec quidpiam in illam suâ virulentiâ, gravidus ille veneni draco vomuerit; serpens enim vestigium in petra non figebat. Plaudunt agmina, tubæ sonant, lætis se miscentia modulamina blanda choris funduntur; universus orbis mutatus videtur in suavem harmoniam, juxta quod scriptum est: *Ascendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ.* Nam ecce confestim splendidus ille senatus cœlestis assurgit, seque prosternit ante ipsum, dum interim omnes regni subditi, quos conquisierat in terris, ascendunt in altum, ad conjungendum se illis. Omnes cœlorum aperiuntur portæ, regia ampla Dei reseratur, undique siderei repagula cœli, atque astriferi orbis arcana solutâ penitùs compage patescunt; recedit in geminam arcem divisus aër, seque curvat ad componendum velut arcum triumphalem, lumina cœli Empyrei & illa astrorum se conjungunt, ut nonnisi unicum constituant diem; ambo sua homagia impendunt eidem Domino, sibique velut duo chori Musici alternatim respondent: Illi, qui ascenderunt è terra incipiunt primi: *Tollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ; Interrogant hi: Quis est iste Rex gloriæ?* Respondent illi: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.*

Pulchritudo JEsu Christi in Ascensione sua.

Hic est sponsus ille candidus & rubicundus, descriptus in sacro Epithalamio; candidus ob perfectissimam suam innocentiam, sed totus rubicundus sanguine, quem effudit pro salute hominum: hic est ille, qui non habuit speciem; neque decorem, infirmus in laqueo, fortis in spolio, vilis in corpusculo, armatus in prœlio, fœdus in morte, pulcher in resurrectione, candidus ex Virgine, rubicundus in Cruce, fuscus in opprobrio, clarus in cœlo. Hic est, qui docuit cœlum portare homines; & eadem caro, quæ inaudiit funestam hanc sententiam: Terra es, & in terram revertêris, hodie cum gaudio audit: Eras terrâ vilior per peccatum tuum, & ego nobiliorem cœlis te reddo per gratiam meam; tu eras esca vermium, & eris æternaliter socia Angelorum. Ecce portam cœli, quam clauserat per peccatum Adam primus, aperuit per sanctita-

titatem Adam secundus. Non sequamur primum, qui nos duceret in infernum, sed sequamur secundum, qui nos ducet in cœlum.

Oppositiones inter vias primi Adami, & illas secundi.

Primus Adam deducebat nos per viam superbiæ ad humiliationes æternas, quia scriptum est: *Qui se exaltat, humiliabitur*; secundus Adam ambulare nos docet per viam humilitatis, quæ nos deducet ad gloriam æternam, cùm scriptum sit: *Qui se humiliat exaltabitur.* Primus dirigebat nos per viam voluptatum & commoditatum vitæ: secundus nos invitat ad portandum Crucem post se, ad amandum semper mortificationem & exercitia pœnitentiæ. Primus erat totus terrestris, & nonnisi terram anhelabat, bonorúmque terrenorum possessionem: secundus est totus cœlestis, & contemnere nos docet caduca hujus mundi bona, & aspirare nonnisi ad bona solida & duratura in æternum. Peribis igitur infallibiliter, si secutus fueris Adam primum, ambulando sicut ipse per viam honorum, voluptatum & amoris creaturarum: sed si vivere velis in æternum, sequere constanter Adam secundum, ambulans post ipsum per viam humilitatis, afflictionis, & perfectæ exspoliationis rerum mundanarum.

Sed ad hoc ut animemur magis, postquàm audivimus glorioſos applausus & jubilos lætitiæ, præcedentes triumphum JEsu Christi in cœlum ascendentis; videamus.

ARGUMENTUM.

Quanta sit magnificentia & gloria Triumphatoris.

Articulus III.

AEternitas integra non nimis longa erit omnibus Beatis ad contemplandum & admirandum,, magnificentias, glorias & excellentias infinitas, quas omnes conjunctas vident in Persona JEsu Christi, in die, quo triumphans ingreditur sanctam civitatem, Jerosolymam cœlestem. Vident, quòd sit Filius Unicus genitus à Patre ante sæcula, quódque ex jure nativitatis suæ æternæ includat in seipso, omnes infinitas excellentias Dei Patris sui. Abyssus hæc Divinitatis, cujus pulchritudinibus summè oblectantur, suâ absorbet illos profunditate; nunquam non sua illi navabunt studia, nunquam tamen comprehendent ipsam.

Vident, ipsum esse eundem Filium Unigenitum, natum ex

Pulchritudines JEsu Christi, tanquam Verbi Incarnati,

Maria Virgine, in medio sæculorum, ex Spiritûs Sancti operatione, ut esset æquè realiter Homo, sicut est realiter Deus; quódque admirabile hoc compositum duarum naturarum, divinæ & humanæ, in sola & unica ipsius Persona, simul uniat omnia & nihil, Creatorem & creaturam, tempus & æternitatem, immortalitatem & mortem, Omnipotemtiam & infirmitatem, gloriam & ignominiam, & infinita alia, quæ omninò videntur incompatibilia; quódque concordia omnium harum contrarietatum constituat harmoniam tam suavem, tam insignem, támque admirandam, ut contemplantes illam continuò per omnem æternitatem, illius omnia nunquam comprehensuri sint prodigia.

Magna intellectûs ipsius cognitio.

Vident, quòd non solùm includat in se omnes thesauros Scientiæ & Sapientiæ Dei, secundùm Divinitatem suam; sed quòd intellectus ipsius humanus tot tantísque refulgeat cognitionibus, ut omnes scientiæ creatæ beatifica, infusa, & acquisita, in ipso summa cum perfectione conjunctæ, immensam constituant lucem, cui nihil sit absconditum, quæque transcendat omnes hominum & Angelorum cognitiones, (ut splendor solis excedit lucem omnium stellarum, quæ sunt in firmamento.

Sanctus ardor ipsius voluntatis.

Vident, voluntatem, ipsius humanam, non solùm plenam esse amore sacro, sed hujus esse velut accensam fornacem, unde prodeant omnes divini amoris flammæ, quibus sanctæ accendantur animæ, quæ omnes non habent, nisi quòd ex ipsius accipiunt abundantiâ; quódque sanctissima ipsius anima referta non solùm sit cunctis generibus gratiarum, sed quòd ipsa illarum sit Oceanus nunquam exhauriendus, nósque ex ipsius plenitudine accipiamus omnes; quódque, sicut omnes fluvii, qui egrediuntur è sinu maris, imminuere non possunt ipsius aquas: ita omnes effusiones gratiarum, quas tam largiter & continuò in omnes diffundit homines, ipsius non exhauriant nec depauperent thesauros.

JEsus Christus est fons omnis gloriæ exterioris Dei.

Vident, quòd ipse solus sit sol, unde dimanent omnes splendores gloriæ Dei extra semetipsum, sicut Pater est principium omnis gloriæ divinæ intra semetipsum; quódque sicut Filius nihil habet in divinitate, quàm quod recipit à solo Patre; ita Pater dignè non possit glorificari ab ullo, nisi per Filium suum Unigenitum. Et hæc reciprocatio gloriæ, quam Pater Filio suo tribuit Unigenito, quamque Filius unicus suo reddit Patri, tam est admirabilis, ut omnes Beati perpetuâ cum admiratione illam con-

contemplantes, nunquam illius omnem comprehensuri sint pulchritudinem.

Divitiæ immensæ, quæ ipsi sunt naturales, & ab ipso sunt acquisitæ.

Vident abundantiam immensam dignitatum, meritorum ac divitiarum, quæ connaturales sunt ipsi, & ab ipsius Personâ inseparabiles, eòquòd proprius sit Filius Consubstantialis Patri, habeatq́; ex vi nativitatis suæ jus naturale ad possessionem omnium bonorum Dei Patris sui. Verùm vident ipsi quoque inexhaustos meritorum thesauros, quos acquisivit nobis per omnes labores vitæ suæ, perque omnes mortis suæ cruciatus, qui conferunt nobis per ipsum jus legitimum ad possessionem æternam ejusdem, quam possidet, gloriæ; quódque hæc merita tam sint copiosa, ut non solùm omnes homines, quos Deus creavit, sed omnes, quos creare per omnipotentiam suam posset, haurientes ex iis absque intermissione, quantum voluerint, illorum exhaurire nunquam possent fontem & scaturiginem.

Omnes triumphi Imperatorum erant viles respectu triumphi JEsu Christi.

O Deus Majestatis, si omne id, quod parvi in mundo homines aspexerunt unquam, velut magnas divitias, velut splendores gloriæ, velut pomposas magnificentias in omnibus triumphis Victorum, appareret penes immensas amplitudines triumphi JEsu Christi; quid esset, nisi paupertas, vilitas, miseria? Non erant illi adornati nisi vanitatibus, nec exhibuerunt quidquam nisi pulverem bonorum caducorum; sed Thronus JEsu Christi & ornamenta illius bona sunt solida æternitatis. Fabricabantur ipsi felicitatem suam è miseriis publicis, & suam attollebant gloriam è ruinis devictorum, quos exspoliaverant, ut se vestirent; sed JEsus Christus sui gloriam erigit triumphi è felicitate publicâ, omnes nostras immutat miserias in felicitatem, & bona possidet immensa, quæ effundat super omnes homines, ad locupletandum ipsos: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Et post omnia dies unicus nasci videbat & mori omnem gloriam triumphorum aliorum omnium; Ille JEsu Christi solus durabit in æternum. Ephes. 4. v. 8.

Nonnisi unica conspiciebatur corona in vertice Victoriosorum, quando deducebantur in triumpho. Sed sanctus Joannes affirmat nobis in Apocalypsi, quòd viderit JEsum Christum in Majestate gloriæ suæ, pluribus circumdatum coronis: *In capite ejus diademata multa.* Non desiderat ipse ex his solùm vel unicum pro seipso, sed habet illa, ut distribuat fidelibus servis suis, qui sub suis militaverint signis, & suâ devicerint hostes fortitudine. Enumera omnes Sanc- Apoc. 19.

JEsus Christus coronatus innumeris coronis, quas distribuit servis suis.

tos, qui regnabunt perpetuò in civitate sanctâ, quíque component totam ipsius pulchritudinem, videbis multitudinem eorum tam esse prodigiosam, ut illorum numerus iniri haud possit: *Quam dinumerare nemo poterat.* Cogita hos esse totidem splendida diademata in Capite JEsu Christi; siquidem omnes coronæ Sanctorum non sunt coronæ eorum, nec gloria eorum est ipsorum gloria, cùm illius non habeant principium in semetipsis: JEsu Christi solius omnis est honor, & omnis est gloria. Æquum est, ut in ipsum refundant omnia, cùm agnoscant & fateantur, se ab ipso omnia accepisse.

Apoc. 7.

Pulchrum exemplum Patris morientis præ gaudio, quod videret filios suos coronatos.

Bonus ille Pater, qui eodem die vidit duos suos filios coronatos, post reportatas in Olympicis ludis victorias, totúmque applaudens ipsis amphitheatrum, millenis ipsorum generositatem extollens laudibus, quibus evehebantur úsque ad æthera, haud dubiè maximo exin affectus est gaudio. Sed quandò vidit hosce duos victores apportantes coronas suas, easque prosternentes suos ad pedes, ad impendendum sibi per illas homagium, agnoscentes, quòd omnia haberent ab ipso; quódque si benè pugnaverint, hoc fuerit per ipsius fortitudinem; si hostes straverint, hoc confecerint per magnum illum animum, quem acceperant ab ipso, quódque ex hoc omnis illi debeatur gloria; hic bonus Pater audiens, quòd omnis filiorum suorum in se derivaretur gloria, quódque hâc illi semetipsos exspoliarent, ad largiendum illam sibi, hâcque se exornandum, tantâ jubili se obrutum invenit abundantiâ, ut, cùm sufferre illius non posset molem, succubuerit & occubuerit illicò, vitam suam proprio suo sepeliens gaudio, & gloriosis filiorum suorum splendoribus.

Jubilus Cordis JEsu Christi in Ascensione suâ,

Quis imaginari sibi possit, quàm ineffabile fuerit gaudium cordis JEsu, quando in triumphali Ascensionis suæ pompa circumfusum se vidit tot legionibus Angelorum, cantantium carmina lætitiæ ad suarum laudem victoriarum; quandò circa se aspexit sacratas illas immortalium primitias, quas recenter omninò extraxerat è limbo; & quando in sua contuitus est ideâ, innumerabilem hanc multitudinem Martyrum, Confessorum & Virginum, & omnium denique numerum Electorum, qui omnes portabant coronas in vertice post reportatas in stadio virtutis victorias; sed quas ad suos prosternebant pedes, præstituri per has sibi homagium, & agnoscentes, quòd omnis ipsarum gloria sibi soli sit debita, eòquòd vires non habue-

buerint ad pugnandum, nec animum ad vincendum, nec successum ad reportandum omnes has coronas, nisi per suarum potentiam gratiarum.

Jubilus reciprocus JEsu Christi & Sanctorum.

O Deus! quantus deliciarum & gaudiorum cœlestium torrens, qui prodiens è corde JEsu, velut è fonte suo, inundabat omnia prædestinatorum corda, ut illis ex sua communicaret abundantia, illósque suæ participes redderet gloriæ; quique exin per sacram quamdam reciprocationem redibat, seque denuò totum integrum uniebat in eodem adorando corde, velut principio ac centro suo; quando omnium concinebant ora ipsi pulchra hæc verba in Apocalypsi exarata: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Tu solus es, ô Agne absque macula, adoranda victima, quæ pro nostra immolata est salute; tu solus es, qui possides in propria tua virtute & omnem divinitatem & omnem sapientiam, & omnem fortitudinem, & omnem honorem, & omnem gloriam, & omnem benedictionem; in unica tua Persona omnes hæ unitæ & conjunctæ sunt magnificentiæ.

Apoc. 5.

Et sanctus Joannes, qui summè oblectabatur aspiciendo glorioſos hos applausus, quibus excipiebatur JEsus Christus, affirmat, quòd audierit posthæc voces omnium creaturarum, quæ sunt in cœlo, & super terram, & sub terra, & in mari, & in toto universo, quæ respondentes velut quædam echo, confirmabant & dicebant Agno: *Benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.* Ibid. v. 13.

Anima amans JEsum Christum applaudere debet ipsius gloriæ.

O amabilissime JEsu, quanto demulceor gaudio, dum te considero in magnificentia & splendore triumphalis Ascensionis tuæ! quantùm oblector spectaculo gloriæ tuæ, dum video in regno tuo æterno te recipi tanto cum honore, ut cœlum & terra, Angeli & homines, Creator & creaturæ, omnium corda & omnium ora huic applaudant triumpho ineffabilium magnificentiarum tuarum! nolo ampliùs alias pulchritudines ad oblectandum meos oculos, cætera omnia turpia mihi videntur ac deformia; nolo ampliùs alias voluptates in terris, quàm quas hauriam aspiciendo delicias, quibus frueris in cœlis. Sed sufficit, omnes tristitias, omnésque ægritudines hujus vitæ expulsas esse è cordibus nostris; eòquòd tuum refertum sit gaudio & lætitiâ.

Medium certum vivendi semper in gaudio.

Si amo te, ô mi JEsu, si unicum tu es desiderium cordis mei, & unicus animæ meæ thesaurus; quid affligere me potest, cùm

noverim, te æternaliter esse consolatum? quando oppressum me viderem omnibus mundi calamitatibus, si amo te plùs quàm me, facilè obliviscor miseriarum mearum omnium, ut unicè de tua gaudeam felicitate. Quid enim refert, quòd malè sit parvulæ alicui creaturæ, quæ abjectior & contemptibilior est atomo, modò tibi sit benè, ô JEsu Fili unigenite Dei viventis, omnipotens Monarcha mundi, & benegnissime Redemptor hominum? nonne nimio perfundamur gaudio, dum novimus, te Deum esse, te hunc mansurum in æternum, te frui & fruiturum perpetuò infinitis propriæ tuæ Divinitatis deliciis. O felix anima, quæ facere ex hoc nôsset unicum suorum gaudiorum argumentum! non foret afflictio tam acerba in terris, quâ turbari posset ipsius felicitas vel unico momento.

ARGUMENTUM.

Exspoliati & captivi, quos JEsus Christus traxit post se in magnifico suo triumpho.

Articulus IV.

Triumphi sunt mixti gaudio & tristitiâ.

NOn est gaudium tam purum in mundo, quod aliquo non misceatur mœrore. In triumpho Victoriosorum, qui esse videbatur dies totus publicis consecratus lætitiis, de victorum lacrymæ, captivorum gemitus, & lamentabiles tot miserabilium catenis implexorum clamores, confusè audiebantur cum carminibus lætitiæ, & exin ejusdem evehebatur & attollebatur pulchritudo. Et quantò devicti fuerant potentiæ magis formidandæ, tantò magis illustrabant triumphatorum gloriam: & quantò magis spolia indè reportata fuerant pretiosa, tantò major erat triumphi pompa & magnificentia.

Profectò, quando non fuisset aliud, quàm gloria, quæ inseparabilis est à Persona JEsu Christi, abundè hæc sufficeret sola ad adornandum ipsi triumphum integrum in die Ascensionis suæ, cujus Majestas incomparabiliter plus habuisset splendoris, quàm omnes pompæ triumphantium sæculis præteritis. Sed conjice oculos tuos in spolia, quæ aufert è mundo, & in mancipia, quæ suo implexa cernit currui triumphali: videbis & fateberis, oculos mortalium nihil unquam ejusmodi aspexisse.

Nonnè intueris ex una parte tot Patriarchas, tótque Prophetas, tótque milliones animarum, quæ

Omnes sancti Patres in limbo fuerunt spolia, quæ JEsus Christus abstulit è mundo.

quæ, postquàm fideles ipsi fuerant toto tempore legis antiquæ, extiterant in limbo, suspirantes ad ipsum, & exspectantes auspicatum liberationis suæ diem. Extraxit is ipsas omnes ex hoc ergastulo, illásque deducebat in cœlum in comitatu suo, & plures ex iis (uti credibile est) corpore & animâ. Siquidem Evangelium asseverat nobis, quòd plura corpora mortuorum sint resuscitata, vel in die mortis JEsu Christi, vel in hora gloriosæ resurrectionis suæ. Et S. Thomas credit, quòd, cùm semel fuerint resuscitata, secundâ vice non iterum sustinuerint mortem; aliàs beneficium non fuisset ipsis suscitari, sed species quædam calamitatis. *Non esset eis beneficium exhibitum, sed potiùs detrimentum.* Et dein videtur fuisse conveniens, ut adorandum corpus JEsu Christi suæ haberet comites gloriæ, ipsiúsque triumphus sic componeretur è pluribus triumphis. Et hæc pretiosa sunt spolia, quæ deportavit è terris in cœlum.

Varia monstra domita, quæ JEsus Christus trahit in suo triumpho.

Verùm quid est aspicere mancipia, quæ trahit post se catenis implexa, postquàm devicit illa? omnes hæ potestates formidandæ, quæ videbantur magis invincibiles, quæ q; tam longo tempore ingemiscentes sua sub tyrannide cunctos stringebant homines, peccatum, diabolus & mors; omnia hæc monstra dormita', nullásque amplius habentia vires nocendi nobis, mirificè attollunt gloriam triumphi JEsu Christi.

Nihil tam formidandum erat, quàm universalis tyrannis, quam exercebat peccatum in omnes homines, postquàm hominem devicit primum. Nondum egrediuntur hi è sinu matrum suarum, quin maculet jam illos, sibique faciat in servos; & quia nascebantur omnes sub crudeli ipsius dominio, vivebant omnes sub duris ipsius legibus, abs eo, quòd haberent remedium exsolvendi se ab illis, ex semetipsis. Non erat potestas nec in cœlo, nec in terra, quæ tantum haberet roboris, ut vel minimum superare posset peccatum. Quando omnes Angeli & homines, omnes suas adunâssent vires naturales, satis fortes omnes simul non fuissent, ut vincerent hoc monstrum, eòquòd ipsius potentia ratione quâdam æquè fuerit infinita, ac ipsius malitia, cùm privaverit ipsos bono infinito, illósque in æternum reddiderit infelices. Primum est peccatum.

Veni, omnipotens hominum Redemptor, nonnisi tibi soli est robur ad vincendum terribile hoc monstrum: quod, ut facias, opus adhuc est, ut omnem impendas fortitudinem brachii tui, ut omnes tuos intendas nervos,

utque

útque lethales in hac pugna recipias plagas, ipsámque amittas vitam. Verùm securus quóque es de tua victoria, totus populus tuus liberabitur à servitute hujus tyranni, quando crudelis hic Pharao, cum toto suo numerosissimo comitatu submergetur in mari pretiosi tui sanguinis, quem effundes pro nobis.

S. Augustin. lib. 85. quæst. 4. q. 68.

Quatuor status valdè diversi conditionis humanæ.

Sanctus Augustinus plurimum oblectat, quando considerandam nobis proponit diversam conditionem hominum, in quatuor statibus valdè diversis. Primus est, ante legem scriptam; secundus sub lege scripta; tertius in lege gratiæ; & quartus in statu beato gloriæ. Ante legem non solùm peccatum regnabat, sed erat quasi possessor pacificus; non observabatur tyrannis ipsius & crudelitas, & homines obtemperabant ipsi liberè, ita, ut quasi non perciperetur. Quando data fuit lex, demonstravit hæc peccatum, admonuit quidem homines de malitia tyranni, sibi dominantis, sed nullum suppeditavit ipsis medium vel robur, se ab illo liberandi.

Lex gratiæ successit, & Salvator, qui ipsam promulgavit, non solùm ostendit malitiam & tyrannidem peccati; sed hominibus suppeditavit quóque vires & arma, quibus ab eo se liberarent, eòquòd id ipsemet superaverit per cruentam pugnam suæ passionis; & quia participes facere volebat omnes homines, qui erant peccati mancipia, victoriæ suæ contulit illis robur, ut superare etiam illud ipsimet possent cum potenti suarum subsidio gratiarum. Verum est, quòd reliquerit ipsis adhuc, ex quo tolerarent pugnas & repugnantias; sed securos ipsos facit victoriæ, si in suo fideles manserint servitio. Tandem sequetur status beatus gloriæ, qui jucundus est fructus gratiæ, status, ad quem peccatum nullum omninò ampliùs habet accessum; status, qui non tolerat ampliùs pugnas, & ubi anima manet pacifica in dulci possessione Dei.

Quomodò homines se gubernaverint & gubernent in quatuor his statibus.

In primo statu qui præcessit legem, homines non pugnabant contra peccatum, eòquòd servirent illi tanquam mancipia, & velut servi prorsùs ab eo devicti. In secundo sub lege scripta faciebant ipsi homines quidem aliquam resistentiam; sed utplurimùm vincebantur, eòquòd destituerent ipsos vires. In tertio statu, sub lege gratiæ, in quo nos sumus, verum est, nos fortiter oppugnari, sed evadimus semper victores in pugna, si velimus, eòquòd gratia JEsu Christi, qui robur dat nobis ad vincendum, nobis non desit.

Et quantas reperire est animas Deo fideles, quæ mediante ipsius gratiâ perfectè se liberas ac immunes

munes conservant à tyrannide peccati, eòquòd nunquam eorum aliquid committant, non solùm è magis enormibus, quæ nuncupantur peccata mortalia, eòquòd afferant animæ mortem, sed ne quidem â venialibus, quæ plenè voluntaria existunt. Verum est, non omninò exemptas esse ipsas ab imbecillitatibus & fragilitatibus quibusdam, quæ inseparabiles quasi sunt à conditione nostrâ humanâ; sed hæc peccata justorum sunt, quæ non impediunt, quin semper permaneant justi, quæve ipsos non exponunt periculo mortis, eòquòd potiùs sint parvæ infirmitates, quàm morbi aut ægritudines.

Sic igitur Christus JEsus superavit horribile peccati monstrum, quod deducit secum in triumpho, quódque superat adhuc quotidie in animabus nostris, & per animas nostras, modò ipsæ non desint fideli suâ cooperatione subsidio ipsius gratiæ, sicut potens subsidium gratiæ ipsius non deest illis; & tandem post reportatas per assistentiam suam de hoc monstro victorias, promittit nobis, facturum se nos participes triumphi sui, & pacis æternæ, cujus is capit possessionem pro se & pro nobis in die Ascensionis suæ.

Aliud monstrum, quod similiter domuit, quódque deducit secum in triumpho, est diabolus, qui arrogaverat sibi tam ingentem potestatem in omnes homines, ut faceret se adorari ceu verum Deum, in orbe quasi universo; ubivis gentium sua habebat fana, sua altaria, suáque sacrificia; & potestas ipsius erat tam absoluta, ut ipsemet JEsus Christus ipsum nuncupaverit Principem mundi.

Secundum monstrum deductum in triumpho JEsu Christi est diabolus.

Sed falsus hic Princeps, & verus, hic tyrannus ejectus est ex imperio suo, sicut comminatus is fuerat ipsi: *Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Ubi sunt modò adoratores ipsius, qui publicè illi reddant honores supremos, sicut vero Deo? ubi sunt templa, quæ ædificantur ipsi? ubi sunt victimæ, quæ ipsi sacrificantur? quò devenerunt omnes gentilitatis superstitiones, postquàm JEsus Christus per Crucem suam ejecit Principem mundi? Quis exhibet ipsi quidquam honoris, nisi infelix quispiam Magus, vel miserabilium quædam caterva veneficorum, qui fæx sunt mundi, qui abscondunt se velut bubones, & exercere non audent execranda sabbathorum suorum mysteria, nisi in tenebris.

Joan. 12.

Diabolus nihil amplius habet honoris publici in mundo.

Solum nomen diaboli tantum conciliat horroris, ut vix auditum percellat pavore, efformetur mox signum Crucis, & credatur aliquis profanâsse linguam

Contemnendi sunt dæmones.

ſuam, & ſpeciem quamdam commiſiſſe criminis, illum duntaxat nominando. Fateor quidem, ipſum adhuc habere potentiam, quâ nobis incutiat timorem, ſed non ampliùs habet illam, quâ nocere poſſit nobis; adhuc tentare nos poteſt, ſed trahere in conſenſum peccati nos non poteſt, niſi velimus. Ipſe eſt canis, qui mordere vellet, ſed non poteſt niſi eos, qui voluntariè ipſius ſe conſignant unguibus, eòquòd arctè alligatus ſit ſub Omnipotenti manu Dei, qui non permittit ipſi, niſi quòd expedire noverit pro ſuâ gloriâ, & ſervorum ſuorum ſalute.

Ipſe eſt fœdus ille draco, cujus fit mentio in Pſalmo centeſimo tertio: *Draco iſte, quem formâſti ad illudendum ei*; qui factus non eſt; niſi ut eſſet objectum contemptûs & irriſionis hominum. Et res ſtupenda eſt, videre contemptum, quo omnes veri ſervi Dei ſemper proſecuti ſunt ipſum, & abſolutam, quam in ipſum exercebant, potentiam. Quis ignorat, quòd ſanctus Antonius, admirandus hic Eremi cultor, illuſerit cunctis dæmonibus inferni, vehementiſſimè ipſorum impetitus tentationibus ac violentiis? Ah! ignavi, dicebat illis, vos venitis per legiones contra me ſolum, ſi vobis eſſet animus, non opus foret niſi veſtrûm unico adversùm plures homines; ſed vobis nec cor, nec robur eſt, poſtquàm devicti eſtis à Redemptore meo. Et unico ſigno Crucis conjiciebat ipſos omnes in fugam.

Pſal. 103.

S. Antonius irridet diabolos.

Religioſus quidam ex ordine S. Dominici, qui Magiſter fuit ſancti Vincentii Ferrerii, cùm vidiſſet apparere dæmonem ſub figurâ currentis per clauſtrum equi, & ingentem pedibus excitantis ſtrepitum, ut perturbaret religioſos, comprehendit ipſum & alligavit corrigiâ quâdam, quam ſecum ferebat, & exin conſignavit ipſum famulo Conventûs. Accipe hanc beſtiam, onera impone illi, quàm poteris plurima, & fœvis excipe ipſam verberibus, nec quòd manducet, da ipſi, & cave, ne unquam exſolvas ipſam; impoſuit longo tempore ipſi onera, & duris excepit ipſam plagis; & infelix ingemiſcebat beſtia, quoad miſertus ipſius exſolverit ipſam: Et in inſtanti mox diſparuit. Vide quàm contemptim ſervi JEſu Chriſti accipiant & adhibeant Dæmones: & reipſâ illi non ſunt niſi beſtiæ admodùm contemptibiles.

Pacciuchelli ſupra Jonam Lect. 31. n. 19.

Dæmon adhibitus velut beſtia.

Sed nihil tam ſtupendum eſt, quàm quod refert S. Antoninus in ſua hiſtoria. Sanctus Gregorius Epiſcopus Neocæſarienſis, tranſiens per alpes & oppreſſus nocte,

S. Antonin. hiſt. 1. tit. 7. c. 8. §. 7.

nocte, compulsus fuit capere quietem & exigere noctem in templo quodam Apollinis ibidem invento. Cùm manè recessisset sanctus è templo, recessit quoque ab eo Dæmon, non amplius ausus illuc intrare. Presbyter idolo illi inserviens, invocat & solicitat ipsum, ad reddendum, uti priùs, sua oracula, sed responsum amplius non dedit, Apollo suo expulsus erat habitaculo. Presbyter credens ipsum expulsum fuisse à Gregorio, currit post ipsum, eumque lacrymantibus obtestatur oculis, ut suæ misertus miseriæ, ne cogeretur emori fame, redderet verba Deo suo, suoque ipsum restitueret templo.

Diabolus obtemperat S. Gregorio & contemnit Presbyterum sani sui.

Sanctus imitando benignitatem Divini Magistri sui JEsu Christi, qui non negavit dæmonibus, quòd petebant ab ipso, facultatem nempè intrandi in porcos, scribit parvulam Schedam Apollini hujus tenoris: *Gregorius Apollini: Permitto tibi, ut redeas ad locum tuum, & agas, uti consueveras.* Presbyter consolatus optimè, quòd tam facilè obtinuerit postulata, revertebatur illicò in templum, collocabat Schedam super altare, & mox reversus est Apollo, ac more solito reddidit oracula.

Presbyter attonitus hoc prodigio, discurrere secum ita cœpit. Quàm ingens est Gregorii in Apollinem potentia, & quàm prompta Apollinis erga Gregorium obedientia! sed is, qui imperat ut Dominus, nonnè major est eo, qui obtemperare compellitur? Et Deus per gratiam suam aperuit ipsi oculos: unde ita concluſit: Ego deceptus sum, Apollo non est verus Deus; & citra id, quòd vel unico cunctaretur momento, accessit denuò sanctum Gregorium, recenset ipsi omnia, suam ipsi restituit Schedam, impensè ipsum obsecrans, ut se à servitute hujus dæmonis, eòquòd tam ingenti polleat in ipsum potestate, eripere velit, instruere se in fide & baptizare. Mox igitur Christianæ Religioni genitus, tantâ deinceps vixit cum sanctitate, ut esse meruerit successor sancti Gregorii in Episcopatu suo. Quis diffitebitur, hunc dæmonem pessimè fuisse acceptum & summo affectum despicatu? sed ita accipiuntur superbi, quando vincuntur.

Tertium monstrum domitum à JEsu Christo est mors.

Tandem mors, quæ pavore concutiebat ferocissimos quosque, velut terribilium omnium terribilissima, tertium devictum est monstrum, quódque catenis oneratum adornat triumphum JEsu Christi. Judæi cùm viderent ipsum suffixum in Cruce, exprobrabant ipsi impotentiam suam, uti refert S. Matthæus:

Matth. 27. Ecce vobis hominem, qui salvos fecit alios, & seipsum salvare non potest à morte; si Filius Dei est, descendat nunc de Cruce, & credimus ei. Sed sanctus Chrysostomus egregiè respondet illis: Infideles, quid petitis ab eo? si descendat de Cruce, fugiet mortem, & si ipsam fugiat, non superabit eam, vult propiùs accedere illam, pugnaturus cum eâ in campo vallato, ut vincat ipsam, etiam tunc, quando victus apparebit; & si morti se subjiciat, hoc erit, ut mors sit mortis ipsius, sicut scriptum est: *Ero mors tua ô mors.* Sed quomodò hoc intelligendum.

S. Chrysost. hom. 4. in 1. ad Cor.

Oseæ 13.

Quomodò intelligendum sit, quod JEsus Christus moriens vicerit mortem.

Siquidem exploratum omninò est, quòd mors dominetur adhuc hodie eâdem absolutâ cum potentia cunctis hominibus, quâ dominata est illis ante Passionem, Resurrectionem & Ascensionem JEsu Christi: Magni & parvi, peccatores & justi, unico verbo, omnes homines, æquali ratione, ipsius subjacent falci; & proprius Filius Dei, quia verè erat Filius hominis, ab hoc non erat immunis. Quomodò ergò dici potest, quòd superaverit ipsam, cùm potiùs superatus sit ab ipsa.

S. Bernardus serm. ad milites templi. c. 11.

Sanctus Bernardus respondet eleganter, sed solidè juxta morem suum; Est, quòd, cùm toleraverit ipsam innocens, abstulerit ipsi jus quod habebat super omnes reos; ipse solvit, quod non debebat, & per hoc exsolvit eos omnes, qui debebant. Nonnè videtis, quòd post tres dies reliquerit ipse mortem omninò mortuam & sepultam in tumulo suo, eòquòd prodierit ex eo vitâ fruens immortali, & hanc devictæ morti faciens insultationem? *Ubi est mors, victoria tua?* Ubi est modò, ô mors, apparens illa victoria, quàm te credideras reportâsse de me? Nonnè videtis, quòd ipsa non ampliùs habuerit robur, nec potestatem retinendi plurimos alios, quos sub suo stringebat imperio, quique reversi sunt ad vitam cum JEsu Christo? Nonnè videtis, quòd largiatur nobis pretiosum suum Corpus, quod devoravit mortem velut germen immortalitatis, ut velut authenticum pignus resurrectionis nostræ finalis? *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.*

1. Cor. 1. 5.

Joan. 6.

Mors non est ampliùs vera mors, eòquòd non sit ampliùs stimulus vel sagitta peccati.

Verùm his omnibus positis, morimur adhuc quotidie. Quomodò igitur verum est, devictam esse mortem, cùm prosternat adhuc homines? Respondeo ad hoc, quòd mors ampliùs mors non sit, cùm non faciat, nisi quòd aperiat aditum ad vitam. Quamdiu ipsa erat in manibus peccati, velut sagitta veneno infecta, transfigens simul & se-

& semel corpus & animam, & auferens ambobus vitam æternam, sicut descripta est à S. Paulo: *stimulus peccati mors*; vera mors erat, quæ nihil habebat, quod non erat terribile. JEsus Christus destruens peccatum, sua etiam eripuit ipsi arma, illáque consignavit manibus amoris, ita ut pro cunctis bonis animabus, quæ mancipia peccati non sunt, non sit amplius mors, quæ ipsas vulneret, sed sit amor, qui occulta illis infligat vulnera; mors amplius non sit, quæ faciat illas languere, sed amor; mors amplius non sit, quæ tollat illis vitam, sed amor, vel potius mutet hanc in meliorem.

Omnes veri servi JEsu Christi non timent mortem.

Et nunquid hoc verum sit? nonnè videmus, quòd ii, qui sunt JEsu Christi, quique verè amant ipsum, non amplius timeant mortem, eòquòd nôrint, quòd is vicerit ipsam, reddideritque impotentem ad inferendum nobis quidquam mali. Non dico, quòd plerique, etiam homines optimi, non experiantur semper aliquem horrorem naturalem, quando loquuntur juxta sensum ejus partis, quæ communis est cunctis animantibus; sed quando loquuntur ut Christiani, jam alio loquuntur idiomate.

Siquidem nonnulli aspiciunt saltem ipsam absque pavore, seque haud difficulter resignant ad acceptandum ipsam. Alii ipsam desiderant, & absque intermissione ipsius anhelant adventum, dicentes in cordibus suis cum magno Apostolo: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Philip. 1. Nonnè etiam videre nonnullos erat, qui blandirentur ipsi, & lenocinando invitarent, ut mox veniret ad liberandum se è carcere corporis hujus mortalis, quo detinebantur nimis diu, ne frui liceret sibi Deo suo? nihil acceptius est, quàm percipere, quid dicat Eusebius in epistola ad Damasum Papam, ubi explanat sensa, quibus sanctus Hieronymus afficiebatur erga mortem. Vide Surium 30. Septemb.

Egregia animi sensa, quibus ferebatur S. Hieronymus erga mortem.

Alloquebatur tenerrimo ipsam affectu: *Veni, soror mea, sponsa mea, dilecta mea; indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascat Deus meus, ubi cubet Christus meus.* Appellat ipsam sororem suam, sponsam suam, dilectam suam. Monstra mihi dilectum animæ meæ, veni & doce me, ubi suas capiat delicias Deus meus, ubi requiescat amabilis JEsus meus in habitaculo gloriæ suæ. Nonnè cernis arderè cor meum desiderio aspiciendi pulchritudines ejus? an ignoras, videre me illas non posse, nisi per te? veni, curre, propera, ut succurras mihi, ut quid languere finis me tam longo tempore?

O Deus! quis non potiùs desideret, quàm abhorreat mortem ab Ascensione JEsu Christi, si

considereret, quòd pro eo, quòd inferat sibi aliquid mali, id accepturus sit ab ea obsequii, ut distumpens catenas suas, redditura se sit libertati sequendi JEsum Christum usque eò, ut nunquam amplius separandus sit ab illo? & ecce, dicit sanctus Paulus, felicitas maxima, quæ accidere nobis possit in terra: *Dissolvi autem & esse cum Christo, multò melius est.* Philip. I. v. 23.

ARGUMENTUM.

Ubi divinus noster est thesaurus, ibi sit cor nostrum, & divites sumus in æternum.

Articulus V.

Ubi est thesaurus tuus, ibi sit & cor tuum.

QUid agendum nobis restat in hoc mundo, postquàm secuti sumus in terris JEsum Christum, nisi ut requiescamus cum ipso in cœlis? sit verum id in nobis, quod verum est in Evangelio: ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum; pretiosus noster thesaurus est JEsus Christus; in ipso inclusæ sunt omnes nostræ divitiæ, omnia nostra merita, omnia nostra desideria, omnes nostræ spes & fiduciæ. Cùm igitur ditissimus hic thesaurus modò sit in cœlo, quò collocare poterimus cor nostrum, ut ibi degustet omnem abundantiam pacis, & solidissimum quodvis solatium, quod satiare possit illud, nisi ubi quiescit thesaurus noster? nobis jam benè auscultandum est eximium illud S. Augustini effatum: *Leva cor in cœlo, ne putrescat in terra.* S. August.

JEsus Christus mirificè nos consolatur in persona Apostolorum suorum, dum dicit illis. Nolite affligi ex eo, quòd subducam vobis visibilem præsentiam meam, relinquendo terram, ut revertar in cœlum. *Expedit vobis, ut ego vadam.* Et eccur, Domine? quia exin accipiam vos à terra, & potenter traham ad meipsum? sed quibus vinculis, quibus catenis ita nos attrahes? vos omnes potentissimis & arctissimis conjunctos mihi habeo vinculis. Primum est, quòd sim Caput vestrum, & vos sitis membra corporis mei. Secundum est, quòd sim Dominus vester, & vos omnes sitis servi mei. Tertium & præcipuum est, quòd sim Pater vester, & vos omnes sitis filii mei. Triplex hoc vinculum, quod facilè non rumpitur, conjungit me vobis, & vos tam arctè conjungit mihi, ut fieri non possit, quin, ubi ego sum, & vos mecum sitis. Ascensio mea est vestra, gloria vestra est mea, Tria potentia vincula, quibus JEsus Christus nos trahit ad se in cœlum.

mea, felicitates nostræ communes sunt, omnia nostra commoda sunt inseparabilia.

Jam portamus omnes coronam gloriæ in Capite, in Persona JEsu Christi.

Siquidem imprimis cùm sim Caput vestrum, & vos omnes membra sitis Corporis mei; nonnè verum est, quòd quando corona imponitur Capiti, totum etiam ipsius Corpus coronatum sit in hac unica parte? lingua diceret, ego sum coronata; & manus dextera diceret, ego sum coronata; & ipsemet pes, si loqui nôsset, diceret, mihi gloria est, esse me coronatum: conjicite oculos vestros in Caput meum, & ibi videbitis coronam meam. Si gloria mihi est, esse me partem Corporis mystici JEsu Christi, quod est ipsius Ecclesia, quando forem omnium ultima, nonne credendi habeam ansam, quin nimiùm præsumam, honorem ipsius esse honorem meum, gloriam ipsius esse gloriam meam? & quando video Caput meum elevatum hodie usque ad thronum Majestatis Dei Patris sui, nonne dicere mihi liceat cum S. Augustino: *Ubi ergò portio mea regnat, ibi me regnare credo.* Cùm videam præcipuam partem Corporis mei regnare in gloria, me totum gaudio perfusum invenio, certus, me ibi jam regnare in illa, & per illam.

Lib. Medit. cap. 15.

Non est figmentum, quòd omnes Christiani, & præcipue omnes prædestinati constituant unum Corpus, quod nuncupetur Corpus Mysticum JEsu Christi; Corpus hoc imaginarium non est, sed est tam verum, quàm corpus naturale ipsius, quod immolavit pro nobis in Cruce, quódque glorioſum prodiit è sepulchro, ascenditque triumphans in cœlum. Conjunctio membrorum Corporis hujus mystici cum adorando Capite suo, non minùs est fortis, nec minùs sensibilis, quàm illa membrorum Corporis sui naturalis; immò potiùs demonstravit nobis, quòd præferat Corpus suum mysticum Corpori suo naturali, eòquòd hoc tradiderit morti, ut vitam conferret alteri. Et magis verum non est, quòd Corpus ipsius naturale totum integrum intraverit in possessionem gloriæ suæ, quin vel minima ejus pars privaretur illâ; quàm verum sit, quòd omnia membra Corporis sui mystici, quæ sunt ipsius Electi, intratura sint possessionem ejusdem suæ gloriæ, ita, ut nec unicum solum ab ea maneat excluſum.

Corpus mysticum JEsu Christi est æquè verum, & ipsi æquè charum, ac Corpus suum naturale.

Ascensio Corporis ipsius naturalis facta est in unico solo die, sed Ascensio Corporis ipsius mystici, fit paulatim diebus singulis per omnem sæculorum durationem. O quàm jucundum est videre ingens hoc Corpus, æqualis cum universo orbe amplitudinis, eòquòd Christianos repe-

Ascensio Corporis naturalis JEsu Christi facta est in uno die; illa Corporis mystici fit quotidiè.

reperire sit & prædestinatos in cunctis orbis partibus, & æqualis cum sæculorum omnium duratione longitudinis, eòquòd semper fuerint, & semper futura sint membrorum suorum aliqua, quæ sunt prædestinati, à creatione mundi, usque ad ipsius consummationem! & videre, quòd omnes magni hujus Corporis partes non ascendant omnes simul in cœlum, domum æternitatis suæ, sed paulatim, una post alteram: una pars jam illuc intravit, altera pars ascendit illuc actualiter indies, & omnibus diei horis, alia pars versatur adhuc in pugna, & intrare contendit illuc per mille labores, probè gnara, civitatem sanctam rapiendam esse violenter, & nonnisi illos, qui sibi vim fecerint, ipsam obtenturos. Et residua tandem pars adhuc nascetur; sed tanget & ipsos ordo; proin ad exspectandum eos, suum cœli prosequentur cursum, & suam tempora protelabunt durationem, quoad tandem corpus mysticum inveniatur complerum, ut ascendat in cœlun. ntegrum, haud minùs, qu. corpus naturale Salvatoris mundi.

O Deus! quàm solidum solatium animæ Christianæ considerranti JEsum Christum, intrantem in gloriam suam per triumphum admirabilis Ascensionis suæ? Abi, divinum Caput meum, sequar te quamprimùm, ut pote conjunctus tibi velut unum membrorum ruorum; tantos video alios, quos jam traxisti ad te, venit & ordo meus, qui jam præ januis est, & illicò ero tuus. Quando experitur ipsa, quod dicit sanctus Paulus, quòd Spiritus sanctus testimonium reddat Spiritui nostro, quòd simus Filii Dei, quódque, si Filii ipsius sumus, exspectare postimus possessionem hæreditatis ejus! quando ipsa se sentit mortuam spiritui mundi, vel illi saltem contendat mori, ut vivat unicè Spiritui Dei! quando ipsa generosum inducere volet animum magni illius Martyris, qui dicebat: Poterunt auferre bona mea, poterunt tollere vitam meam, poterunt avellere omnia membra Corporis mei, unum post alterum, sed quidquid facient, nunquam avellent JEsum Christum è corde meo. O felicem, cui suffragatur hoc suæ testimonium conscientiæ! Certum est, ipsum aliquandò fruiturum iisdem gloriæ splendoribus, eadem intraturum gaudia, quæ jam à suo possidentur Capite; habemus promissionem ipsius, & ipse fidelis est: *ut ubi ego sum, & vos sitis.*

Solatium Christiani, quòd videat se membrum esse JEsu Christi.

Sed aliam adhuc habemus conjunctionem cum JEsu Christo, quæ videtur minùs arcta, ratione tamen quadam magis est lucrosa!

Conjungimur cum JEsu Christo, velut servi cum Domino,

lucrosa! Ipse est amabilis noster Dominus, nósque dignatur in suos admittere servos. Apud homines ingens est discrimen Dominum inter & servum: reperire est tam illiberales, támque inhumanos, ut more bestiarum suos accipiant & adhibeant servos. Sed vide, an unquam tam amabilis fuerit Dominus, qui vel à longè accedat ad JEsum Christum. Imprimis ipse vult, ut servi sui, æquè ac ipse, sedeant in thronis gloriæ; novit is ineffabiles magnificentias sibi à divino Patre suo præparatas, & dicit illi: *Volo Pater, ut, ubi ego sum, sit & minister meus*; & exin dicit servis suis: *sedebitis super thronos.* Quis unquam Dominus hâc ratione accepit servos suos?

Tres eximiæ qualitates divini Domini nostri.

Secundò tanti ipsos æstimat, ut agat cum ipsis velut cum intimis amicis suis: Jam non dicam vos servos, sed amicos meos. Loquitur illis familiariter & confidenter, velut intimis amicis suis; manifestat illis intima arcana cordis sui, & reverà non assumit ipsos in servos suos, nisi ut suos ex ipsis faciat amicos; totum etiam servitium, quod exigit ab illis, est, ut se ament ex toto corde suo: non obruit ipsos magnis admodùm laboribus, nec aliud præcipit ipsis, nisi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Si obtemperare renuant præcepto adeo suavi, minitatur illis mortem æternam, verùm si morem gerant illi, magnifica promittit ipsis in æternum præmia. Quis vidit unquam Dominum, qui suam repleat domum ingenti numero servorum, tantùm ut ametur ab illis; qui præparet felicitates æternas amantibus se, qui nulla nisi pro iis, qui se non amant, habeat supplicia?

Tertiò, (quod magis stupendum est) non recipit servos suos, ut accipiat ab illis aliquod bonum, cùm nullius omninò indigeat: sed solummodò, ut ipsemet iis bonum faciat: aperit ipsis omnes thesauros suos, gratias suas, merita sua, cuncta cœlestia bona sua, invitat ipsos, ut hauriant ex illis, seque locupletent, quantùm voluerint; & qui bona sua voluerint recipere, seque thesauris suis locupletare, tantum abest, ut exigat ab illis solutionem per quid simile, vel quid majus, ut etiam gratiæ locò ponat, seque illis velut obligatum agnoscat, & ipsemet promissis suis se obstringat de retribuendo ipsis præmio æterno. O bonum Dominum! ô amabilem Dominum! ô amabilissimum Dominum! Ah! unde venit, quòd omnes homines aggregari non velint servis ipsius?

Sed quanta abundantia gaudii pro iis, qui servorum suorum accensent se numero, quando

Consolatio verorum servorum JEsu Christi.

considerant, ipsum triumphantem intrâsse in Regnum gloriæ suæ ! ô divine mi Domine, tu dixisti, quòd, ubi es, ibi oporteat & esse servum tuum : sperandum igitur est mihi, me tandem intraturum tecum in regnum tuum, eòquòd sim servus tuus. Tu dixisti, quòd aliud non petas à servis tuis, nisi ut ament te, & modò id faciant, promisisti, ipsos victuros in æternum : hoc fac, & vives. Vivam igitur in æternum, eòquòd amem te. Tu nôsti, me alium in cor meum admittere non velle amorem, nisi tuum ; & si nôssem, minimam illius esse particulam, quæ non tota repleatur illo, eruerem ipsam potiùs indè, quàm ibidem tolerarem ; non exigis rationem à servis tuis, Domine, postulans ab iis, ut restituant cum usura omnia bona, quæ largitus es illis tempore vitæ hujus ; sed potiùs, quantum locupletaverint se gratiis tuis in tempore, tantum te obliges ad accumulandum illos gloriâ tuâ in æternitate. Quid igitur exspectandum mihi est à te, ô Deus bone, post tot ac tantas gratias, ac misericordias, quas torrentium more effudisti in me totò tempore vitæ meæ ? non dicatur mihi, ad percellendum me terrore, postulaturum te aliquando à me rigidam de iis rationem : nam ego potiùs ratione quadam, rationem de iis à te exigam, & repetam promissum à te, ut facias mihi adhuc benè, eòquòd jam benè feceris mihi, & bona, quæ mihi daturus es in cœlis, metiaris per illa, quæ mihi jam dedisti in terris.

Tandem ut fastigium imponam cunctis nostris gaudiis, quæ derivantur in nos ex glorioſa conjunctione, quam habemus cum illo, ipse est Pater noster, & nos ipsius sumus filii : *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus.* Videte magnitudinem, admiramini abundantiam charitatis, quam Pater cœlestis demonstravit nobis, exclamat desuper dilectus Domini nostri Discipulus. O prodigium bonitatis ipsius erga nos : Ipse insigniri nos vult magnifico filiorum suorum nomine, & non solùm nomine, sed & ipsâ re, dum nos verè suos vult esse filios, & omnibus filiorum suorum frui prærogativis.

1. Joan. 3. v. 1.

Conjungimur tertiò cum JEsu Christo velut Filii cum Patre.

Verum est, nos natos non esse è propria substantia ejus divina, quod nonnisi ad Filium spectat Unigenitum, in sinu ipsius quiescentem, ubi gignit illum ante cuncta sæcula, quin incipiat vel finiat unquam ; nihilominùs potimur gloriâ, verè nos natos esse de de Deo, eòquòd gignendo nos conferat nobis gratiam sanctificantem, quam Scriptura nuncupat participationem naturæ divinæ, *divinæ consortes naturæ.*

Quomodò simus ipsius filii.

Hinc

JEsus Christus vocat nos modò fratres, modò filios.

Hinc est, quòd JEsus Christus appellare nos dignetur modò fratres suos, modò suos filios, eòquòd agnoscat nos pro suis cohæredibus in regno Dei Patris sui, *cohæredes autem Christi*; & ipsemet nos invitat, nósque instituit, ut nuncupemus Deum Patrem nostrum, & postulemus ab ipso regnum suum velut hæreditatem, ad quam legitimum habemus jus prærogativâ filiorum ejus. Et ipse tanto erga nos fertur amore, ut non tantùm non invideat nobis, quòd ipsius simus cohæredes in possessione æterni regni sui, sed ipsemet eandem procurat & confert nobis.

Sed sæpiùs nos quoque suos appellat filios, eòquòd, postquam nos genuit in Cruce lethales inter, quos passus est, dolores, ut nobis vitam conferret gratiæ, nos propriâ suâ alat & nutriat substantiâ, non sicut matres, quæ suorum lac uberum suis præbent filiis, quod certè non est pars propriæ ipsarum substantiæ; sed ipse pro alimento largitur nobis totam suam ac integram substantiam, suum corpus, suam animam, suam divinitatem, ut vivere nos propriâ suâ faciat vita. Quàm amabilis Pater! & quid ultrà facere potest, ut demonstret nobis, quòd agnoscat nos pro veris suis filiis, quódque nos verè velut suos accipiat filios.

Et quia probè novit, filios non induci in possessionem paternorum bonorum, nisi moriatur pater, vult mori, & moritur, quamvis sit immortalis, ut jus nobis conferat ad possessionem immensorum bonorum suorum. Facit adhuc plura: siquidem resurgit à mortuis & ascendit in cœlum, ut nos post se deducat illuc, & ipsemet illorum inducat nos in possessionem, & quidem possessionem pacificam in æternum. Quis unquam tam amabilis Patris audivit fieri mentionem?

Fratres Joseph credebant se perdidisse Joseph cepit ipsum, quando subductus est ipsis, & ab possessionem ipsismet venditus & abductus in servitu- in Ægypto tem. Nihilominùs concessit ipse in Æ- pro se & pro gyptum, ut illius caperet possessionem fratrbus suis, tum pro se, tum pro ipsis, siquidem non tantùm ibidem fuerat, Pro-Rex, sed absolutus velut Dominus. Eheu! nil noverant de hoc fratres ipsius, nec agnoscebant consilia magnæ hujus providentiæ, quæ totum dirigebat opus. Sed tandem, cùm necessitate premerentur in propria Regione sua, coacti sunt ipsimet concedere in Ægyptum, ibidem quæsituri panem suum; credebant ipsi, intrare se illuc velut mendicos, sed auspicato defigebantur stupore, quòd exceptos se cernerent velut Principes, & quasi velut Regni ipsius Dominos, eòquòd jam à longo tempore illius adiérant possessionem in persona fratris sui. Ah! quanto perfusi sunt gaudio, quando in primo amplexu audierunt ipsum dicentem sibi: *Ego sum Joseph, frater vester, quem vendidistis, nolite timere; pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum, ut illius communicarem vobis divitias.* Gen. 45. v. 4.

Hoc nonnisi figura erat; sed ecce vobis veritatem. JEsus Christus verus est Joseph; nos fratres ipsius, falsi ipsius fratres, & veri ipsius persecutores, homines,

JEsus Christus capit in regno cœlorum pro se & pro nobis.

mines, miserabiles nos omnes peccatores possessionem vendidimus ipsum, tradidimus & misimus ipsum in servitutem, quin & consignavimus ipsum morti. Verùm non propterea perdidimus ipsum. Verum est, quòd nos deseruerit, quòdque visibilem ipsius amiserimus præsentiam : verùm is abiit accepturus possessionem regni cœlorum pro se & pro nobis : ibi non solummodò est Pro Rex, sed Rex ipsius absolutus; & hoc exploratum est nobis. Quid facimus hic in ista lacrymarum valle? Eheu! nos hîc non vivimus, nonnisi hîc morimur, vel saltem nonnisi hîc languemus. Nondum satis adhuc vitæ præsentis premimur miseriis, ut quantocyùs liberari ab illis non anhelemus?

Eamus, aspiremus, festinemus intrare in Regnum hoc felicitatis æternæ, ubi novimus fratrem nostrum supremum esse Monarcham : nostrum id est, cùm certi simus, ipsum pro se & pro nobis illius jam adiisse possessionem : ipse exspectat nos, desiderat nos, paratus omninò ad nos recipiendum. Ah! quàm immensum nobis gaudium, quando accipiet nos inter brachia sua, incomparabiliter majori cum amore, quàm acceperit Joseph fratres suos, ut nobis consignet plenam possessionem omnium divitiarum magni hujus impetii!

Majori cum amore nos accipit, quàm acceperit Joseph fratres suos.

Ah! nonnè videmus, quòd incomparabilis ipsius amor impellat illum, ut in bonum nostrum multò plura faciat, quàm fecerit Joseph pro fratribus suis? siquidem is non ipsemet quæsivit eos in Persona, ut deduceret illos in Ægyptum. Sed verus noster Joseph recedens à nobis, ut ascendat in cœlum, promittit nobis, quòd abeat, parare nobis locum in regno suo : vado parare vobis locum; quo parato, pollicetur, se reversurum ad nos, ut nos accipiat, nósque secum illuc deducat; promisit id nobis, & fidelis est. Quotidiè conspicimus executionem promissionis hujus, siquidem dum ultimæ appropinquamus horæ, jam accincti ad iter extremum, nonnè venit ipsemet ad nos in Persona? nonnè præbet se nobis in forma viatici, ut nostri Dux sit itineris, & certum pignus, quòd, cùm seipsum det nobis, negaturus nobis non sit cætera omnia cœlorum bona, quæ tam pretiosa, sicut ipse non existunt? quid ultra optare ac desiderare possumus?

Valete igitur creaturæ, munde immunde, vanæ occupationes terræ, consilia humana, falsa promissa sæculi! valete omnes fraudes sensuum, nonnisi despicatu vos prosequar deinceps maximo. Ad te solam aspiro, ô cœlestis Jerosolyma, chara mater mea : te solam desidero, ô jucunda æternitatis meæ mansio, nonnisi tuas anhelo, tuas sector & aucupor pulchritudines. O quando mihi tua reserabuntur ostia! tunc mea omnia, quando te videro, adimplebuntur desideria :

Satiabor, satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Psalm. 16. v. 15.

A M E N.

INDEX

INDEX RERUM.

Numerus prior paginā ſignificat, Poſterior columnam.

Abjectio.

MAgnificentia Chriſti ſub abjecta ſpecie. Pagina 233. Columna 2

Abjectionis æſtimatio. p. 360 c. 1 & 949

Adam.

Cur omnes perdiderimus gratiam, & Innocentiam in Adam. p. 21 c. 1. & ſeq.

Cur participes fiamus non ſolùm ipſius miſeriæ, ſed etiam ipſius peccati. p. 22 c. 1

Cur non niſi primi ipſius peccati fiamus participes. p. 23 c. 1

Semper eſt Adam, quem punit Deus in omnibus Filiis ſuis. p. 23 c. 2

Filiorum Adæ calamitates. p. 23 c. 2

Pulchra conſideratio circa diuturnam punitionem, quam infert Deus unico peccato Adæ. p. 20 c. 2

Peccatum Adæ nobis fuit ratione quadam utile. p. 147 c. 1

Adam habuit triginta annos à primo die vitæ ſuæ. p. 312 c. 1

Pulchritudo intellectûs Adami in ſtatu Innocentiæ. p. 456 c. 2

Adam mortuus eſt in monte Calvariæ. p. 908 c. 2

Oppoſitiones inter vias primi Adam, & illas Adam ſecundi. p. 1017 c. 1

Adorare.

Quomodo verè adorandus ſit Deus. p. 274 c. 1

Advocatus.

JEſus Chriſtus noſter Advocatus apud Patrem ſuum. p. 866 c. 2

Quatuor conditiones boni Advocati. ibidem.

Ægyptus.

Cur JEſus Chriſtus fugerit in Ægyptum. p. 322 c. 1

Ægyptus erat pars mundi maximè ægrota. p. 324 c. 1

Erat primus Paradiſus Eccleſiæ Chriſtianæ. p. 324 c. 2

Quamdiu JEſus Chriſtus ibi permanſerit. p. 325 c. 1

Æternitas.

Æternitas beata, & infelix deciſæ, & decretæ ſunt à JEſu Chriſto ſupra crucem. p. 917 c. 1. & ſeq.

Symbolum felicis, & infelicis æternitatis. p. 925 c. 1
Perpendendum hoc benè. p. 932 c. 2

Affectus.

Pulcher affectus S. Bernardi circa id, quod JEsus Christus se nostris oneraverit criminibus. p. 237 c. 2
Pulcher affectus circa id, quod crimen in morte Filii Dei commissum aboleat omnia alia crimina. p. 238 c. 1
Pulcher affectus animæ cognoscentis veras excellentias JEsu Christi. p. 256 c. 2
Affectus nostri oppositi sunt affectibus JEsu Christi. p. 322 c. 1
Eximius affectus S. Bernardi circa id, quod JEsus Christus faciebat in Nazareth. p. 336 c. 2

Afflictiones.

Bonæ afflictiones majoris sunt pretii quàm bona opera. p. 772 c. 2
Magis gaudendum est, si toleremus malum, quàm si agamus bonum. p 773 c. 1
Magna consolatio pro omnibus affectis. p. 774 c. 1
Exemplum admirabile JEsu Christi docet nos modum benè patiendi. p. 775 c. 1
Repugnantiæ naturæ non impediunt, quin patiamur modo perfecto. p. 776 c. 2
Diversi gradus participandi ex afflictionibus JEsu Christi. p. 822 c. 1
Vera Crux, quæ est afflictio, fortior est signô crucis. p. 900 c. 2
Crudeles dolores Passionis JEsu Christi persuadent nobis amorem afflictionum. p. 959 c. 1

Amare.

Efficax motivum amandi JEsum Christum. p. 61 c. 1. item p. 66 c. 2. item p. 150 c. 2
Pulchræ rationes, quas Sapientia Dei allegat ad persuadendum nobis, quod nos amet. p. 136 c. 1
Luculenta probatio amoris divini erga nos, quod nobis suum dederit Filium. ibidem. c. 2

Amor Divinus.

Stupendus excessus amoris Dei erga peccatores. p. 50 c. 2
Amor Divinus confert nobis plus, quàm conferat ipsi Deo. p. 51 c. 1
Inusitata Philosophia amoris Divini. p. 52 c. 1
Nihil impossibile est amori Dei erga homines. p. 73 c. 2
Difficultates, quas experimur in servitio divino, ostendunt nobis, nos ipsum non amare. p. 74 c. 1

Amor DEI.

Amare Deum, & suum proximum melius est, quàm patrare miracula. p. 529 c. 1. & seq.
Plus est amare Deum perfectè, quàm esse Deum personaliter. p. 588 c. 2
Inæstimabilis animarum felicitas, quod possint amare Deum. p. 589 c. 2
Plures peccant graviter contra magnum præceptum amoris, & non advertunt. p. 792 c. 1
Qui amat aliquid magis, quàm Deum, vel ita, sicut Deum, est in con-

continuo peccato mortali. p. 792 & seq.
Est error, credere, quod satis ametur Deus, modò non offendatur. p. 794 c. 1
Amare debemus Deum, sicut nos amat. p. 794 c. 2
Defectus amoris impedit effectum Sacramentorum. p. 793 c. 2
Juxta pondus amoris æstimatus valor bonorum operum. p. 814 c. 1
Anima potest crescere usque in infinitum in amore Dei. p. 643 col. 2
Amor stupendus Dei erga nos. p. 666 c. 1. & p. 753 c. 1
Quid impellere nos debeat ad amandum JEsum Christum. p. 791 col. 1
Tria genera amoris regnantis in piis animabus. Affectivi, Effectivi, patientis. p. 826 & seq.
In quo consistat purus amor animæ erga JEsum Christum. p. 949 col. 1
Amor mori fecit JEsum Christum in cruce. p. 967 c. 1. & 2.
Amor triumphavit de odio in passione JEsu Christi. p. 891 c. 2

Amor proximi.

Præceptum amandi proximum probat, Deum salvare velle omnes homines. p. 630 c. 1
Non habemus verum amicum in mundo, nisi JEsum Christum. p. 860 c. 1

Angeli.

Omnes boni Angeli sunt Christiani. p. 594 c. 1
Mali Angeli damnati sunt ob unicum solum peccatum. p. 926 c. 2
Non veniunt in partem fructuum Passionis JEsu Christi. ibidem.

Anima.

Affectus, & proposita Animæ illuminatæ cognitione, & lumine JEsu Christi. p. 718 c. 1. & seq.
Honoratam se credit participando ex opprobriis Passionis ejus, p. 875 & seq.
Gaudium ipsius, dum patitur pro JEsu Christo. p. 879
Teneri amoris affectus, dum meditatur Passionem ejus. p. 882 c. 1. & seq.
Quanta celeritate anima beata cœlum conscendat. p. 1014 c. 1

Annihilatio.

Annihilatio mystica animæ, quam Deus reddere vult divinam. p. 98 c. 2
Quomodo intelligendum sit, quod JEsus Christus sit exinanitus. p. 119 c. 1
Annihilari est, non esse Personam. p. 120 c. 1
Quomodo Deus annihilet animam. p. 121 c. 2
JEsus Christus semper tendebat ad annihilationem. p. 356 c. 1
Quando triumphavit, magis apparuit annihilatus. p. 357 c. 1
Quomodo amare debeamus omnia, quæ nos deducunt ad annihilationem. p. 358 c. 2
Fallax dolus amoris proprii inducit nos ad fugam annihilationis, p. 359 c. 1

Anti-Christus.

Totum novum testamentum prædicit, & exspectat Anti-Christum, sicut vetus exspectabat, & prædicebat JEsum Christum. p. 544 col. 2

Plures sunt Anti-Christi, & non est, nisi unus. p. 446. c. 1

Papa esse non potest Anti-Christus p. 547 c. 1. & seq. ac pag. 560 col. 2

Unde venturus sit Anti-Christus, & qualis homo futurus. p. 548 col. 1. & seq.

Erit spurius, & obscuro loco natus. p. 549 c. 1

Habebit gratias, & salvari posset, si illis vellet cooperari. p. 550 col. 1

Quibus mediis usurus sit, ut formidabilem se reddat in toto mundo. p. 557 c. 1. & seq.

Plures jam hodie præparant viam Anti-Christo, & quinam hi sint. p. 557. & seq.

Prodigiosus numerus militum ejus. p. 559 c. 2

Magna Miracula, quæ patrabit, erunt magna tentatio hominibus bonis. p. 563 c. 2 vide miracula.

Cur plures post se tracturus sit, quàm JEsus Christus. p. 567 & seq.

Anti-Christus oppugnabitur à tribus Magnis Servis JEsu Christi, Elia, Enoch, & S. Francisco. p. 573. & seq.

Quamdiu regnaturus sit. pag. 575 col. 2

Funestus ipsius finis. ibidem

Invectiva contra Anti-Christum præcipitatum. p. 576 c. 2

Quantum temporis futurum sit superstes à morte ipsius usque ad judicium universale. p. 578 c. 1 & seq.

Apostoli.

JEsus Christus misit Apostolos suos in universum mundum, ut omnes homines vocaret ad salutem. pag. 641. & seq.

Missio Apostolorum. p. 1011 c. 1 & seq.

Admirabilis Bonitas JEsu Christi erga Apostolos. p. 985 c. 1. & p. 986 c. 1. & 2

Confirmavit ipsos per Resurrectionem suam. p. 992 c. 1. & 2

Aqua.

Aquæ in vinum conversæ. p. 385 c. 1. & 2

Ascensio.

Quomodo peracta sit Ascensio JEsu Christi. p. 1011. & seq.

Quantum temporis impenderit, ut ascenderet in cœlum. p. 1013 col. 2

Majestas triumphi ipsius. p. 1015 col. 2

Plures tubæ præcesserunt ipsum. p. 1014 c. 2

Triumphus ipsius splendidior est Imperatorum triumphis. p. 1019 col. 2

Magnificentia gloriæ ejus. p. 1017 articulo 3

Jubilus cordis JEsu Christi in ascensione sua. p. 1020 c. 2

Pre-

Pretiosa spolia, quæ reportavit ex inferiori hoc mundo pag. 1022 articulo 4
Tria devicta monstra, quæ traxit alligata currui suo triumphali, peccatum, diabolum, mortem. p. 1023 & seq.
Tria vinculorum genera, quibus JEsus Christus nos trahit ad se in cœlum. p. 1030. c. 2. & seq.
Pulchrum spectaculum, videre corpus mysticum JEsu Christi ascendere indies successivè in cœlum. p. 1031 c. 2

Athanais.

Felicitas insperata Athanaidis, ad nostra est major. p. 834 c. 1

Augustus.

JEsus Christus voluit regnare Augustum, ut disponeret mundum ad se recipiendum. p. 244 c. 2
Stupendus nnmerus militum sub hoc Principe. ibidem
JEsus Christus nascens apparuit ipsi, illúmque induxit, ut audire amplius noluerit Supremus Monarcha in mundo. p. 246 c. 1
Infirmitas hujus Principis, & vecordia. p. 300 c. 1

Austeritas.

Quàm austera fuerit vita JEsu Christi. p. 810 c. 1. & seq.
Vita Christianorum austera esse debet, & quare. p. 815 c. 1.

B.

Baptismus.

CUr Baptismus Domini nostri factus in Jordane. p. 383 c. 1
Mysteria Baptismi JEsu Christi ibidem.
JEsus Christus declaratus fuit publicè filius Dei in suo Baptismo p. 384 c. 2
Tria mysteria concurrunt eodem die ibidem. c. 1
Conversio aquæ in unium contigit eodem die, quo Baptismus JEsu Christi. p. 385 c. 1
Baptismus JEsu Christi est naufragium veteris testamenti figurarum. p. 386 c. 1
Baptismus S. Joannis non tollebat peccatum originale. p. 387 c. 1
Non erat necessarius JEsu Christo. ibidem. c. 2
Sex pulchræ rationes, ob quas JEsus Christus baptizari voluerit à S, Joanne. ibidem c. 2
Mysterium JEsu Christi baptizati ad Jordanem est compendium, & synopsis omnium obligationum Christiani. p. 392 c. 1
Quid sibi velit vox Patris æterni. p. 392 c. 2
Quid insinuet apparitio Spiritûs S. supra JEsum Christum. p. 393 col. 1
Baptizare nos indies possumus, & exercere munus S. Joannis Baptistæ respectu nostri. p. 395 c. 1
Baptismi nostri pulchræ cæremoniæ. p. 897 c. 2

Beatitudo.

Beatitudo animarum nostrarum est eadem, & valde diversa in cœlo, & in terra. p. 99 c. 1
Octo beatitudines prædicatæ à JEsu

ſu Chriſto ſupra montem. p. 671 col. 1 & ſeq.
Beata Anima, quæ aſpirat ad Beatitudinem. p. 1007 c. 2
Pulchrum deſuper exemplum relatum à S. Franciſco Saleſio. pag. 1008 c. 2

Beneficium.

Beneficium Creationis eſt magnum, illud Redemptionis eſt adhuc majus. p. 48 c. 1.

C.

Calvariæ mons.

QUare JEſus Chriſtus pati, & mori voluerit in monte Calvariæ. p. 907 c. 2
Calvaria, & Thabor ſibi correſpondent. p. 933 c. 1

Caro.

Quomodo ſuperanda ſit caro per crucem JEſu Chriſti. p. 898 c. 2
Adoranda caro JEſu Chriſti magis idonea erat ad ſufferendos dolores, quàm ulla alia ob 3. rationes. p. 951 c. 1

Chriſtianus.

Omnis homo naſcens eſt Chriſtianus ruditer delineatus. pag. 228 col. 1
Tria genera Chriſtianorum. pag. 283 c. 2
Chriſtiani negligentes avertunt à Religione. p. 202 c. 1
Omnes homines habent inclinationem naturalem, ſint Chriſtiani. p. 467 c. 1
Primi Chriſtiani occiſi auxerunt numerum fidelium. p. 484 c. 1
Chriſtianum non oportet ducere vitam mollem. p. 504 c. 2
Omnes Chriſtiani probare debent fidem ſuam miraculis. pag. 521 col. 2 & ſeq.
Magis obligati ſunt ad credendum in JEſum Chriſtum, quàm fuerint Judæi. p. 543 c. 2
Pauci eſſent hoc tempore in ſtatu ad reſiſtendum Anti-Chriſto. p. 555 c. 2
Inæſtimabilis felicitas Chriſtianorum, quod ſint filii Dei per gratiam. pag. 837 c. 1. & pag. 586 c. 1 & p. 649 c. 2
Deus vult à Chriſtianis vocari *papa*, ſicut à filius infantibus. p. 665 c. 1
Non faciunt niſi unum corpus myſticum cum JEſu Chriſto. p. 818 col. 2
Omnes Chriſtiani pertinent ad JEſum Chriſtum ex tribus titulis: Creatione, Redemptione, & Glorificatione. p. 829 c. 1
Ipſorum ſtupiditas, ſi ſuam ignorent felicitatem. p. 835 c. 2
Qua ratione ſint filii Dei. p. 837 col. 2
Ipſorum vecordia, quando degenerant à nobilitate ſtirpis ſuæ. p. 840 c. 1
Omnis Chriſtianus eſt Religioſus crucis. p. 929 c. 2
Inæſtimabilis Chriſtianorum felicitas in die Judici. p. 932 c. 2
Debent ſcire, & ſervare Regulam ſuam. p. 930 c. 2. & ſeq.
Mali Chriſtiani inferunt adhuc JEſu Chriſto

Christo ignominias Passionis suæ. p. 945 c. 1. & seq.
Faciunt ipsi omnes reparationem honoris in die Veneris Sancto. p. 946 c. 2. & p. 949 c. 2
Omnes Christiani sequuntur JEsum Christum, sed diversimodè. p. 948 c. 1
Non spectat, nisi ad magis perfectos, sequi ipsum in profunda sui humiliatione. ibid. c. 2 & seq.
Consolatio admirabilis verorum servorum JEsu Christi. p. 1033 col. 2. & seq.

Cæcus.

Cœcus natus non poterat comprehendere aliquid ex pulchritudine visibili. p. 710 c. 2
Quantum fuerit gaudium ipsius, & admiratio, quando recepit visum. p. 712 c. 2

Cæcitas.

Differentia inter cœcitatem spiritualem, & corporalem. pag. 207 col. 1

Communio.

Ardens amor, quem JEsus Christus ostendit nobis in S. Communione. p. 795 c. 1

Comparatio.

Quæ aliquo modo facit capere unionem Divinitatis cum Humanitate. p. 104 c. 2
Pulchra comparatio hominum cum atomis. p. 168 c. 1

Condescendentia.

Plures Principes condescenderunt indoli nationum, quas vicerunt. p. 499 c. 1
Plures Legislatores studuerunt condescendere subditis suis. ibidem col. 2
Nullus unquam Princeps minùs condescendit suis, quàm JEsus Christus. p. 500 c. 2

Consideratio.

Quæ incutere debet terrorem. p. 42 c. 2
Consideratio, quæ durissimam animam urgere debeat ad ardenter amandum Deum. p. 54 c. 1
Consideratio seria hominis, meliora sapere incipientis. p. 93 c. 2
Consideratio moralis, & spiritualis circa id, quod JEsus Christus non est persona humana. p. 119. articulo 4
Consideratio amore plena circa Filium Dei, dum infans factus est pro nostra salute. p. 125 c. 2
Pulchra consideratio S. Chrysologi circa laborem JEsu Christi. pag. 337 col. 2
Seria consideratio Sacerdotibus facienda. p. 422 c. 2
Pulchra consideratio circa id, quod JEsus Christus semper suos in nos defixos habeat oculos. pag. 454 c. 2. & seq.
Consideratio circa modum, quô JEsus Christus superavit mundum. p. 483 c. 2
Consideratio Tertulliani circa id, quod Ecclesia augmentata sit persecutionibus. p. 485 c. 1. & 2
Consideratio nobis facienda circa condemnationem malorum Angelorum. p. 927 c. 1

Circa

Circa cruentam flagellationem Christi. p. 958 c. 2. & seq.
Circa corporis situm, & habitum, quem Christus tenet in cruce. p. 969 c. 1. & 2
Circa glorioſam ipſius Reſurrectionem. p. 1001 art. 5
Circa Aſcenſionem ipſius in cœlos. p. 1011 art. 1
Conſideratio ſeria omnibus peccatoribus facienda circa Paſſionem JEſu Chriſti. p. 905 c. 1. p. 910 col. 1. & ſeq.
Circa peccatum, quod conſervat in anima ſua. p. 921 c. 1. & ſeq.

Conſolatio.

Conſolatio hominum eſt habere Deum viſibilem. p. 139 c. 1. & 2

Contemplatio.

Contemplatio JEſu Chriſti convertit omnia mala in bonum. pag. 101 c. 2. & ſeq.
Ipſa habet ſtupendas duas Excellentias. p. 362 c. 2
JEſus Chriſtus inſtruxit animas contemplativas per triginta annos vitæ ſuæ abſconditæ. p. 365 & ſeq.
Paradiſus animæ eſt contemplari Paradiſum JEſu Chriſti. pag. 366 col. 1
Vita contemplativa non dependet à noſtro conatu, & opus Dei in anima. p. 371 c. 2
Animæ contemplativæ ſunt velut cerebrum corporis myſtici JEſu Chriſti. p. 370 c. 2
Quomodo intelligendum ſit, quod aliqui dicunt, nihil cogitandum eſſe in oratione. p. 371 & ſeq.
Exemplum Magdalenæ contemplantis ad pedes JEſu Chriſti. p. 372 c. 2
Status animæ contemplativæ, & ſolitariæ ſummè afflictivus, & conſotatorius eſt. p. 378 c. 2. & ſeq.

Cooperatio.

In quo conſiſtat cooperatio, quam Deus requirit à nobis ad opus noſtrum ſalutis. p. 813 c. 2. & ſeq. & p. 818

Credere.

Credere omnia, & credere nihil, ſunt duo extremè æqualiter vitioſa. p. 250 c. 1. & 2
Dicimus, quod credamus, ſed reipſa non credimus. p. 438 c. 1 & 2
Non obligamur credere miracula, ſed obligamur credere miraculis. p. 542 c. 1
Quàm faciſè ſit credere, quod JEſus Chriſtus mortuus ſit pro omnibus. p. 633 c. 1. & 2
Credimus minùs JEſu Chriſto, quàm magi credant diabolis. pag. 865 c. 1. & ſeq.

Crux.

Ante JEſum Chriſtum fugiebatur, Crux, poſt ipſum quæritur. pag. 100 c. 2. & 3
Gratiæ JEſu Chriſto conceſſæ fuerunt omnes à cruce, & nos volumus gratias absque cruce. pag. 695 c. 2 & ſeq.
Cruces, quas ipſimet non eligimus,

mus, sunt meliores. pag. 776 col. 2
Admirabilis Philosophia Christianorum circa Crucem. pag. 778 col. 1
Qui non extendit manus ad Crucem, non potest illius colligere fructus. p. 814 c. 2 & seq.
Sensa hæreticorum desuper. p. 811 c. 2 & seq.
Oportet transire crucem à corpore naturali JEsu Christi ad corpus ipsius mysticum. p. 821 c. 2
Admirabilis JEsu Christi pulchritudo in Cruce. p. 851 c. 2
JEsus Christus transiit è sinu Patris sui in sinum Crucis, velut ex Oceano gaudii in alterum. pag. 877 c. 2 & seq.
Anima Christiana non deberet petere, ut nihil patiatur. pag. 886 c. 1 & seq.
Sola Crux JEsu Christi sufficit nobis pro cunctis armis contra adversarios salutis nostræ p. 896 col. 1 & seq.
Cur JEsus Christus expositus sit ubique fixus in Cruce pag. 905 col. 1 & seq.
Crux JEsu Christi plantata fuit super caput Adami ingenti miraculo p. 908 c. 2
Quanta infamia JEsu Christo mori in cruce p. 909 c. 2
Crux decidit problema nostrarum æternitatum p. 918 c. 1
Boni sunt in Cruce cum JEsu Christo p. 922 c. 1

Curiositas.

Curiositas affligit, & consolatur. p. 439 c. 1 & 2
Fraus curiositatis. ibidem

D.

Damnati.

NOn sunt amplius membra JEsu Christi Corporis mistici, quia inde abscisi sunt 594 c. 1

Desertum.

JEsus Christus ductus in desertum à Spiritu S. & quare p. 396 c. 2
Quale hoc fuerit desertum ibid.

Deus.

Deus offensus egit pœnitentiam pro peccatore se offendente pag. 44 c. 2
Ut nos crearet, extendit manum In abyssum nihili, ut nos redimeret, extendit manum in abyssum infinitæ suæ Bonitatis. pag. 50 c. 1
Captiva creatura resumit suam libertatem, quando revertitur in Deum p. 367 c. 2 & seq.
Facilè & delectabile est conversari cum Deo. p. 368 c. 2
Deus tantâ nos prosecutus est Bonitatis abundantiâ, quantam nec Angeli, nec homines cogitare potuissent p. 44 c. 1
Nonnisi solius Dei est, magnos operari effectus per media improportionata p. 420 c. 1 & seq.
Oportet Deum esse, ad persuadendum hominibus, quod non est verisimile p. 420

Deus est hortulanus, qui inserit, sed modo hominibus opposito. p. 613 c. 2

Diabolus.

Diaboli triumphabant, ante Adventum JEsu Christi, quasi de omnibus hominibus. p. 405. c. 2
Erant incerti, an JEsus Christus esset Messias. p. 406 c. 1 & seq.
Cur tentaverit ipsum. p. 408
Mysterium trium tentationum diaboli. p. 407 c. 2
Diabolus adorari vult à JEsu Christo. p. 409 c. 1 & seq.
Quàm firmiter stabilitum fuerit Regnum diaboli in mudo. pag. 493 c. 2
Diaboli reverentur humanam naturam post Mysterium Incarnationis 166 c. 1 & seq.
Diabolus patrare potest falsa miracula, sed discernuntur ex 5. signis. p. 517 & seq.
Quid diabolus prætendat, dum fingit miracula. p. 519 c. 1
Cruci suffixus est cum JEsu Christo. pag. 900 c. 1
Diaboli insurgent contra Christianos in die judcii. pag. 931 c. 1 & seq.
Diabolus devictus, & in triumpho deductus à JEsu Christo. pag. 1025 c. 2
Illuditur, & contemnitur à Servis Dei. p. 1025 c. 2 & seq.
Exempla eorum, qui contempserunt diabolum. p. 1026 col. 1 & seq.

Differentia.

Pulchra differentia inter cædem Judæorum, & Martyrium Christianorum. p. 218. c. 1. & seq.

Disputatio.

Pulchra disputatio Misericordiæ, & Justitiæ coram tribunali divinæ Sapientiæ. p. 95 c. 1. & seq.
Egregia disputatio S. Antonii Eremitæ contra Philosophos paganos circa Mysterium Crucis. p. 471 col. 2
Item S. Margaritæ Virginis, & Martyris cum Olybrio Præside. pag. 991 c. 2

Divitiæ.

Potentia divitiarum. p. 486 c. 1

Divites.

Duo genera divitum. p. 264 c. 1
Materialiter divitibus plurimi, spiritualiter divitibus nihili constant suæ divitiæ. ibidem.

Doctrina.

Doctrina JEsu Christi sola caret minimo defectu. p. 470 c. 2
Est supra rationem, sed non contra. pag. 471 c. 1
Ipsius descriptio. p. 474 c. 1. & seq.
Est sancta, & convertit animas. ibidem.
Confert Sapientiam. p. 475 c. 1. & seq.
Replet corda gaudiô. p. 476 c. 1
Illuminat oculos simplicium. ibidem. c. 2
Insculpit timorem Dei. pag. 477. col. 1
Excitat, & animat promissione magni-

magnifica mercedis, & præmii. ibidem. c. 2
Unde veniat, quod Doctorina JEsu Christi recipiatur ab omnibus Christianis, & à tam paucis in opus deducatur. pag. 709 col. 1. & seq. item p. 715 c. 1 & seq.

Dolores.

Excessus dolorum JEsu Christi in Passione ejus. p. 950. lege totum articulum.
Non debemus judicare de iis ex eo, quod nobis exteriùs apparet. p. 952 c. 1. & seq.
Deus auxit in JEsu Christo potentiam passivam, ut pati posset ratione quadam nobis incomprehensibili. p. 953 c. 2. & seq.
Dolores JEsu Christi sunt innumerabiles. p. 955 c. 1. & 2
Dolores flagellationis. p. 958 c. 1

E.

Ecclesia.

JEsus Christus stabilivit Ecclesiam suam super nihilum. p. 487 c. 1
Bona temporalia non sunt fulcrum, nec fulcimentum Ecclesiæ. pag. 488 c. 2
Nunquam potentior fuit, quàm quando pauperior. p. 489 c. 1
Ingentia mala, quæ bona temporalia illi conciliarunt. ibidem
Maxima pericula eorum, qui possident bona Ecclesiæ. pag. 490 c. 1 & seq.
Reprehensio JEsu Christi facta iis, qui dissipant illa. p. 490 c. 2
Crimen enorme abutentium illis. pag. 491 c 1
Bona Ecclesiæ sunt mala ipsius, p. 492 c. 1
Magna bona, quæ proficiscerentur è bono illorum usu. ibidem
Ecclesia JEsu Christi non destruetur ex integro ab Anti-Christo. pag. 555 col. 1
In quo statu futura sit Ecclesia post mortem Anti-Christi. pag. 577 col. 2. & seq.
Incomparabilis pulchritudo Corporis mystici JEsu Christi, quod est Ecclesia. p. 594 c. 2
Diversa munera, quæ distribuit membris suis. p. 595 c. 1
Debemus contenti vivere dispositione, quam Deus nobiscum facit. ibidem. c. 2
Ecclesia Christiana portata fuit, velut infans, in sinu veteris Synagogæ. p. 687 c. 1. & seq.
JEsus Christus magis amat Ecclesiam, quàm seipsum. pag. 819 col. 1
Dolores Passionis JEsu Christi adimplentur in corpore ipsius mystico. pag. 821 c. 2
Pulchræ comparationes inter duo corpora JEsu Christi, mysticum, & naturale. p. 823.

Eleemosyna.

Exemplum admirabile Charitatis erga pauperes. pag. 635 col. 1 & seq.
Aliud exemplum S. Germani Antisiodorensis. p. 848 c. 2 & seq.

Evangelium.

Exemplum magnorum Principum, qui deduxerunt in opus Evangelium. p. 204 c. 1

Conſideratio judicioſa circa lectionem S. Evangelii. pag. 414 c. 1 & 2

Effectus admirabiles ſimplicis prædicationis Evangelii. p. 497 c. 2

Excellentia.

Unio Excellentiarum, & vilitatum in JEſu Chriſto probat evidenter, quod ſit Deus, & homo. p. 75 c. 2

Tria genera Excellentiarum, carnalium, ſpiritualium, & divinarum. pag. 76 c. 2. item p. 251 col. 1 & ſeq.

Cur JEſus Chriſtus repulerit à ſe Excellentias corporales, & ſpirituales. p. 251 c. 2

Excellentiæ Divinæ minùs habent ſplendoris, plus autem valoris, quàm aliæ. p. 76 c. 2 & ſeq.

Veræ Excellentiæ JEſu Chriſti videri non poſſunt, niſi per lumina cœli. p. 255 c. 1

Amantur vehementer Excellentiæ ſpirituales Scientiarum. p. 260 col. 1

Magnum periculum eorum, qui amant excellentias, vel carnales, vel ſpirituales. p. 262 c. 2

Amandæ ſunt unicè Excellentiæ Divinæ. p. 263 c. 1 & 2

Quidquid vile videtur in JEſu Chriſto, eſt ſublime per ſtupendas Excellentias. p. 472 c. 2 & ſeq.

F.

Fides.

APparens impoſſibilitas in myſteriis fidei, eſt luculenta probatio veritatis illorum. p. 72 c. 1

Solus defectus fidei noſtræ impedit nos, ne verè magni ſimus. pag. 257 c. 1

Dantur, qui non habent fidem, niſi in memoria. p. 284 c. 1 & ſeq.

Alii, non niſi in intellectu. ibid.

Qui habent fidem in corde, ſuut verè beati, p. 285 c. 1 & ſeq.

Oportet habere fidem, ut aliquis ſit verè Chriſtianus, ſicut globus cryſtallinus ſole illuminatus. pag. 286 c. 1

Non oportet ampliùs diſputare de rebus, per fidem deciſis. pag. 632 c. 1 & ſeq.

Qui non habet fidem, non poteſt mereri cœlum p. 757 c. 2

Non applicamus nobis fructus Paſſionis JEſu Chriſti per ſolam fidem, nec per ſolam ſpem. pag. 816 col. 1 & 2

Fides Reſurrectionis mitigat omnes amaritudines vitæ. p. 993 c. 1

Exemplum admirabile deſuper. p. 1000 c. 1

Quàm dulce ſit cogitare de Veritatibus æternis, quas Fides revelat nobis. p. 1004 c. 2 & ſeq.

Fidem reddunt evidenter credibilem miracula. p. 542 c. 2

Fœmina.

Devotio fœminarum ſæpe ſuperat illam Virorum p. 977 c. 1

Ipſa-

Ipsarum prærogativæ respectu mysterii Resurrectionis Christi. pag. 976 c. 1 & seq.
Zelus, quem demonstrârunt erga JEsum Christum post mortem ipsius. p. 977 c. 1
Angelus annuntiet illis Resurrectionem JEsu Christi. pag. 980 c. 1
Non est fidendum illarum revelationibus, & visionibus. p. 980 col. 1
Discernuntur veræ devotæ à falsis per 6 notas. p. 980 c. 2 &. seq.
Cur Angelus mittat ipsas, ut revelationem suam indicent Apostolis p. 984 c. 2

Sanctus Franciscus.

Probabile est S. Franciscum esse reservatum, ut oppugnet Anti-Christum, in fine mundi cum Elia, & Enoch. p. 574 c. 1
Excellentiæ, gloriæ, & divitiæ S. Francisci. p. 841 c. 1 & seq.
Quantò magis se annihilavit, tantò magis ipsum Deus exaltavit. pag. 843 c. 2
Sacra ipsius stigmata summè illius illustrant gloriam. p. 844 c. 1
Quàm amarè deploraverit Passionem JEsu Christi p. 883 c. 2

G.

Gaudium.

GAudium Sanctissimæ Humanitatis absorptam se videntis in Personam Verbi divini. p. 583 col. 2
Gaudium Patris æterni, quod habeat talem Filium, & reciprocum gaudium Filii, quod habeat talem Patrem. p. 585 c. 2
Cor JEsu Christi patientis est verum Sanctuarium gaudii divini. pag. 880 c. 1 & 2
Gaudium divinum conceditur unà cum lachrymis, p. 881 c. 1
Aliquis Pater moritur præ gaudio, videns filios suos coronatos. pag. 1020 c. 1
Gaudium bonarum animarum videntium intrare JEsum Christum, triumphantem in gloriam suam. pag. 1021 c. 1

Gratia.

Omnium gratiarum maxima est illa Uuionis Hypostaticæ, concessæ JEsu Christo. p. 587 c. 1
In quo sensu totum esse JEsu Christi sit gratia. p. 590 c. 2 & seq.
Explicatio gratiæ Unionis Hypostaticæ. p. 591
In quo consistat gratia capitis, quæ particularis est in Christo JEsu. p. 592 c 1
Expositio gratiarum gratuitarum. pag. 608 c. 2 & seq.
Deus confert gratias interiores omnibus hominibus, quamvis illas non videamus. p. 641 c 2
Quatuor mensuræ absque mensura Gratiarum, quas Deus effundit è corde suo in peccatores. pag. 642 & seq.
Dignitas inæstimabilis gratiæ. pag. 646 col. 1 & seq. per totum articulum.

Ipsa locupletat etiam ratione quâdam Deum Patrem. p. 652 c. 2
Gratiæ actuales offeruntur omnibus. p. 707 & 708 c. 1
Quomodo gratia agat in corda hominum p. 704 c. 2 & seq.
Quàm mirificè se accomodet Gratia nostræ libertati. p. 708 c. 2
Quàm glorioſum sit nobis esse filios Dei per Gratiam. pag. 837 col. 1
Gratia nobis non deest, sed nos desumus Gratiæ. p. 916 c. 2

H.

Hæresis.

Doctrina hæreticorum circa Redemptionem JEsu Christi vel ad effrœnem vivendi licentiam, vel in desperationem redigit homines. p. 620 c. 1
Pernicioſissima Doctrina hæreseos modernæ. p. 619 c. 2

Herodes.

Quatuor Herodes regnantes successivè in Judæa. p. 287 c. 1
Herodes Ascalonita putavit, se esse Messiam. p. 288 c. 2
Ipsius, & totius civitatis Jerosolymæ pavor insinuabat Divinitatem JEsu Christi. ibidem.
Dissimulatio Herodis. p. 297 c. 1
Ipsius inquietudo. p. 298 c. 1
Ipsius fraudes. p. 299 c. 2
Ipsius crudele mandatum. pag. 300 col. 1
Omnia sua consilia adversantur ipsi. p. 302 c. 1
Quo furore fuerit agitatus post cædem Innocentium p. 305 c. 1
Occidit conjugem cum filiis. pag. 305
Ultima ipsius rabies. 306 c. 1
Torquetur à seipso. ibidem c. 2
Torquetur â Justitia divina. ibid.

Hiſtoria.

Brevis Hiſtoria exterminii civitatis Jeroſolymæ. p. 175 c. 1 & 2

Homo.

Homo naturaliter scit, quod omnes creaturæ, quas videt, sint se minores. p. 4 c. 1
Cognoscit à seipso, quod sit compositus è corpore, & spiritu. ibidem.
Habet naturaliter confusam aliquam notitiam Dei. p. 5 c. 1
Benè cognoscit, quod non fecerit seipsum talem, qualis est. p. 6 col. 2
Primus homo includebat in se Creatorem, & creaturam. p. 8 col. 1
Homo non potest contentus esse, nisi Deo. p. 9 c. 1 & seq.
Ipsius prærogativæ in statu Innocentiæ. p. 14 c. 1
Omnes Creaturæ rebellarunt ipsi, quandò rebellavit is Deo. pag. 19 col. 2
Rimetur homo seipsum, ut sciat, quod sit Deus-Homo. pag. 79 col. 1
Contrarietates, quas experitur in seipso. p. 4 c. 2
Ipsius infirmitates. p. 6 c. 1
Cur Deus voluerit, ut imponeret omni-

omnibus creaturis nomina. pag. 14 col. 1
Volens fieri Deus, factus est idolum. p. 17 c. 2
Elevatus est supra Thronum Dei in medio sacri Senatûs SS. Trinitatis. p. 165 c. 1
Quatuor diversi status hominum, qui omnes referuntur ad JEsum Christum. p. 1024 c. 1

Humanitas.

Sancta Humanitas tota annihilata, quantùm ad Personam suam humanam. p. 98 c. 1
Plurimi stat Humanitati, ut nostra solvat debita. p. 97 c. 2
Deliciæ Sanctæ Humanitatis, unitæ cum Divinitate. p. 103 c. 1

Humiliationes.

Summæ humiliationes JEsu Christi in Passione sua. p. 934 & seq.
Ipsæ ostendunt magnitudinem peccati nostræ superbiæ. p. 943. c. 2
Participes nos facere debemus humiliationum JEsu Christi. pag. 944 c. 1

Humilitas.

Humilitas JEsu Christi. pag. 351 per totum articulum 3.
Continuum fecit miraculum, ut viveret in mundo absque fulgore. p. 352 c. 1
Non minor requiritur gratia ad inveniendum JEsum Christum in profunda sua humilitate, quàm possidendum ipsum in sua gloria. p. 354 c. 1 & seq.
Tres rationes vitæ ipsius absconditæ. p. 352 c. 2 & seq.
Principium humilitatis S. Francisci. p. 354 c. 2 & seq.
Sensa ipsius de humilitate pro se, & pro suis filiis. 355 c. 2
Pulchrum certamen humilitatis inter JEsum Christum, & S. Joannem Baptistam. p. 389 c. 2
Item inter S. Dominicum, & S. Franciscum. p. 390 c. 1
Esse verè humilem, est impleviſſe omnem Justitiam. p. 390 c. 2
Humilitas, & superbia discernunt prædestinatos, & reprobos. pag. 391 c. 1
Elogium veræ Humilitatis. ibidem col. 2
Humilitas ingenii eximii rara. pag. 461 c. 2

Hyems.

Hyemis rigor. p. 231 c. 1 & seq.

I.

Idioma.

HOmo, qui nunquam didicit aliquod idioma, loquitur idioma illorum, quos primò loquentes audivit. p. 2 c. 2

Jerusalem.

Tria reddebant Jerosolymam spectabilem. p. 906 c. 1

JEsus Christus.

Collocanda nobis est nostra felicitas in consideratione JEsu Christi. p. 58 c. 2. & seq.
Inauditus modus, quo usus est ad procurandam nostram reconciliationem. p. 60 c. 2

Stu-

Stupendus modus, quo noſtra ſolvit debita. p. 62 c. 1
Locupletamur ſolventes ipſi debita. ibidem. c. 2
Remuneratur nos, quando recipimus ipſius gratias. p 64 c. 1
Magis gaudet de ſalute alicujus animæ, quàm ipſamet gaudeat de illa. p. 65 c. 2
Amat noſtram animam, plùs quàm ſeipſum. p. 66 c. 1
Qui negat JEſum Chriſtum, exſpoliat mundum ſpe dulciſſima. p. 73 c. 1
Quod fecit contra omnem apparentiam, & approbationem humanam, evidenter probat, ipſum eſſe Deum. p. 78 c. 2
Differentia maxima inter ipſum, & Mahomet. p. 81 c. 1
Quod tam contemptus fuerit, & pauper, eſt, quia non erat perſona. p. 120 c, 2
Animæ ipſum imitari volentes, conentur, ut non perſonæ ſint, quàm ipſe. p. 121 c. 1
Cur Deus non fecerit ipſi Corpus novum omninò, ſicut Adamo. p. 123 c. 1
Tria magna miracula in eo, quod aſſumpſerit Corpus humanum ex Matre Virgine. p. 123 c. 2
Qua ratione id formatum fuerit. p. 124 c. 1
Totus mundus factus eſt pro ipſo. p. 154 c. 2
Deus glorificatur per JEſum Chriſtum, quantùm poteſt, & debet glorificari. p. 162 c. 1 & ſeq.
Scientia practica Chriſtianorum probat, quod JEſus Chriſtus ſit verè Meſſias. p. 202. art. 7
Omnia, quæ ſcripta ſunt de Meſſia, verificata ſunt in JEſu Chriſto. p. 210 c. 1 & 2
Quando per impoſſibile exſpectandus foret alius Meſſias, deberet eſſe talis, qualis eſt JEſus Chriſtus. p. 211 c. 1
Nunquam viſus eſt homo, qui dixerit ſe eſſe Filium Dei, niſi JEſus Chriſtus. p. 214 c. 1
Si non eſſet Filius Dei, eſſet maximus ipſius inimicus. p. 214 c. 2
Si fuiſſet malus, Deus puniſſet ipſum, & benedixiſſet Judæos, qui occiderant illum. p. 216 c. 2
Punitio Judæorum probat evidenter, quod JEſus Chriſtus ſit Meſſias. p. 217 c. 2
Eſt verus Deus, quia abolevit Idololatriam. p. 221 c. 1
Quia mutavit Religionem Judæorum. p. 221 c. 2
Tubæ, & inſignia victorioſa, quæ proceſſerunt ipſius introitum in mundum, nobis enuntiat ipſius Divinitatem. p. 234 per totum art.
Quare natus ſit in tenebris, & ſilentio. p. 240 c. 1 & ſeq.
Plura prodigia apparuerunt, cùm ingrederetur mundum. p. 247 per totum art.
Eſt Vir perfectus in Ventre Matris ſuæ. p. 312 c. 1
Secundum Divinitatem ſuam ejusdem ætatis cum Patre ſuo. p. 312 col. 2

Secun-

Secundum animam ſuam natus eſt tam perfectus, ac modò eſt. pag. 313 col. 1
Semper productus, & ſemper nutritus ab alio, ſecundum totum ſeipſum. p. 315 c. 2
Quomodo intelligendum ſit illud: *Butyrum & mel comedet.* pag. 319 c. 1 & ſeq.
Tres insignes prærogativæ corporis ipſius p. 321 c. 2
Puer JEſus perditus in templo. pag. 329 c. 2 & ſeq.
Quid fecit in Nazareth cum divina Matre ſua, & Joſeph. p. 336 c. 1
Verè laboravit manibus ſuis. p. 337 col. 1
Cur abſconditam ſervaverit majorem partem vitæ ſuæ. pag. 341 col. 1
Tres partes diſtinguendæ ſunt in ipſius anima. p. 361 c. 2 & ſeq.
Cur intraverit mundum per ſtabulum. p. 280 c. 1
Capit ſuas delicias cum animabus noſtris, & nos nolumus has illi concedere. p. 365 c. 1 & ſeq.
Quando, & quomodo inceperit ſe manifeſtare mundo. p. 415 c. 1
Scripturæ veteris Teſtamenti erant ipſius delineatio, deducentes in cognitionem ipſius Archetypi. p. 426 c. 2
Probat, ſe eſſe Filium Dei per tria teſtimonia invincibilia. p. 432 col. 1 & ſeq.
Probat id per ſua opera. p. 433 col. 1
Per Reſurrectionem mortuorum. ibidem.
Oſtendit Divinitatem ſuam remiſſione peccatorum. pag. 435. col. 1 & ſeq.
Cur remittat Judæos ad miracula Jonæ. p. 436 c. 1 & ſeq.
Eſt bonus Dominus. p. 478 c. 1
Cur omnes homines non ſequantur ipſum. ibidem col. 2
Attrahit ipſos, non promittens illis, niſi miſerias. p. 478 c. 2
Quomodo fundet Monarchiam ſuam. vide Monarchia.
Cur det Apoſtolis linguas pro gladiis. p. 493 c. 1 & ſeq.
Ipſe eſt ſola Via, quam ſequi oportet. p. 501 c. 1
Ipſe eſt ſola Veritas, quam credere oportet. p. 503 c. 1
Ipſe eſt ſola Vita, extra ipſum non eſt, niſi mors. p. 505
Obliviſci JEſum Chriſtum, & vivere ſibi ipſi, eſt mori. ibid. c. 2
Non ſpectat niſi ad JEſum Chriſtum ſolum operari miracula. p. 524 col. 1
Ipſe operatus eſt miracula veteris & novi Teſtamenti. pag. 526 col. 1 & ſeq.
Honorat ſervos ſuos, dum patrare. ipſos facit majora miracula, quàm patraverit ipſe. p. 527 c. 2
Certiores ſumus, quod miracula ipſius ſint, quàm ſi vidiſſemus ipſa fieri. p. 541 c. 2
JEſus Chriſtus habet duas nativitates, ſecundùm utramque eſt Filius naturalis Dei. p. 582 c. 1 & ſeq.
An naturale vel ſupernaturale ſit JEſu Chriſto Homini eſſe Filium

lium Dei. p. 584 c. 1. Ipse est Filius adoptivus. ibid. c. 2
In quo sensu verum sit, quod pluris æstimet esse Filium adoptivum, quam Filium naturalem Dei Patris sui. p. 587 c. 2
JEsus Christus est Caput Angelorum, & hominum. p. 592. c. 2
Habet influentias diversas in omnia membra corporis sui. pag. 593 col. 1 & seq.

Gratia JEsu Christi.

JEsus Christus est mare magnum omnium gratiarum. p. 590 c. 1 item p. 596 c. 1
Gratia sanctificans ipsi fuit necessaria ob tres rationes. p. 597 c. 1
Indiguit gratiis actualibus. p. 598 col. 2
Non indiguit gratia excitante. pag. 599 col. 1
Gratiæ ipsius non sunt absolutè infinitæ, sed ratione quadam. pag. 601 c. 1
Omnia finita sunt in JEsu Christo excepta Divinitate ipsius. p. 604 col. 2
Gratiæ ipsius potuerunt esse majores, quàm fuerint. p. 604 c. 1
Cur Deus limitare voluerit perfectionem Filii sui Unigeniti. p. 605 col. 1 & seq.
JEsus Christus habuit omnia dona Spiritus S. & quomodo? p. 607 col. 2
Habuit omnes gratias gratuitas, & quomodo? p. 607 c. 1 & seq.
Quatuor Excellentiæ gratiarum harum gratuitarum, & quomodo illis usus sit. p. 611 c. 1 & seq.

JEsus Christus Salvator omnium.

JEsus Christus est arbor vitæ insitus à Divino Patre suo, cujus fructus abundantes sunt, & admirabiles. pag. 614 col. 1 & seq.
Est Sol volens ex parte sua maturos reddere omnes fructus. pag. 750 col. 2 & seq.
Ostendit maximum desiderium moriendi, ad demonstrandum nobis, quod moreretur pro omnibus. p. 633 c. 2
Admirabilis Charitas ipsius vult, ut vendatur ad nos omnes redimendum. p. 636 c. 1 & seq.
Affectus S. Bernardi desuper. pag. 637 c. 1
Mortuus est pro ipsis crucifixoribus suis. p. 640 c. 2
Dabit gratias Anti-Christo, & exhiberet ipsi Misericordiam, si vellet. p. 550 c. 1
Nonnisi excessus observantur in JEsu Christo, dum laborat pro nostra salute. p. 639 c. 1 & seq.
Facit triumphare amorem suum, moriendo pro omnibus. p. 637 c. 2
Voluit eo nomine desponsare sibi naturam nostram, ut fieret cognatus noster, & nostra sibi assumeret debita. p. 806 c. 1 & 2
Posuit se loco omnium peccatorum, ut liberaret ipsos. p. 805 c. 1
Quantum obligemur ipsi, quod nostris se onerârit debitis. p. 806 col. 2

Qua-

Qualitates JEſu Chriſti.

JEſus Chriſtus eſt Magiſter, & Exemplum magnorum Prædicatorum. p. 667 c. 1 & ſeq.

Genuit nos in cruce cum dolore. pag. 838 c. 1 & ſeq.

JEſus Chriſtus eſt noſtrum patrimonium infinita ratione nos omnes locupletans. p. 841 c. 1 & ſeq.

Eſt verus noſter Rex. pag. 849. col. 1 & ſeq.

Nunquam Rex fuit tam amabilis. p. 851 c. 2

Admirabilis cæremonia ipſius conſecrationis. p. 852 c. 1

JEſus Chriſtus eſt bonus noſter Paſtor. p. 853 c. 1

Ipſius qualitates velut boni Paſtoris. 853 c. 2

Eſt verum noſtrum lumen. p. 856 col. 1 & ſeq.

Eſt perfectus noſter amicus. p. 860 col. 1 & ſeq.

Eſt inæſtimabilis felicitas habere ipſum pro amico. pag. 863 col. 1 & ſeq.

Eſt noſter Medicus. p. 863 c. 1

Eſt potens noſter Advocatus apud Patrem ſuum, quatuor habens prærogativas, non niſi ad ſe pertinentes. p. 866 c. 2

Potentia admirabilis Nominis JEſu. ibidem.

JEſus Chriſtus habuit maximum gaudium moriendo in cruce, & in quo hoc conſiſtebat. pag. 877 col. 2 & ſeq.

JEſus Chriſtus eſt liber, admirabili quadam ratione compoſitus, ſcriptus intus, & foris. pag. 889 col. 2

Docet omnes Virtutes. p. 893 c. 2

Qui legere poteſt in hoc libro intus, videt mirabilia. ibid. p. 894 col. 1 & ſeq.

Cur JEſus Chriſtus mori voluerit pro reprobis. p. 913 c. 1 & 2

Magnus exceſſus amoris, quem oſtendit nobis in Paſſione ſua. pag. 950. per totum articulum 3.

Triumphus admirabilis amoris ipſius in cruce. p. 967. c. 2 & ſeq.

Sepulchrum ipſius poſt mortem ſuam, ſit noſtrum cor. pag. 972 c. 2 & ſeq.

Nomen JEſu.

Omnia auguſta Nomina à veteri Teſtamento collata Meſſiæ, includuntur in ſolo Nomine JEſu. pag. 318 c. 2 & ſeq.

Jejunium.

Potentia admirabilis jejunii contra dæmones, & contra vitia. pag. 397 col. 2

Jejunium JEſu Chriſti quadraginta diale fuit miraculoſum. pag. 399 col. 1

Quem fructum inde trahere poſſimus. p. 399 c. 2

Plures jejunârunt ſuper vires naturæ. p. 400 c. 1

Jejunium prodigioſum S. Simeonis Stylitæ. ibidem.

Plures vixerunt ex Deo ſolo. ibid.

Jejunium Magdalenæ. p. 401 c. 1

Baptiſmus, jejunium, & oratio benè conveniunt. p. 402 c. 2

Oratio nutrit jejunium, & jejunium nutrit orationem. pag. 403 c. 1 & seq.
Cur JEsus Christus jejunare voluerit. p. 403 c. 2
Cur Jejunium tam potens sit contra dæmones. p. 404 c. 2
Semper servanda est memoria Jejunii, & solicitudinis JEsu Christi. p. 411 c. 2 & seq.

Imagines.

Verus usus Imaginum. p. 380 c. 2
JEsus Christus illas confirmat. pag. 381 col. 1
Ipsorum usus ab initio Ecclesiæ. ibidem.
Ecclesia vult, ut tollantur, vel mutentur imagines deformes. ibid. col. 2
Cur fiant Imagines Sanctorum. pag. 382

Impudicitia.

Quàm abominandum sit peccatum impudicitiæ coram Deo. p. 960 col. 2
Ipsius supplicium. p. 961 c. 1
Difficile est impudicis veram agere Pœnitentiam, & quare. pag. 961 col. 2
Damna, quibus ipsa afficit. p. 962 col. 1
Ipsius remedia. ibid. c. 2 & seq.

Incarnatio.

Contradictiones apparentes Mysterii Incarnationis. pag. 69
Modus has concordandi. p. 71 c. 2
S. Augustinus explicat egregiè Mysterium Incarnationis. p. 71 c. 1
Omnipotentia Dei nusquam magis elucet, quàm in Mysterio Incarnationis. p. 88. c. 1
Nunquam Sapientia illius magis resplenduit. p. 89 c. 1
Vera Fdes Ecclesiæ circa Mysterium Incarnationis. p. 117 c. 1
Ante Incarnationem nesciebamus cogitationes Dei, jam scimus illas. p. 144 c. 2
Perfectio operum Dei requirebat Mysterium Incarnationis, etiamsi Adam non peccâsset. pag. 154 col. 1
Confundamur, quod dejiciamus nos ad sensum bestiarum post Mysterium Incarnationis. p. 166 col. 1
Omnes tres Personæ Divinæ possent incarnari, sed non omnes possent mitti. p. 134 c. 1
Cur specialiter secunda incarnata sit. p. 134 c. 1
Filius potiùs incarnatus est, quàm alia Persona, eò, quod ipse sit Sapientia infinita Dei Patris sui. p. 135 c. 1 & seq.
Quia ipse est Imago pulchritudinis Dei. p. 139 c. 1 & seq.
Quia ipse est Verbum Dei. p. 143 col. 1 & seq.
An probabile sit, Filium Dei non fuisse incarnandum, si Adam non peccâsset. p. 147 c. 1 & seq.
An magis probabile sit, Filium Dei fuisse incarnandum, Adam non peccante. p. 151 & seq.
Prima ratio. p. 154. usq; ad p. 157
Secunda ratio. p. 157 usq; ad p. 160

Ter-

Tertia ratio. p. 160 usq; ad p. 164
Quarta ratio. p. 164 usq; ad p. 167
Synagoga nesciebat Personam aliquam Divinam fore incarnandam. p. 133 c. 2

Indulgentiæ.

Quid sint Indulgentiæ, & ipsarum utilitas. p. 828 c. 2 & seq.

Ingratitudo.

Prodigiosa ingratitudo hominum. pag. 46 col. 1. item 731 c. 1. item 733 c. 1 & 2. item 913 col. 1

Innocentes.

Cædes parvorum Innocentium. p. 300 & seq.
Infans JEsus triumphavit de Herode in Persona Innocentium, quos coronat. p. 303 c. 1 & seq.
Sunt parvuli Salvatores magni Salvatoris. p. 307 c. 2 & seq.
Faciunt mare rubrum, è sanguine suo, ut parent JEsu Christo transitum in Ægyptum. pag. 308 col. 1
Collegerunt fructus primos Redemptionis. ibidem c. 2 & seq.

Intentio.

Quid sit bona Intentio, & quomodo exercenda. p. 770 c. 2

Interiora.

Error animarum, quæ perfectionem suam præcipuam non collocant in interno animi cultu. p. 600 c. 1 & seq.
Unde veniat, quod sentiatur in hoc difficultas. p. 600 c. 2

S. Joannes Baptista.

Quàm honorificum sit S. Joanni, si exhibeatur Baptizans JEsum Christum. p. 385 c. 2
S. Joannes Baptista fuit baptizatus à JEsu Christo. p. 389 c. 1
Cur Judæi crediderint ipsum esse Messiam. p. 415 c. 2
Demonstrat Judæis missionem JEsu Christi. p. 423 c. 2
Robur testimonii ejus. ibid.
Confundit Christus Judæos testimonio S. Joannis Baptistæ. pag. 424 col. 2

S. Joannes Chrysostomus.

Mirabilis Triumphus S. Joannis Chrysostomi post persecutionem mortis suæ. p. 509 c. 1 & seq.
Deus vindicat ejus mortem. ibid.
Non possunt transferri ipsius Reliquiæ. p. 510 c. 1
Translatio glorioſa Corporis ipsius. p. 511 c. 1 & seq.
Sanctus Chrysostomus mortuus reponitur in sedem suam, & dat pacem populo. p. 511 c. 2

Judæi.

Vana spes Judæorum. p. 170 c. 2
Ipsorum calamitates sunt evidens probatio, quod Messias venerit. pag. 171 c. 1
Cur Deus conservet illos. pag. 173 col. 1
Brevis descriptio miserabilis status, in quo modò versantur. p. 169 col. 1 & seq.
Ipsorum punitio inaudita probat, quod occiderint Messiam. p. 171 c. 2 & seq.

Rationes constringentes contra ipsos. p. 174 c. 1
Vanæ ipsorum excusationes. p. 176 col. 2
Convicti per Scripturas veteris Testamenti. p. 177 c. 2
Verus Judæus, & verus Christianus conveniunt, falsi Judæi, & falsi Christiani sibi invicem adversantur. p. 193 c 1
Veri Judæi sciebant, antiquam Legem fuisse figurativam. p. 163 col. 2
Veri Judæi receperunt JEsum Christum, abs eo, quod mutarent Religionem. p. 195 c. 1 & seq.
Multitudo falsorum Judæorum destruxit Religionem ipsorum. pag. 196 c. 1
Efficax discursus contra Judæos. p. 211 c. 2
Cur Judæi non ampliùs habeant Prophetas. p. 213 c. 1 & seq.
Punitio Judæorum probatio evidens, quod JEsus Christus sit verus Messias. p. 217 c. 2
Doctus aliquis Judæus sit optimus Christianus. p. 413 c. 2 & seq.
Efficaces rationes ad obstringendum Judæum, ut fiat Christianus. p. 419 c. 1
Judæi firmiter adhærebant antiquæ possessioni Religionis, & Scripturis. p. 425 c. 1 & seq.
JEsus Christus utitur iis, ad ipsos convincendos. pag. 426 col. 1 & seq.
Sunt omninò inexcusabiles. p. 433 col. 1 & 2
Judæi sunt inexcusabiles, quod non credant in JEsum Christum. pag. 527 col. 1. item p. 543 c. 1
Deus conservavit Veritatem apud Nationem Judæorum, usque ad adventum Veritatis, quam repudiarunt. p. 690 c. 2
Prænuntiatum erat, Judæos repudiaturos suum Messiam. p. 701 col. 2 & seq.
JEsus Christus replevit ipsos omni bonorum genere. pag. 702 col. 2
Deploravit duritiam illorum. p. 705 col. 2
Mali Christiani sunt pejores Judæis. p. 920 c. 2
Judæi occiderunt JEsum Christum ex invidia. p. 973 c. 2
Imprudens illorum politia. p. 975 col. 2

Judicium.

Tria Judicia affixa Cruci JEsu Christi. pag. 926 c. 1 & seq.
JEsus Christus faciet in judicio universali, quod fecit in cruce. pag. 928 c. 2
Erit horrendum spectaculum videre Christianum comparentem in ultimo judicio. pag. 930 col. 1 & seq.

Justitia Dei.

Imago peccatoris inter manus Justitiæ Dei. pag. 796. col. 1. item p. 800 c. 1 & 2
Rigores Justitiæ humanæ nihil sunt respectu rigorum Justitiæ Divinæ. p. 799 c. 1 & seq.

Justi-

Justitia Dei infert peccatori eodem tempore plures mortes æternas. pag. 803 col. 2

L.

Lacrymæ.

TRia genera lacrymarum. p. 881 c. 1 & seq.

JEsus Christus verus Moyses trahit aquam è petra, feriens illam ligno crucis. p. 882 c. 2

Lapis.

David occidit Goliath cum lapide. pag. 482 c. 2

Latro.

Exempla duorum latronum cum JEsu Christo crucifixorum benè considerandæ sunt. pag. 911 col. 1 & seq.

Dividunt duas æternitates. p. 918 col. 1

Consideratio specialis de malo latrone. p. 918

Omnes reprobi imitantur ipsum, & pereunt. p. 919 c. 1. item p. 924 c. 2

Consideratio specialis de bono latrone, & Virtutes ipsius heroicæ. pag. 922 col. 2 & pag. 923 col. 1

Cur non celebretur ipsius Festum, cum certi simus, ipsum esse Sanctum. ibid. col. 2 & seq.

Plures pereunt, sibi proponentes exemplum boni latronis. p. 924 c. 2 & seq.

Lauretana Domus.

Prodigia Domus Lauretanæ. pag. 327 c. 1

Ipsius gloria. ibidem col. 2

Legatio.

Supremus Monarcha mittit filium suum unigenitum, velut Legatum ad inimicos suos. pag. 55 col. 2

Apparatus hujus legationis. pag.

Qualitates boni Legati. pag. 56 col. 2

Lex.

Duæ Leges datæ à Deo Moysi, una, ut publicaretur, altera, ut maneret occulta. p. 156 c. 2

Lex Christiana non est, nisi Lex naturalis ad perfectionem reducta. p. 228 c. 1

Lex Evangelii infinita ratione nobilior cunctis aliis legibus. p. 229 col. 1

Cur omnes magni Legislatores conati sint persuadere hominibus, leges suas venire à Deo. p. 465 col. 2 & seq.

Lex Evangelii semper conservata est inviolabilis. p. 467. c. 2

Est tam antiqua, quam mundus. ibidem.

Ipsa perficit legem antiquam. pag. 468 c. 1

Nemo est sanæ mentis, qui hanc non potiùs eligeret, quàm aliam. ibidem col. 2

Omnes aliæ leges sunt defectuosæ. p. 469 c. 1

Bonæ

Bonæ leges non intendunt blandiri inclinationibus hominum, ſed illas regere. p. 500 c. 1
Quàm accuratus ſit JEſus Chriſtus in cunctis ſuis legibus. pag. 506 col. 1 & ſeq.

Lumen.

Væ illis, qui ſe gubernant per lumina, & cognitiones ſenſuum. pag. 197 c. 2
Lumen rationis non reddit hominem beatum. pag. 198 col. 1 & ſeq.
Quàm eximia ſit res, gubernare ſe luminibus ſupernaturalibus. p. 199 c. 1 & ſeq.
Animæ ſimpliciſſimæ ſunt ſæpe illuminatiſſimæ. pag. 200 col. 2 & ſeq.
Luminis globus in Nativitate Dei Filii Romæ viſus. pag. 248 column. 1
Tres fontes omnium luminum, ſenſus, ratio, fides. pag. 258 col. 2
Noſter intellectus factus eſt, ut producat lumina, id eſt cognitiones, ſicut terra, ut producat herbas. p. 460 c. 1 & ſeq.
JEſus Chriſtus eſt verum lumen illuminans omnes, nolentes ipſi claudere oculos. pag. 653 & 856 col. 1. & ſeq.
Illuminat omnes homines à creatione mundi. pag. 691 col. 1 & ſeq.
Absque lumine JEſu Chriſti nihil videtur ex omnibus pulchritudinibus mundi ſupernaturalibus. pag. 713 col. 2. item p. 858 c. 1 & ſeq.
Non ſtat per JEſum Chriſtum, quod non videamus omne verum bonum per lumen ipſius. p. 715 c. 1
Ratio, & paſſiones noſtræ impediunt nos, ne videamus lumen JEſu Chriſti. p. 715 c. 1. & pag. 857 c. 1 & ſeq.
Admiratio alicujus animæ, quando illuminatur luminibus JEſu Chriſti. p. 717 c. 1 & ſeq.
Mundus credit lumen JEſu Chriſti eſſe tenebras. p. 858. c. 1

M.

Magdalena.

AMor ardens Magdalenæ erga JEſum Chriſtum. pag. 978 column. 1 & ſeq.

Magi.

Unde venerint Reges Magi. p. 268 col. 2
Ipſorum ſapientia. p. 269 c. 1
Cognoverunt Infantem JEſum eſſe Deum. ibidem.
Deſcribitur admiranda ipſorum fides. p. 271 c. 1 & ſeq.
An ſtella ipſos ducens fuerit cometa. p. 275 c. 1
An fuerit aſtrum præſidens Nativitati Infantis JEſu. pag. 276 column. 1
An fuerit ſtella fixa. pag. 275 col. 1

Quomodo Magi instructi fuerint per stellam. pag. 278 col. 1 & seq.
Felix ipsorum sors & martyrium. p. 281 c. 2
Ipsi habuerunt non nisi lucem stellæ, nos habemus lucem solis. p. 281 c. 1

Mahomet.

Secta Mahometi plurimum prodest ad probandam JEsu Christi Divinitatem. pag. 222 per articulum 4
Oppositiones, quas habet cum JEsu Christo. ibidem.
Mahomet non intendebat constituere Religionem, sed Monarchiam. p. 223 c. 1
Aufert omnia animæ, & confert omnia corpori. p. 224 c. 1
Ipse armat omnes suos, & JEsus Christus omnes suos exarmat. p. 225 c. 1

Majestas.

Majestas magnarum Veritatum Religionis opprimit animum comprehendere illas volentem. p. 67 c. 1 & seq.

Malitia.

Malitia summa eorum, qui persuadere voluerunt mundo, quod JEsus Christus mortuus non fuerit pro omnibus hominibus. pag. 618 c. 2 & seq. item pag. 752 c. 1 & 2

Manducare.

Non potest produci vita ultra septem dies, abs eo, quod aliquid manducetur. pag. 398 col. 1
Exempla eorum, qui diutissimè vixerunt, abs eo, quod quidquam manducarent. p. 398 c. 2
Regulæ in manducando adhibendæ. p. 398 c. 2
Corpus, & anima non eadem reficiuntur mensa. p. 402 c. 1
Judæi lavabant manus, antequam manducarent. p. 402 c. 1
Sunt gulosi in mundo, qui manducant lapides, & terram. pag. 407 c. 2 & seq.

Mare.

Mare est pulchra imago amaritudinum Passionis JEsu Christi. pag. 955 c. 2 & seq.

Martyr.

Erunt illustres Martyres tempore Anti-Christi. p. 555 c. 1

Merita.

Deus solus nobis confert merita ad emendum Regnum Cœlorum. p. 728 c. 1 & seq.
Filius Dei incarnatus est, ut esset in statu merendi pro nobis. pag. 730 col. 1. item pag. 732. col. 1. & seq.
Quantum amorem demonstraverit nobis JEsus Christus, donando nobis omnia sua merita. pag. 731 c. 1 & seq.
Magnitudo, & abundantia meritorum JEsu Christi. pag. 732 col. 2 & seq. item pag. 741 col. 2

JEsus Christus fuit liber admerendum, quamvis non fuerit liber ad peccandum. pag. 735. col. 1 & seq.
Merita noscuntur è libero arbitrio juncto cum voluntate Dei. pag. 737. c. 2 & seq.
Cur JEsus Christus mereri voluerit. p. 743. c. 1 & seq.
Abs ipso non habemus aliquod meritum. p. 753 c. 2
An JEsus Christus meritus fuerit aliquid pro seipso. p. 754 c. 1
Non nisi in vita mereri possumus. p. 755 c. 1
Quatuor conditiones necessariæ ad merendum. p. 757 c. 1 & seq.
Quatuor fontes, è quibus haurire possumus gratias, & merita Salvatoris. p. 763 c. 1 & seq.
Justus semper meretur, & quomodo. p. 767 c. 2 & seq.
Qui minùs habet difficultatis, sæpe habet plus meriti. pag. 824 c. 1 & seq.
JEsus Christus solus potuit mereri pro aliis. p. 828 c. 1
Nostra merita sunt nostra præmia. p. 832 c. 1 & seq.
Deus tam bonus est, ut recompensare velit omnia minima nostra servitia. p. 832 c. 2

Miracula.

Plura magna miracula in uno solo miraculo. p. 124 c. 2 & seq
Quare omnes desiderant videre miracula. pag. 513. column. 1 & seq.
An certum sit dari vera miracula. pag. 514 col. 1 & seq.
Tres conditiones, quibus discernuntur falsa à veris miraculis. p. 515 c. 1
Deus nunquam facit aliquod miraculum, & ipse facit omnia, quomodo? p. 515 c. 2
Plura videntur esse miracula, & reipsa non sunt. pag. 515 col. 2 & seq.
Notæ certæ veri miraculi. p. 517 c. 1 & seq.
Vera miracula fiunt ob duos fines. p. 519 c. 2 & seq.
Quo sensu verum sit, plures Sanctos majora feciisse miracula, quàm fecerit JEsus Christus. pag. 523 col. 1 & seq. item pag. 527 col. 2
Cur miracula olim frequentia, modò tam sunt rara. pag. 521. col. 2
Ad patrandum miraculum requiritur concursus Dei, & creaturæ, neuter separatim facere posset miraculum. p, 524 c. 1
Ordo, & series miraculorum JEsu Christi juxta tempus, & occasionem, qua illa fecit. pag. 529 col. 1 & seq.
Differentia miraculorum factorum à peccatoribus, Sanctis, & JEsu Christo. p. 538 c. 2
Qui non credit miraculis Christi, est inexcusabilis. pag. 540 col. 1 & seq.
Prodigiosa miracula Anti-Christi appa-

apparenter ſuperabunt illa JEſu Chriſti, & quæ illius futura ſint miracula. p. 562 c. 1 & ſeq.
Tres rationes, quæ oſtendunt falſitatem miraculorum Anti-Chriſti. p. 565 c. 1 & ſeq.
Prodigioſum miraculum Prophetæ Eliæ ad confundendum falſos Prophetas Baal. p. 693 c. 1 & ſeq.

Miſſio.

Quatuor Veritates neceſſariæ ad intelligendum, qua ratione Deus Pater miſerit nobis ſuum Filium. p. 107 c. 2
Qua ratione Filius nobis miſſus ſit. p. 108 c. 2
Duo ſunt genera Miſſionum, aliquæ viſibiles, aliæ inviſibiles. p. 112 c. 1 & ſeq.
Quomodo fiant inviſibiles, & quomodo diſcernantur. ibidem.
Quanti æſtimare has debeamus. p. 114 c. 1

Monarchia.

Quatuor ſunt neceſſaria ad gubernandum benè Monarchiam. pag. 480 c. 1
JEſus [Chriſtus] ſtabilivit Monarchiam ſuam absque omnibus his rebus. p. 480 c. 2
Stabilivit absque armis. pag. 481 col. 1
Absque divitiis. pag. 486 per totum artic.
Abs eo, quod uteretur eloquentiâ humanâ. pag. 493 usque ad pag. 499
Abs eo, quod condeſcenderet inclinationibus naturalibus ſuorum ſubditorum. pag. 499 & ſeq. usque ad p. 507
Stabilivit illam, non ampliùs viſibilis in mundo. pag. 507 & ſeq.

Moneta.

Deus imprimit imaginem Principis monetæ noſtræ, ut ipſi tribuat valorem. p. 96 c. 2

Mors.

Ingens miraculum, quod JEſus Chriſtus infirmus in vita ſua, regnet omnipotens poſt mortem ſuam. p. 507 c. 1
Mors eripiens ſceptrum omnibus Principibus, conſignat illud JEſu Chriſto. p. 507 c. 2
Adoratur JEſus Chriſtus, dum publicantur ignominiæ mortis ipſius. p. 508 c. 1
Subimus quotidie ſpecimen mortis noſtræ, & Reſurrectionis noſtræ. p. 1003. c. 2
Pulchra conſideratio, ne terreamur aſpectu mortis præſentis. ibidem.
Quomodo intelligendum ſit, quod JEſus Chriſtus vicerit mortem moriendo. pag. 1028 c. 1
Cur omnes veri ſervi JEſu Chriſti non timeant mortem. pag. 1029 c. 1

Moyſes.

Qualitates Moyſis. p. 185 c. 1
Non potuit dicere falſum in eo, quod ſcripſit. p. 183 c. 2

Plures bonæ animæ fruuntur hodie prærogativâ Moysis, loquendi familiariter cum Deo, sicut amicus amico suo. pag. 201 col. 1 & seq.
Moyses obvelat faciem suam, & quare. p. 236 c. 2

Mundus.

Quatuor pulchræ differentiæ inter mundum naturæ & mundum gratiæ. p. 646 c. 2
Quod mundus plurimi æstimat, nihil est coram Deo. pag. 650 col. 2
Quod mundus contemnit, magni est valoris apud Deum. pag. 651
Quantum decipiatur mundus in falsis suis persuasionibus. p. 848 col. 1 & seq.
Stupenda ipsius cœcitas. pag. 858 col. 1
Quomodo facile superetur mundus per Crucem JEsu Christi. p. 898 c. 1 & seq.
Hic mundus est veluti secundus venter matris nostræ, unde exeundum est, ut nascamur vitæ æternæ. p. 998 c. 1
Mundus moritur, & resuscitatur singulis annis. pag. 1002 col. 1 & seq.
Mirabilis contemptus mundi in aliquo pagano. p. 1006 c. 1

Musica.

Deliciæ Musices Angelicæ auditæ ad Domini præsepe. p. 267 c. 2
Non audita fuit nisi à pastoribus vigilantibus. p. 268 c. 1

N.

Nativitas.

CUr celebretur Festum Nativitatis & Pentecostes. pag. 113. c. 1
Effectus potest esse supernaturalis, id est supra vires naturæ tribus modis. p. 516 c. 2

Nazareth.

Descriptio civitatis Nazareth. pag. 325 c. 1 & seq.
Nazareth glorioſior Româ. p. 326 col. 1

Ninive.

Judæi pejores Ninivitis. pag. 436 col. 2 & seq.
Nos sumus pejores Ninivitis, & Judæis, nisi convertamur ad JEsum Christum. p. 437 c. 2
Stupenda ipsius magnitudo. p. 695 col. 1
JEsus Christus instruit, & convertit ipsam in persona Jonæ. pag. 697 col. 2 & seq. item pag. 700 c. 1 & seq.
Quis erat Rex Ninive, & quando regnabat. p. 697 c. 1
Quàm periculosa fuerit visa Jonæ Missio ad Ninivitas. pag. 697 col. 1

O.

Obedientia.

OBedientia, quam homo præstitit Deo, fecit ipsum Dominum mundi. p. 13 c. 1
JEsus Christus omnia fecit ex Obedientia. p. 347 c. 1

Ipsius Obedientia non habuit limites nec in dignitaue sua, nec in suo latitudine. ibid. c. 2
Obedientia mutat maximos peccatores in sanctos. pag. 348 col. 2
Exemplum memorabile alicujus Religiosi facientis continuo miracula ab eo, quod hujus pateret causa. p. 349 c. 2

Occupatio.

Diversæ occupationes partium corporis naturalis insinuant nobis illas Corporis mystici JEsu Christi. p, 369 c. 2 & seq.

Opera bona.

Bona anima incessanter facit bona opera. p. 763 c. 1 & seq.
Quatuor regulæ ad metiendum excellentiam bonorum operum. p. 764 c. 2
Sæpius major perfectio est in operibus parvis, quàm in magnis quare. p. 767 & 768
Falsa imaginatio affligens bonas animas circa meritum bonorum suorum operum. pag. 769 column. 2
An valor bonorum operum æstimari debeat ex magnitudine difficultatis. pag. 824. & p. 825
Nihil facimus pro JEsu Christo respectu ejus, quod fecit pro nobis. p. 831 c, 1
Quâ fidelitate operari debeamus per momentum hujus vitæ, ut reportemus præmium æternum. p. 831 c. 2

Optica.

Effectus ingeniosus optices pro gloria Cardinalis Richelii. pag. 318 col. 1

Oratio.

Facere orationem absque cogitatione. p. 655 c. 1
JEsus Christus egregiè docet orationem mentalem. p. 669 c. 1
Quid nuncupetur oratio passiva. p. 669 c. 2
Quare debeamus orare omnes, & semper. p. 782 c. 1 & 2
Quid petendum sit à Deo in oratione. p. 780 c. 1 & 2
Oratio mentalis est efficacior vocali. p. 782 c. 2
Pulchra differentia inter vocalem, & mentalem orationem. p. 783 c. 1
Quomodo Deus annihilet in oratione animam, ut sit solus in illa. pag. 820 c. 1 & pag. 821 col. 1

Otium.

Otium à Deo est ingens tormentum animæ bonæ. p. 367 c. 2
Otium sanctum. p. 369 c. 1 & seq.
Quàm perfectum otium requirat Deus ab animabus contemplativis. p. 371 c. 1

P.

Passio JEsu Christi.

Effectus admirabilis Passionis Domini respectu reproborum. pag. 751 col. 2

In Passione sua verè est Rex. pag. 851 c. 2
Passio JEsu Christi depicta in Oratoriis montis Varalli. pag. 869 col. 1 & seq.
Videtur omnes homines esse cœcos respectu Passionis JEsu Christi. pag. 870 c. 2
Meditatio illius illuminat, & accendit animam. p. 871 c. 2
Affert gaudium. p. 873 c. 2 & seq.
Passio JEsu Christi est fons, & scaturigo gloriæ pro Deo, & pro nobis. p. 874 c. 1 & 2
Glorificat innumeras animas. pag. 879 col. 2
Roborat, & animat ad patiendum. pag. 885 c. 1
Ostendit odium, quo Deus fertur in peccatum. p. 890 c. 1 & 2
Passio JEsu Christi ostendit, quod sit Deus. p. 892 c. 2
Est liber, unde sanctissimi Doctores suas hauserant Doctrinas. p. 894 & p. 895
Est porta æternitatis. p. 902 c. 1
Mysteriosa pictura, exprimens effectus Passionis JEsu Christi. p. 902 c. 2
Cur JEsus Christus pati voluerit in conspectu omnium nationum mundi. p. 907 c. 1
Quare inter duos latrones. pag. 911 col. 1
Passio JEsu Christi renovatur quotidie à peccatoribus. pag. 919 col. 2.
Tres magni excessus in Passione JEsu Christi. p. 933 c. 2 & seq.
Stupenda series humiliationum JEsu Christi in Passione sua. pag. 934 & seq.
Passio JEsu Christi ostendit nobis magnum excessum amoris sui. p. 964 c. 1 & seq.

Pastor.

Bonus Pastor debet assimilari JEsu Christo. p. 854 c. 2 & seq.
Eximiæ ipsius conditiones. p. 855 col. 2
Væ mercenariis. p. 856 c. 1

S. Paulus.

Quomodo tractaverit Deus S. Paulum in principio conversionis suæ. p. 376 c. 2
Quomodo tractatus deinceps. pag. 377 c. 1

Paupertas.

Quàm commoda sit paupertas verorum filiorum S. Franciſci pro missionibus exteris. p. 842 & 843
Est tutissimum, & utilissimum deserere omnia, ad sequendum JEsum Christum. pag. 841. art. 2 per totum.
Sunt cruces in paupertate, sed hæ sunt amabiles. p. 847 c. 1 & seq.

Pax.

Princeps offensus expostulat pacem à rebellibus. p. 55 c. 1

Peccator.

Quàm insensatus sit peccator, & inimicus sui ipsius. p. 46 c. 2 & seq.
Omnis peccator est captivus Justitiæ Dei. p. 800 c. 2
Est ipsi debitor infinita ratione. pag. 801 c. 1

Sol-

Solvere non potest Deum ex seipso. pag. 801 c. 2
Meretur vel unam mortem, vel plures mortes æternas. pag. 802 col. 1 & seq.
Quàm infelix sit conservans peccatum in anima sua. pag. 220 c. 1 & seq.
Homo peccator majores favores accepit à Deo, quam Angeli. p. 927 col. 2
Ipsius conditio erit deterior, quàm diabolorum. p. 928 c. 2

Peccatum originale.

In quo consistat peccatum originale. p. 27 c. 1
An sit aliquid positivum. ibid. 2
Differentia inter peccatum originale commissum ab Adam, & contractum à nobis. p. 29 c. 1
Quando, & quomodo contrahatur peccatum originale. ibidem.
Quis fructus trahi possit ex consideratione peccati originalis. pag. 32 c. 1 & seq.
Trahendus, inde affectus humilitatis. pag. 33
Affectus patientiæ. ibid.
Affectus timoris peccati. p. 34 c. 2
Affectus fiduciæ in misericordiam Dei.

Peccatum.

Cur peccatum plures perdat animas, quàm salvet gratia. p. 568 c. 1
Deus punit unum peccatum per alterum, & quomodo. p. 569 c. 2 & seq.
Quo sensu verum sit, quod Deus velit peccatum. p. 570 c. 2 & seq.
Deus punit peccatum per ipsum peccatum. p. 571 c. 1 & seq.
Modus evadendi hanc pœnam, si puniamus nos ipsos. ibid. c. 2
Conspicitur in JEsu patiente implacabile odium, quo Deus fertur in peccatum. pag. 890 c. 2. item p. 904 c. 2. item p. 910 c. 1
Horrenda crudelitas illius, qui diu perseverat in peccato. p. 920 c. 1
Illudit JEsu Christo, renovando ipsius Passionem.
Infinitus contemptus, quo peccatum afficit Deum. p. 921 c. 1
Quantam confusionem peperierint nostra peccata JEsu Christo. pag. 940 col. 2
Superbia, & impudicitia sunt duo magna peccata animæ, & corporis. p. 960 c. 1 & seq.

S. Petrus.

JEsus Christus usus est Petro Apostolo suo ad percutiendum, & convellendum caput mundi, quod est Roma. p. 482 c. 2 & seq.
Quantum prodigium videre S. Petrum, euntem Romam, ad erigendum ibi Imperium JEsu Christi. p. 495 c. 1
Mirabilis concio S. Petri. ibidem. col. 2

Pœnitentia.

Lacrymæ Pœnitentiæ majoris valoris sunt aquis Jordanis. pag. 395 col. 2
Pœnitentia stupenda Ninivitarum debet nos confundere. pag. 699 col. 1 & seq.

Pon-

Pondus.

Omnes res habent pondus ſuum, quoad ſuam ferantur beatitudinem. pag. 11 c. 1

An pondus amoris, quô ferebatur homo ad Deum, in ſtatu Innocentiæ, fuerit naturale, vel ſupernaturale. p. 11 c. 2

Pontifices Judæorum.

Perſecutio Sacerdotum, & Pontificum, adverſus JEſum Chriſtum. p. 421 c. 1 & ſeq.

Obcœcabantur ſuis paſſionibus. ibidem c. 2

Omnia vertebant in malum ipſi. pag. 422 c. 1

Habebant jus petendi ab ipſo miſſionem ſuam. p. 423 c. 1 & ſeq.

Fugiebant lumen. p. 425. c. 1 & ſeq.

Prædicare.

JEſus Chriſtus cœpit prædicare in Capharnaum, & quare. pag. 416 col. 1

Admiratio Judæorum prima vice audientium prædicantem JEſum Chriſtum. p. 417 c. 2

Primus ipſius ſermo fuit de Pœnitentia. p. 418 c. 1

Prædicatores.

Faſtidium in auſcultandis prædicatoribus eſt ſignum reprobationis. pag. 655 c. 2

Deus Pater eſt Prædicator æternus, qui nunquam ceſſat annuntiare Divinum Verbum. p. 657 c. 1

Quando JEſus Chriſtus prædicabat, Verbum producebat verbum. pag. 659 c. 1 & ſeq.

JEſus Chriſtus eſt prædicator cunctorum ſæculorum, & omnes alii prædicatores ſunt ipſius Echo. 659 c. 2 & p. 660 c. 2

Abuſus Prædicatorum aliud prædicantium, quàm Verbum Dei. pag. 661 c. 1 & ſeq.

Non debent negligere eloquentiam. p. 663 c. 1 & ſeq.

JEſus Chriſtus Exemplar prædicatorum prædicavit pauperibus agricolis utens comparationibûs familiariſſimîs. p. 663 c. 1 & ſeq.

Quanta oblectatio, videre JEſum Chriſtum docentem nos *Pater Noſter*, velut ſuos filios. pag. 665 col. 1

Uſus eſt ſolidâ, & ſublimâ eloquentiâ, quando opus fuerat. pag. 666 col. 2

Exemplum ipſius confundit prædicatores timidos, & puſillanimes, placere ſtudentes auditoribus. p. 667 c. 2 & ſeq.

Differentia inter prædicationes JEſu Chriſti, & illas Scribarum, & Phariſæorum. p. 670 c. 1

Sermo admirabilis JEſu Chriſti in monte de octo Beatitudinibus. p. 671 c. 2 & ſeq.

Quomodo intelligendum ſit, quod prædicari non debeat, niſi purum Verbum Dei. p. 676 c. 2 & ſeq.

Exemplum trium prædicatorum, avari guloſi, ambitioſi. pag. 677 col. 1 ſeq.

Væ prædicatoribus habentibus malam intentionem. pag. 680 col. 1 & ſeq.

Prædicatores debent esse sal terræ. pag. 682 col. 2
Si vita ipsorum non est fulgor, ipsorum prædicatio non est fulmen. p. 682 c. 1
Loqui non solùm decet prædicatorem, oportet ipsum operari, pulchrum exemplum desuper. pag. 683 col. 1 & 2
Prædicator unicam tantùm Deo lucrans animam Dives est, & beatus. p. 684 c. 1
Nihil sublimius est mysteriô prædicationis. p. 685 c. 1 seq.
Qualitates veri prædicatoris. pag. 685 col. 2
Sunt prædicatores Medici, & prædicatores coqui. p. 703 c. 2
Modus excellens, & facilis audiendi benè prædicationem. pag. 719 col. 1 & seq.
Quatuor genera personarum euntium ad sermonem, quorum tria non audiunt illum. pag. 719 & seq.
Qui audiant illum cum fructu. pag. 720 c. 2 & seq.

Prodigium.

Prodigium incomprehensibile, quod JEsus Christus fecit pro nobis. pag. 53 col. 2

Prophetia.

Differentia inter veram, & falsam prophetiam. p. 564 c. 2 & seq.
Prophetia prædicens nobis adventum Anti-Christi, est vera, & serviet multùm ad confirmandos fideles. d. 564 & seq.

Pulchritudo.

Deus Pater mittit nobis imaginem pulchritudinis suæ ad lucrandum corda nostra. p. 140 c. 1
Ipsa rapit omnes. ibid. c. 2
In quo consistat. p. 141 c. 1.

R.

Ratiocinatio.

ADmirabilis ratiocinatio S. Pauli, urgens omnes homines ad amandum JEsum Christum, eò, quòd sit mortuus pro nobis. pag. 620 & 621
Eadem ratiocinatio magìs urgens. p. 746 c. 2 & seq.
Ratiocinatio terrorem incutiens circa receptionem Sacramentorum, quando nullus ex iis hauritur fructus. p. 788 & 789
Ratiocinatio luculenta circa statum peccatoris intra manus Justitiæ Dei. p. 802 c. 2
Pulchra ratiocinatio S. Augustini circa certitudinem, quam habemus, nos verè esse filios Dei. pag. 838 c. 2 & seq.

Regula.

Regula ad concordandum textus scripturæ, qui videntur contradictorii. p. 209 c. 1
Applicatio hujus Regulæ. pag. 209 col. 2

Religio.

Nunquam fuit, nec unquam esse potest vera Religio, nisi per JEsum Christum. p. 84 c. 1 & seq.

Religio Judæorum limitata. pag. 85 col. 1
Religio Christianorum certissima. ibidem. col. 2
Ipsius amplitudo. ibid. c. 2 & seq.
Ipsius Sanctitas. p. 86 c. 2
Felices sumus, veniendo in mundum tempore Religionis Christianæ. ibidem. c. 2 & seq.
Nonnisi animæ humiles intelligunt altissima mysteria Religionis nostræ. p. 105 c. 2
Indigebamus Deo corporali, & spirituali, ut haberemus Religionem integram. p. 159 c. 1 & seq.
Nihil est, cujus tanti interfit, quanti nobis interest Religionis. p. 226 col. 2 & seq.
Impossibile est hominem falli profitendo Religionem Christianam. p. 227 c. c. 2
Verus Christianus tantam habet certitudinem Religionis nostræ, ut dubitare non possit. pag. 230 col. 1

Resurrectio JEsu Christi.

Milites custodes sepulchri fuerunt testes gloriosæ Resurrectionis ipsius. p. 974
Judæi in vanum conantur illam abscondere. p. 975 c. 2
Angeli è cœlo annuntiârunt illam primi devotis mulieribus. pag. 976 c. 1 & seq.
In Resurrectione JEsu Christi omnes dæmones, qui vagabantur in terris, iterum se præcipitârunt in infernum. p. 984 c. 1
JEsus Christus sexies appâruit in ipso die Resurrectionis suæ. pag. 985 col. 1
Probationes luculentæ Resurrectionis JEsu Christi. p. 986 & 987
Pulchra disputatio S. Antonii Eremitæ cum Philosophis paganis circa Resurrectionem JEsu Christi pag. 990 c. 1
Item S. Margaritæ cum Olybrio. pag. 991 c. 2
Job magnificè describit Resurrectionem JEsu Christi. p. 993 c. 2
Machabæi clarè probant Resurrectionem. p. 998 c. 2
Nos ostendimus, nos illam non credere. p. 999 c. 2
Quanti nostra referat, sæpe de illa cogitare. p. 1001 c. 1
Aspicimus illam clarè in mundo. pag. 1002 c. 1 & seq.
An JEsus Christus semper manserit nudus post Resurrectionem suam, & quali vestitu fuerit usus. pag. 1012 & 1013

Romæ.

Urbs Romæ destruetur ante adventum Anti-Christi. pag. 560 col. 1 & seq.
Considerationes circa statum, adquem reducetur. p. 561 c. 1 & seq.

Romani.

Deliria Romanorum volentium annumerare Diis Alexandrum Magnum. pag. 481 columnn. 1 & 2

S.

Sacramenta.

GRatiæ, quas recipimus è Sanctis Sacramentis. p. 785 c. 1 & seq.
Oportet, ut nobis proficiant, vel nobis noceant. p. 786
Solum peccatum mortale impedit effectum principalem Sacramentorum. p. 787 c. 2 & seq.
Horrendum est, frequentare Sacramenta, & inde non proficere. p. 788 c. 1 & seq.
Non minùs periculosum est ab iis abstinere. p. 791 c. 1 & 2

Salvator.

JEsum Christum salvare velle omnes homines, probatur per quatuor efficaces rationes. pag. 626 pag. 627 & seq. item pag. 637 col. 2 & seq.
Pater noster probat, Deum salvare velle omnes homines. pag. 629 col. 2
Cur tot sint reprobi cum Deus omnes velit esse salvos. p. 634 c. 2 item p. 915 c. 2 & seq.
JEsus Christus vult vera voluntate omnes salvare peccatores. p. 707 col. 1 & seq.
Est blasphemia Calvini, dicere, ipsum simulare tantum, quasi omnes vellet salvare homines. pag. 707 c. 2 & seq.
JEsum Christum salvare velle omnes homines, probatur pluribus rationibus. p. 707 c. 1
Non salvabit nisi eos, qui applicare sibi voluerint fructus Passionis suæ. pag. 812 col. 1 & seq.
Oportet hominem ex parte Salvatorem esse sui ipsius. p. 817 c. 1 & seq.

Sancti.

Non nisi ad solum JEsum Christum spectat facere Sanctos. pag. 616 col. 1 & seq.
Triumphus Sanctorum per crucem. pag. 901 c. 2

Sanguis.

Quanta nobis felicitas, quod pretiosus JEsu Christi effusus sit in animas nostras. p. 909 c. 1

Sapientia.

Admiranda Consilia Sapientiæ infinitæ Dei. p. 52 c. 2
Judicium admirabile pronuntiatum à Divina Sapientia. p. 95 c. 2
Admirabilis Sapientia Dei, quod non, nisi unam fecerit Personam *ex homine*, qui debebat, *& Deo*, cui debebat. p. 96 c. 2
Omnis Sapientia mundi opponitur, & adversatur JEsu Christo. pag. 496 c. 1
Sapientia humana confusa. p. 497 col. 1
Stulta Sapientia mundi non suadet nisi errores. p. 503 c. 1

Satisfactio.

Satisfactiones JEsu Christi pro nobis maximum pariunt gaudium illas consideranti. p. 796. c. 2 & seq. item p. 811 c. 1
Ingens miraculum satisfactionum JEsu Christi. p. 807 c. 1
Quomodo satisfecerit in toto rigore Justitiæ. p. 808 c. 1
An differentia sit inter satisfactiones,

nes, & merita JEsu Christi. pag. 809 col. 1
Ipsarum magnitudo, & duratio. p. 809 c. 2 & 810 c. 1
Quomodo satisfacere debeamus nos ipsi pro peccatis nostris per JEsum Christum & cum ipso. p. 812 & seq. item pag. 823 col. 2 & seq.

Scientia.

Cur, qui pollent magnâ scientia, rarò sint valde spirituales. p. 262 col. 1 & seq.
In JEsu Christo inclusi sunt omnes thesauri scientiæ, ac sapientiæ Dei. p. 441 c. 1 & 2
Qualis sit scientia intellectus divini. pag. 448 c. 2
Quantæ sint ipsius divitiæ. p. 449 col. 1
Quatuor scientiæ in JEsu Christo. p. 449

De Scientia beatifica.

Illa ostendit JEsu Christo omnia, quæ sunt extra Deum. pag. 453 col. 2
Erat debita JEsu Christo ab instanti Conceptionis suæ. p. 450 c. 1
Ostendit ipsi essentiam divinam, antequam nasceretur; immò antequam conciperetur. ibid. c. 2
Facit animam JEsu Christi perfectiùs videre Deum, quàm omnes beatos simul. p. 452 c. 2
Nihil habere possumus, quod ipsi sit absconditum. pag. 454 c. 1 & seq.

Scientia infusa.

An Judæi habuerint causam admirandi Scientiam JEsu Christi. pag. 455 c. 1
Scientia infusa, quam Deus dedit Adamo, & Salomoni. p. 456 c. 1
Scientia infusa contulit majus lumen JEsu Christo soli, quàm cunctis Angelis & hominibus simul. p. 457 c. 2
Tota capacitas naturalis ipsius intellectus ipsa referta erat. ibid.
Tota potentia obedientialis fuit repleta. p. 458 c. 1
Quantum gaudium ipsi parere debuit. p. 458 c. 2

Scientia acquisita.

JEsus Christus comparavit sibi ipsi scientiam acquisitam, & quomodo. p. 460 c. 1
Cur hæc ipsi fuerit necessaria pag. 461 c. 1
Differentia inter scientiam acquisitam, & experimentalem. p. 462 col. 2

Scientia experimentalis.

JEsus Christus habuit scientiam experimentalem. p. 463 c. 2
An ipsa vera fuerit scientia. p. 464 col. 1
Ipsius excellentia. ibid. c. 2

Silentium.

Silentium, & tenebræ magis conveniunt Majestati Dei, quàm lumen, & strepitus. p. 240 c. 1
Quid magnificentius sit, silentium, vel tenebræ in introitu Filii Dei in

in mundum. pag. 241 col. 2 & seq.
Cur bonæ animæ ament silentium. p. 243 c. 1 & seq.
JEsus Christus impendit triginta annos, ut nos doceret silentium. p. 342 c. 1 & seq.
Pauci inveniuntur spirituales, quia pauci student silentio. pag. 343 col. 2
Monasterium silentii amans est Paradisus. p. 344 c. 2
Qui benè custodit silentium, facit miraculum, quando loquitur. ibidem.
S. Joannes silentiarius deseruit Episcopatum, ut servaret silentium. ibidem.
Silentium Abbatis Pambonis. p. 345 col. 1

Sol.

Tres soles conjuncti in unum, & quid significent. p. 248 c. 1

Somnium.

Tria sunt genera somniorum, naturalia, diabolica, & divina. pag. 87 c. 1 & seq.

Spectaculum.

Terribile, & valde lamentandum. p. 301 c. 1

Spes.

Possumus servire Deo ex spe retributionis, & hoc motivum est adhuc bonum quamvis non sit perfectissimum. p. 760 c. 1 & seq.

Spiritualis.

Facilius esset ex carnali façere spiritualem, quàm ex curioso verum discipulum JEsu Christi. p. 261 col. 1
Quare tam pauci spirituales. ibid. c. 2
Magno stat labore esse spiritualem. p. 373 c. 1 & seq.

Spiritus Sanctus.

Spiritus S. in forma columbæ nos docet obligationes nostras. pag. 393 c. 2 & seq.
Quotidie Spiritus S. venit super animas, quando recipiunt gratiam. p. 393 c. 1
Plures Episcopi Ravennates electi sunt per descensum visibilem Sancti Spiritûs super ipsorum capita. p. 394 c. 2

Subsistentia.

Subsistentia quid sit. pag. 117 col. 2 & seq.
Magnum miraculum, quod sanctissima Humanitas privata fuerit subsistentiâ naturali, & majus, quod habuerit divinam. p. 118 col. 1

Synagoga.

Synagoga Judæorum convenit cum stulta sapientia mundi. p. 135 c. 2
Synagoga, & stulta sapientia mundi confunduntur à sapiente stultitia JEsu Christi. p. 134 c. 2

T.

Tempus.

ESt varietas temporum pro anima, sicut pro corporibus. pag. 375 col. 2

Tenebræ.

Quid significarint tenebræ universales tempore Passionis JEsu Christi. p. 870 c. 2

Testamentum.

Convinceni probatio Veritatis desumitur è scripturis veteris Testamenti. p. 183. c. 1 & seq.

Item è scripturis novi Testamenti. p. 189 c. 1 & seq.

Prudens discursus circa lectionem veteris Testamenti. pag. 440 col. 1 & seq.

Quatuor convenientiæ, & quatuor differentiæ inter duo Testamenta. p. 441 c. 2

Antitheses veteris, & novi Testamenti. p. 442 c. 2 & seq.

JEsus Christus fecit testamentum suum moriens in cruce, accedendum nobis est, ut partem inde accipiamus, velut ipsius filii. p. 970 col. 1 & seq.

Theatrum.

Tria theatra ignominiarum pro JEsu Christo in Passione sua. pag. 905 col. 2

Theodosius.

Magnum opus Pietatis confectum à Theodosio juniore. p. 510 c. 2

Triumphus.

Duo opposita constituebant pulchritudinem triumphi Romanorum. p. 303 c. 1 & seq.

Introitus JEsu Christi in mundum, magis pomposus triumphô Romanorum. p. 304 c. 2

V.

Vanitas.

TEntatio vanitatis, ac superbiæ parit exitium alicui Eremitæ. pag. 409 col. 1

Vanitas lectionis librorum profanorum. p. 440 c. 1

Veritas.

Veritas unius solius Dei, & Filii ejus Unigeniti JEsu Christi nunquam ignorari potuit à nationibus etiam infidelibus à mundi creatione. pag. 694 c. 1 & seq.

VERBUM.

Omnia sunt facta, & refecta per idem Verbum Dei. pag. 143. c. 1 & seq.

Oculi hominum viderunt Verbum æternum Dei. p. 145 c. 1

Quomodo intelligendum, quod Deus Pater nobis locutus sit per Filium suum Unigenitum. pag. 144 col. 1

Origo magnifica Verbi Dei. p. 657 col. 1

Deus misit nobis Divinum Verbum suum in terras. p. 685 c. 2

Deus transire fecit Verbum suum ex ore suo in os hominum, & ex ore in os usque ad nos. p. 659 c. 1 & 2

Bonus modus audiendi Verbum Dei. p. 719 c. 1 & seq.

Bonum est colloqui de Deo, melius tamen est loqui Deo in oratione. p. 653 c. 2 & seq.

Quando Deus loquitur nobis in secreto, in secreto respondendum est ei. p. 688 c. 2

JEsus

JEsus Christus sanavit ægrotos verbis, exin dedit potestatem servis suis, etiam verbis sanandi peccatores. p. 864 & 865
Verba amore plena JEsu Christi in cruce. p. 970 c. 1

Victoriæ.

Princeps aliquis adhuc in cunis reportavit victoriam. p. 265 c. 1
Victoriæ JEsu Christi in cunabulis suis. ibid. c. 2
Dies pugnæ, & victoriæ JEsu Christi super dæmones. p. 405 c. 1

Virgo Sanctissima.

Ipsa exempta fuit à peccato originali. p. 31 c. 2
Ipsamet lactavit Infantem JEsum. p. 314 c. 2
Ipsa inprimis dedit suum lac, & dein S. Joseph suos labores ad alendum Filium Dei. pag. 316 col. 1 & seq.
Cur videatur rigidiùs tractata in pluribus occasionibus. pag. 332 & seq.
Quomodo facilè comprehendi possit, quod ipsa sit Mater Dei. pag. 451 & seq.

Visio.

Visio stupenda circa modum, quo Dei Filius concedere voluit hominibus beneficium Redemptionis. p. 39 c. 1 & seq.
Explicatio hujus visionis. p. 43 & seq.

Vitis.

Pulchra comparatio vitis data à JEsu Christo. p. 756 & seq.

Unio.

Tres uniones in JEsu Christo quos admiratur S. Bernardus. p. 127 col. 2

Unio Hypostatica.

Natura divina, & humana obtinent communionem bonorum per unionem Hypostaticam. p. 70 c. 2
Cur Verbum Divinum, & æternum unitum non sit hypostaticè omnibus hominibus. p. 111 c. 1 & seq.
Duæ naturæ, divina, & humana, non sunt transformatæ, nec inter se commixtæ, aut confusæ. pag. 116 c. 2
In quo consistat unio Hypostatica. p. 128 c. 1
Exhaurit Omnipotentiam Dei. pag. 129 col. 1
Homo est magìs in Filio Dei, quàm Filius Dei sit in Patre suo. pag. 129 col. 2
Comparatio explicans unionem Hypostaticam. ibidem.
Est nobis maximo honori. p. 130 col. 2 & seq.
Arcta nostra propinquitas cum Deo per unionem Hypostaticam. pag. 131 col. 1
Maximi quique Doctores ipsam magis admirantur, quàm capiant. pag. 127 col. 1

Voluntas.

Nostrum liberum arbitrium desponsatum voluntati Dei, fruitur omnibus prærogativis matrimonii infinita ratione auspicati. p. 738 col. 2 & seq.

Non

Non sufficit, Deum nostram salutem velle, nos quoque illam velle oportet. pag. 749 c. 1 & seq.

Utilitas propria.

Hæc totum mundum incitat adversus Deum. p. 293 c. 1

Omnes fermè serviunt hodie utilitati propriæ. p. 294 c. 1

Etiam viri boni non deserunt utilitatem suam propriam pro Deo. pag. 294 c. 2

Invectiva contra illam. p. 296 c. 1

Tentatio utilitatis propriæ, est omnium tentationum fortissima. pag. 410 col. 1 & seq.

Vulnera.

Legitur in Vulneribus JEsu Christi amor, & odium. p. 891 c. 1

Ipsa sunt vallum tutissimum contra peccatum, p. 896 per totum art.

Z.

Zelus.

MAgnus Zelus S. Pauli pro salute animarum. p. 886 c. 2

Item S. Pionii Martyris. pag. 887 col. 2

Zelus admirabilis S. Martyris Fischerii. p. 893 c. 1

gLorIa In eXCeLsIs Deo
Vero, æqVo, Magno.



Errata sic corrige.

Pagina 5. columna 1. linea 1. passim lege possim. lin. 5. mihil lege mihi. lin. 7. tarram lege terram. l. 36. aretatam lege arctatam. col. 2. lin. 15. dare lege dari.

Pag. 6. col. 1. l. 14. sicut illa lege sicut illæ. col. 2. lin. 36. incompabtiles lege incompatibiles.

Pagina 7. col. 1. lin. 3. veni lege veri.

Pagina 8. col. 1. lin. 19. palatus lege palatii.

Pagina 12. col. 2. lin. 9. mruptionem lege interruptionem.

pag. 13. col. 2. lin. 31. horologia lege homagia.

pag. 15. col. 1. l. 1. del. abusu. col. 2. l. 13. concomitantes lege concomitantes. linea penult. remotus lege remotum.

pag. 18. col. 1. lin. 7. amabilis lege amabile.

pag. 21. col. 1. lin. 9. reddisse lege reddidisse.

pag. 22. col. 1. lin. 16. cieret lege cierat.

pag. 23. c. 2. l. 4. naci lege nasci.

pag. 25. c. 2. l. 2. curiosus lege curiosas.

pag. 29. c. 2. l. 35. iusans lege infans.

pag. 33. c. 1. l. 27. indiguationem lege imaginationem.

pag. 34. c. 2. l. 16. qui lege quî. lin. 23. non esse lege nos esse

pag. 40. col. 1. lin. 5. repleverunt lege repulerunt. lin. 12. omnes se potius lege omnes potius. columna 2. lin. 16. possim lege possem.

pag. 42. c. 1. l. 10. veniret lege venires. lin 30. tntum leg. tutum. lin. 37. intrius leg. interius. col. 2. l. 10. potest lege portet.

pag. 44. c. 1. l 5. maximè lege maxima.

pag. 45. c. 1. l. 23. potentiæ lege potentia. col. 2. l 21. audient lege audiens.

pag. 47. c. 2. l. 10. formabat lege informabat.

pag. 48. c. 2. l. 27. abyssu lege abysso.

pag. 52. c. 1. l. 13. Medio lege Medico.

pag. 53. c. 2. l. 24. abhorruerit lege non abhorruerit.

pag. 54. c. 1. l. 5. miseria lege misera.

pag. 56. c. 2. l. 2. consumdant lege confundant.

pag. 58. c. 2. l. 5. directione leg. directioni.

pag. 62. c. 1. l. 15. faciemdum leg. faciendum.

pag. 63. c. 1. l. 4. solviste leg. solvisse. lin. 14. Jesu lege sese. lin. penult. ardore lege ardere.

pag. 66. c. 1. l. ult. emisisse lege emisse.

pag. 67. c. 1. l 16. Archates lege Achates.

pag. 69. c. 2. l. 26. homi rem lege homines rem.

pag. 70. c. 1. l. 35. omonipotentem lege omnipotentem. c. 2. l. penult. & magno leg. ex magno.

pag. 71. c. 1. l. 23. & idem lege est idem. l. 35. histribus lege his tribus.

pag. 72. c. 2. l. 21. volueris lege nolueris. lin. 31. miseris lege miserius.

pag. 75. c. 1. l. 27. egemus lege egenus.

pag. 81. c. 2. l. 26. superaturi lege essent superaturi.

pag. 82. c. 1. l. 15. immutaret lege ut immutaret. col. 2. l. 30. exercendum lege eruendum.

pag. 83. c. 2. l. 37. immortalem leg. mortalem.

pag. 84. c. 2. l. 34. ones lege omnes.

pag. 96. c. 1. l. 15. in sua lege in suo.

pag. 97. c. 2. l. 35. innitam lege infinitam.

pag. 98. c. 2. l. 8. offeretur lege operetur.

pag. 105. c. 1. l. 4. vestem lege vastam. col. 2. l. 13. intelligatis lege intelligetis.

pag. 110. c. 2. l. 37. rigore lege vigore.

pag. 111. c. 2. l. 2. repleti lege & repleti.

pag. 114. c. 1. l. 11. constare lege constaret. col. 2 l. 19. capiat lege cupiat.

pag. 115. c. 1. l. 26. nec exspoliari lege ne exspoliari. col. 2. l. 10. descendeat lege dependeat.

pag. 117. c. 1. l. 24. nullatenus lege ullatenus.

pag. 118. c. 1. l. 5. completum lege complementum.

pag. 119. c. 1. l. 34. alterius lege altius.

pag. 120. c. 2. l. 15. lumini lege lumine.

pag. 128. c. 1. l. 24. *adde*: Non dico, naturam humanam cum natura divina, sed dico &c.

pag. 129. c. 2. l. 11. magnísque leg. magísque.

Pagina 130. columna 2. linea 5. omniptens lege omnipotens,
pag. 135. c, 1. l. 2. del. quem, lin. 36. ad me lege ad te me.
pag. 136. c. 1, l. 9. puod lege quòd,
pag. 139. c. 1. l. 19. ſperarabant lege ſperabant. col. 2. l. 19. nudo lege modo.
pag. 140. c 1. l. 32. lucări lege lucrari. col. 2, l. lucrare lege lucrari,
pag. 141. col 1, l, 17. radientis leg. radiantis.
pag. 143. c, 2. l, 12. aſſimilitatur lege aſſimilatur.
pag. 148. c. 1. l. 28. rurubo lege rubo.
p, 155. c. 2. l. 17. animantiæ lege animantia,
p. 156. c. 2. l. 36. rexelaſſet lege revelâſſet,
p. 157. c, 2, l. 1. tutum lege totum.
p. 165. c 2, l, ult. del. ſum.
p. 175. c. 1. l, 1. exavarunt lege exararunt,
p, 176. c. 2. l. 17. adde: dum Meſſias exſpectatus fuerit à nobis ſpectatus, ſed quidquid ſit in exterioribus hiſce.
p. 178. c. 1. l, 11. hebdomada lege hebdomata. lin, 34. hebdomadum lege hebdomatum.
p. 179. c. 2. l. 1. tu die lege in die.
p, 181. c. 2. l. 31. ſtolida lege ſolida.
p. 184. c, 2. l. 4. ſaccum lege ſacrum.
p. 186 c 2. l, 20. aſſectas lege aſſeclas. lin. 32. fabulorum lege fabularum.
p. 187. c. 2. l. 3 Deucationem lege Deucalionem. item: naſo lege naſci,
p. 192 c. 2. l. 18. cira lege circa,
p. 199. c. 1. l. 17. rarionem lege rationem.
p. 202. c, 1. l. 32. oblivinis lege oblivionis.
p. 207. c 2, l, 31, conquequeritur lege conqueritur.
p. 209. c 2, l, 2. del. demon,
p. 211. c, 1, l. 16. aliud lege alius, lin. 20. verificare lege verificari,
p. 215. c. 1. l. 4. voluetitis lege volueritis. l. 5. monſtruoſum lege monſtroſum,
p. 217. c. 1. l. 38. del. pro. col. 2. l, 22, ubi lege uti,
p. 220. c, 1, l. 39. ſtabilivi lege ſtabilivit,
p. 222. c. 2. l, 5. admittis lege admittitis,
p. 228. c. 2. l. 25. illo lege illi.
p. 229. c. 2. l. 6. gentiæ lege gratiæ.
p. 232. c. 21. l. 1. aggraverent lege aggravarent.
p. 235. c, 2. l. 38. aggredietur lege egredietur.
p. 245. c, 2, l. 30. appellat lege appellaret,
p. 248. c, 1. l. 16. ingenti lege ingentis. col. 2. l. 19. iunuere lege innuere.
p, 250. c. 1. l. 18. privet lege privat, l. 25. Teſtatus lege Toſtatus.
p. 251. c. 1. l. 33. nihiominus lege nihilominus.
p. 257, c, 1. l. 20, terra lege terræ,
p. 258. c. 1, l. 19. actum lege altum,
p. 261. c, 2. l. 25. ne lege nec.
p. 263. c. 1. l. 9. quæſo te lege quæ ſola.
p. 267. c. 1. l. 10. concernit lege decernit. c. 2. l. 27. niſu lege riſu.
p. 269. c. 1. lin. 35. plantis lege plagis.
p. 271. c. 1. l. 34. Otiente lege Oriente.
p. 272. c. 2. lin. 6. ubi lege uti.
p. 273. c. 1. l. 20. difficultas lege difficultatis,
p. 285. c. 2. l. 3. poſita lege potita.
p. 287. c. 2, l. 21. exceptitione lege exceptione.
p. 290. c. 1. l. 16. Amplificatorum lege Amplificatorem.
p. 293. c, 1, l. 7. aſſeveras lege aſſueveras,
p. 294. c. 2. l. 3. guatuitò lege gratuitò,
p. 296. c. 2. l. 7. periculo lege peniculo. item lin, 15.
p, 297. c. 1. l. 4. gloriæ lege gloriâ, lin. 14. ſententiæ lege ſententia.
p. 298. c. 1. l. 35. abhorrerat lege abhorruerat. item iniebat lege inibat. c, 2. l. 24. horrere lege horrore.
p. 299. col. 1, l. 13. veraſcunt lege vera ſunt, c. 2. l. 14. ſuum lege ſua,
p. 300. c. 2. l. 9. parcetur lege parcatur.
p. 301. c. 1. l. 37. mundant lege inundant,
p. 302. c. 1. l. 19. arcticus lege arctico. col. 2. l. 6. cominatur lege concitatur.
p. 304. c. 1. l. 24 ejus lege cujus. c. 2. l. 37. habebas lege habebas te,
p. 305. c. 1. l. 18. Ariſtotulus lege Ariſtobulus. col. 2. l. 13. ingenuit lege ingemuit.
p. 306. c. 2. l. 12. ſommus lege ſomnus. l. 18. vernibus lege vermibus.
p. 307. c. 1. lin. 34. latentur lege lætentur.
p. 308. c. 1. l. 20. Nartyrum lege Martyrum, l. 34. digno lege dignos.

Pagina

Pagina 309. columna 2. linea 9. moro lege mori. item insegniter lege insigniter.

p. 310. col. 1. lin. 17. cum Vale lege cum Vate. col. 2. l. 22. fuerint in mundoque lege fuerit in mundo,

p. 311. c. 1. l. 27. gressui lege gressus, lin. 32. quàm lege quòd.

p. 313. c. 2. lin. 17. eum lege cum.

p. 316. c. 1. l. 15. suam lege suum. lin. 16. quævis lege quæris.

p. 317. c. 1. l. 1. institutus lege institutas. lin. 3. sede leg. sese. l. 23. comendet leg. comedet.

p. 318. c. 1. l. 23. avides lege avidos.

p. 319. c. 1. l. 23. tunc lege tenc. col. 2. lin. 16. degestis lege digestis.

p. 320. col. 2. l. 32. sensa lege sensu.

p. 323. c. 1. lin. 13. imitantum lege imitandum.

p. 325. c. 1. l. 10. verisimilis lege verisimilius. c. 2. l. 13. & lege ex.

p. 327. c. 1. l. 6. interiorio lege in territorio.

p. 328. c. 2. l. 30. & lege ex.

p. 329. c. 1. l. 25. inimicis lege injuriis.

p. 333. c. 1. l. 37. Patrum lege Patrem. col. 2. l. 15. afferet lege afferret. lin. 21. retineret lege retinent. lin. 34. quia lege qui.

p. 334. c. 1. l. 2. rationis lege ratione 13. c. 2. lin. 5. sit infamis lege sit ita infamis.

p. 336. c. 2. l. 32. superba lege superbe.

p. 337. c. 2. l. 7. subiecit lege subierit. col. 2. l. 16. frater lege fratres. lin. 32. cussione lege jussione.

p. 338. c. 1. l. 10. nitentur lege nitantur. linea 22. est lege &.

p. 339. c. 1. l. 2. vorum lege verum. linea 34. & lege ex.

p. 341. c. 1. l. 7. notuerit lege noluerit. lin. 36. est lege eos.

p. 347. c. 2. l. 18. curri lege curru.

p. 352. c. 1. l. 25. circumfusos lege circumfusas.

p. 352. c. 2. lin. 28. pretiosissimæ lege pretiosissimâ.

p. 353. c. 1. l. 29 Sapientia lege Sapientiæ.

p. 354. c. 1. l. 18. me lege meo.

p. 360. c. 2. l. 21. deterit lege dixerit.

p. 365. c. 1. l. 35. reddit lege reddidit.

p. 366. c. 2. l. 10. Deo lege DEI. linea ult. te lege tu.

p. 370. c. 1 l. 22. crebro lege cerebro.

p. 372. c. 1. l. 35. exspectat lege exspectet.

p. 373. c. 2. l. 17. auferendum lege auferendam.

p. 376. c. 2. l. 9 hîc lege hâc. l. 25. ipsam lege ipsum.

p. 378. c. 1. lin. 33. ferentur lege ferantur.

p. 380. c. 1. lin. 2. volutam lege vetustam. l. 7. conferto lege confecto. col. 2. l. 6. suavitu lege suaviter.

p. 383. c. 2. l. 33. hæc lege hæ.

p. 386. c. 2. l. 32. verba lege Verbi.

p. 387. c. 2. l. 27. omnes lege omnis.

p. 388. c. 1. l. 19. ipsemet lege ipsimet. lin. 33. audirent descendentem, lege, audirent vocem hanc è cœlo, & manifestè viderent descendentem.

p. 391. c. 1. l. 21. aportatæ lege apostatæ.

p. 393. c. 2. l. 7. merebor lege merebar.

p. 394. c. 2. l. 21. insidibet lege insidebat.

p. 398. c. 2. l. 14. Ex lege Et.

p. 407. c. 2. l. 14. secundæ lege secundo. lin. 36. lingua lege ligna.

p. 410. c. 2. l. 13. jussæ lege jussa.

p. 415. c. 1. l. 22. quo lege qui.

p. 427. c. 2. l. 16 labebat lege latebat.

p. 428. c. 2. l. 1. ipsius lege ipsis.

p. 429. c. 1. l. 14. cœlorum lege cæcorum.

p. 430. c. 1. l. 9. implent lege impleat.

p. 431. c. 1. l. 15. distinatur lege distinetur. l. 30. ubi lege uti. c. 2. l. 16. extentum lege, eventum.

p. 432. c. 2. l. 7. deleatur: quod. l. 6. vobis ipsemet lege, vobis, quod ipsemet.

p. 441. c. 2. l. 1. Vel lege Nil.

p. 447. c. 2. l. 10. nutriet lege nutriat.

p. 450. c. 2. l. 20. legimus lege legitimus.

p. 451. c. 1. l. 3. caperis lege cape fis.

p. 455. c. 2. l. 10. quo lege quod.

p. 457. c. 2. l. 10. interpellebat lege interpellabat.

p. 478. c. 1. lin 2. aspicietur lege aspiciatur.

p. 480. c. 2. l. 2. stabilierint lege stabilierat.

p. 481. c. 2. l. 29 dicet lege dicit.

p. 497. c. 2 l. 34. plures lege pluris.

p. 498. c. 1. l. 2. suorumque del. que.

p. 511. c. 1. l. 7. terræ lege terra.

Pagina 520, deleatur 529.

p. 521. c. 1. l. arbuſtæ lege arbuſta. lin. 3. vidamus lege videamus. col. 2, l. 17. auditori lege auditoribus.

p. 530. c. 1. l. penult, comparenda lege comparanda.

p. 546, c. 2. l. 6, faciant lege facient,

p. 553. c. 1, l. 14, uteretur lege utetur, col. 2. l. 36. 3. lege 4.

p. 562. c, 1, l. 22. voles lege volet.

p. 563. c, 1. l. 6. oſtendat lege oſtendet.

p. 565. c. 1. l. 10. ratione lege rationes.

p. 564. c. 1. l. 7. noluerint lege noluerunt.

p. 610. c. 1. l. 17. ſiqudiem lege ſiquidem,

p. 614. c. 1. l. 19. deleatur ; providentiam.

p. 617. c. 2. l. 12. perfectionis lege perfectiones.

p. 636. c. 1. l. 32. extendit lege extendi,

p. 644. c. 1. l. 21. illo lege ullo.

p. 651. c, 2, l. 15. ago lege egi.

p. 654. c. 1, l. 16. volans lege volens.

p. 657. c. 2. l. 8. niti lege niſi.

p. 667. c, 1, l. 24. manſuram lege menſuram,

p. 670. c. 1. l. 4. promoventur lege promoveatur

p. 674. c. 1. l. 5. ſolati lege ſolatii l. 9. collocceſem felicitat lege collocet felicitatem,

p. 676. c. 2. l. penult. citiarim lege citârim.

p. 682. c. 1. l. 33. quandam lege quadam, c. 2. l. 23. poſſideant lege poſſideat,

p. 685. c, 2. l. 32. ſui lege ſuo.

p. 687. c, 2, l, 26, ipſæ lege ipſa,

p. 804. c. 1. l. 6, maximum lege minimum.

p. 814. c. 2. l. 31. quoque lege te quoque,

p. 821. c. 1, l, 21. ſuudo lege ſundo.

p. 822. c, 2. l. 8. naturas lege naturali.

p. 823. c. 1, l. 13 afficiamini lege efficiamini.

p. 825 c. 1 l. 22 perfectiſſiarum lege perfectiſſimarum.

p. 828 c. 1 l. 37 ſolvandas lege ſolvendas,

p. 829. c, 1. l. 26, ſequeremur ſe lege te.

p. 836 c. 2 l. 31 vide te lege videte,

p. 857 c. 2 l. 31 habeant lege habent.

p. 860 c, 1 l. 29 rec ametur lege nec ametur, l. penult. eritnec lege eritne.

p. 866 c. 1 l. 22 pudore lege præ pudore.

p. 875 c. 2 l. 27. dilatato lege dilatati,

p. 905 c. 2 l. 5 committere lege committote. l. 8 cruentem lege cruentam.

p. 926 c, 1 l. 7 rationum lege rationem.

p. 948. c. 2 l. 14 paupertis lege paupertatis.

p. 951 c. 1. l. 7 minores lege majores col. 2 l. 22 Vates lege Vades.

p. 956 c. 1 l. 8 tuo lege ſuo.

p. 961 c. 2. l. 27 perterret rationem & transformat, lege, pervertat rationem & transformet.

p. 964 c. 2 l. 30 attribunenda lege attribuenda,

p. 1004 c. 1 l. 30 indormiſerit lege indormiſcit.

p. 1005 c. 1 l. 17 cæpo lege carpo.

p. 1019 l. 6 fabricabantur lege fabricabant.

pagina 1022 columna 2 linea 1. dormita lege domita,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
2583